HIERONYMI CARdani Mediolanensis, Bononiensis'que ciuis, Medicinam supra ordinariam in florētissima Academia Bononiensi publicè profitentis, in Septem Aphorismorum Hippocratis particulas Commentaria, ad PIVM Medicem Pont. Max. Mediolanensem, eius nominis Quartum.


EIVSDEM,

De Venenorum differentijs, uiribus, & aduersus ea remediorum præsidijs: ac præsertim de Pestis generibus omnibus, præseruatione & cura, Libri III.

Item, de Prouidentia temporum liber.

HIPPOCRATES LECTORI.

Graiorum culpa euersus cùm sim ante meorum,
Insuber ex obitu me mihi restituit.
Quem pro tot meritis, dij faxint, ut uice uersa
Alterius gentis restituat pietas.



Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio.

BASILEAE, PER HENRICHVM Petri, 1564.

HIERONYMI CARDANI AD PIVM QVARTVM PONTIFICEM MAXIMVM PRAEFATIO, in Commentaria sua in septem Particulas Aphorismorum Hippocratis.

CVM aliàs semper, tũ hac ultima ætate mea magis eo desiderio flagraui, PIE PONTIFEX MAXIME, ut laborib. meis aut mortalium genus adiuuarem: aut eos qui præcipuè id egissent, laudarem, extollerem, atque illustrarem. Oblata mihi uidebatur occasio utriusq; efficiẽdi amplissima. nam Hippocratis medicorum absq; cõtrouersia principis Aphorismorũ librum, in quo diuina illa oracula & aurea dicta continebantur, in Ticinensi explicare Academia contigit. Et simul utriq; muneri ex hoc per Commentaria satisfacturus eram, cum nihil ad salutẽ hominum accommodatius, neque ullius mortalis in medica arte gloria amplior esset. Etenim quamuis multos intelligerem superesse expositores: ita tamen uacua relicta est mihi huius interpretationis prouincia, ut uix ab ullo adiutus dici possim. Et si modò in aliquo sum adiutus, certè laboris plus impendi, dum tam pauca autore digna ab illis accepi, quàm si meo marte omnia inuenissem. Nam de Galeno nõ est quod dicam: ille enim cum præstantissimus esset, certè hac in parte tenuis admodum est: nec Commentaria scripsit, sed potius Annotationes: quod speraret tot ueterum expositiones, quæ tunc in omnium manibus erant (dico Herophili, Bacchij, Zeusis, Heraclidis, Marini, atq; plurium aliorum) mansuras esse. At nunc periêre magno damno mortalium: ut uideantur Galeni expositiones, quę suo tempore claræ merito habebãtur, nostra ætate imperfectę. Nec prætermitt[illegible], quòd mihi magis uidentur accusare Galenum, qui uolunt o[illegible] ab eo esse dicta: quàm ego, qui multa & maximè necessaria deesse putem. Nam cum suorũ librorum, qui fuêre sexcenti quinquaginta nouem, supersint solum ducenti sexagintasex, ut in Paralipomenis diximus: si in his omnia continerentur, & maximè necessaria, oportuit ut in reliquis illis omnibus quæ exciderunt, parum aut nihil, & certè nihil omnino necessarium contineretur. Quapropter & nugatorem, & nullius precij uirum illum faciunt, dum laudare uelle uidentur. Quid postmodùm de posteriorib. expositoribus dicam? qui quanto plures sunt (sunt autem supra quindecim, adeò multi in umbra de brauio sperare ausi) tanto maiorem sine fructu exigunt laborem. omnes enim (ut breuiter dicã) ab Hippocratis mente longius absunt. quod facile cuique patebit, qui nostra sine liuore leget. Verùm dum hæc agerem, superue-

nit infelix ille casus, quo & patriam, & profitendi munus, & studia literarum deserere coactus sum. Permansurusq; perpetuo uidebar in hac tanta calamitate atque miseria, tanta cum iactura, non solùm artis medicæ, sed quorūcunq; laborum meorum: nisi tu uerè PIE PONT. MAX. atq; diue, nutu tuo me mortalium generi, cœpto operi, atq; mihi ipsi restituisses. Namq; effectum est, ut autoritate Caroli Bonromei Cardinalis illustrissimi, nepotisq; tui, tanto que patruo digni (ne quid maius addere possim) Petrus Donatus Cæsius Narniensis episcopus, eiusq; prolegatus, uir egregia admodū uirtute, & in ciuitatum administratione sapientia singulari, effecerit, ut florentissima hac in Academia dignitatem cum summa tranquillitate sim cōsecutus. Nempe Senatus hic illustris uirtute, dignitate, euehendisq; bonis literis admirandus, non solùm sponte ad munus profitendi nos elegit: sed ne benignitate uideretur inferior, ciuitate nos atq; immunitate donauit. Quid referam Ioannis Moroni, Cardinalis illustrissimi, ad concilium legati, uiri optimi & sapientissimi, in te cultum? qui ubi uolūtatem tuam uidit, omnibus modis subleuare ornareq; me concupiuit: nisi tuum primum beneficium, cui & ille suppetias ferebat, anteuertisset? Quid ea in causa non egit Franciscus Alciatus, qui tibi à libellis est, uir & oratoria facundia, & legum peritia admirabilis, ut iam antiquis conferri possit: tum in cæteris uirtutibus eo splendore, ut quemcunq; ordinem ornare possit? ut iam pro me, me ipso laborare & anxius esse magis uideretur. Quem constat, ut tibi nepotiq; tuo gratificaretur, tum animi singulari candore omnia hęc peregisse: quando quidem beneficium à me nullum unquam accepisset. Ita ut quantum quorundā improbitati bonæ literæ, totumq; mortalium genus infensa esse debuerunt: tantū tibi, atq; etiam senatui Bononiensi gratiam debere fateantur. Namq; cum Medicina non solùm uitā producere doceat, sed quam habemus seruare incolumem: nihil maius in humanis esse conspicuum est ea arte. Non regibus regna suauia, non ducibus fortitudo gloriosa esse potest, non eruditis iucunda sapientia, si corpore non rectè ualeat. Quin etiā non solùm corporis, sed & animi uitia sanare docet, amentiā, furorē, timorem superfluum, curas atq; tristiciam. Ob id ille rectè humano generi consuluerit, & maximo illud cōmodo afficiet, qui probè eam docuerit atq; exercuerit. quod quomodo melius facere possit, quàm si ipsius Hippocratis Aphorismos intelligat, atq; sequatur? Vt contrà magno damno sunt, qui spretis illius legibus, per auia deuia quacunq; rapiuntur, auariciæ atq; ambitionis stimulis incitati, quasi liberi grassantur in homines. Vnde illud uulgatum, Solis medicis licet impunè occidere. Quibus si ea lex quæ antiquis in usu quondā fuerat, quam etiam suadet Hippocrates, proposita esset, ut non nisi pro sanatis præmia reciperent, quæ omnibus alijs artibus communis est:

nis est:solis medicis id concessum, ut pro euerso & prodito negocio pecuniæ numerentur:quot larvæ sponte discederent, quæ nũc non nisi fallendo maledicendoq́ꝫ gloriam quærunt? Quantus ardor adueniat studijs,quantus bonis literis accessus fiat,quanta gloria arti,quantum decus medicis ipsis:quàm beati futuri sint mortales:nullus medicus in difficili ancipitiq́ꝫ morbo quærat sociũ ignauum,aut imperitum,adulatoremúe, cum quo sciat nil posse lucrari. Quàm fortunati ad hoc usq́ꝫ tempus fuimus, qui seueriores Iurisconsultos in se ipsos quàm in nos experti sumus. Iurisconsultus, si dolo perdit clientem,corpore luit pœnas:si per ignorantiã, ære: si clientem defendit, armatus multis studijs, multis autoritatibus accedit:& permittunt uulgus medicorum ignauum,sordidum,rarò maioribus nobilem,sine scientia,sine studijs literarum,sine peritia bonarum artium:& non solùm imperitos sententiæ ueterũ,sed etiam cõtemptores,debacchari in nobiles ęquè atq́ꝫ plebeios. Mater luget filium errore medici amissum,frater fratrem, uxor honesta coniugem. Sed hoc regum esset munus,prospicere tanto decori. Ad te igitur PIE Pater Beatissime(qui uitæ innocentia, quam tibi Altissimus concessit,supremam dignitatem retines: qui reges Christianos in amicitia contines : populum ad concordiam tam pio animo,tam sapienti consilio,tanto dispendio redigere conaris:qui religionis decorem conciliare studes,qui patriã,qui subditas urbes ueterum more ædificijs,collegia sapientum bonis institutis,immunitatibus prę̃mijsq́ꝫ amplificasti. Testis est ipsa Roma, inter cæteras urbes plus ornamenti,securitatis,pulchritudinis,maiestatis que sub te uno,& tam breui temporis spacio adepta,quàm multis antea seculis)ad te inquam, tuosq́ꝫ sanctissimos pedes prouoluta Medicina,cum omnibus liberalibus artibus atque scientijs orat,ut illi faueas,earum cultores tuearis,erigas, euehasq́ꝫ. Et quã exhibuisti quasi signo ex arce dato protegendi spem,confirmes, nimium casibus antea aduersis labefactatam atq́ꝫ debilitatam: ut omnes concordissimè (quod Deus opt. max.q́ꝫ faxit) & animi tranquillitate,& corporis salubritate, per te unum parta, omnib. cum studiosis laudes PII Quarti Medices, Pontificis Maximi, canere possimus. Vale. Nonis Quintilibus, felicissimi tui Pontificatus anno quarto,Bononiæ.

LOCORVM ALIQVOT PARTIM AVTOGRAPHI NEGLIgentius descripti, partim operarum inter excudendum incuria deprauatorum, emendatior lectio.

Pag. 1. uers. 9 sunt necessaria 15. 51 & sis 22.25 unumquęq; nostrum 31.37 respectu 33. 12 fastidit: sed & cùm desideret. Optimum & 32 si peracutus, mulsa. In augmēto si 39. 49 Sed & ex 40.50 temporis, circuituum, 42.32 deest aliquid post congruant. 47.51 suppuratum quod 48.26 tusses durabant 49.31 iacentē phlegmoni 50.29 contineet 53. 41 super renum, 56.35 ad 45, uel quinquages. 60.21 Et ideo 61.1 indicatin 63.37 plurimus 66.52 indicium 67.42 attractio 71.24 tum quie 74.18 habet & 29 poterunt 79.26 uersionis Leon. 80.4 fit à cont. 81.13 substantie 87.21 multum tamen 89.44 tum copiæ 98.2 antè: fit autem 100.30 præparate 103.3 inspissari 116.29 ieiunū & 49 nam aliter 121.42 non satis exerc. 125.26 non essumenti 126.27 quàm minus quàm conueniat 130. 33 ut dicit 131.11 domineri declarat. Quæcunq; igitur non domantur à netura 138.45 in quinto, repetunrut magna 143.31 à colore & 33 in colore & 38 necesse non est & 44 & nigris 147.50 experiantur 148.39 aere & 43 cauliflos & 46 suauitate 152. 45 tamem 153.20 intumuerit 155. 48 Famem 157.30 quæ serius 164 37 extenuant 167.40 sint 168.1 carnosa uehementer & 2 principia, uix & 30 malum. hoc 170.43 mente constare, ostendit aut robur 171.18 tamē sunt 172.10 malos, etiam minus melum & 31 regionem, aerem 174.11 ambigui 177.40 utrumq; 180.47 cacochymi 181.3 comparatio, 182 5 quispiam 186.13 Nam & talis mentem mouet. 188.44 & quatuor 193. 22 si possit & 51 mitescant hæc 194. 05 plerisq;, referre, 197.51 assuescere 199.23 generale 201.5 modo & 49 exiccantur 207.20 intereſt) & 25 naturalis. Etiā 209.7 diniditur 214. 26 ueri similis 215. a autumnus autumnalis & 22 ut est 216.22 cause quam & 25 in effectu 217.39 exanguia 222.25 tales 225.39 magnis laboribus 226.37 pluuijs, frig. 230. 43 natnræ hum. 231.13 corollarium 235.52 Iam dominante 237.10 discri mina 238.3 enumeret 239.36 ut ens 240.28 cogamus 245.44 in una 252.37 praua sit 254.13 κρονικὰ 262.50 mortiferi 264.33 urinæ stillicidia 265.7 cum dominatur & 20 præparant & 25 alui profluuia 268. 32 quod sanissimum est, 269.7 euri, 270.18 quandam & 24 quā dum 271. 2 uolunt & 3 num id 273.49 homonymiam, Fuch. 274.48 sanguinem,

nisi 276.16 quartenas 278.15 uomuit, pòst 280.24 uere 282.42 quia 284.9 fracturis 288.34 dulce, minimè cal. 289.21 lapidis, quinque alie iam & 37 lapidis) & 44 autē, 293. 44 tenues (sic enim intelligit tenues) non 294.11 finierint puerulis, aut & 23 explicanda utiliter, om. & 37 Aphorismis, 299.21 propria, crebri anhel. 302.1 repletionē purgando, & 2 caput, utendo & 31 per se nimis 32 uigilijs, 304.8 siue motus 308. 8 improbam & fine & modo, 49 ne inficiati 509.28 tum consp. 316. 2 & iam emendato 320.2 tecum 324. 17 in marg. Cap. 42 338.35 purgat tam 346.24 sit, in uentriculo neces. 356.5 humore dominante 362.5 crude esse, 10 in utilem partē net. calor agit, in nox. proprius 37. cōmiste multæ ult. uomitus, deiectio, 364. 14 quod ab imbecil. 372.37 et tamē, 39 esse, 373.21 contenta sunt. 378. 42 expectas, 384.41 tumor 389.11 connumerat, 394.7 calore, manet 398.48 quemuis 399.2 colorem 6 color 407.37 ea perperam 408.28 pertinent 419.39 sed negatio 421. 9 successu 423.32 in utraq; 425.29 indicatiua 431.1 tanquam 438.12 fit 15 præoccupauit 36 tamen quæ 439.22 hypochondrium 440.24 uolo autem 442.51 sint. 443.7 uult frustra, 444.51 iudicant 451.46 in renibus 452.9 nām is 453.23 arenulas 454.20 possit 456.12 caua sui parte 458.47 νιφρὸν 459.23 dele & 460.24 sedulo 461.49 immunda siue sicca, 464.7 imbecillitatem 14 nacto, 467.36 scilicet an 37 dele) 469.5 fauet homini 471. 12 tantum, falsum est quod 480.10 distentione 8 animaduertat, in 42 letalis sit? 482.32 malum 484.48 graue 487.22 persequamur 500. 23 consequentem reliqua, non 489. 19 calor 490.3 quasi nolit, 30.37 tamen ab initio 492.33 ut in alijs 493.44 possumus 494.11 indicio 503. 42 constat 504.9 endiuiæ 508.49 quæ tum 511.33 quodq; tum 513.4 persequeris 517.26 tenuior, superiora eo 519.44 tantum nomine 521. 32 docet 522.46 affusa 524.35 quod conuuls. 526.20 malo 529.1 comitialis 4. morietur fœtus 32 acutis cū 34 fermè semper 537.10 obuersabitur 21 agitur 25 leniter depurgetur 538.23 aromatū 39 sibi contig. 541. 12 cum 542.21 lucramur ex 543.36 indicium 544.11 possit 547.39 uentrem 550.9 sepiē, 48 indicat 557. 19 ferunt fuisse 48 dexter, 558.13 uideāt omnes 21 tantum 23 nariū 567.

43 uolūt nimis anxiè, 568.30 si quis 42 sensim abort. 569.7 sed dolor aut 570.35 ait 45 fiat citra morbū, 571.4 magis etiē 41 istic 573.5 osculis 574. 15 cum urigine 576.4 prauitas 579. 17 eædem 580.20 uibratione 583. 4 hypochondria 594.11 hoc intel. 595.4 imponentium, dico 596.10 secedunt 11 corpus 27 inferior 41 Habent 597.15 indicium 600.33 pungant 'ue 601.2 dolores 42 alij 45 renales 51 uagabantur 602.51 definiuntur, renum non 603.42 immittuntur 605.23 prætermisisset primâ dol. genera, 606.23 glandem 46 musculi? 613.14 trahere licet 615.6 ipsius 34 exonerando partem prop. lib. ac temperatiorē relinquunt 43 quam 616.36 def. tamen 51 tem freq. 619.38 leucophlegmatia 621. 15 astrictam 622.28 locum, & 623. 31 autem 624.13 si opus 24 subrubicundi 32 aspritudine 628.3 ustione 15 non tam 630.27 conciderint 631.2 interpretari ex Celso, 636.46 in uesica supp. 638.32 gracilitatem 639.47 supra umbil. 640.1 dolorē 641.23 ac rat. 644.45 iuuenibus 645.14 gerulorum 51 similes 646. 42 cerebro 647.1 extenditur 652. 25 calefactus 52 intestinis 653.9 unum, alterum 654.29 uina potentia 655.1 inferet 19 caluiciē 656. 22 nemo requiret 46 Vlyssem 657. 41 omnibus eius. 658.16 aut fomen. 50 somnum 662.16 distantiam ergo 19 exugere 25 uir est 664.42 quoniam breuibus 665.41 atq; eadem 666.23 animaduertit 27 defluuium 667.5. uel non 12 ἢ 47 Quod 668. 13 radices 670.4 iudicij 15 decernit 30 tamen 44 alij modi, de 671. 50 bumeri 673.37 si modò admittamus 41 iuncta. 675.30 rosaceum 680.36 liberetur 40 cū dupl. 681. 7 quòd ustio 48 habetur 682.43 distentioni, 684.22 tabem 686. 20 quam 687.4 quamuis 32 dolor ad furculam 688.50 quod eiusmodi 689.12 pateat 690.20 maior necess. 42 calcaribus 691.6 perimant 69.33 reddenda 40 repletur pituite 42 si totus 695.49 ulceribus 697.12. uel praua 700.30 Ad secundam 702.29 Hæc etsi 32 bonum 703.41 reddat 704.17 fiant 29 inflammatione 38 non possit 705. 28 suppuratæ 707.9 fallit unquam (demon. 25 finiuntur 711.33 Patitur 714.19 palpebram 21 perreprat 716.47 febribus 722.31 uere 36 quibus si 724.41 maius est 725.4 à medico 726.11 dissentiunt 17 quorū uix 731.12 cum in 734.34 nisi ob

737.3 tum med. 738.27 & ipſam 31 uideatur 741.20 intelligere 744. 41 pron. ſitus 45 accidat 746.11 iudicatiua 14 iudicatione 747.48 deiectiones 748.20 ualde 47 qualem ponit in 755.7 ſæuiſsimus 40 fecum 756.2 tuberculo 757.2 At hic 758.27 tranſmitti 762.42 turbatur:turbatur autem 43 de capite 763.14 occuparint 31 Quum igitur 764.1 hæc cum cō. 37 propoſitum præſens, 765.12 ſuperiore uentre 767.27 dicas 769.15 finit 30 ulcuſculis 772.14 uertuntur 773.36 dum facit ſæpius, 47 illis 774.23 firmus 35 ſi dicas 775.40 præſcindens 776. 31 malefico, 778.10 ipſæ 51 tum in 781.20 melius eſt 45 eſtq́; 782.50 quæ fluunt 785.36 ut non 787.32 flatuoſo 789.8 ſi ſint 790.6 ſimul totum,ad 42 & eam 796.22 quæ in inf. 798.14 ſunt 52 fugit 801. 9 feminei 803.18.inde 29 ſufficiat 804.14 euadit magis 37 naturalis 805.11 aliæ molles 19 omnes, 40 ſolum ui 807.15 amurcam 811.46 ſi oullo 45 oſcitanter 812.1 quamlibet rationem, quamuis non tutam 2 tentandam eſſe 37 quòd ſi 813. 21 quæ per 33 uerùm præterea 814. 12 cerebri 49 deſcriptio 815.3 tranſgrediuntur) ſanus fit 816 contumaciter hærent 18 uiſiui 817.11 contento 819.32 à cal. 820.42 nō aff. 825.41 humidum innatum 828. 38 quam 829.15 iudicium 40 Hic 830.7 hic 831.38 LV. 833.43 minus, 44 plus, 835.2 præcauere 4 ad marg.Pag.7 10 offerebantur 840. 20 mouendi 841.14 fine? 843.35 antecedunt 40 ſanare 844.40 explicauimus 47 iudicatorijs 49 iudicatoria 846.31 ui coacta 847. 23 uarix, 850.35 & 36 lethale 853. 43 definiri ſolet 854.36 operantur 856.10 Vnum 857.1 quæ uetuſtate 851.41 cognouerit diſt. 42 aut excog. 859.42 cum prin. 860.5 ut conſcium ſcel. 8 habere 19 ſunt, inq. 20 mundo Deo 52 egit 862. 46 erant 863.25 medicamento 49 ſaliuam 865.51 aliam tamen 866. 18 ui ipſa 868.21 conſueſcunt 44 eadem 50 ſalutem, 872.14 ab aere 25 incaleſcere 875.1 liq.aliquo 879. 8 uentriculi,una 881.48 iudicio 887. 15 ut etiam 888.13 accenduntur 890. 51 item aph. 893.29 conſilio 894. 23 mundum corp. 895.37 crabronum 39 efferata 50 offendant tantum, 897.4 quæ dicta 26 hydrophoui 899.47 ſuper, iuuenem 900.19 eſt, etiam 902.1 tam minut. 908.9 Ferè autem 41 ſugeret 909.25 uiuū 911.28 amitā 912.12 ſpumæ 23 plumbum 35 quod ſine 916.31 eſt perniciof. 35 uitrum 39 uitrum 918. 12 tabida 25 niſi exp. 34 appellabant 920.20 eſſe debet 922.47 & uitrum 923.12 temporanea 43 tenuia 45 internas 52 cootraria, ſubſtantia ſubſtantiæ 926.49 principatum 928.13 temporanea 930. 30 candidioremq́; 32 quem uerif.eſt diu affectū 936.8 rū ſapore 20 pepones 937.20 quarū 938.32 efficit 959.50 ricinorum & lathyr. & tithy. 51 ricinorū 940.25 cornua 942.40 denunciant 943.8 ſomni 949.20 uitrum.Sed uitrū 31 uitro 950.23 ſed hos 951.4 Ictuum, morſus, uulnerum uenen. 13 coloris 24 putredine 50 paucis, 947.11 potentiæ 19 uitrum (quanquam uitrum natura,ſed figura non 953.10 in ruta 52 ſerpeotum unum 955.12 labiorum uuln. 26 bdellio 956.30 quanqua 958.26 penis non ar. 29 uulua 959. 43 à uitro 960.31 ſociatam glad. 961.6 nictationes ad. 965.8 uana. conſt. 972.39 timent 974.30 anti thoræ 975.48 præſtantius 977.22 bulboſæ 23 anagallis 41 ſingulorum 978.2 ſcordei 24 extollit 25 quo ille 46 cæteros 979.22 uigilet 981.4 quæ ſubſt. 982. 22 gentiana 983.13 comate 20 cicutam,nā aur.in una die interficit 985. 19 deſtilletur 986.25 ſphragis 30 tum amar. 387.39 dixi 990.30 illud 992.7 hac in 994.33 ſecūdam 997.14 ſolent ferrum, 999.19 aliorum in 1002.27 habes 1003.6 ſi non,neceſſariò ſiderabitur 23 expectatus 1006.2 ſuſpendatur 7 granatus 13 ſatyrion 1007.35 quæcunq; 1008.6 ſcordij 1010.29 galiopſis 1011.3 fuerit 12 in uino 1012.18 uitri 1017.40 euocare 1018.18 fecir 28 utræq; 32 nūquam 1019.15 dele non 1020.17 uiridium card. 1021.22 Exterius,ſi qua 26 radice 39 alias 50 emplaſtro Paul. 1022.36 Gallica, 1023.2 candente 32 fuerit. 52 Celſo, 1025.6 dele un- 1028.6 zedoaria 1030.42 tribus 44 conſtitutiones 1032.2 uelut ſi 21 decoctum 28 condīto 33 conditum 1033.50 tunc eſt 1036.40 igne,colligatur quod 1037. 18 locum inunge 1043.14 dele enim 40 mulieribus dyſent. 1044.4 prædicer 1045.4 lenis,per hyemem ſal. 15 plurimosque 18 interierunt πτερ. 1050.1 læditur 1052.19 fluit 1056. 12 aſcendar 1059.50 defecata 1064. 40 naturam 1065.9 præſertim 1067. 6 ſepulchrorum 11 diuturnam 40 putredo 1072.17 naturæ.

Hæc loca ſi diligens Lector ita emendauerit calamo, Opus habebit ad unguem elimatum.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI IN Hippocratis Aphorismos Lib. VII.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

LIBROS hos ita ordinaui, ut septem libri in septem libros, hoc nomine conscriptos ab Hippocrate, explicandos instituerentur. Aphorismus enim ab ἀφορίζω, quod est seligo, dictus est. Nihilominus ex sententia Galeni infrà, ad Aphoristicam doctrinam pertinet: ut quæcūq; sunt necessaria ad negocium, breuissimè circumscribantur. Et alibi etiam, ut quæ dicuntur, compendiosius complectatur. Et rursus Aphorismis usu euenit, ut in paucis uerbis uis magna contineatur. Non tamē semper Aphoristicus sermo breuis necessariò est: ut infrà uidebitur. Atq; ita quod aliàs excogitaueramus, fermè absoluemus: scilicet ut uniuersos Hippocratis libros exponeremus. quod certè fuisset operosum, & longum. Cauebimus ergo diligenter, præterquam in 10. 11. & 12, ne quicquam non à uero & principe Hippocrate dictum interseramus. Is fuit, qui ab 81. ad 100 usq; Olympiadem floruit, medicus Perdiccæ Macedonū regis: mortuusq; in Larissa Thessaliæ, cum esset Cous: & nunc usq;, ut audio, domus eius in ciuitate eiusdem insulæ, quæ in Arcipelago posita est, solet aduenis ostendi. Fuit ex descendentibus Aesculapij, decimus octauus ab illo: & ideo uigesimus à Ioue, & nonus à Chrysamide rege: natione Doriensis, ex familia Hebridum: alij uocarunt familiam Asclepiadarum. fuitq; illi auus, alius Hippocrates, filius Gnosidici, & nepos Nebri: qui cum uir illustris fuisset, qui ab eo descenderunt, Nebrides sunt dicti: unde hoc nomen Hippocratis, ab abauo familiæ impositum est. Patre natus est Heraclide, matre autem Praxithea Phanaretis filia. Nobilis utroq; parente: nam ex gente Heraclida, quæ ab Hercule ita dicta est, maternum genus originem sumpsit. In Rhetorica Gorgiam Leontinum audiuit, in Philosophia Democritum: in cuius gratiam Doricè scripsit Aphorismos, cum Cous insula ad Ioniorum principatū pertineat, cuius urbs principalis Astyphalea olim, nunc Longoū nominatur. In medicina patrem habuit magistrū, Herodicumq; Selybrianum, tunc famosum in ea arte. Filiam autem collocauit auo Aristotelis, dum esset in Macedonia: ex quibus natus est Nicomachus, Aristotelis pater. Habuit etiam duos filios, scilicet Thessalum, uirum grauissimum, qui apud Archelaum Macedoniæ regē maximo in honore fuit, & Draconem. Hi tamen ambo à Comicis, ut insani, irrideri soliti erant. Et ambo etiam filios habuerunt nomine Hippocratis: unde qui Thessali filius fuit, librum de morbis, Dioscoridis authoritate, scripsisse creditur, teste Galeno. Hos ergo filios, & alium nomine Polybium, discipulos egregios habuit Hippocrates: & qui multa scripserunt, mediciq; præstantes fuere. Vocatur autem Hippocrates ex Asclepiadarum familia, per synæresim, quasi ab Aesculapio originem ducente. Ctesiam Cnidium affinem habuit. Huius igitur uiri Aphorismos interpretaturus sum, quos ante Galenum plurimi exposuerunt: inter quos Pelops, Galeni præceptor: Lycus, Hippocratis accusator: Ruffus, Traiani ætate, cuius adhuc quædam monumenta extant: Attalus, Donnus: Quintus, qui parum ante Galeni tempora floruit: Soranus Ephesius, Galeno coæqualis. His antiquiores existimo Bacchium, Herophilum, Heraclidē, Zeusim, Marinum: ut præter Galenum, duodecim sint. Pòst uerò, solum Philotheum è Græcis. circunfertur etiā Theophilus quidam. Nostræ ætatis uiri, ante linguæ Latinæ restaurationē, Iacobus, & Vgo, & Sermoneta: pòst & nostro æuo Brasauolus, Fuchsiusq;. Quòd si Galenus nō adeò in aliorum expositionibus redarguendis implicitus fuisset, nulla nostra opera indigeremus. Verùm cum omnium opiniones uitare uellet, persæpe Hippocratem immeritò redarguere coactus est. Plerisque in locis magis necessaria omisit: multis in locis, quàm sit opus, prolixior est: ut nulla in parte, quamuis & in hac dignus sit qui legatur, seipso inferior euaserit. Quāobrē ego ab expositione Commentariorum Galeni, & ab omnium insectatione abstinebo. Qui hæc curabunt, illorum, quorum meminimus, scripta perlegant. Nos interim, ut quæ maximus scripsit Hippocrates, diligentius exponantur, curabimus.

In 1. Com. huius.

Li. 4. Aph. 47.

Lib. 4. de Vic. in acut. c. 19.

Li. 5. Aph. 64.

1. in 6. Epid. 29.

APHORISMVS I.

Vita breuis, ars uerò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Oportet autem non solum seipsum præstare opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & externa.

COMMENTARIVS.

¶ *In primo statim ingressu Galenus labitur, dum dubitat, an hic sit unus Aphorismus, an plures. hoc enim est ipsum Hippocratem accusare, qui duo diuersa in unum compegerit. Est igitur unus Aphorismus, docens necessariam esse compositionem Aphorismorũ in arte medica. Et constat hoc modo ratio. Curatio ægri perficitur ex medico præcipiente opportuna, & ut talia adhibeantur. Sed ut adhibeantur, oportet ut sit causa efficiens, & sunt astantes: & materia, id est æger qui consentiat: & forma, & sunt res externæ, quæ adhibentur. Igitur ad consequendum finem & sanitatem, ultra officium medici quod est loco artis, necessaria sunt illa tria. Verùm cum illa ad opus ipsum sint necessaria, non ad artem, non est necessariũ ut doceantur hic: uerùm ut medicus in arte sit instructus, necessarium est ut possit præcipere quæ cõueniunt. sed non poterit præcipere et scire quæ conueniunt, nisi sit instructus Aphoristica doctrina: igitur doctrina Aphoristica in arte medica necessaria est. Ergo necessarium est uolenti tradere medicam artem, ut possit commodè exerceri: necessarium est cõponere Aphorismos, ac conscribere.*

Probat autem syllogismo diuisorio assumptum pulcherrimè, in prima parte Aphorismi: scilicet quòd medicus non possit aptè præcipere necessaria circa infirmum, nisi instructus Aphoristica doctrina, hoc modo: Quia uel sine doctrina, uel cũ doctrina. Et si cum doctrina, uel cum doctrina uberiore & prolixa, uel Aphoristica. Et si cum doctrina prolixa, uel antea adepta, uel statim cum aduocatur ad ægrum: quod nos uocamus, studere casum, & morbi naturam, ac auxilia. Sunt igitur quatuor modi: uel ut absque doctrina præcipiat, uel ut ex studio statim facto, uel ut ex doctrina iam habita per artem prolixius traditam, uel ex doctrina prius habita, sed per aphorismos. Verùm primis tribus modis medicus non poterit opportuna præcipere: igitur relinquitur quartus, scilicet ut per Aphorismos ars tota tradatur. Ostendit autem singula membra non satisfacere, dicens: Si sine doctrina, uel per experimentum, & hoc est periculosum, uelle experiri absq; alia ratione, & maximè in re spectante ad uitam hominis. uel cum ratione naturali, & quodam iudicio: & hoc iudicium est difficile, sine ulla doctrina. Si uerò uelles per studium repentinum discere cognoscere morbum & curam, occasio morbi, et præsertim acuti, est præceps: id est, quia dum studebis, transibit principium morbi, in quo solent maiora auxilia adhiberi. Et alludit ad illud secundi libri: Inchoantibus morbis, si quid uidetur mouendum, moue: cum uerò consistunt ac uigent, melius est quietem habere. Aph.29. *Et infrà in hoc eodem libro: In acutis morbis raro, & in principijs, medicamentis uti.* Aph.24. *Et forsan non solùm principium transibit morbi, sed morietur æger. Ergo doctrina quæ ex extemporaneo studio fit, non satisfaciet. Sed neq; si quis uelit per studium longum integram artem prius adipisci: quia dicit, ars ipsa lõga est, & uita natura breuis, ut uel non possit adipisci totam: uel quando erit iam senex, nec poterit fructum doctrinæ in exercitatione præstare. Cum igitur ita sit, oportebit medicam artem per Aphorismos traditam discere, ut ea possimus commodè & tempestiuè uti.*

Ex quo conijcere licet, ante Hippocratem etiam ab alijs medicam artem fuisse diffusè conscriptam: quem modum tradendi non multùm probat Hippocrates. Collige secundò, doctrinam hanc Aphoristicam magis esse necessariam in acutis morbis, quàm diuturnis: ideo totũ primum librum curæ acutorum morborum dedicauit. Rursus facile est ex præcedentibus intelligere, quòd mens Hippocratis fuit, ut tota ars hoc modo traderetur. Ex quo ego argumentum sumpsi, ut undequaq; colligerem Aphorismos in arte ab Hippocrate conscriptos, quos in alios septem libros congestos his adijcerem. Medici autem nostri temporis, maximè in hac urbe, parum forsan indigebunt hac doctrina, quandoquidẽ properant ante eam ad exercitationẽ: imò etiam ea quam adepti sunt in Academijs postposita, animum ad alia conuertunt. Ipse uerò Hippocrates se declarat sentire, medicum ex artis operibus, non ex alijs nugis dijudicandũ, dum dixit, Oportet autem non solùm, & reliqua: intelligens, quod si quis etiam adeptus fuisset Aphoristicam doctrinam, tamen ægros posse mori etiam ex salubribus morbis. ideo dicit: Oportet ut quæ mandantur à medico, exequantur.

Quæ

Quæ igitur erunt officia ægri astātium, & quænam externa? Præstitisset Galenum hæc declarasse, quàm tot opiniones absurdas recitare & confutare: cum in neutro horum sit utilitas. Igitur & hoc, & medici officium quale sit, declarare oportet. Forsan enim quibusdam uidebitur, quòd alia etiam ad medicum pertineant, quàm ut præcipiat quæ ad ægri salutem pertinent: quod multis ex titulis librorum Hippocratis colligi posse uidetur. uelut in libro de Medico, & de Ornatu, & in Præceptis, & de medici uulnerarij officio. Sed manifestum est talia non esse necessaria medico, nisi ut posit consequi fidem & obedientiam ægri & astātium, quæ iam ipse præsupponit: quamobrem illa erunt utilia, non tamen necessaria, ubi præstantia medici & fortuna ac fama illū adiuuant. Nihil tamen prætermissum est hic ab Hippocrate, ut dixi. Liquet ergo, quod Hippocrates nos hortatur etiam ad illa, dum dixit, quod oportet ut æger & astantes pareant medico, adsintq; necessaria.

Alia causa est, quoniam Hippocrates loquitur in illis libris tam de uulnerario medico, & qui manu operatur, quàm etiam de eo qui solum præcipit. Ob id in lege dixit, artem & disciplinam à pueritia perdiscendam: quod hoc tempore in uulnerarijs est in usu. Et quòd longo tempore indiget, quod & uerum est. Aegri officium est,
In 6. Epid. par.2.com. 43. *ut pareat medico: & ut pareat, dicebat Galenus, oportet ut medicus illi non augeat spem, ne peccet sub fiducia: & ne uidens aliter succedere res, fidem in medico amittat. Si tamen æger timidus sit, augebit spem hoc modo: Sanaberis profectò, si omnia quæ præcepero, ad unguē obseruabis. Aeger igitur nec timere, nec desperare debet de salute, & mandatis medici parêre. Astantium est, ut sint periti in arte. ideo dicebat*
Iuxta finē. *in libro de Ornatu: Oportet ut eligatur unus è discipulis, qui sit exercitatus diu, & profecerit, ut sciat occasionem, & patienter ægro seruiat, & sciat recitare quæ contigerint circa ægrum. Vn-*
Cap. 11. *de etiā Primo de diebus creticis ait: Oportet ut astantes sint prudentes, periti, patientes, & di-*
Com.19. *ligentes. Dicebat autem quarto in sextum Epidemiorum Galenus, ubi plura super hac materia loquitur: Si interrogauerint te amici de exitu morbi salubris, dices, quòd sanabitur, si in manibus tuis perseuerauerit, fueritq; obediens, & nihil sinistri exterius aduenerit.*

Quid uerò sit Occasio hic, intelligere diligenter oportet. Est autem duplex, temporis & quantitatis propriè: ut ab Hippocrate docetur li-
bro de Locis in homine. Sed Galenus rectè Pri- Cap.1. Lib. 13. Aphor.1.
mo ad Glauconem, de sola temporis breuitate Hippocratem hic locutum esse censet. Plura suo loco dicam.

Hæc igitur diffusius à nobis, quia ab Hippocrate obscurius sunt dicta. Erant enim hæc non ex arte, sed præter artem. Reliqua erunt faciliora. quanquam & hæc, si quis mentem adhibeat, non sint difficilia. Prætermittam autem in posterum expositionem Aphorismorum, qui Hippocratis non sunt. si quis eam uolet habere, ab alijs requirat expositoribus. Porrò cum hic liber esset totus de morborū acutorum cura, non obiter habet conscriptos Aphorismos, sed recta serie, & magno ordine. Quod etiam in alijs libris sequentibus præstitisset, si de uno tantùm morbi genere in eis loquutus fuisset.

APHORISMVS II.

IN perturbationibus uentris, & uomitibus qui sponte fiunt, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt. Sic & uasorum uacuatio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & facile ferunt: sin minus, contrà. Habere autem rationem oportet & regionis, & temporis, & ætatis, & morborum, in quibus conuenit, aut non.

COMMENTARIVS.

¶ Hic Aphorismus explicatur à Galeno in libello quodam cui titulus est contra Iulianum: & nobilis est. quia Hippocrates propositū suum docet, et præter id nobis duo insinuat: Primum, quòd omnes Aphorismos ratione conscripserit: neq; enim huic & sequēti eam tantū adiecisset, si illis solis conueniret. sed tamen in alijs non apposuit, breuitatis causa. Secundum, quod ratio hæc concludit generaliter: Natura hanc operationem faciens, rectè agit: igitur etiam medicus, eadem faciens. Vtemur autem in explican-
do, præcepto Galeni. Ego, inquit, in explicando 5. par. in 6. Epid.com. 6.
Hippocratem utar ea interpretatione, quæ cum successu rerum quæ in ægris apparere solent, consentiat. Est ergo Hippocratis sententia hæc: In perturbationibus uentris, quas nos fluxus repentinos solemus appellare, & uomitibus, quæ absque alio auxilio externo eueniunt, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & non remanent nec læsi nec debilitati multum. igitur si talis fiat à medico euacuatio noxiorū humorū, conferet, nec lædet. Per Qualia oportet

igitur intelligit, quæ lædunt, quomodocunq; noceant, seu qualitate seu quātitate, seu quouis alio modo, si alius inueniri poßit. Et licet loquatur generaliter de humore peccante seu in qualitate seu in quantitate: non tamen loquitur de quantitate euacuationis, sed in sequenti Aphorismo. Purgationes plerunq; adhibentur humoribus qualitate sola, aut qualitate & quantitate peccantibus: Sectio uenæ plerunq; peccantibus sola quantitate, scilicet sanguini. hic Hippocrates loquitur de utraq;. non tamen loquitur de quantitate humoris purgandi per medicamentum, & sanguinis educendi per uenæ sectionem. ideo distingues hos duos sermones, humorem quantitate peccantem, & quantitatem humoris euacuandi. de primo modo est hic sermo, non de secūdo.

Aduertendum, quòd purgatio intelligitur, eductio humoris alterius à sanguine: euacuatio autem generalis est, & sectionem uenæ atq; purgationem sub se continet. Neq; uerò ex hac regula oppositam concludes, scilicet quòd ubi natura faciendo aliquid perperam agat, medicus si faciat, etiam malè aget. nam in diarrhæis multitudo colorum mala, si sponte humores prodierint:
4. Aph. 21. cum medicamento uerò non ita. Et in principijs
4. Aph. 10. morborum natura nihil excernit utiliter: medicus tamen facere potest, ut suis locis uidebitur. Nec si natura non reponit luxata, medicus propter hoc reponere negliget.

Voluit præterea nos aliam regulam intelligere, huic contrariam: scilicet, quòd siue per naturam siue per artem quæ non lædunt excernantur, loco eorum quæ lædunt, ægrum non bene ferre, aut non iuuari, aut utrunque contingere. nam propositioni quæ ex duabus constat per copulam, tres sunt contrariæ: uelut ei quod est conferre, & bene ferre, contrariæ sunt, non conferre, uel non bene ferre, uel utrunq;.

Quòd uerò adiecit, Habere autem oportet, ostendit quadoq; contingere, ut qualia oportet purgari purgentur: nec tamen conferat, ratione regionis, tēporis, ætatis & morborum. Aetatis, gratia exempli, in infante, abundante sanguine, non tamen secabimus uenam: & decrepita ætate uir, non sustinebit medicamentum. Et cum dicet inferius Quo ad tempus, quod sub cane & ante canem molestæ sunt medicationes: & tamen præsupponit quod euacuentur qualia oportet: aliter absurdus esset Aphorismus. Per hæc quatuor principalia, etiam intelligit re-
Aph. 22. huius libri. liqua similia: ut uictū, & naturæ proprietatem, ac talia. Ex quo apparet, ipsum non sibi contradicere, cum inferius dicet, non conuenire purgationem nisi cōcocta materia. Licet enim humor noxius euacuetur, plus tamen euacuatur eo tempore de innoxio, cuius ratione læduntur. Simili- 2. Aph. 36.
ter cum dixit, quod qui prauo utuntur cibo, purgati exsoluuntur. hoc autem non est bene ferre: nam ratione uirtutis hoc contingit, quæ cum debilis fuerit, ab omnibus etiam utilibus lædi solet, ut Galenus testatur. Et similiter cum dicet in 10. Ar. cur cap. 4.
quarto libro infrà, quòd nigra eiecta perniciem Aph. 21. 22.
afferunt, quæ tamen constat esse noxia: id con- 23 & 24.
tingit ratione signi, non causæ: nam talia cum sint pars materiæ quæ relinquitur, indicant morbum à tali materia factum esse insuperabilem: nō quod talis expulsio noceat. Ideò si quando concocta tota euacuetur, quod rarò accidit, æger euadit. Cum uerò dicet, quod educta aqua 6. Aph. 27.
aut purè toto in abscessu, æger perit: loquitur de quantitate. quamobrem non semper, cum quale oportet educi, educitur, confert, & bene fert: sed natum est conferre, ita ut sub debita quantitate educatur. Et similiter in febre, quæ est cum 12. Ar. cur. cap. 3.
syncopi ex humoribus crudis, licet conueniret purgatio, & uenæ sectio, tamen purgatio non educit, uenæ sectio ob uirtutis imbecillitatē prohibetur. Et infrà etiam, materia quæ educitur 5. Aphor. 2.
per uomitum, aut per purgationem, cum fuerit æruginí similis, mala symptomata affert. ideo intelligendum est, ut conferat, & benè ferat, post diem unum, & post somnum. Et potest intelligi per qualia oportet, ut sint noxia concocta & euicta: tunc enim semper confert.

Hippocrates ergo innuit sex propositiones, communes tam artis quàm naturæ operibus: quarum quatuor primæ semper ueræ, sequentes cum suis conditionibus, aliter non.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert.

Si non confert, non qualia oportet purgari, purgantur.

Si confert et bene ferunt, qualia oportet purgari purgantur.

Si non qualia oportet purgari purgentur, non confert, nec bene ferunt.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & bene ferunt.

Si non confert, aut non bene ferunt, non qualia oportet purgari purgantur.

Dices autem, aliquando non purgari qualia oportet, & tamen bene ferre: ut in initijs morborum, cum siliqua Inda. sed hæc non est purgatio, quæ fiat à medicamento seligente, sed leniente tantum: aliter impoßibile est, non purgatis

gatis humoribus peccantibus, ſed innoxijs, bene ferri medicamentum. Si igitur purgaueris humorem peccantem, & cum conditionibus ſuis, conferet, & bene feret. Et ſi abſq; conditionibus debitis, non purgando tamen alium humorem, conferet, ſed non bene feret. Si autem humorem non peccantem ualido medicamento, nec conferet, nec bene feret. Propterea quatuor illæ conditiones quas proponit Hippocrates, *non ut conferant euacuationes, ſed ut tantum bene ferantur, intelligendum eſt.* Diuerſis etiam *modis conferre, & bene ferre; quoad tempus intelligendum eſt. nam bene ferre & dum purgantur, & dum poſt purgationem quieuerunt, dormiueruntq;, contingit: conferre autem non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus.* Patet igitur, *quædam eſſe quæ conferunt ualde, ſed difficulter feruntur: alia quæ facilè feruntur, cum tamen noceant.*

APHORISMVS III.

HAbitus athletarum qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint. neque enim poſſunt in eodem permanere, neq; quieſcere. Cum uerò non quieſcant, neq; poſsint proficere in melius, reliquum eſt igitur ut decidant in deterius. His de cauſis bonū habitum ſtatim ſoluere expedit, ut corpus rurſus nutriri incipiat. Neq; compreſsiones ad extremum ducendæ: (periculoſum enim) ſed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quę ad extremū deducunt, periculoſæ: & rurſus, refectiones cū extremæ fuerint, periculoſæ.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum dixerit qualis eſſe debeat euacuatio, humorū ſcilicet noxiorū, ſeu qualitate ſeu quantitate noxij ſint: oſtendit modò quanta eſſe debeat.* Non quidem *ut libram aut ſelibram, ſed eo modo quo determinari potuit.* Commune illud Hippocraticum *præceptum eſt in libro de Veteri medicina:* Modum, *neq; pondus neq; numerum aliquem, ad quem referas, cognoſces: certam uerò & exactam metā non reperies aliam, quàm corporis ſenſum.* Qui *enim rectè interpretari obſcurius dicta ab aliquo authore uoluerint, triplici hac uia ordineq; hoc uno procedere debent. Primum eſt, ut illius uerba per alia eiuſdem uerba ad eum ſenſum pertinentia declarent. Secundum, ut ſi non poſſunt, uerba illius his quæ uidentur in rebus accommodent.* Tertium *eſt, ut ſi res ipſas uidere non liceat, demonſtratione firma utantur.* Confutare *autem opiniones ſingulas, ut ad unam perueniamus, res eſt operoſa & prolixa plus quàm utilis. Similiter alium ſequi interpretem, res non digna eſt niſi Iuriſconſultis, quibus permiſſum eſt ſine ratione pro ſuffragiorum multitudine decernere. Coniectura quoq; uti, hominis eſt qui plus de ſe polliceatur quàm præſtet, aut nimis cupidi gloriæ.* Nam *ſi non licet una ex tribus propoſitis uijs ſententiam authoris aſſequi, nimis cupidi eſt uelle illum exponere qui noluerit intelligi. at ſi liceat, tu tamen coniectura aut alterius authoritate contentus ſis, dupliciter peccas: & dimittendo quod præſtare debes, & utendo his quibus uti non licet.* Quanquam Aphoriſmorum Hippocratis *proprium ſit, ut clari ſint. nam ab obſcuris & dubijs abſtinendum cenſeo. Vitioſus enim ſermo & falſus totam euertit expoſitionem, dum falſa ueris immiſcet, ac dubia certis: ut melius ſit centum Aphoriſmos, et omnes ueros inſerere, quàm ducentos, in quibus unus falſus tanquam uerus interſit. Nam falſos ſermones addere, & ut falſos explicare, ſi à Galeno factum non eſſet, dicere auderē puerile eſſe.* At longè *deterius eſt, falſos ut ueros inſerere. Illud enim eſt nimis ſeruientis hominum calumnijs, ac iudicijs abſurdis: hoc autem, fidem à ueris mendacio abrogantis. Itaque hæc præfari oportuit hic, ne ab initio nimis Lectorem tædio afficeremus: inculcantes multa quæ non niſi longis circuitibus connecti poterant. Vt etiam quæ noua uidentur oſtendā, pluribus in locis exempla adijciam, quæ nō ſolùm docebunt, ſed etiam delectabunt audientes. Scio enim in expoſitione præcedentis* Aphoriſmi *quoſdam non ſatis probaturos eam diuiſionem, doctrinamq; eius quod eſt conferre, ac bene ferre. Sed ſi quæ contigerunt Duci uelitum Zapantæ quis uidiſſet, facilè intellexiſſet, fieri poſſe ut aliquid plurimū conferat, quod tamen æger ferre uix poterit; & contrà aliqua commodiſsimè perferri, quæ tamen nocebunt.* Exemplum *autem primi habetur in his, in quibus uel lapis excinditur, uel membrum corruptum amputatur.* Sed *in purgationibus dicam quid illi quem nuper commemoraui euenerit. Fuit hic natione Græcus, ætatis annorum ſexaginta fermè, ſed longis laboribus perfractus: laborabatq; membrorum tre-*

more maximo, & magis sinistræ quàm dextræ partis, magisq; manus quàm cruris. Sub profundissima autem hyeme cum adhibuissemus medicamentum ex colocynthida, primùm quidem nihil eduxit: à prandio autem tantum, uerùm cum uomitu, nausea & torminibus: ut me præter horam solitam aduocauerit, existimans se moriturum. Verùm cum purgasset, dormiuissétque, molestia illa planè solutus est. Intra autem sex dies, cum aliud medicamentum propinare uellem, cœpit enixius petere ut iterum colocynthidam darẽ: at ego minimè ausus sum, ob subiecti nobilitatem. Itaq; alia medicamenta non uexarunt, uerùm non contulerunt: adeò ut ipse summis precibus exoraret, ut ad illud primum reuerterer. quod ego nolui facere: quòd dum in illa molestia esset, de medicamento fuisset conquestus. Constat itaq;, multum interesse inter conferre, & bene ferre. Quòd si medicamentum conferat, & non bene ferat, indicium est, uel materiam non esse concoctam, uel uires esse imbecilles, uel medicamentum non rectè confectum. Si autem bene ferat, nec conferat, indicium est, uel uires esse ualidissimas, uel morbum letalem, uel medicamentum nihil selegisse.

Hactenus de talibus: nũc ad Aphorismi expositionem deuenio. Proponit Hippocrates hãc sententiam: In omni euacuatione metienda, meta quantitatis est sumenda à uiribus, donec perferre queant: seu euacuatio sit per uenæ sectionem, seu per purgationem. Deinde subiungit aliud à contrario: Sicut euacuationes extremæ sunt periculosæ, ita etiam refectiones quæ iam euacuatis adhiberi solent, cum confertim fiunt, periculosæ existunt.

Sumit autem exemplum ab athletis unum, docens parerga interim: sed tamen quod ad propositum, maximè conuenit & est, quòd repletiones maximæ, tametsi sint ex solo sanguine, periculosæ sunt. Constituit igitur quatuor propositiones similes, quarum duæ cõsistunt in habitu, duæ in operatione:

Repletio summa qualiscunq; periculosa.
Vacuitas summa periculosa.
Euacuatio summa periculosa.
Refectio summa periculosa.

In habitu repletio & uacuitas summa periculosæ, non dixit malæ. In operatione euacuatio & refectio summa, rursus periculosæ, non dixit malæ. quia quandoq; natura perfert ob robur, quandoque seipsam exonerat aut confirmat, Sunt & aliæ duæ propositiones, quarum una non cõtingit ut natura se reficiat: ideò neq; uera nec falsa, alia ut se exoneret, quæ & ipsa uera est. Cum enim sponte hoc facit, & ad summum peruenerit, periculosa est. Ostẽdit autẽ hoc de athletis: hos enim, non alios intelligit: ut nec rusticos, nec nautas: nam hi tametsi inter eos qui exercentur sint connumerandi, non tamen optimum habitum habere possunt, quoniam neq; in ocio degunt post exercitationem, sed quasi in cõtinuo opere sunt: nec alũtur bonis cibis. non tamen usus est athletarum nomine, quoniam hoc nondum erat in usu: res ipsa tamen, id est, ipsi athletæ cũ in Olympijs exercerentur, & iam (ut in Procemio dixi) 80. effluereт Olympias Hippocratis ætate, cogniti erant. Hi erant homines corporis robore & magnitudine selecti, qui quotidie paucis horis, uel saltem statis diebus exercebantur in palæstra, disco iaciendo, alijsq; similibus, certabantq; & potando & edendo: ut referant Milonem Crotoniatem, taurum quadrimum, ei ob uictoriam in ludis dono datum, pugno occidisse, deinde etiam comedisse. consuetum etiam minas 20 panis, & totidem carnis, id est libras fermè 27: & uini choas tres, id est libras 30, in cœna absumere. Assumit ergo habitum athleticum, qui à uulgo pro inculpato haberetur: ut ostenderet, etiam ex optimis humoribus summam plenitudinem esse periculosam. Addit etiam hic demonstrationem, quòd talis habitus periculosus sit: quia non potest stare, quoniam quotidie nutriuntur & augentur: nec augeri, cum uenæ sint ad summum repletæ, ut supponitur: igitur necessarium est relabi.

Tria igitur in hoc Aphorismo Hippocrates demonstrat. Primùm, quatuor propositiones dictas per rationem à contrario deductam: habitũ athleticum, etiam optimum, non esse bonum, sed periculosum. Et quod habitus bonus in summo non potest consistere, nec in melius proficere. et est demonstrandi genus. Dixit igitur hoc de athletis, ne quis existimaret ob qualitatem habitum illum esse malum, non ob quantitatem. homines enim illi erant rubicũdi, robusti, pingues, sani. neq; tamen cum hoc, maximo periculo uacabant. Quod uerò periculũ esset, declarat Galenus in libello de Bono corporis habitu, dicens, imminere illis periculum suffocationis, quod tamen rarò contingit: aut rupturæ uenæ, quod sæpius euenit.

Animaduertendum, quòd licet repletiones & uacuitates, euacuationes & refectiones, sint omnes

omnes periculosæ: periculosiores sunt, quæ sunt cum motu: id est euacuationes & refectiones, his quæ sunt habitus, id est repletionibus & uacuitatibus. Item repletio & refectio maius periculum adducunt quo ad mortem, euacuationibus & uacuitatibus: sed hæ difficilius restaurantur. Quod uerò dixit τὰς συμπτωσίας*; id est, compreßiones seu extenuationes; &* τὰς κενωσίας*, euacuationes: manifestum est, per primum nomen intellexiße uacuitatem quæ fit per inediam & exercitium, & per secundum omnem repentinam euacuationem. Quòd si quis contentiosus esse uelit, & per* τὰς συμπτωσίας *euacuationem quæ fit per uenæ sectionem, per* αἱ κενώσιες *purgationes, nihilominus sensus ipse manebit.*

Solum hoc dubiũ relinquitur, quomodò cum summa repletione, quæ in athletis est, fames naturalis, quæ in illis maxima esse solet, fieri possit? Et primò sciendum, quòd ut habetur à Gale- 1. de sympt. causis. c. 7. *no, fames fit aere digerente ea quæ in membris continentur: inde membra à uenis sugunt, & uenæ à uentriculo. inde uentriculus appetit naturali facultate, quam animalis comitatur. Sed ex hoc non habetur quomodo fames fiat. membra enim ex sanguine ueteri etiam nutriuntur, sed spiritus solum ex nouo generantur. Cum igitur in athletis multa fiat resolutio spirituũ, ideo magnam incurrunt famem. Et ideò esurientibus primùm accenditur Ephemera, quæ parum durat. pòst tabescunt, & fiunt debilißimi. Quod autem spiritus ex nouo cibo & sanguine generentur, uidetur manifestè in his qui uiribus destituũtur: qui refecti maximè uino, & uitellis ouorum, statim restaurantur & exhilarantur. Vn-* cap. ult. *de in syncope, primo ad Glauconem, semper cibus, maximè uinum exhibetur. quod si aliter restaurari possent, non conueniret.*

Quod uerò dixerit periculosas euacuationes extremas, aut purgationes, aut uacuitates, iuxta unumquodq; genus intelligendum est. uacuitas enim in tabem deducere solet: immodica purgatio in syncopem, aut animi defectum: san- cap. 10. *guinis euacuatio, ut nono Artis curatiuæ habetur, tum in subitam mortem, tum in malum corporis habitum, unde hydrops, deducere solet.*

APHORISMVS IIII.

Victus tenuis & exquisitus, in morbis quidem lõgis semper: in acutis uerò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Postquam de qualitate quantitateq; euacuandorum locutus est, quæ fieri potest tum uenæ sectione, tum purgatione: supersunt duo auxilia, scilicet ratio uictus, & mutatio intemperiei. Nunc igitur rationem uictus aggreditur, distinguẽs morbos in acutos, qui ad quadragesimum diem terminantur, dicente ipso in Prognosticis: In omni morbo acuto, qui cum febre* Li. 1. t. c. 25. *fit, & ad quadragesimum diem iudicetur, & diuturnos qui ultra eum terminum extendũtur. Non etiam loquitur de quantitate uictus, sed de sola qualitate. Non enim putat confundendas intentiones uictus, nec quantitatem qualitati præponendam, quæ & minus poßit, & in tractatione de euacuatione qualitati postposita sit. Constituit igitur uictum quendam mediocrem: & est is qui neq; uirtutem ac uires ægri debilitat aut minuit, neq; auget: & est aßumptio ptisanæ, sub quantitate & numero solitis in sanitate. Huius igitur comparatione fiunt duo extrema: scilicet plenus uictus, qui fit per carnes & oua: & tenuis, qui fit per ptisanæ cremorem, aut hydromel. Patet igitur, quod etsi homo aßume-* Vide 1. De uictu in Acut. com. 18. *ret quartam partem uitelli oui, utitur uictu pleno: & si libras quatuor ptisanæ colatæ, utetur uictu tenui. non tamen rectè forsan faciet, quia quantitate exuperabit. Circa quod sciendum est, quòd qualitas plurimum nocet, puta caro & oua, in comparatione ad quantitatem: quia uentriculus eadem facilitate concoquit mediocrem & consuetam quantitatem: imò aliquanto facilius quàm exiguam, si sit ex eodem genere cibi. & hoc, quia cogitur in utroq; amplecti & quantitatem paruam, quandoq; deterius, imò plerunq; complectitur. Si igitur laboranti morbo acuto dederis modicum carnis uel oui, nocebit, ratione difficultatis coctionis, quam ex substantia consequitur. nec etiam facilius concoquetur ob paucitatem: & etiam quia nutrimentũ id pingue est, fomentum febri subministrabit. Si uerò in debi-* 8. Artis cur. c. 2. & 3. De fac. naturalibus c. 4. *ta quantitate fuerit, nocebit trifariam: & ob difficultatem concoquendi, & multitudinem alimenti, illiusq; pinguedinem. Quæ enim pinguia sunt, difficilius concoquuntur quàm aquea: sicut uidemus in coctionibus quas uocant destillationes, in quibus primùm aqua ab excremento terreo separatur, pòst pars pinguior. Igitur semper cibus plenior trifariam offendit laborantes morbis acutis cum febre: & quia in separatione ne-*

gocium naturæ exhibent: & quia quod separatur, multum est, & facilè inflammatur à febre: & quia pingue est. Coctio autẽ in lebete declarat, olera & huiusmodi facilius carne concoqui.

Diuiditur etiam tenuis uictus, quia pleno in morbis haud opus est, in tres ordines: tenuem simpliciter, & est cremor ptisanæ: exquisitè tenuem, seu tenuißimum, & est aqua mellis: & tenuißimum in extremo, quod cum extremo minimæ quantitatis conuenit, & est ut nihil prorsus detur. Hippocrates igitur de talibus loquens, reprehendit eos qui in diuturnis morbis, id est qui ultra quadragesimum extenduntur, utuntur uictu tenuißimo, & hi interficiũt prorsus ægros: & eos etiam qui in acutis, in quibus non conuenit, id est, qui à quartodecimo ad quadragesimũ, terminum sui finis habent. Discrimen, quòd in diuturnis semper: in acutis, in quibus non conuenit, non adeò, sed tamen periculosus. non dixit grauis: quoniam si tulerint, grauis non erit morbi molestia diminuta. Deinde subiungit, quod sicut tenuis uictus exquisitè periculosus est, ita qui ad extremum tenuitatis deuenit, quod est nihil dare, grauis est semper in diuturnis et acutis, qui ultra quartumdecimum diem extenduntur.

Forsan cupiam suspecta erit hæc expositio, dicentibus, Quis nam tam amens medicus esse poterit, qui audeat ultra quadraginta dies, uel etiam ad eum terminum, uel propè, ægrum sine cibo tenere? Verùm hoc nostro tempore forsan mirum erit, antiquo non: cum potius esset mirũ, quot ægros inedia absumerent. Neq; solùm per totum morbũ aut periculosa aut grauis hæc inedia est: sed si uel in diuturno morbo per duos aut tres solum dies utatur quomodolibet, uel in acuti ea parte quæ acuta non est. Quamuis enim acutus morbus ab initio sui usq; ad quadragesimum diem extendi poßit: tamen solum quatuordecim dies morbi acumen occupabit. Sensus igitur Hippocratis est: in diuturnis morbis, intellige tamen qui cum febre sint, & in acutorum ea parte quæ acuta non est, si quis utatur uictu exquisitè tenui, periculum subibit: si uerò tenuißimo, proculdubio lædetur. Nam & repletiones cum ad extremum deuenerint, quocunq; morbi tempore fiant, graues sunt, læduntq;. Vides igitur planam & sibi concordem expositionem, ac grauem Hippocratis: nisi quòd quis obijcere pos-
23. cap. 4. set, Auicennam pluribus in morbis diuturnis uti
14.3.t.4. c. 13. in princ. uictu tenuißimo, uel ualde tenui saltem, & pri-
2.4.t.2.cap. mò curando resolutionem: &. Sis contentus
55 & 64. mulsa usq; ad quartumdecimum, si uirtus fert. Et in ascite uult, ut in initio utamur uictu tenuißimo. Et in febre quæ ex pituita fit, & in quartana, usq; ad tres hebdomadas, scilicet uiginti dies, quos pro initio totius morbi præfinit. Verùm in his febribus non tenuißimum uictum, sed mediocrem adhibet. Vt enim opponitur pleniori, in quo datur caro & oua, ab eo in his morbis tenuis uictus appellatur, qui est mediocris. Vult uerò ut tenui, id est attenuante utamur: quoniam materia utriusq; febris crassa est. Trifariã enim tenue uocant, propria improbitate seducti medici nostri temporis, tenuem uictum perperam. alii uerò seducti ab Auicennæ interpretibus, scilicet tenuem in pauca quantitate. Hippocrates nunquam, sed paucum uocat tenuem: ut ptisanã, & panem lotum, & alicam, in comparatione ad oua & carnes. hoc nunquam Hippocrates: sed paulo pleniorem, mediocrem ptisanam, ut dixi, appellat. Rursus tenuem, qui extenuat: ut cum sale Iamblicho uel Theriaco, ut Paulus. hunc Galenus non tenuem, sed attenuantem uocat. Lib.3.c.48.
Ita peßimi isti nebulones confundunt, ut sepiæ aquam, ne ipsæ uideant, uel etiam qui adsunt. Ita in ascite, attenuante uictu, non tenui debemus uti: in resolutione, cum non adsit, licet uti ea ratione uictus. nondum tamen constat, an apud Hippocratem.

APHORISMVS V.

IN tenui uictu ægri delinquunt: quo fit, ut magis lædantur. Quicunq; enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniore uictu. Propterea etiam sanis periculosus existit ualde tenuis constitutus & exquisitus uictus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hæc igitur tenuis uictus atq; admodum exquisitus, eo qui fit paulo plenior, magis periculosus.

COMMENTARIVS.

¶Intendit Hippocrates probare præcedentem conclusionem alio modo, scilicet quòd uictus tenuis & exquisitus sit periculosus. & addit, admodum tenuis: & etiam generaliter eum antea comparando ad morbos solùm in quibus non conuenit. Proponit autem quatuor propositiones, quarum secundã probat per tertiam, & quartam per secundam. Et intendit probare hanc conclusionem per hoc medium, quòd uictus tenuis comparatione ægrotantis est deterior paulo pleniore. Et ideò uult hanc propositionem esse & ut principaliter intentam, & ut medium ad

alIam

aliam demonstrãdam. Ergo facit duas rationes. Prima est: In sanis periculosius est declinare ad extremè tenuem uictũ, quàm plenissimum: igitur in ægris semper pari ratione periculosius est declinare ad tenuem, quàm ad pleniorem. Ex quo patet, quod loquitur de uictu tenui in qualitate, non in quantitate. nam si de quantitate loqueretur, periculosior esset plenissimus in sanis, quia posset strangulare. Ex quo cessant argumenta de immodica repletione, quæ proueniunt ex malo intellectu tenuis & pleni. Sequela autem duplici indiget demonstratione, & ab extremis ad totam latitudinem habita pari ratione, & hoc per se patet: & à sanis ad ægros, quia sani deberent propter uires robustiores melius posse perferre inediam quàm ægri: & tamen grauius ferunt, quàm pleniorem uictum. Patet, quia si dederis sano oua, carnes, uinum, parum offenditur, cum tamen sit extremè plenus uictus in quali: sin autem solum melicratum, grauiter læditur. Sed cur uel non addidit (magis) ante Delinquuntur: aut, ut lædantur simpliciter, & non ut magis lædantur? Docet ergo nos, quòd cũ comparatiuè loquatur, sic infert primam propositionem: In tenui uictu, cõparatione ægrorum, ægri semper læduntur, quia delinquunt & errant: in paulo pleniore uictu, non semper delinquunt: ergo in tenui uictu ægri cõparatione magis lædũtur, quàm in pleniore, dato quòd pari recessu recedant à mediocri uictu. Ideo in quarto Aphorismo legitur λεπτὰς, id est tenues: hic λεπτῇσι, quasi tenuioribus, scilicet quàm deceat. Inde sex differentiæ colliguntur huius primæ partis Aphorismi, à præcedente. Prima, quòd ibi intelligit simpliciter tenue, hic comparatione ad morbum. Secũda, quòd circũscribit in morbis in quibus non conuenit, hic generaliter in omnibus morbis. Tertia, ibi comparat simpliciter tenuem ad plenum, hic ad paulo pleniorem: ut sit æqualis recessus. Quarta, ibi exquisitè tenuem, hic tenuem absolutè. Quinta, ibi periculosum aut grauem, hic errorem & iacturam ægri damnat. Sexta, ibi sumit argumentum à contrario, hic à sanorum comparatione: quæ, ut dixi, constat à maiori bifariam, et ratione, quia sani melius possent perferre inediam. & quia uictus sanorum cum sit plenior, ægrorum tenuior, difficilius ferent ægri recessum ad tenuiorem uictum. Paulo

Cap.5. autem plenior uictus à Galeno declaratur, qui fit per panem lotum, de quo in primo de Alimentis. nam qui fit per alicam, à Galeno in præcedenti commento inter pleniores numeratur. Panis autem lotus fit, lauando aqua càlida. inde siccatur: & tũc leuior est reliquo pane, & in aqua supernatat. Proximus est ei qui ab Oribasio bis Lib. 1.c.9. coctus appellatur. Eijciebantur in lotione crassiores omnes partes, & quæ feculentum aliquid continebant.

Ex hoc patet, quod licet dicat in secundo de Tex. 37. & 48. Ratione uictus in morbis acutis, quòd maiores sint noxæ plenioris uictus quàm tenuioris (quod non contradicit his quæ hic dicuntur: quia ibi in prima autoritate loquitur de quantitate, hic de qualitate) porro copia, ut dixi, etiam in sanis paucitate periculosior est: in secunda uerò, de sæuiente ui morbi & cibo exhibito in uigore illius, aut sæuientibus symptomatibus. Ob hæc igitur, hæc est secunda ratio, in qua ex hac propositione demonstrata uictus tenuior in comparatione ad ægrum, magis lædit pleniore: igitur exquisitè tenuis, & admodum, eo qui paulo plenior sit, est magis periculosus. Diuersitas autem assumptæ propositionis à demonstranda, est in tribus: nam in demonstrata seu assumpta, admodum & exquisitè non adduntur. tertiò, quia in priore loquitur de errore, hic de periculo. Ratio tamen patet ex hoc, quòd si comparatiuè uictus tenuis noxius est, ergo exquisitè admodum tenuis simpliciter erit periculosus: quia uix fieri potest, ne talis non sit tenuis in comparatione ad ægrum.

Damna uerò ieiunij & inediæ, in Libro de Veteri medicina his uerbis edocuit: Si quis, inquit, assuetus prandere, ita ut ei hoc conferat, abstinuerit, impotentia, uehemens tremor, animi deliquium: postea oculi pallidi, urina crassa & calida, os amarum, & uiscera ipsis pendere uidebuntur, uertigo, iracundia, tristicia. Eadem t.com.24. fermè secũdo de Victu in acutis: ubi docet biliosis grauiorem etiam esse inediam: ibi quoque damna copiosi cibi insoliti docet, quæ ad grauitatem fermè pertinent.

Quæret forsan in morbis aliquis, quid cibus perperam datus faciat? Respondet Galelus 11. Ar. cur. quod à natura expellitur, & quic- Cap.15. quid est prioris alimenti secum trahit. Si uerò non expellatur, nec concoquatur in uentriculo, nec iecore, febres accendit. Verùm dices, si natura concoqueret, non'ne augeretur uirtus, atq; ita æger euaderet? nam iugiter euacuando & nutriendo, quilibet euadere posse deberet. Gale- Com.44. nus enim in primo de Victu in acutis, duos proponit ægros: debilem, cum magno morbo, quem nutrire conuenit: & robustum, cum morbo eodem, quem

dem, quem (dicit) si non nutries, rectè ages: si contrarium in utroq; egeris, uterq; peribit. Constat etiam multos sic curari, præcipuè senes, cum morbo diuturno nutriendo atq; purgando. Propterea dico, quòd si uentriculus aut iecur multum laborent, & maximè abscessu, tenuissimè sunt nutriendi: magis autem in morbis Cap.5.& 17. lienis, pulmonis & febribus: ut 12. Artis curatiuæ habetur. Propterea dico, quod in morbis acutis coctionis celeritas necessaria est: aliter pereunt, restauratio non fit, quia calor febris impedit. in mitibus tamen, ubi materia multa est, aut crassa, calor febrilis parum impedit: ideo tales nutriuntur, nec offenduntur nisi cum cibus talis fuerit ut non possit bene concoqui. Causa ergo mortis in ægris est, quia cibus ipse qui datur, non nutrit, quia non concoquitur. In fluxibus uerò, & alijs euacuationibus, cũ cibus concoqui potest, utpotè quia febris non adsit, diutius uiuunt, si cibus rectè administretur. In acutis igitur spes est in uirtute, in diuturnis in recta cibi administratione plerunq;.

APHORISMVS VI.

EXtremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.

COMMENTARIVS.

¶ Hic non est Aphorismus perfectus, sed cum sequenti coniungi deberet. Galenus hoc uidit, non tamen fecit, quare nec nos numerũ perturbabimus. Cum ergo Hippocrates tractasset de qualitate uictus in morbis diuturnis & acutis, ea parte qua minimè acuti sunt, in hoc & sequenti Aphorismo de altero extremo & medio sermonem habet. Alterum extremum est morborum ualde acutorum, quos Peracutos uocant: medium autem est acutorum simpliciter, qui, ut dixi, ad quartumdecimum diem finiuntur. habita enim regula uictus diuturniorum morborum & acutorum, qui decidentiæ uocantur, & peracutorum, habebimus mediorum mediam inter illos. Non laboro autem de peracutis, seu ad tertium seu quartum, quintum, aut etiam usq; ad septimum diem terminentur. tales sunt plerunque anginæ, & distẽtiones, ac morbus attonitus seu apoplexia, atq; hi generaliter. Acuti simpliciter t.cap.8. quinq;, primo de Victu in acutis: morbus lateralis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, et febris ardens. Sunt præterea peracuti omnes acuti, cum maximi sunt: sicut cum minimi, diuturni, & maximè si materia crassa uel lenta fuerit. natura enim media acutorum in utrũq; extremum conuerti nata est, ut acuti simpliciter, modò peracuti, modò acuti ex decidentia fiant, excedentes quartumdecimum diem, terminum proprium acutorum. Peracuti autem ac diuturni in acutos conuerti nequeunt: quoniam ea ratione peracuti tandem in diuturnos, & diuturni in peracutos conuerti possent. Licet ergo ex peripneumonia & phreniude mori in tribus diebus, & erit peracutus morbus: & in uiginti aut triginta diebus mori sanariúe, eritq; acutus conuersus in diuturnum: & in nona, duodecima, quartadecima, eritq; simpliciter acutus, seruansq; naturã suam. At ex hydrope uel tabe non licebit intrá quartumdecimum diem sola ui morbi interire, nec ex angina aut attonito morbo ultra septimum diem, qui terminus est extremorum seu peracutorum uel acutissimorum morborum: ita enim eos appellare solet Hippocrates loco commemorato.

Quanquam uerò & acutos & acutissimos t.cap.16. propriè appellet hic, & primo de Victu in acutis, & alibi morbos qui cum febre sunt indifferenter. omitto enim quod peracutorũ, ut inquit Galenus secũdo de Diebus decretorijs, quidam Cap.12. simpliciter tales sint, qui ad quartum diem haud perueniunt, uel eum non excedunt: alij non exactè, qui ultra quartum progrediuntur: peracutos κάτοξυ, acutissimos ἀξυνετωτάτυς uocat: nihilominus hic & dum loquitur de diuturnis & acutis ac peracutis, omnes morbos complectitur, etiamsi sine febre sint. Licet primò ac principaliter de morbis, qui cum febre sunt. Dixi hoc propter distentionem & attonitum morbum, qui plerunq; etiam inuadere hominem absque febre solent.

Sunt & morbi acuti ex constitutione pesti- t. cap.9. lenti, ut habetur ab Hippocrate loco supradicto. Proprium est enim acutorum morborum, posse intra quartumdecimum diem occidere: & acutissimorum, intra septimum, tametsi non occidant. nõ enim ut sint acuti, et multo minus peracuti, sufficit ut intra quartumdecimum uel septimum iudicentur, sed ut possint interficere. aliter Ephemeras & Tertianas exquisitas inter acutissimos morbos numeraremus. De his igitur Hippocrates non loquitur, tanquam morbis securissimis, hic. alibi uerò, dum de accessionibus sermonem habet. Verùm peracutos & acutissimos hic seu cum febre, seu sine intelligit, eos qui tales natura sunt: aut qui licet non tales natura sint, tales tamen euaserint, seu ob materiæ multitudinem, seu prauitatem, seu tenuitatem, aut symptoma coniunctum, aut ob uirtutis imbecillitatem, aut propinquitatem abscessus membro principali.

principali. Solum eos excludens morbos qui acuti sunt, aut peracuti, ob constitutionẽ: quos Epidemios uocant. Nam in his & de his Hippocratis uerba non sunt intelligenda: uerùm seorsum, quomodo agẽdum sit, Hippocrates in Epidemijs
3. in 3. t. & com. 58. *nos docuit. Si igitur lateralis morbus, qui intra septimum diem iudicandus sit, offeratur, cum natura morbi letalis & acuta iam planè sit, eum inter extremos morbos, de quibus hic sermo habetur, connumerabimus.*

Hippocratis igitur sententia hic est: Cum auxilia debeant æqualia esse morbis, si morbi extremi seu acutissimi sint, extremis & maximis præsidijs opus erit. atq; ita generaliter, tam de medicamentis ac uenæ sectione, tũ intemperiem mutantibus, membri præcisione, quàm etiam de ratione uictus intelligendum est. Dicebat Gale-
Cap. 15. *nus quinto Artis curatiuæ, Erasistratios reprehendens, qui nolebant in sanguinis sputo secare uenam, hunc recitans Aphorismum: Vbi periculum est in mora, ab æqualibus remedijs inchoandum est: Si autem in mora non sit periculum, ut in comitiali & resolutione, à leuioribus auxilijs incipiendum. Cum ergo in extremis morbis periculum in mora sit, ab extremis etiam auxilijs est inchoandum. Aequalitatem uerò auxiliorũ & morbi dicebat Galenus in libro Ar-*
Cap. 89. *tis Medicæ: Auxilia debent esse æqualia morbo. Et dabat exemplum in numeris: Si sit intẽperies calida, ut decem, debemus adhibere medicamenta frigida, ut decem. Et si membrum sit in profundo corporis, ut iecur, lien, pulmo, renes: oportet tanto frigidus efficere medicamentum, ut cum ad locum peruenerit, æquale sit ipsi intemperiei membri in ordine seu numero. Igitur constat, qualiter generalis est propositio: Extremis morbis extrema conuenire auxilia. Intelligitur autem de extremis auxilijs genere, magnitudine & numero: & de extremis morbis magnitudine & periculo imminenti. Ideo subiungit:*

APHORISMVS VII.

VBi igitur morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extremè tenuissimo uictu utendum est. Vbi uerò non, sed pleniorem uictum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quãto morbus extremis est mollior.

COMMENTARIVS.

¶ *Vtitur exquisitissimo syllogismo: Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt: Peracutus morbus est extremus, etiam ab initio: Igitur in peracuto morbo ab initio conuenit extremè tenuissimus uictus, qui inter propria auxilia acutorum & peracutorum morborum numeratur. Constat enim uictum tenuissimum congruere acutissimo morbo, sicut tenuem acuto, mediocrem diuturno. Hic solum superest ut doceamus, morbum peracutum esse ab initio extremum: quî nam enim aliter esse potest, cum intra septimam diem occidere possit? ut superius ostensum est. Morbus ergo peracutus est ob id talis, quoniam extremos habet labores: & statim, quia statim peracutus est. aliter si non statim haberet extremos labores, non statim esset peracutus. Sicut nuper contigit Io. Iacobo Tægio, qui primùm doloribus quibusdam sub sinistro hypochõdrio uexatus est: & tunc neq; erãt extremi labores, nec morbus peracutus, tamen tertia die cœpit tota nocte æstuare, & molestiã maximam pati. unde ego, cum à doloribus uideretur esse liber, pronunciaui, succedenti mane laboraturum phrenitide: atq; ita fuit. Et in exacerbationibus morbus erat peracutus: intermedio tempore solùm acutus. Et ratio ipsa corrupta erat, cognitio integra: & agnoscebat unumquenq; numerûm. Constat ergo, per labores intelligi debere uno nomine (ut à Galeno exponitur hic Aphorismus octauo Methodi) omnia* Cap. 3.
quæ nos offendũt: calor, dolor, molestia, uigilia, conuulsio, accessio, animi deliquium, mẽtis perturbatio, casus uirtutis, sitis, uomitus, difficultas spirandi, horror, rigor. Horum autem quædam sunt naturalia penitus, sola magnitudine aucta: ut sitis, calor, uigilia. alia morbum consequentia, ut accessio, uomitus, dolor. alia omnino præter naturam, quæ pessima sunt: uelut stridor dentiũ, conuulsio, casus uirtutis. Horum etiam quædam sunt solùm signa, uelut stridor dentium: alia uerò noxia, ut conuulsio & syncopis.

Quod uerò subiungit (ubi uerò non) *declarat de intermedijs morbis, qui duo sunt: acutus, & mixtus ex acuto peracutoq;. Vt in uniuersum quinque sint genera morborum apud Hippocratem: peracutus, qui extremos habet labores, & continuos, atq; hic simpliciter talis est: acutus, qui intra quartumdecimum finitur, & extremos habet labores, sed solùm in fine: mixtus, qui ex peracuto acutoq; constat, finiturq; ante quartumdecimum & ipse, uel in ea die: diuturnus, qui ultra 40 diem extenditur: & acutus decidens, qui intra eundem terminum finem habet. Vt uerò in hoc non possunt esse plusquã quatuordecim dies perpetui incrementi,*

ita in

ita in acutis non plures esse possunt septem diebus extremi laboris. Quomodo enim uir maximè robustus & iuuenis, uitam cum morte commutabit, quin extremos labores patiatur? Et quomodo quis extremos labores patietur, qui ultra septem dies poßit perferre? ita ut morbus perpetuò augeatur, quod ex natura acuti morbi est. Hæc uolui adiecisse propter plerosq; medicos, qui hoc genus morbi mixtum nõ norunt, decipiunturq; maximè: Et eo magis, quòd frequens est hoc morbi genus, & simpliciter peracutis longè familiarius. Accidit autem in his, ut medici pronuncient melius se habere, & æger sequenti die perit. Sicut contigit cuidam, quem iam paucis antea diebus uidi, pronunciauiq; moriturum, & morbum pestilentem esse. erat autem in nona. Sequẽti die medicus suus dixit, melius se habere: remißi enim erant extremi labores: undecima autem mortuus est. Hæc autem maximè eueniunt in morbis pestilẽtibus: ut etiã potes uidere, si alia occasio nõ detur, apud Hippocratẽ.

Verùm dicet quispiam, quomodo in acutis mors contingit, si extremos non habet labores? Et si habet, quomodo dabitur mixtus? Dico, quòd acutus simpliciter non habet extremos labores, nisi postquam fuerit conclamatus: occidit autem ob imbecillitatem uirium, aut quia pestilens, aliter non. Cum tamen morbus uires superauerit, tunc efficit extremos labores. Ideò hæc intelligenda sunt antè iudiciũ, non eo peracto: quia tunc cum ad mortem tendunt, sunt extra considerationem medici. Et de his dixit benè Galenus, quòd morituri sunt solis prognosticis relinquendi. Ex quo patet, Hippocratem uoluisse, in remißionibus morborum semper nutriendum ægrum pro qualitate remißionis: ita ut in interpolatis seu intermittẽtibus, carne atq; ouis uti liceat. nam tunc homo fermè sanus est.

In sequenti commẽto, id est 8. Aphor.

Deducamus igitur, ut dici solet, rem sub manibus. Aegrotet quispiam tribus primis diebus febre lenta, inde repentè corripiatur angina in quarto die, perduretq; usq; ad sextam. soluatur autem morbus, & ex sexta ad undecimam perducatur cum febre quæ in dies augeatur: inde per sex alios dies rursus cadat in peracutũ morbum, uelut neruorum distentionem. Iubet igitur Hippocrates, ut primis tribus diebus utatur ptisana, sequentibus quatuor diebus nihil prorsus assumet: inde colata ptisana utetur, à septima scilicet die ad undecimã. demũ sumet mellis aquã: neq; enim propter morbos tam uarios, sufferre poterit inediam absolutam: sed tenuißimo uictu utetur, iuxta primum significatum. Hippocrates enim mulsam tenuißimum uictum appellat, quia inter uictus, quod minus nutriat, nihil dari potest: & tenuißimum etiã uictum uocat, ut omnino à cibo abstineat. Velut si quis dicat, in nocte minimam esse lucem, & in tenebris etiam minimam esse lucem, utrumq; uerum erit, sub uario tamen sensu. nam in nocte minima est lux, inter ea quæ lucem habent: in tenebris autẽ minima lux per metaphoram, quia nulla omnino lux. Ergo quanquam superius uictum tenuem trifariam diuiserimus, hic omnem uictum iuxta Hippocratis sententiam hoc modo planè distinguemus: Plenißimus, qui sanis & exercitatis debetur, & fit per carnes suillas, & oua cum pane & uino: Plenus, qui ciuilibus, hominibus sanis, quiq; moderato utuntur exercitio, qui fit per auium carnes, uinum tenue, & panem: Paulo plenior mediocri, qui fit per chondrum, panem lotum, ptisanã quoq;, sed cum iure carnium coctã: Mediocris, qui fit per ptisanam. hoc utentur laborantes acutis morbis, quandocunq; ita laborauerint, seu totus morbus talis sit, seu sit pars morbi peracuti, seu diuturni: sicut paulo pleniore in mitibus morbis. Tenuis exquisitè, qui fit per ptisanæ succum, qui acutis iuxta statum debetur, non per totum morbum. Tenuißimus duplex: aut per mulsam, & in alio significato cum nihil damus, & uterq; peracutis morbis debetur: sed hic cũ ualidis uiribus, & cũ febre: ille cũ imbecillioribus, aut absq; febre: sed alia causa.

Com. 4.

Vt uerò scias quí nã sint morbi, quibus hæc quinq; ultima genera uictus debentur, iuremeritò omnes morbos oportet scire distinguere in illa quinq; genera: scilicet mitem, decidentem, acutum, mixtum, & peracutum. Fiunt morbi peracuti septem causis: multitudine, prauitate materiæ, membri præstantia, magnitudine affectus, dolore, impedimento, & uirium imbecillitate. hæc enim facere potest ut acutus in peracutum transeat, quia substantia non differunt, sed sola magnitudine: non tamen ut ex miti acutus fiat. Ex his septem causis, seu uerius sex, cum magnitudo eis adiũgitur, morbus fit peracutus: aut si magnitudo adiungi non poßit: uelut in materiæ multitudine, si duæ causæ insimul conuenerint. Dolor enim aurium, & colicus, fit magnitudine peracutus: tertio Prognosticorum. Similiter materiæ multitudine, ut tertio Epidemiorum. Aut prauitate eiusdẽ, ut paulo pòst eodem libro. Impedimento, ut cum mulier utero gerit: uelut quinto libro uidebis. Cum ergo uideris

t. & com. 13.

Com. 3. sec. 26.

bilem

bilem flauam aut nigrã in febre, indicat morbum
Com. 3. sec. 76. acutum esse. Dicebat enim Galenus secundo Prognosticorum, Proprium est bilis flauæ & nigræ, acutas accendere febres.
Com. 30. Com. 46. Quomodo autem generentur hæ materiæ in corpore, declarabat ubi diximus suprà, in Commentariis Epidemiorum: ubi de materiæ prauitate loquitur, dicens, quòd gignitur in nobis, nobis non sentientibus, materia uirulenta: ut uenenum ex cane rabido, in corpore nostro latens. Est etiam animaduertendum, omnes morbos tam mites quàm acutos aut peracutos, diuidi in duo genera. Quidam enim totum possident corpus, ut febres, & malus habitus: quidam in certa parte solum sunt constituti, ut angina & morbus lateralis.

In uniuersum igitur, morborum acutorum proprium est, uehementer in spacio horarũ 24 augeri: peracutorum autem, habere extremos labores: mitium, habere labores leues, aut carere magna parte illorum, & incrementa quæ fiunt per unam diem esse parua. Neq; fieri potest ut extremi sint labores, & incrementa parua: aut ut incrementa sint magna, & labores parui: sed ubi labores in extremo constiterint, licet tunc incrementa consistant, præfuere tamen.

Quæcunq; uerò dicta sunt hic de acutis & peracutis morbis, de initio & augmento & statu intelligenda sunt: non autem de declinatione, in qua incrementa desinunt, & labores mitescunt.

APHORISMVS VIII.

Cum morbus in suo uigore cõstiterit, tunc uictu tenuissimo utendum est.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus se habet ad sequentem, uelut sextus ad præcedentem. Cum autem Hippocrates in primo Aphorismo procemium scripsisset, in secundo uerò de qualitate euacuandi humoris, in tertio de quantitate, in quatuor sequentibus de ratione uictus per genera morborum: in hoc & duobus sequentibus, de ratione uictus seu qualitate loquitur, iuxta morborum tempora. Sunt autem morborum tempora quatuor, de generalibus loquor, iuxta Galenum & Hippocratem. Sed Hippocrates solum, ut antea dixi, tria considerat: initium, augmentum, & statum seu uigorem. nam declinationis, ut parum periculosæ in salubribus, & ut extra scopum morborum mortalium, rationem nõ habet.
Cap. 3. Vt autem cognoscamus hæc quatuor tempora, quæ Galenus eo libro docuit qui de Totius morbi temporibus inscribitur: sciendum est, cum nullum signum coctionis apparet in propriis excrementis, uelut febricitanti in urina, laterali morbo laboranti in sputo: tunc esse initium. cum uerò coctionis imperfectæ, incrementum: cum autẽ perfectæ, nec tamẽ materia expulsa fuerit, uigoris: expulsa autẽ, aut resoluta, declinationis. Sed, ut dixi, huius partis nulla est consideratio.

Ergo Hippocrates temporum uictum constituere uolens, à manifestis initium sumit. Est autem hoc manifestum, scilicet in uigore morbi tenuissimo uictu utendum esse. Quod præceptum bifariam intelligi potest. & ut simpliciter tenuissimo utamur, quod uerum est in acutis: & comparatiuè etiam, in omnibus morbis: id cum carnifices medici hoc tempore euertant, demonstrare decet. neq; enim pudore contemptæ authoritatis Hippocratis hi detinentur: qui, quàm magna pars sint eorum qui artem exercent, tum ex operibus illorum, tum ex successu condisces. Quamobrem Galenum uenia dignum non iudico, in re tanti momenti tam ieiunè scribentem: ni forsan id ei contigerit quod Romanis ferunt, ut nullam legem de parricidio ferrent, quòd existimarent neminem tam impium futurum, ut tam graue scelus admitteret. Sed siue hoc, siue illud, profectò decuit in tã salubri consilio uerba plura facere: ut quos pudor non terret, metus cohibeat, ne deprehensi in manifesto homicidio, uel affinibus uel prudenti alicui principi pœnas dent. Paria enim sunt, seu hominem iugules, seu uenenum exhibeas, seu manifesta ratione conficias.

Dices forsan: Cur id agunt, cum nulli usui eis sit mors hominis, sed infamiæ & dedecori? Verùm ea ratione solum, ut mulierculis satisfaciant, & earum gratiam captent. Persuasum enim illis est, morbos ex uiriũ imbecillitate progigni: atq; ideo si uires cibo foueamus, præstitisse quod potuimus. Et si moriatur æger, non medici culpa, sed morbi ui interiisse. Quod cum aliquando, licet rarissimè, successerit, scilicet ut cibo sint leuati: præstabit id docere, cur & quãdo: sed prius Hippocratis mentem explicemus. In uigore morbi tenuissimo uictu, in comparatione ad reliqua duo tempora, utendum censet: in acutis uerò simpliciter, seu acuti seu peracuti sint. In decidentibus quoq;, ita ut omnino abstineamus à cibo, uel mulsam tantum demus. Id autem cur necessarium sit, ostendamus. In uigore morbi minimum tẽporis superest, quippe cum uigorem declinatio excipiat. Sed ubi morbus futurus

turus est breuißimus, ibi uictu tenuißimo utendum est, cum minimè periculum lapsus uirium immineat: igitur in uigore morbi uictu tenuißimo utendum est. Secunda ratio est, quoniam tunc maximè symptomata urgent, ut dolores, uigiliæ & calor: quæ omnia coctiones impediũt. sic ergo æger non iuuatur, cum cibus ipse haud concoquatur. Tertia, quia natura in prima parte uigoris coctiones perficit, in secunda separat noxium humorem ab innoxio, inde expellit. si ergo cibum dederis, & coctionem perfici non permiseris, impedies crisim. Si autem separationem impedias, aut crisis non fiet, aut cum noxio humore utilis expelletur: quod uires maximè debilitabit. aut si solùm prohibueris expulsionem, mortem aut morbi longitudinem afferes. Cum igitur cibus in uigore non sit necessarius, ob temporis breuitatem: nec utilis, quia non concoquitur, prohibeatq; coctionem, separationem & expulsionem: manifestum est, in uigore esse uictu tenuißimo utendum. Loquitur autem de summo uigore, quo ad symptomata. Pendet autem ex præcedenti Aphorismo: quia si in peracutis uictu tenuißimo utendum est, uigor morbi est peracutus. Sunt tamen casus quidam, qui prohibent: scilicet cum pars materiæ iam eiecta fuerit, ut in morbo laterali, Primo de uictu in acu-
c. c. 23. *tis, nam tunc status concoctionis materiæ & symptomatum non conueniunt: uerùm reiecta magna parte abscessus, & reliqua cõcocta, cum*
Com. 29. *tunc mitior sit morbus (ut Galenus censet secunda Aphorismorum) poßumus cibum copiosiorem exhibere: id est, ptisanã hordeaceam. Et hoc nõ solùm quia materia diminuta est, sed quoniam indigemus facultate animali, ad expellendum quod concoctũ est. Igitur in abscessibus pectoris & pulmonis in statu cogimur, si sympto-*
t.c.48. *mata mitiora facta fuerint, nutrire. Secundò, si inedia superflua præcesserit: ut ab Hippocrate habetur in secundo de Victu in acutis. Sed tunc*
t.c.40. *moderatè ualde, ut ibidem habetur. Neq; periculosior error, seu dederis ubi non oportet, propter suffocationem: aut non dederis ubi oportet, propter sputi retentionem ob uirium imbecillitatem factam, quàm in morbis qui pendent ex abscessu pectoris aut pulmonis. Tertiò, in morbis qui ex acuta bile fiunt, maximè cum os uentriculi imbecille & magni sensus fuerit. Quartò, cum potu puro utimur. nam uinum quandoq; in statu confert, ut tertianæ: sed hæc acuta nõ est. confert & in continuis, si abscessus non impediat, aut mentis perturbatio, uel dolor capitis grauis. In hecticis quoq;, ephemeris ac fluxibus, manifestum est Aphorismum intelligi non debere.*

APHORISMVS IX.

Coniectari autem oportet, an æger cum uictu sufficiat perdurare, donec morbus cõsistat: & nunquid prius ille deficiat, nec poßit cum uictu perdurare? uel morbus antea deficiat, atq; hebetescat.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum loquatur de morbis salubribus, manifestum tribus modis contingere posse, ut cum uictu tenuißimo ab initio & per augmentũ & statum procedente, æger se habeat, uel ut uirtus & morbus ad uigorem summum perueniant: & tunc utendum est tenuißimo uictu, non solùm in morbi uigore, sed in principio & incremento. Vel quod utendo tali uictu æger antea deficiat: & tunc cogimur in initio magis nutrire, & sensim auferendo in incremento peruenire ad summum uigorem cum uictu tenuißimo. Vel ante summum uigorem morbus deficiet, & hebetabitur. Et tunc licebit alterum duorum facere: uel nutrire in initio & incremento, in statu autem tenuißimo uictu uti: uel in ipso statu coctionis nutrire, cum non sit summus uigor quo ad symptomata, sed solùm quo ad coctionem. Dicit ergo: Coniectari oportere medicum, ut poßit instituere uictum ab initio, & in incremento. non potest autem id certò præsciri: unde coniectura opus est. Hinc manauit adagium illud, quod Medicus est artifex coniecturalis, si ita licet dicere: uerius, quòd cognitio medici coniecturalis est. Oportet ergo medicum hoc præscire, & quid uenturum sit ex his tribus. Nam si poßit usq; ad statum perdurare uirtus cũ uictu tenuißimo, nec morbus minuatur: perseuerandum est in uictu tenuißimo. Sin autem morbus manebit, uirtus sit defectura, nutriendus est in initio & augmento: quia dicebat Hippocrates in secundo de Victu in acutis, Malum ualde esse, cogi nu-* t.c.40.
trire in summo morbi uigore: longè autem deterius, si antea non nutritus fuerit. nam uirtus dupliciter grauatur, & quia impeditur ab opere, ut dixi in priore Aphorismo: & quia insolito cibo suffocatur ob inediam præcedentem, & loquitur de morbo laterali.

Circa quod notãdum, quòd (ut dixi antea) generalis propositio est, quod dum morbus acutus est in summo uigore symptomatum, tunc uictu tenuißimo utendum est. In mitibus uerò tenuißimo,

nuißimo, non absolutè, si sit ualde prolixus: sed tenuißimo, in comparatione ad uictum aliorum temporum morbi. Secunda propositio quoque generalis est in acutis, in summo uigore, quo ad coctionem materiæ, pro aliqua parte uictus tenuißimus necessarius est. Estq; illa pars, in qua hoc est necessarium, pars status, in qua adhuc tota materia retinetur. Nam cum necesse sit materiam quæ utiliter expellitur, esse concoctam, & concoctio non absoluitur nisi in statu, necesse est etiam materiam retineri in prima parte status. Quod etsi in fine augmenti expellatur, iuxta Galeni sententiam, hoc est, quod hic proponit Hippocrates dum dixit, quòd morbus deficiat atq; hebetescat. Voluit enim nos intelligere, morbum deficere non ex toto, sed mitiorem reddi. Quomodo igitur in quolibet morbo hæc quatuor tempora reperientur, de salubribus loquor, Principium, augmentum, status & declinatio, ut uidetur Galenus sentire in libello de Totius morbi temporibus? Neque enim sufficit quod in quibusdam status sit breuißimus: nam tum sic est. at non est, cum morbus in augmento per iudicium declinationem ingreditur, aut per sanguinis mißionem, aut inediam, quod hic ostendit Hippocrates? Propterea dico, summum uigorem tria significare: aut extremos labores, & ad hos non omnis morbus peruenit: aut coctionem materiæ, & ad hanc non omnis morbus etiam salubris peruenit, quia materia uel absumitur, uel purgatur, uel euacuatur ante absolutam coctionem: aut ad summum comparatiuè, id est deterius tempus morbi, quod plerunq; idem est cum uero statu: aliquando autem non, uelut, ut dixi, cum materia ante coctionem euacuatur natura uel arte, manifestè uel per resolutionem: & ad hoc morbi tempus sic intellectum, omnis morbus peruenit necessariò. necessarium enim est in unoquoq; genere, ut Aristoteles inquit, esse maximum minimumq;.

3. de Crisi cap. 6.

Cap. 4.

Medicus igitur coniectari debet de duobus, de magnitudine uirtutis & morbi: & ex hac coniectura trium unum assequi. quæ ut uera sint semper est necessarium, scilicet ut uel uirtutis et morbi magnitudo ad statum usq; permaneat, & tunc tenuißimo uictu per totũ morbum est utendum: uel ut uirtus prius deficiat, & tunc prius est nutriendum, tum quia nutritio ante statum est utilior quàm in statu, tum quia in statu non prodesset iã ægro debilitato. uel uires sufficiũt, sed morbus mitescit: & tunc licebit nutrire uel in status parte ultima, uel ante statum. Ex quibus colligitur quartũ, quod si tam morbus quàm uirtus defecerit, ante statum nutriri debet.

Quòd igitur minui poßit morbus ante statũ concoctionis totius materiæ, habemus ab Hippocrate in primo de Victu in acutis, dicẽte: quòd incipiẽte sputo copiosiore, debemus dare cibum aßiduè usq; ad iudicationem. Constat igitur, minui posse perpetuò morbum etiam ante statum, uel ob sectionem uenæ, uel ob medicamentum, uel ob inediam, uel ob crisim: quæ tamen optima non erit, si fuerit in fine augmenti. Et quòd morbus in hoc casu ad uerum statum non perueniet. Hippocrates autem uult, ut per uiam inediæ hoc non fiat, quia nimis æger debilitatur, periculoq; exponitur, & reuersioni morbi. Sed ut hoc firmum sit, ut scilicet morbus ad suum uigorem perueniat nutriendo ante statum, & ita in statu utatur uictu tenuißimo. Qui uerò uenam secando morbum minuunt, atq; materiam, statum morbi non prohibent, sed ob materiæ paucitatẽ is morbus mitis erit. Vult igitur Hippocrates, hoc in casu nutriendum magis in augmento & statu, quàm in principio: ut habetur in primo de Victu in acutis. Fieri enim potest ut principium sit morbi acuti, seu etiam peracuti, & augmentum ac status morbi mitis. ideo dicit, An morbus antea deficiat atq; hebetescat. quod sæpius contingit ex sectione uenæ, rarius multo ex purgatione, dum materia turget. Iubet igitur leuari dolorem secta uena, aut purgatione in laterali morbo Hippocrates, antequam demus ptisanam: sed nõdum tamen morbus est diminutus, sed solum prohibitum augmentum. In febribus uerò, licet morbum minuere aut tollere per uenæ sectionem, ut in sanguinea febre. Sed quando tota febris auferetur, eo modo acuta nondum erit, sed absq; putredine, similisq; Ephimeræ.

t. c. 25.

1. Regiminis acutorum. 33.

Verùm sic constat, quomodo morbi symptomata minui poßint sublata portione materiæ, uel per sectionem uenæ, uel purgationem, uel per crisim, licet imperfectam ante morbi uigorem: sed quomodo absq; euacuatione ulla manifesta? quod tamen contingere uidemus. Respondeo, subtiliore parte resoluta per inediã, uel per urinas aut sudores, id contingere. nonnunquam etiam nihil prorsus euacuato, sed translato in cauitatem aliquam, id fieri: nonnũquam materia quæ loco arcto continebatur, ad latiorẽ depulsa, uel longius reposita à membro principali, uel ex mobili facta quieta. his tot modis symptomatum sæuitia ante morbi statum, etiam absq; euacuatione manifesta sedatur. Quòd si ita sedetur, ut morbus

mitis dici posßit, licebit uberius nutrire succedenti tempore: aliter non. Erit igitur hic modus declinationis sæuitiæ morbi ante ueram declinationem, quem nos Hippocrates iubet obseruare.

Contingit uerò & contrarium, ut materia manifestè euacuata & diminuta, morbus sæuiat magis: uel propter coctiones, uel quia traducta sit ad locum nobiliorem aut augustiorem, uel magis sensibilem: uel propter symptomata crisis: uel afflictis uiribus, ut cum cruda purgantur. Et tunc constat manifestè, Hippocratem uelle nos tenuißimo uictu uti.

3.Pra.c.11. *Circa hoc non præteribo, quod dicebat Haliabbas de uictu ægrorum, comparans illos iter agentibus, dicẽs: oportet ut tantum habeant pecuniarum, & eo modo distribuant eas, ut sufficiat ad totum iter peragendum. ita etiam oportet ut æger eo uictu utatur, ut ad uigorem morbi peruenire poßit.*

Com. 6. *Hunc Aphorismum Galenus explicabat secundo Prognosticorum, dicens: Si uirtus in morbis ualidior fuerit morbo, æger seruabitur: sin autem morbus superet uires, tunc sola prædictione utêris. Vt autem dignoscas an uirtus sit ualidior morbo, & an suffectura sit absq; cibo, disces uitalem ex pulsibus, animalem ex leuitate motuum, & naturalem ex signis coctionis & cruditatis. In morbis igitur ex materia pendentibus, principalis uirtus, dicebat Galenus, est uirtus naturalis, pòst uitalis, inde animalis.* 4.De Presf. ex pul. c. 12. *Sed ubi sit abscessus in pectoris partibus, animalis & naturalis ex æquo dignæ sunt consideratione. Dicebat enim ipse: Naturalis uirtus est quæ concoquit, separat & expellit: ideò per totum morbum, & in crisi plus illa quàm alijs indigemus.* 1. de Victu in acutis, com. 44. *Cibi autem dandi uitalis facultatis respectus. Naturalis autem facultatis imbecillitas ex inappetẽtia propriè dignoscitur, inquit Galenus tertio Epidemiorum.* Sec.3.com. 72. *Vt uerò dignoscas uitalem ex pulsibus, considera robur ex magnitudine cum resistentia. nam pulsum qui uidetur imbecillis, si uis dignoscere an uerè talis sit, aut ex oppreßione morbi, considera an resistat. robustus enim licet leuiter feriat, compressus tamen multum resistit. Secundò, si sit æqualis, est robustus, imbecillis enim inæqualis est. Tertiò, robustus est, si quandoq; uehementer ferit: debilis, semper manet oppressus. Si ergo modò eleuatur, modò non, significat oppreßionem uirtutis uitalis, non resolutionem. Vltimò, qui diuersus est in dextro latere ac sinistro, indicat oppreßionem materiæ, & ex parte qua pulsus uidetur debilis, non autem resolutionẽ. Hoc dixi, quia rarò uirtus uitalis est ualida, & naturalis debilis, aut contrario modo: imò diu una non potest esse robusta cum alterius imbecillitate.*

Victus autẽ ratio constituẽda est iuxta uerã uirtutis imbecillitatẽ, quæ est per resolutionem, non aũt oppreßionẽ. Ita poterimus cõstituere ex his cõiecturis uictũ, per omnia morbi tempora.

APHORISMVS X.

Quibus igitur statim morbus cõsistit, ijs etiã statim tenuis uictus adhibẽdus est. Quibus uerò posterius debet consistere, ijs & in ipso consistendi tempore, & parũ ante illud, cibus subtrahendus. prius uerò uberius uictus adhibendus est, ut æger sufficiat.

COMMENTARIVS.

¶ *Hic Aphorismus declarat distinctè, quod proposuerat in antecedenti. Hoc est, ut sciamus ordinare uictum per tria tempora. Et regula est: In acutis in statu utêris uictu tenuißimo. sed si status ualde proximus sit initio morbi, ut in angina & synocho, seu febre sanguinea, cuius initiũ non durat quãdoq; ultra tres aut quatuor horas, ut dicebat Galenus: tunc ab initio instituemus* 3.de crisi cap.4. *uictum tenuißimum. Sin autem status à principio longius distet, cibus eo magis nutriens adhibendus est, quanto magis morbus longior est: ita tamen, ut in acutis ptisanam, in decidentibus chondrum non excedas, nec ad oua aut carnes transeas. Manifestum est autem, quod sensim attenuando ad statum accedere debemus.*

Sed animaduertere oportet unũ præceptum t.c.42. *Hippocratis, in primo de Victu in acutis: Quod si æger cibum acceperit, ægrotaueritq;, tamdiu à cibo est temperandum, quandiu cibus concoctus fuerit. Pòst autem sensim cibo imminuto nutriendus: sed hæc ad quantitatem, de qua hic sermo non est, pertinent. Qui autem sint morbi in quibus uigor statim accedat, declarat Hippocrates primo de Morbis:* Pag.2. *Angina, uua, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, & febris ardens.*

In pestilentibus autem febribus, forsan quis quærat, an hæc omnino seruanda sint: quòd uideatur Hippocrates dicere, peßimum fuisse signum cibi fastidium. Vbi in tertio Epidemiorum Galenus hæc habet: Fastidium cibi etiam om- 2. in 1. Epi. Tex.34. Et 3.in 3.Tex. 66.& 58. *nes cœpit, qui in peste hac diuturna, quæ modò uiguit, laborauerunt. Quare factum est ut multi morerentur. Fortiores autem, qui uim sibi ipsis inferentes, oblatum cibum assumpserunt,*

omnes

omnes fermè superstites fuere. Plurimi uerò mori, quàm comedere, potius uoluerunt. Manifestum est autem, id uitium uentriculi causa accidisse. Videtur ergo non tam fuisse fastidium cibi mortis signum, quàm causa: postquam qui sumpserunt euaserint, etiam si fastidissent: qui non sumpserunt, perierint. Verisimile quoq; est, cibos etiam in uigore sumpsisse, postquã & fastidium eo tempore maximè, quo & reliqua symptomata, uiguisse consentaneum est. Auicenna quoq; 1.4. Trac. 4.c.4. *consulit, ut cibum demus, quocunq; tempore illum fastidit. Sed & cum desiderat, optimum esse reor, qui ex columborũ iure aut carne conficitur. nam in arcanis Aegyptiorum est, eos qui columbis assiduè utuntur, pestiferis morbis haud corripi. Cum uerò his febribus etiam alij morbi soleant copulari, cibus quidem in uigore dandus erit: uerũ moderatus, sed tamen qui plenius alat.*

In morbis uerò qui accessiones habent peracutas, uelut spirandi difficultas (quanquam de hoc seorsum sim locutus) in ipsis accessionibus mulsa utendum est, aut nihil dandum. Semper enim in his quæ paruo interuallo distant, experimento fidendum est. Per interualla autem nutriendum contrarià ratione. Si enim materia tenuis fuerit, alica & carnibus solidis, aut colliquatis: si autem crassa, auiculis, oleribus, ac attenuantibus cibis.

Ergo ratio uictus hæc erit in acutis & peracutis morbis. In ipso uigore morbi à cibo est abstinendum. In initio, si morbus acutus est, ptisana utemur: si peracutus, mulsa in augmento: si acutus, ptisana colata, aut mulsa: si peracutus, mulsa, sed magis diluta quàm in principio. Si autem phrenitide aut pestilenti febre æger laboret, cibum dabis cum potueris, cum non liceat quando uelis. Verùm in pestilenti pleinorem, in phrenitico mediocrem. In initio quoq; caueas ne cibum des, antequam tota cruditas sedata fuerit. In laterali morbo non, antequam dolor sectione uenæ aut purgatione leuatus fuerit. Vbi expuere cœperit, & facilius respirare, licebit tota ptisana uti: quoniam uigor symptomatum desijt. In diuturnis morbis auium carnibus, si sine febre: ouorum uitellis, si cum febre fuerint, utêris ab initio: succedente tempore alica, & pane loto: inde ad ptisanam, & illius cremorem transibis. Et si breuis sit uigor, ad mulsam & inediam. In acutis decidentibus alica, uel pane loto, inde ptisanæ cremore, ac demum mulsa aut inedia utêris: ut semper uersus uigorem attenuando procedas. In diuturnis, quorum accessiones peracutæ sunt, per interualla contrarijs natura cibis utêris: in ipsa accessione abstinebis.

Quòd uerò, In statu (dixerit) statim tenuis uictus adhibendus: Hippocrates genus assumpsit pro specie. nam sub tenui etiam tenuissimus, & exquisitè tenuis uictus continetur: ut omnibus morborum generibus satisfaceret.

APHORISMVS XI.

IN accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, abstinere oportet.

COMMENTARIVS.

¶ *Postquam de qualitate cibi locutus est iuxta genera morborum, & tempora: hic de accessionibus ipsis quæ morbis eueniunt, sermonem habet. Tria enim sunt præter naturam, quorum ratione cibus prohibetur aut conceditur: morbi genus, tempus, & accessio. Cum igitur de duobus prioribus locutus sit, ad hoc tertium descendit. Postea uerò de rebus naturalibus loquetur, quæ sunt: Aetas, & anni tempus principaliter. Postmodum de cibi natura loquetur, & deinde de quantitate, atq; hæc ad 19 Aphorismum usq;. Post quos, quibus in morbis, & quando purgatio, & quomodo, usq; in finem primi Libri edocebit: ut, uelut iam dixi, nullus liber apud Aristotelem uel Galenum tanto ordine cõscriptus sit. Vt igitur ad expositionem redeam: Accessiones* 3. de Diebus Decret.c.8. *dicuntur quasi stimuli, incitantes naturam ad pugnam, ut Galenus refert. Et ideò dicit, Crisis fit in diebus accessionum. Et si per impares dies accessiones inuadant, fit crisis in impari: & si diebus paribus, in pari. Et ob id, iuxta Hippocratem, morbi letales magis sunt, quibus accessiones paribus diebus inuadunt. nam crises eorum in dies haud criticos incidunt.*

Habent autẽ accessiones, quas Græci παροξυσμοὺς uocant, tempora propria quinq;, ut Galenus refert in Libello de Morborum tempo- Cap.3. *ribus: initium, cũ frigent extrema: inæqualitas, cum intus calet, exterius adhuc friget: augmentum, cum calor exterius diffunditur: status, cum est diffusus: declinatio, cum pedes & manus incaluerint, præcordia uerò refrigerantur, calore mitiore facto. Atq; horum, uelut & temporum generalium, sunt partes tres in singulis: principium scilicet, medium, finis. Sed uerè non sunt (cum Galeni uenia) nisi quatuor hæc tempora. Cum enim friget homo intus & extra, nondum febre detinetur. Si quidem febris calor est, non frigus. Quia tamen huic dispositioni febris*

coniuncta est, & quæ in febre percipiuntur, etiā de hoc tempore frigoris intelliguntur: ideo er-
Cap.4. *ror hic Galeni reprehensione dignus non est, cum etiam conferat, nedum noceat artis operibus.* Magis ad rem facit, *quod intermittentes febres, ut ibidem dicitur, sex habent tempora. nam post declinationem sequitur intermissio, in qua homo à febre liber est: ut in tertianis & quartanis manifestè apparet.*

Eadem sunt tempora, loquendo de quinque prioribus in continuarum accessionibus, in qui-
Cap.6. *bus frigus nullum apparet. sed, ut ibidem dicebat, loco frigoris in intermittentibus, cum in continuis nullum frigus appareat, sola apparet contractio pulsus: eas igitur accessiones, ad intermittentium discrimen, uocabimus exacerbationes. In tertianis autem, quæ continuantur, fit typus & compressio pulsus: sed non desinunt febres.*

Est aliud genus accessionum quod nomine Annotationum (ut uerbo translatitio utar) in-*compressarum significatur.* Est autem Anno-
Com.1. *tatio, ut uidere licet apud Galenum 2. Aphorismorum, accessionis initium. Incompressa autem, in qua pulsus non comprimitur, ut in initijs febrium & accessionum solet: ut colligitur pri-*
Cap.9. *mo de Differentijs febrium. Vel igitur initium accessionis est cum frigore, ut in intermittentibus: uel absq; compressione pulsus, ut in continuis, quæ proportionem seruant: uel absq; sensibili pulsus compressione, in quibus cum calor & magnitudo frequentiaq; pulsus succedat, pro hecticis habentur. Sic ergo erunt quatuor febrium genera, tribus differentijs distincta: continuitate, typo, & pulsus contractione. Vt uerò omnium febrium annotationes dignoscas, dicebat*
Cap.7. *Galenus 3. de Præsagio ex pulsibus, signo nunquam aberrante, est contractionis in pulsibus celeritas. Hanc etiam annotationem aliqui Insultum appellauerunt.*

Constat autem, periodum et accessionem æqualia esse in continuis, cum ambo contineant quinque tempora. at in intermittentibus, periodus Græcè, seu Latinè circuitus, tempus intermissionis ultra accessionem continet. ideo maius est tempus circuitus, quàm accessionis.

Dicit ergo Hippocrates, *in accessionibus abstinendum à cibo: intelligitq; hic per accessiones principium, inæqualitatem, augumentum & statum: non autem declinationem, multo minus intermissionem, quæ accessionis non est pars. Et ne crederemus de prima accessione dictum, declarat de omnibus debere intelligi, etiam si mille essent. Ideò subiungit,* Et quibus per circuitum fiunt accessiones in ipsa accessione: *id est, in primis eius quatuor temporibus abstinere oportet. Ratio clara est: quia in accessione uel calor suffocatur, ut in insultu: uel fit pugna, ut in statu accessionis: uel quippiam mistum ex pugna & coctione, ut in augmento & inæqualitate.*

Contingit tamen cibum esse necessarium in initio accessionis: ut docebat Galenus de illo iuuene, qui in syncopen deueniebat, quoties non nutriretur. Sed hoc pendebat ex naturali dispositione. Vnde casus ille nihil aliud docet, quam hanc intentionem prohibendi cibum, posse superari à naturali dispositione. Igitur cum calida siccaq; temperies tum naturalis tum acquisita fuerit, & eo magis si squalida: humorq; ac uapor mordax abundauerit, & maximè æstatis tempore, & in febres inciderint ex sole, inedia, ira, laboribusq;: dicit Galenus, tales ob siccitatem in initijs etiam accessionum humido indigent nutrimento: aliter in concussionem magnam, aut conuulsionem, aut syncopen incidunt. Vnde tales uel in ipsa inuasione, uel parum antè cibandi sunt. 10.Ar. cur. cap.3. 10.Ar. cur. cap.5.

Alia etiam dubitatio exoritur, cum dictum sit, quasdam febres in initio compressionem pulsus non habere: cum tamen hoc sit signum minimè fallax, & quod nunquam deest in initio accessionis. Sed animaduertendum, Galenum uelle semper in putridis fieri compressionem: sed non adeò manifestam, ut si quis cibum non det, possit eam deprehendere: cibo tamen dato, in ipsa annotatione dignoscitur. Difficultates autem quæ oriuntur in hoc præcepto, sunt hæ. Prima, si antequam accessionis status finiatur, alia superueniat, quid agendum? nam ex Aphorismi sententia, cibus dari non poterit. Secunda, si antequam declinatio prioris accessionis finiatur, alia superueniat, quando cibus dandus erit? an in declinatione, an in augmento, ut quidam uolunt. Tertia: ponamus quod intermissio sit minor tempore concoctionis cibi, quando dandus erit cibus? an in intermissione, an in declinatione prioris accessionis? Respondeo igitur ad primam, quòd hic morbus erit peracutus, & ita nullus erit dandus cibus, nam accessio, detracta declinatione, labor dici meretur: & ideò extremos habebit labores talis morbus. In secundo casu, uult Hippocrates t.c.46.
primo de Victu in acutis, ut cibum demus cum calor ad pedes descenderit, hoc enim est certum declinatio-

declinationis signum. Si autem hæc declinatio fuerit adeò breuis, ut antequam cibus concoqui poßit, acceßio superueniat, nullus erit dandus cibus: & ideò si morbus cum hoc longus fuerit, aut uirtus imbecillis, tam in hoc quàm in primo casu necesse est ægrum perire, cum absque cibo uirtus debilitata mortem afferat, cum cibo morbus superauctus occidat. Quòd si perueniat ad intermißionem longam (nam periodi quotidianarum, sunt horarum 24. tertianarum, horarum 48. quartanarum, horarum 72, ut in libro de Cap.2. *Proprijs morbi temporibus: nam sic liber de morborum seu Acceßionum temporibus, quod & melius est, inscribi debet) ultra 72 horas periodum describi rectè aut utiliter, Galenus ne-* Cap.2. *gat fieri posse, in libro aduersus eos qui de Typis scripserunt. Vbi etiam dicit, fieri non posse ut acceßio duret quinq; horis, & declinatio dua-* Cap.1. *bus tantum. nam, inquit, talis febris erit mitißima: igitur intermißionem, aut declinationem saltem longam habebit. Hoc autem de simplicibus febribus intelligendum est. nam de duabus tertianis Galenus, aut pluribus, non solùm hoc concedit, sed exemplum affert. Verùm duæ tertianæ, uel plures, aut quartanæ inter se non conficiunt periodum. Differt periodus à typo: quia periodus tempus circuitus significat, puta (ut dixi) quotidianæ horarum 24, tertianæ 48. Sed typus significat ordinem ipsum: utpote quod sit quotidianus, tertianus, quartanus. Et typorum alij persistunt: & horum quidam sunt* Cap.2 & 3. *primi, alij secundi. alij mouentur: & horum quidam simplices, alij compositi, ut in libro de Typis. Qui ergo persistunt, primi uocantur, cum tempus acceßionis est breue, intermißionis longum: ut in tertianis & quartanis puris. Typi autem qui persistunt, longi sunt, quorum acceßiones sunt longæ, intermißiones breues: ut in quibusdam tertianis nothis, & semitertianis, & quotidianis. Dicuntur autem persistere, qui complent numerum horarum sui circuitus: id est quotidiana, cum reuertitur post 24 horas: tertiana, post 48: quartana, post 72. Oportet autem ut uerè persistant, non solùm acceßiones, sed etiam declinationes inter se distare dierum integrorum spacio. aliter si acceßiones distent spacio integro, intermißiones aut declinationes non: aut declinationes spacio integro distent, acceßiones non: erunt medij, & misti ex his qui persistunt, & his qui mouentur. Eorum autem qui mouentur, alij anticipant, alij postponunt. Sunt & typi compositi: sed hi ex simplicibus dignoscuntur. Vt ergo reuertar ad propositum: Galenus secundo in sextum Epi-* Com.24. *demiorum, docet quatuor genera tertianarum: Exquisitam, cuius tota acceßio cum declinatione est minor horis duodecim, uel saltem non excedit: & hoc tempus tertianæ exquisitæ uocatur, scilicet horæ 12. Inde à 12 ad 24 horam est Tertiana, mereturq; hoc nomen absq; additione ulla. consistit enim intra duo tempora. Cum uerò acceßio perdurauerit à 24 horis suprà, infra tamen 36, ita ut consistat intra tria tempora, & intermißionem habeat horarum saltem 12, uocatur tertiana Extensa. ultra autem 36 horas si perduret, (dicit) raró euenit ut non sit continua, & ex acutarum genere. Si tamen accidat, nos uocabimus tertianam Enormem. In his igitur omnibus quæritur ratio uictus: quæ facilis est, nisi ubi acceßio 36 horas excesserit. nam in alijs absoluta acceßione æger cibandus est. At in ea quæ transit horas 36, si multum excesserit, rationem habebit febrium compositarum: ut in duplici aut triplici tertiana. Vbi ergo intermißio cum declinatione horas saltem octo habuerit, in initio declinationis æger cibandus est. Et si intermißio sola tantum habuerit spacij, cibum dabimus in intermißione, totam prætereuntes declinationem. Melius enim est ut cibus concoquatur, dum omnino febre caruerit æger, quàm cum solum est in illius declinatione. Sed ubi neque declinatio nec intermißio tam breues fuerint, ut tempus concoctionis æquent: Galenus censet, si phlegmone adsit in uentriculo uel iecinore, uitandum esse maximè acceßionis initium.* 11.Ar.Cur. cap.21. *Sed si uentriculus afficiatur, syncopes: si iecur, alui deiectio uexare solet. Quare cogimur ante febris initium cibum dare, cum phlegmones non affuerit, sed sola imbecillitas. Similiter si aliæ partes imbecillitate laborent, ut cor, pulmo, pectus, absque tamen phlegmone, dabis cibum, sed minus: si cum phlegmone, non dabis. Si uerò nec phlegmon nec imbecillitas adsit, ex æquo uitare oportet initium & statum acceßionis. Vt autem dignoscas hoc in casu quando magis cibandus sit, in initio uel parum antè, & quando in statu: considera si siccitas uiget, calor non, sed squalidus est, tunc in statu, non in principio dabis cibũ. si autem calor citra squalorem* Vbi supra. *urit in statu, cibum ne dederis. Similiter de initio facies. nam si parua fiat caloris reuocatio, parua extremorum refrigeratio, poteris & da-*

re & abstinere à cibo: utrinq; enim paruum periculum erroris imminet. Sin autem extrema multum refrigerantur absq; phlegmone, cibum dabis: aliter multum offendetur. Si phlegmone adsit, nullo modo dabis.

Ex hoc patet, errare medicos nostra ætate, qui in augmento febrium & accessionum cibum dant. nam si status est deterior, in initio cibum dare oportet: si initium, in statu. Augmentum solum admittit cibū, cum status & initium æquè mala sunt: sed tunc nihilo melius est alterutro illorum. itaq; in augmento nunquam cibus conuenit, nisi cum morbi naturā fassus fueris te ignorare. Vt enim augmentum altero eorum necessariò deterius est, id est principio uel statu, quod cunq; horum optimum fuerit: ita etiam altero eorum necessario est melius, quodcunque illorum deterius fuerit.

Causa accessionum tam in continuis quàm intermittentibus, est motus portionis materiæ quæ concoquitur ante aliā, uelut & in phlegmonibus. Quidam enim paulatim suppurantur, & paulatim expuuntur, ut in morbo laterali: & hi sunt faciliores. Quidam simul ex toto suppurantur, & cum tales non ferant ut paulatim expellantur, rumpuntur: ut in Empyemate. & hi sunt difficiliores. Ita in febribus, in quibusdam portio materiæ quotidie uel alternis diebus ad expulsionem paratur, & ideò etiam coquitur: & tales habent exacerbationes seu accessiones quotidie, aut alternis diebus, aut etiā singulis quatuor diebus: & hæ sunt mitiores. Aliæ dicuntur continentes, & hæ sunt magis acutæ & deteriores. Colligitur hoc magna ex parte secunda de Differentijs Febrium. Cap.ult.

Vltimò aduertendum, quod si æger ante declinationem accessionis nutriatur, sequuntur multa incōmoda, quæ scribuntur quarto de Victu in acutis: scilicet calor circa uentrē ob præfocationem, tensio hypocundriorum, fastidium, nausea, inquietudo, dolor, & quandoq; deliriū. t.c.39.

APHORISMVS XII.

Accessiones uerò & constitutiones morbi indicabunt & anni tempora, & circuituum successiua incremēta, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex his quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputū appareat, morbum breuiat: si uerò postea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcunq; apparuerint, uel bonam morborū iudicationem, uel malam, uel breues aut longos morbos fore ostendunt.

COMMENTARIVS.

¶*Postquam* Hippocrates *docuit uictum per morborum genera, per tempora totius morbi, & per tempora accessionum: hoc uno in Aphorismo docet cognoscere morborum longitudinem, tempora & accessiones. nullibi enim antea hoc docuit, nisi de peracutis, quos in septimo Aphorismo ex hoc cognoscere docuit, quòd extremos labores haberent. Vnde patet, quanto ordine ipse hanc doctrinam tradat: quia generalis est. Propriam uerò in sequentibus libris, difficile erat admodum sub sermonibus Aphoristicis continuare ordinatè. Itaq; ut ad rem redeam, hæc tria in unū iunxit: quia fermè se consequuntur. quanto enim morbus breuior est, eo propior est uigori in æquali tempore: quanto longior, remotior. In morbo enim qui finem uigoris habiturus est in tertia die, secunda dies augmenti medium continet: in morbo qui in quartam decimam extenditur, eadem secunda dies mediū initij continebit: animaduertendo quod uigor symptomatum uix tertium diem unquam excedit, coctionis autem longior est: maximè cum materia sensim expellitur, tam in phlegmonibus quàm in ipsis febribus continuis, ardentibus tamen, quæ absq; phlegmone sunt. In quibusdam uerò continentibus cum initium sit breuissimum, & augmentum non longum, contingit ut morbus statim ad uigorem properet. Accessionum uerò cognitio non adeò annexa est prioribus, ut illæ inter se: ueruntamen nec prorsus seiunctā, nam et uehementium phlegmonum aut febrium tertianæ uehementes, & ideò cum breui declinatione & longa accessione inuadunt. Habes igitur continuitatis rationem.*

Per constitutiones igitur intelligit morbi tēpora, id est, in quibus morbus est constitutus: id est, si sit in principio uel augmēto, uel uigore. nam de declinatione, ut dixi, non intelligit, quæ extra periculum sit, si sit generalis. sin autem accessionis, liberè in ea cibum afferre liceat. Tam ergo constitutiones ac morbi tempora, quàm illius longitudinē & accessiones, declarant quinque: Natura morbi, temporis circuitum, & signa coctionis, primum propria atq; communia. nam alia sub pathognomicis signis continentur.

Fingamus

Fingamus igitur, ut ad primum deueniam, quòd aliquis laboret exquisita tertiana: de qua, authore Galeno, dixit Hippocrates, quòd in se-
4.Aph. 59. ptem circuitibus (quod tempus longissimum est) terminatur. Nam ipsa tribus signis dignoscitur:
2. de crisi cap.3. quod 12 horas tota accessio (cum ipsa declinatione intellige) non excedat: quod cum rigore incipiat: quod semper soluatur sudore, uomitu uel uentris purgatione, aut omnibus his. Eadem quo ad causam, cum ex materia fiat biliosa, pura, & per totum corpus sparsa & mobili. Quo ad signa & causam, tempus æstiuum, gratia exempli: locum seu regionem calidam: ætatem, puta iuuenilem, & temperaturam biliosam. Cum ergo ex his exquisitam tertianam cognouero, sciam quòd intra septem accessiones finietur. Quod si cum hoc ab initio etiam in urinis signa concoctionis apparuerint, erit simplicissima, quæ intra tres aut quatuor accessiones finietur. unde sciam tunc, secundam accessionem non sub initio, sed augmento: & quartam non sub augmento, sed uigore morbi collocandam. cognoscam etiam accessionem non superaturam horas duodecim: imò declinatio post octauam incipiet, cum tutò cibum exhibere licebit. Sciam igitur omnia. Iuxta quod dicebat Galenus Primo ad Glauco-
Cap.8. nem: Intermittentium securissima & breuissima est tertiana exquisita: longa quartana, sed secura: quotidiana quoq; longa, & non sine periculo: notha quoq; tertiana à Galeno uisa est, quæ ab autumno ad uer perdurauit. Circa quod notandum, febres ex humore calido esse eo breuiores, quo purior est humor. Ex frigido autem, contrario modo. Rursus continuas sequi rationem intermittentium suarum, quo ad dierũ numerum, licet sint periculosiores: uelut ardens tertianæ, & quartana continua quartanæ. Sed dices,
4.Aph. 59. multo longior est intermittens. Respondeo ex Galeno, dies in intermittentibus semper numerandi sunt iuxta numerũ accessionũ. Puta quartana in 28 die, dicetur esse in decima: quia talis est accessio, ab initio morbi numerando. Et si essent duæ quartanæ, nihilominus una esset in decima, alia in nona: gratia exẽpli, in 26 die, & 28: quia quælibet ad suam simplicem refertur. Bonum autem erit, ut quæ ibi dixi, uideas.

25. Ab anni tempore, dixit ipse in secunda: Aestiuæ quartanæ breues sunt, autumnales longæ, & maximè quæ ad hyemem tendunt. Vbi Galenus explicat in Commento, iuxta eandem proportionem intelligendum esse in aliis morbis. gratia exempli: Tertianæ terminus, ut dictum est, est septem accessionum in autumno & uere ac hyeme: æstate autem erit quinq; tantum, ubi fuerit exquisita. anni enim tempus producit mutando morbi materiam, & non sponte: sed breuem morbum reddit utroq; modo, scilicet materiam morbi mutando, & etiam illam tenuiorem reddendo. Difficile enim erit per hyemem uidere exquisitam tertianam, sicut quotidianam per æstatem. Tempus igitur dupliciter declarat nobis constitutionem morbi, & accessiones: Et ut signum materiæ peccantis, & ut causa. Febrem enim quam uideris cum rigore inuadentem in æstate, tertianam indicabis exquisitam, & quæ ad quintam accessionem non perueniet, aut saltem non excedet. Tertianam quidem, & exquisitam, quia æstas est signum talis generis morbi, & talis materiæ. Quòd autem non sit excessura quintam accessionem, æstas non solùm significat, sed etiam facit. Non solùm autem per tempus Hippocrates significat æstatem aut hyemem, sed & caniculæ & aliorum siderum ortum & occasum, & æquinoctia & solstitia, & naturam præsentis æstatis: quæ si mitis sit, morbos simpliciter acutos, aut etiam decidentes faciet: sin feruentissima, peracutos. Nec solum morbos temporis naturæ congruentes, uelut tertia Aphorismorum: Aestate au- t. 21.
tem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ. constat autem tum ex natura, tum ex modo loquendi, tertianam maximè congruere æstati: sed eos qui tunc maximè uigent, licet congruant. Vnde Rasis, cum enumerasset signa tertianæ, inquit: Quòd si cum prædictis, aut pluribus ex eis con- 10. ad Alman.c.4.
tingat tertianam illo tempore pluribus euenire, absq; dubitatione sciendum est, illam esse tertianam: ac si uidisset eam una die infestasse, & alia quieuisse. Et ideò hoc plurimum confert, ut non solùm morbus sit congruens tempori ratione naturæ, sed ut etiam euentu: & ut tempus sit maximè tale, ut æstas calida & sicca, autumnus inæqualis ualde, hyems frigida & humida, uer apud nos uentosum & temperatum. Similiter per tempus anni morbos grassantes, etiamsi tempori non congruant, intelligere oportet, iuxta illud tertij Epidemiorum: Ante uer unà cum fri- Comm.3. sec.9. & 11.
goribus consecutis, sacri ignes multi hos cum occasione affecerunt, illos non: qui maligni cum essent, multos interemerunt. Et rursus: Febres ardentes, phrenitici. Constat uerò hos non esse morbos hyemi congruentes, ut in tertio libro edocebit Hippocrates. Cum enim dixit

num dixit Ante uer, extremam hyemis partem, Aphor.23. *quam φυταλίαν Græci uocant, intellexisse constat, cum Februario apud nos Fauonij spirāt, uitesq; putantur, arboresq; inseruntur. Non so-* 1.Epid.constit.1.2.& 3. & 6.Epidē. tabula 1. *lùm ergo tempus præsens obseruari debere docet Hippocrates, sed præcedentia, & decursum totum anni, ut ita dicam: quemadmodum in primo & tertio Epidemiorum docuit, & in tertia Aphorismorum. Ad quid enim illa scripsisse conueniebat, si non huic usui futura essent, ut scilicet morbos quales futuri essent, ab initio intelligeremus? Licebit autem unum pro exemplo adducere, miraculo proximum, quod ad morbi longitudinem attinet, iudicandam ex morborum passim* Com.2.Sectio.18. *grassantium more. inquit enim primo Epidemiorum: Iudicabantur his plerisq; morbi stato ordine admodū, ac intermittebant septendecim dies. Quem locum, quod supra rationem uideretur quæ ab homine deprehēdi posset, Galenus præterijt, tanquam ab Hippocrate non dictum.*

Itaq; colligendo quæ dicta sunt, & tempus anni præsens, & naturam eius, & præcedentia etiam naturam propriam, & morbos grassantes 2.in 1.Epid. Sect 7. *tunc considerare oportet: & iuxta Galeni sententiam, illa omnia cōparare hominis ægrotantis naturæ, ætati, consuetudini ac uictus rationi, atq; ex his morbi & accessionum consistentias ac tempora coniectari, non ut ex certo signo: (ridiculus enim esset medicus, qui omnes tertiana laborantes pronunciaret, quod morbus hic grassaretur, congrueretq; ætati, regioni, naturæ ac consuetudini illius:) sed totam syndromen, id est concursum considerare debet.*

Solùm restat pro hac parte intelligenda, ut uideamus de medijs temporibus, scilicet autūno & uere, an morbos producant, an abbreuient. Videtur enim dum de quartana loquitur Hippocrates, autumnum inter tempora numerare quæ Aphor.9. *morbos producunt. At tertia Aphorismorum inquit: Autumno morbi acutissimi: eos autem constat esse breuissimos.* Respondeo, *autumnum morbis omnibus detrimentum afferre. id fit, cum acuti fiunt acutissimi atq; letales. Propterea subiunxit Hippocrates: Atq; letales maxima ex parte. Longos uerò producit, ut quartanas & quotidianas. Acutos etiam, si sanātur, persæpe in* 21 *decidētes permutat. Itaq; in acutis statū proximiorē, in diuturnis tardiorē quàm in uere expectabis. Ver aūt morbos suæ naturæ relinquit, quod ad lōgitudinē attinet: sed salubriores efficit omnib. alijs anni tēporibus. Atq; hæc est ratio temporū.*

Et circuituū successiua incremēta.

Hæc fiunt aut quotidie: ut in quotidiana, duplici, tertiana, & triplici quartana (nam licet nō sint hæc incremēta successiua, sed solū in quotidiana, differentiam tamē agnoscere oportet) seu alternis diebus: ut in tertiana exquisita, & notha, & hemitritæo, & febre ardente, quæ proportionem seruat. Seu per maiora interualla, ut in quartana & quintana, ut infrà uidebis: in omnibus oportet cognoscere ex successiuis incrementis morbi tempus generale, & ex morbi tempore generali accessionum longitudinem, quandoq; enim unum, quandoq; alterum notius est in his quæ ex sensu pendent. 4.Aphorism.59. *Galenus ergo primo de Crisi pulchrè docebat, cognoscere augmentum morbi ex accessionibus, quæ symptomata habēt grauiora, & anticipant plusquam natura morbi requirat, & sint diuturniores: & declinatio breuis, ac nec satis facilis, sed grauior. Tempus igitur hoc augmēti erit, licet anticipatio sola nō est signum augmenti: sicut neq; quòd postponat, declinationis. In omni febrium genere enim tū tertianarum, quartanarū, quotidianarumq; sunt febres quæ ab initio usq; in finem anticipant: aliæ quæ postponunt. nec tamen ab initio usq; in finē sunt in augmento illæ, nec hæ in declinatione. Oportet igitur ut febris nō sit ex genere illarum quæ anticipāt semper: & tūc si anticipauerint, est certum signum augmenti. Quòd si magis ac magis anticipet, tunc in quacunq; febre istud est indicium augmenti: sicut si postponat magis ac magis, declinationis. Exemplo opus forsan est, ut rem facilius intelligas. Nunc quendam Græcum culcitrarū artificem inuasit febris prima die, hora 20. & durauit usq; ad statū horis decē, declinationem habuit horarum trium, & symptomata nōn fuerunt ualde magna: sudauit etiam paululum. Tertia die, erat enim ex tertianarum notharum genere, inuasit eum hora decimaoctaua, durauitq; uehementia usq; ad quintam horam sequentis diei: inde declinauit tribus horis fermè, fueruntq; symptomata prioris accessionis symptomatibus similia fermè, aliquanto tamē grauiora, sudauitq; parū. Quinta die febris quæ expectabatur hora decimasexta ex ratione anticipationis, inuasit hora decimaquarta cū rigore magno, fuerūtq; sitis, uomitus, bilis, æstus, dolor capitis, maiora: ac uigor peruenit usq; ad quartam horā sequentis diei, cum declinatione molesta horarū fermè duarū cum dimidio: sudauitq; multū. Hoc itaq; fuit initium incrementi totius morbi, cum duæ aliæ accessiones ad initium pertinuerint. Septima die expectabatur accessio hora octaua uel septi-*

uel ſeptima, ſed ſuperuenit hora nona: anticipauit enim & plus quàm in alia, non tamen pro ratione exceſſus: quia hæc acceſſio pars erat augmenti, & in ea erat ſtatus. de natura autẽ ſtatus eſt ut non anticipet, ſi febris nõ ſit ex his quæ anticipant: aut æqualiter anticipet, ſi ſit ex his quæ anticipant. Fuit igitur rigor fermè horarum triũ, cõputata inæqualitate & uomitus, æſtus, ſitis, delirium, dolor capitis, iactatio, præfocatio. perueniꝗ; ad finem ſtatus hora prima noctis, fuitq; ſequens declinatio horarum quatuor: non tamen multũ moleſta. Hac igitur in acceſſione fuit ſtatus, qui in talibus febribus uel portione unius acceſſionis, uel ad ſummum una tota atq; integra acceſſione. Sudauit autem plurimum ac diu, & calidiſsimo ſudore. Nona die inuaſit eum febris hora ſexta, rigor fuit paruus, anticipauit igitur ſimpliciter horis tribus: comparatione aũt præcedentis anticipationis, horis duabus minus, ſymptomata fuerunt remiſsiora, durauit acceſsionis robur uſq; ad horam ſextamdecimam: inclinatio facilis, uſq; ad uigeſimãprimam ſudauit, ſed nõ multũ. Vndecima die ſuperuenit febris hora quarta cũ dimidia. durauit leuis uſq; ad undecimã, inclinatio uſq; ad quintamdecimam: modicũ ſudauit, molliter tulit. Decimatertia aduenit febris fermè hora eadem, aut paulo antè, durauit ad nonã uſq;, inclinatio uſq; ad undecimã. perfuſus eſt rore quodam, nihil graue, finita eſt. Hæc formula eſt febrium quæ anticipant.

Vt uerò hæc propoſitis applicemus, Galenus optimè dicit, quòd incrementa magna ſignificãt morbum eſſe breuem, & uigorẽ appropinquare. Breuiſsimi igitur hi morbi ſunt, & periculoſiſsimi: ſi uerò incremẽta ſint parua, morbum longũ ſignificat. Anticipatio breuitatẽ morbi, ſi ſit morbo propria, ſignificat: ſi tempori morbi cõgruat, ſignificat augmentum: ſi morbus acceſsiones habeat eadem hora, ſignificat longitudinẽ, ut ipſe

4. Aph. 30. teſtatur. Si autem ratione temporis, morbi ſtatũ ſignificat, & ex conſequenti breuitatem eius. Si poſtponat morbus, longus eſt, nõ tamen adeò ac ſi horam eandem ſeruet: ſi autem ratione temporis, uelut quia prius anticipauerit, declinationem ſignificat. Si rigor qui prius fuerat minuatur, & febris anticipet, cõſidera ſigna coctionis: quæ ſi adſint, uel uideas reliqua ſymptomata minui, morbus eſt in declinatione. Si adſint ſigna cruditatis, aut ſymptomata augeantur, ſignũ eſt quòd intermittens in continuam uertitur.

Sed ex his quæ mox apparẽt, hoc eſt quartũ indicium cognoſcendi tẽpora morborum & acceſsionum, quòd conſiſtit in ſignis ſuperuenientibus. ita enim interpretor ἐπιφαινόμενα, quoniam ſuperapparẽtia Latinè dici nõ poteſt. Igitur ſigna quædã morbis ſunt propria, quæ pathognomica uocantur: quædã aſsidentia, quæ morbi ſpecies declarant ſeu diſtinguunt: alia iudicatoria, alia quæ coctionẽ aut cruditatem oſtẽdunt, alia rurſus quæ mortem aut ſalutem pollicentur. omniumq; horũ in hoc Commento Galenus memi- Cap.13.
nit. Idem libro de Cõſtitutione artis Medicæ, declarat quæ ſint pathognomica: illa ſcilicet quæ morbo neceſſariò coniuncta ſunt: uelut laterali, febris, dolor, tuſsis, ſpirãdi difficultas, pulſus ſerrinus. hæc ſyndromẽ conſtituunt: ſunt enim tanquam partes proprij ſigni quarto modo. nam ex morbo laterali ſuper unũquodq; inferre licet: ex omnibus his ſuper morbum lateralem, non tamẽ ex uno uel duobus aut quatuor tantùm. Omitto miracula & mõſtra, quæ uelut in alijs rebus naturalibus, ita in medicina contingunt. Pathognomica igitur ſigna ſimul pro ſigno uno proprio accipies: ſeorſum autẽ pro proprijs, quæ omni & ſemper, nõ tamen ſoli conueniunt. Aſsidentia ſpecies morborum diſtinguunt: uelut ſi ſpuat cruentum aut tenue, aut omnino non ſpuat: aut dolor aſcendat ad claui culã, uel deſcendat ad hypochõdrium, uel talis ſit ut ſuper latus idem non poſsit decũbere: aut poſsit, ſuper aduerſo autem poſsit. De his tamẽ non cõſiderat hic Hippocrates, ſed ſolũ ut ſunt ſigna coctionis. Dicit ergo, quòd ſputum ſi circa initia ſtatim appareat, morbum breuiat: ſi poſtea, producit. Sunt enim in ægris, ut habetur primo Artis curatiuæ, quatuor præter Cap.8.
naturam: morbus, cauſa, ſymptoma, & ſignum. uerùm ipſe non ita diſtinguit. Certum eſt autem ita eſſe: quoniã tametſi ſymptoma cum ſigno plerunq; idem ſit, tamen quandoq; etiam inter ſe differunt, ratione autem ſemper. ut enim accidunt, ſymptomata: ut ſignificant, ſigna ſunt. Ergo ut de ſputo ſermonẽ habeamus, dicebat Galenus: 1. de Criſi
Sputum ab expuitione differt. quod enim cõcoctum eſt, neq; permiſtum bili aut ſanguini, neq; cap.5.
ſpumoſum, ſputum uocatur. Expuitio autem duplex: alia, in qua nil prorſus ex materia morbi educitur, ſed (gratia exempli) ſola pituita: alia, in qua educitur aliquid, ſed non cõcoctum. Et hæc rurſus etiam duplex eſt: aut ſolũ quod educitur crudum eſt, aut etiam prauum. Et prauum rurſus duplex: aliud ſimpliciter prauum, uelut flauum: aut etiam malignũ, uelut uiride uel nigrum. Sex igitur erunt differentiæ, ratione eorum quæ reijciuntur in morbo laterali. aut enim nihil prorſus reijcitur,

reijcitur, aut pituita sola: aut aliquid crudum simpliciter, aut crudũ & prauum, sed non malignũ: aut crudũ prauum & malignum, aut concoctũ. Duo primi modi pares sunt, & extremam morbi cruditatem nunciant, atq; ideo longitudinem. Tertius lõgitudinem, sed non tantam. Quartus longitudinem & mortem, nisi uires ualde robustæ fuerint. Quintus mortem certam, sed cũ uiribus robustis aliquanto tardiorem. Sextus salutem, & eo celeriorem, quo uirtus robustior fuerit. Inquit enim Hippocrates primo Epidemiorũ:
Comm.2. Sect.45. *Coctio celeritatem securitatemq; iudicij portendit. Ob hæc igitur hic subiũgit: Bonã morborum iudicationem, uel malam, uel breues aut longos fore morbos declarant.*

Verum dicet aliquis, Quomodo per initia & statim potest apparere sputũ? cũ sputũ sit res cõcocta: & initij morbi propriũ sit, nõ apparere signa cõcoctionis. Ideo dico, quòd Hippocrates nõ de initio morbi, prout est tẽpus, loquitur, cũ iam, ut diximus, hoc sit quod quæritur. Igitur non præsupponitur cognitum, sed de principio iuxta uulgi sensum, id est, in prima uel secũda die. Neq; etiã tũc potest apparere sputũ concoctũ. nã concoctio in phlegmone nõ fit, nisi in quarta die, exactis 72 horis, cũ celerrimè fit, ut experiẽtia uidemus: tardius aũt quantũlibet, citius autẽ nunquã. Vnde cũ sit opus mẽbrorum sibi assimilantium, ut colligitur à Galeno 1. Prognosticorũ:
Com.ult. *certũ est mẽbra non trãsmutare sanguinẽ in substantiã sibi similẽ, nisi in quatuor diebus. & tunc unio fit cũ mẽbris, & adhæret. Fit aũt prima cõcoctio in uẽtriculo in quatuor horis, ut in uitellis ouorũ uidemus: & hoc est initiũ. perfectio uerò,*
13.3.tract. 3.cap.8. *ut uult Auicenna, est à 12 hora ad 22. interim quod in uẽtriculo concoctũ est, cõcoquitur in iecore, adeò ut cibus iuxta centesimã horã uniatur ipsi membro, & fiat illi similis in colore & qualitate substãtiæ. Perfectio aũt similitudinis in substãtia tota est ualde uaria, pro ratione membrorũ. nam in carne fit celerrimè, nõ tamen ante aliquot dies: medulla uerò antequã in ossa cõuertatur, ut dicebat Galenus, numerosa cõuersione*
3.de Fac.natur.c.15. *indiget, & lõga mutatione. Cũ igitur dixit, sputũ esse quod concoctũ est: intelligit, quòd uestigia cõcoctionis habet. nã hoc prima die apparere potest, si materia tenuis, & maiori ex parte utilis fuerit, & non multa, & uires robustæ. & tunc, quia tempora sibi proportione respondent, media coctio in secunda die fiet, & in quarta erit iam suppuratum: quod est in abscessu, & expuetur, atq; ita erit morbus breuis, ac tutus. Describam autem exemplum ex Hippocrate 3. Epidemiorum, quod maximè est ad propositum, et multa dubia in se continet: recitaturq; à Galeno* Comm.3. Sect.79.
hîc in Commento. Sed ego perfectum Commentarium faciens, nolo ut quispiam aut in itinere, aut occupatus, alio libro opus habeat.

HIPPOCRATIS VERBA.

Abderæ Anaxion, qui ad Thracias portas ægrotabat, in febrẽ acutã incidit. dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat. tussim habebat aridã, neq; primis diebus expuit: sitibũdus erat, & insomnis: urinę boni coloris, multæ & tenues. Sexto die delirabat, fotibus nihil remittebatur. Septimo magis laborabat, quippe febris augebatur, nec sunt imminuti dolores: simulq; tusses infestabãt, difficulter etiam spirabat. Octauo cubitum secui, multũ (ut debebat) effluebat: leniores ibi euaserunt dolores, sed tusses aridæ permanebãt. Vndecimo febres fuerũt mitiores, aliquãtum circa caput sudauit, etiamnum tusses: durabant & quæ à pulmone exibant, liquidiora erant. Decimo & septimo cœpit pauca & concocta expuere: leuatus est. sitibundus erat, & à pulmone parum bonæ purgationes. Vigesimo sudauit, febre liberatus est. à iudicio rectius habuit. uigesimoseptimo redijt febris, tussijt, multa excreauit concocta, in urina multa subsidebant alba, desijt sitire, dormiuit. Trigesimoquarto toto sudauit corpore, cessauit febris, in totum iudicatus est. Hæc ille.

Abdera urbs Thraciæ erat, iuxta Nesum fluuium: cuius historiam sex ægrorum descripsit è sexdecim, quos ibi recitat. Ignobilem hunc fuisse constat. nam nobilibus familia adijci solebat, alijs ars: ut apud Xenophontem & Platonem, Simoni coriarius: uel pater, ut Eudemus Aristarchi: uel locus habitationis. Igitur Galenus in hoc Commento, habitabat: sed Hippocrates κατέκειτο, iacebat. Sed modus loquendi est, uelut si dicamus, æger ille ardente febri laborauit: id est, qui laborauit ardente febre, non quòd antea esset æger. Febris acuta, quæ solet abscessus interiores comitari: cumq; solum dependet ex materia putrescente intra abscessum, neque est ephimera, ut

55. mera, ut colligitur 4. Aphorism. talis enim sequi-
tur bubonas exteriores. neq; putrida continua,
cum materia sit extra uenas. In interioribus er-
go abscessibus duæ febres fieri solent. Altera in-
termittens natura sed per cõtinuitatem, et subin
gressus accessionum similis continuæ. Et ideo 1.
t.46. de Victu in acutis, loquẽs de morbo laterali, me-
minit frigoris pedum. non enim caret typo talis
febris, sed propter cordis propinquitatem habet
accessiones superingredientes & coniunctas, et
ita potest esse acuta. Alia febris cõtinua quæ nõ
est omnino necessaria, fit ex sanguine circum
abscessum in uenis putrescente : & hæc cessat
quandoq; ex sectione uenæ. quia ut habetur 2.
Com.10. de Victu in acutis, in sectione uenæ extrahitur
sanguis, qui est iuxta abscessum. hic enim tũ pro-
pter motum interceptum, tum propter calorem
humoris in abscessu putrescentis, putrescit: unde
fit febris continua. Si igitur humor qui est in ab-
scessu, fuerit abundans, febris intermittens fiet
ualida. Sin autem paruus abscessus, materia au-
tem circa illum multa, latebit febris intermittens
sub continua febre, nec typus dignoscetur. Cum
ergo uideris febrem continuam cum typo, & do
lorem in aliqua parte corporis, iudica abscessum
ibi esse, si dolor fixus fuerit. In uniuersum, bubo-
nas exteriores comitatur ephimera : abscessus
internos, intermittens : & eo magis manifesta,
quo materia fuerit frigida, pauca, & à corde re-
mota, absq; alia continua febre. materiam circũ-
iacentem, phlegmone: & maximè cordi propin-
quam, continua acuta, ut in morbo laterali plerũ
que, fermè autem semper utraq; dignoscitur.
Apparet autem, quòd tussis & dolor & febris
simul inuaserunt : aliter non essent signa patho-
gnomica. Sitis autem, & uigilia, & ariditas tus-
sis, sunt signa cruditatis morbi. Sicut & urinæ
tenues, febris initij, licet coloratæ. Dixit dolorẽ
fuisse in dextro latere, propter duo: ut intellige-
remus, cum secuit uenam, fuisse ex eodem late-
10. 3. tract. 4. cap. 1. re: et etiam quia Auicenna inquit, Lateralis mor
bus dextri lateris minus periculosus est, sed lon-
gior: sinistri breuior, sed magis letalis. Quòd au
tem dixit sitibundus, magnam sitim declarat, &
firmam, quæ potu non sedatur.

Quòd fotibus non remittatur dolor, magni-
tudinem abscessus declarat. Et ea fomenta sunt
Com.1. & 2.5. & 6. trium generum, ut 2. de Victu in acutis colligi-
tur: humidum, ex aqua in materia acuta: mor-
dens, in lenta, ut ex eruo & ordeo in aceto de-
coctis: & siccum, in tenui materia, ut ex milio
& sale torrefactis in uesica applicantur. Deli-
rium illud fuit paruum, 2. de Difficultate spiran-
di: aliter spiratio fuisset magna & rara.

Circa urinas duo adnotanda sunt. unum, Comm.2. Sect.6.
quod dicebat Galenus 3. Epidemiorum, Vrina
in morbis extra uenas, & in morbo laterali, ni-
hil significat ad salutem, etiamsi bona sit : ad
mortem autem magnum momentum affert, si
mala sit. Quod ad uenarum autem morbum at-
tinet, dicebat 1. Epidemiorum: Vrinæ tenues & Comm.3. Sect.27.
coloratæ morbum salubrem, sed tamen longum,
qualis hic fuit, declarant. Multitudo autem ea-
rum docet, quòd materia non est omnino cruda:
ut 4. Aphorismorum. & abundantiam humidi, 69.
cum acuitate caloris, in febribus.

Septimò magis laborabat, quia cuncta sym-
ptomata grauiora facta sunt : febris, dolor, tus-
sis, spirandi difficultas : quæ cum semper adsit
morbo laterali, dicebat Galenus 2 de Spiran- Cap.8.
di difficultate, existimandum tamen est, fuisse
maiorem quàm pro morbi ratione : siquidem
consueta & morbis propria prætermittere con-
sueuit Hippocrates. Augmentum igitur ex hac
die inchoauit, quòd quoad febrem, usque ad
undecimum mansit : ratione autem morbi late-
ralis duplex fuit : quo ad concoctionem mate-
riæ usque ad uigesimumseptimum, quo ad sym-
ptomata usque ad uigesimum. Cum enim mor-
bus sit compositus, nihil mirum si plures aug-
menti & status differentias contineant.

Octauò autem cum uenam secuerit (fuit er-
go in initio augmenti) ex eodem latere intellige,
ut 4. de Victu in acutis. Multum ut debebat
effluxit. dicebat Galenus 2. de Victu in acutis, Sec.73.
Quomodo effluat sanguis. nam si biliosus fue- Com.10.
rit, primùm rubeus, inde niger, ex loco abscessui
proximo effluit. Sed quia sanguis uix potest tan-
tum aduri ut sit niger, effluit liuidus. Si uerò san-
guis in corpore sit pituitosus, primùm flauus e-
xit, inde ex locis circumiacentibus abscessum
ruber. Cum uerò peruenerit ad mutationem co-
loris, tantum debes educere ut uirtus ferre posse
uideatur, antea uerò non debes sistere. Cum
ergo dixit, Multum ut debebat effluebat: intelle-
xit, ex sanguine qui iam colorem mutauerat. Ex
quo debes id animaduertere, quòd si sectio uenæ
fiat in initio morbi, debet fieri pauca, & sæpius
repeti, ad diuertendum : sin autem in augmento,
copiosa, nec debet repeti. Nã prima sectio diuer-
tit, hæc aũt educit materiam proximam abscces-
sui. Est etiam animaduertendum, quod Hippocra
tes hoc exemplum adiecit, ut Galenus docet in
Commento huius exempli tertio Epidemiorum,

ut significaret sectionem uenæ non prohiberi numero dierum, sed si morbus iam ad statum peruenerit. nam antiqui etiam ipsi, Hippocratis ætate, uerebantur sanguinem ultra quartam diem detrahere.

Dolores ex hac sectione cessarunt: id est, imminuti sunt. nam dolent partes sanæ, non ægræ: & quæ proximæ sunt abscessui, non abscessus. Igitur sublato sanguine partes illæ desierũt comprimi, & ita dolor. leuatus est. tusses tamen aridæ permanebant, quia materia cõcoqui nondum poterat. Galenus primo Epidemiorũ: Com.1.sec. 12. Quatuor sunt genera tußis siccæ. Primum, cum pulmo sola mala intemperie laborat, citra omnem materiam. Secundum, cum est sola asperitas in arteria aspera. atq; in his duobus casibus nec quicquam expuitur, nec appetit æger expuere: sed in secunda est punctio, in prima non. Tertium est, cum craßi ac lenti humores hærent pulmoni: & tunc homo appetit expuere, sed non potest: & si expuit, illud est modicum & crassum. Quartum, cum tenues & aquosi humores tussim excitant: & tunc licet sit tußis sicca, tamen aliquid semper exit cum tußi, sed paucum & aqueum. In his duobus casibus licet homo non expuat, multum tamen appetit expuere. Cessarunt igitur quædam symptomata, quædam non. Et ita ex auxilio potest prohiberi status symptomatum, saltem aliquorum.

Vndecimo febres fuerunt mitiores. manifestum est quod tunc morbus desijt esse acutus, & ita metam suam non exceßit. non desijt antea: quia licet materia circa locum detracta fuerit, tamen quia cõcoctio uigebat, febris augebatur. & ideò cum ratione detractionis sanguinis esset imminuta, ratione concoctionis aucta stetit febris usq; ad undecimam. tunc uerò incœpit augmentum morbi lateralis, quoad materiam, quia cœpit expuere liquida. nam principium coctionis fit in initio augmenti morbi, primo de crisi. Cap.8. Sudor autem ille fuit indicatiuus.

Lib.2.c.18. Nam, ut habetur à Paulo, in febribus pars materiæ tenuis, etiam ante coctionem expurgatur per urinas & sudores, & uomitus, tum per aluum. Cum igitur has partes natura prius expellere tentet ante coctionem, ubi expulerit, indicat quid factura sit, cũ totam materiam concoxerit, nisi casu uel ab imperito medico prohibeatur. atq; hæc est ratio indicationis. Sudauit ergo in 11. non crisis ratione, sed ut tale iudicium quod in 34 successit, expectaretur.

Decimo & septimo cœpit pauca & concocta expuere: tunc enim fuit finis augmẽti. quod declarant uerba subsequentia, Et à pulmone parum bonæ purgationes. Propterea Galenus legit primo de Crisi, Parum coctum seu imperfectè. Cap.18. Vt ut legeris, benè se habet sententia. nam in morbo laterali semper tempus augmenti conuenit cum tempore status: quia finis augmenti est idem cum principio status, ob partium materiæ diuersitatem: & ita status finis cum declinatione. Dum enim pars tenuis in abscessu suppuratur, mediocris tendit ad suppurationem, & crassa nondum incipit: atq; ita miscentur tempora. Quod non contingit in febribus simplicibus: quia materia est magis sparsa. Leuatus est, quia febres iam quieuerant, & materia tenuis eiecta erat. Inter undecimum & decimumseptimum enim febris quieuerat. Et ita à decimoseptimo ad uigesimum cuncta manserunt, ut in decimoseptimo: initium enim mutationis declarat. Sitibundus tamen remansit. hoc enim proprium signum est morbi non soluti, sed inducias dantis. De iudicatione P.4. Raró enim inuenies conualescentes sitibundos, id est, aßiduè sitientes, qui non recidant in morbum: cuius causam suo loco exponemus.

Vigesimo sudauit. fuit status morbi pẽdentis ex materia, quæ circa abscessum putruerat. Et licet ibi tantum esset, uaporibus tamen sparsis sudauit toto corpore. Et hic fuit finis febris, & materiæ eam faciẽtis: cuius initium fuit à prima die, augmentum in septima, status in 17. Rectius se habuit à iudicio, cum febri liberatus sit.

Vigesimoseptimo fuit initium status morbi lateralis, quod ad materiã attinet: ideò & in urina multa alba subsidebant, partim materia abscessus ad illa loca transeunte, partim uenis quod in ipsis est concoquentibus. Et sputum concoctum apparuit: ideò desijt sitire, quoniam natura minus laborabat. Dormiuit: signum & causa bona. Trigesimo quarto sudauit, scilicet liberatus à materia quæ in abscessu ipso continebatur. Febris igitur hæc, ut dixi, fuit febris abscessus, media inter putridam & ephimeram. licet tamen status hic 27 die cœperit, non tamen fuit longus, sed cõpositus ex pluribus partibus, iuxta partes materiæ: ideò à 27 ad 34 semper fuit Vide 5. Aphor.8. augmentum, status & declinatio. Et ita in alijs morbis, quorum materia sensim expellitur.

¶ Reuertor ad Aphorismi expositionem. inquit enim, Et urinæ. Hoc est quintum, à quo sumitur indicium longitudinis aut breuitatis morbi, ad instituendum uictum salutis aut mortis, ad curam suscipiendam. Neque plura generaliter

medicus potest considerare, quàm uel salutis aut mortis signa, ut sciat an debeat de cura se intromittere, ut dicunt: aut postquam susceperit, an æger seruãdus diuturno morbo, an breui, an breuissimo, an mediocri laboret, ut uictus rationem instituere sciat. Neq; enim alio indiget, uel etiam specie morbi exquisita ad salutem, si contentus generali ratione medendi, ut opus naturæ relinquat, uictum solum instituere uelit: aut concocta purgare, quemadmodum iubet Hippocrates. Sumitur igitur indicium hoc ab his signis coctionis & cruditatis, quæ sunt generalia omni morbo: sicut præcedens, quod de sputo fuit, à proprijs uniuscuiusq;.

Cap. 2. Quòd aũt non possint esse plusquam tria signa generalia, declaratur ex Galeno octauo Artis curatiuæ. Tria enim quibus constamus sunt: membra, humores, & spiritus. quod etiam ab Hippocrate dictum est in Sexto Epidemiorum. Tria igitur sunt ad reparandum necessaria: cibus, potus & aer. Tria igitur fient rursus excrementa: feces cibi, urinæ potus, halitus spiritus. Hic halitus cum ab externo aeris frigore cogitur, sudorem facit. ob id sudor fit magis nobis refrigeratis, quàm in summo ardore solis, aut exercitationis, aut febris. Feces igitur significant super dispositionem uentriculi & intestinorum propriè: id est, ut humoribus non commiscentur. Vt uerò habent immistum uel sanguinem uel humidum aqueum, significant supra iecoris etiam cauitatem & uenas mesaræi. Sed ut humores etiam admistos continent, possunt significare supra totum iecur non solùm, sed etiam supra totum corpus. Vt uerò pituitam permistam habent, & mucum supra intestina propriè, uentriculum & cerebrum. Quibus enim multa fluxio fit pituitæ à cerebro in partes inferiores, his plerunq; in excrementis pituitosa, & humores crudi mucciq; ipsi apparent. Vrinæ uerò coctiones in gibba iecoris, & in uenis, tum supra renũ uesicæ ac ureterarum uitia. Sed et alibi res hæc exquisitius docebitur. Sudores uerò supra coctiones quæ fiũt in uenis non solùm, sed etiã arterijs, & ipsis membris etiã. ideò plurimum possunt. Animaduertẽdum autẽ, Galenum Quinto de Locis docere, quomodo ex sudoris qualitate dignoscatur morbus, & maximè regius: & rursus quomodo sudor colligi debeat in strigili. colorem enim uariat, ut urina. In fine ult. cap.

APHORISMVS XIII.

SEnes facillimè ieiunium ferunt: Secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Minus adolescentes. Omnium minimè pueri, præsettim qui inter ipsos sunt uiuidiores.

COMMENTARIVS.

¶ Cum docuisset quæ præter naturam indicant rationem uictus, ut sunt morbi symptomata, tempora morborum, & accessiones: transit ad ea quæ naturalia sunt, uelut ætates, temperaturæ, anni tempora, consuetudines. Primò ab ætatibus, tanquam magis proprijs, quarumq; notum sit discrimen tam in re quàm in tolerantia ieiunij, exorditur: in quatuorq; ætates totum humanæ uitæ cursum diuidit. Nec sibi contradicit, qui hanc metam multis modis partitur, prout occasio exigit: ut neque si quis figuram multis modis diuiserit. Vnde & Iurisconsulti iudicem probant ordinariè, supra 18 annum: ut in l. Quidam consulebant, Vlpianus recitat. Alio modo pro excusationibus, ut in l. Αφίεται ἐπιτροπῆς, Modestinus ab anno sexagesimo. Et rursus pro condendis testamentis, alia lex præfinit quartumdecimum annum in masculis perfectum, duodecimum in fœminis, tanquam hæ prudentiores sint ætate prima: unde etiam coniugium celerius, atque eodem anno in his firmum est. Digest. de Re iudicata, Tit. 1. Dig. li. 27. Tit. 1.

Tot ergo genera diuisionũ in ætatibus, quot causæ diuidendi. Hippocrates igitur hàc in causa hominis uitam in quatuor ætates distinguit: Senium, consistentẽ, adolescentiam ac pueritiã. Dig. lib. 28. l. qua ætate. Tit. 1.

Licet autem sic facere, maximè ubi ordinatim res procedit, ut hic. nam constitutis modò uniuscuiusq; terminis, si libeat ætates in plures dissecare, semper ratio eadẽ seruabitur. Velut si puericiam diuidamus in infantiam usq; ad septem annos, & florem qui est à septimo ad quartumdecimum: qui in infantia erunt, minus cõmodè etiam ferent ieiuniũ, quàm qui in flore sunt. Et similiter adolescentiã in eã quam uocant efflorescentiam, scilicet usq; ad 18 annum: & uerã adolescentiam usq; ad 25: & iuuentutem ad 30 usq;: palàm erit, in iuuentute facilius toleraturos ieiunium, quàm in uera adolescentia: & in hac rursus, quàm in uocata efflorescentia. Vt sit tandem una ratio: Quo magis ortui propinqui sunt homines, eo difficilius ieiunium ferunt: quo remotiores, facilius. Manifestũ est autẽ, quòd hoc ad eundem hominem referri debet. nam Hippocrates secernit singulas indicationes, ut ueriores sint, & facilius explicentur. fieri enim potest, ut consistens mu-

lier sene uiro facilius ieiunium ferat, & pituitosus adolescens uiro bilioso.

Diuisit autem in quatuor ætates, ut sensile discrimen declararet. quamuis enim in senectute discrimen sit ferendi ieiunium: non tamen adeò magnum est, ut si in fine facilè ferat, difficillimè ferat in initio, sed nõ tam facile. Neq; infans, qui animo linquitur ob ieiunium, facilè tulerit in pueritia: sed etiamsi diutius ferat, delinquet animo. in adolescentia uerò satis commodè feret. Nec sunt cauillosè cõmittenda initia, subsequentia finibus præcedentibus, ut adolescentiæ initiũ fini pueritiæ: exiguum enim erit discrimen tolerantiæ, uelut & tẽporis: sed semper initia initijs, media medijs, fines finibus. Quo fit, ut inter ætates non continuas, maximum discrimen appareat, non solùm in hoc, sed etiam alijs, ut uulgo homines dicantur tẽperaturã & mores mutasse.

His igitur quæ necessaria esse duxi perceptis, primum quidem constituenda erit ætatũ magnitudo: ut uerò cõstituatur, ratio discriminis quærenda est. aut enim homo nondum absolutus est, idq; contingit usq; ad 14 annum, ut etiam leges uolunt, uocaturq; puer: in fœminis, ad 12 tãtum: soláq; hæc ætas in controuersiam non uocatur, ut neq; adolescentiæ initium. Est autem adolescẽtia, tempus totum quo homo crescit, dum iam est (ut dixi) absolutus: consistens ætas, dũ nec crescit, nec decrescit: senectus, dum decrescit. Cum uerò corpus necesse sit sub uno ex his quatuor modis constitui, palàm est, iuxta hanc rationem, nec posse esse plures ætates in homine, nec Hippocratem ullam quasi intermediam omisisse. Quamobrem tam iniustè à Galeno in hoc accusatur in Commẽto, ut manifestum sit, Galenum non assecutũ uerè Hippocratis mẽtem. Nam hac ratione constituta, non poterit humana uita in plures ætates diuidi. At iuxta hanc diuisionẽ uerius uariatur ratio ferendi ieiunium, quæ est eadem cum caloris magnitudine, & tenuitate substantiæ illius. quanto enim calor copiosior & tenuior est, eo difficilius ferunt ieiunium: quod seipsum absumat, & ipse accendatur & ferueat. Quomodo autem intelligendum sit hoc incrementum, an penes uires animi, an corporis, an molem eius? At de animi uiribus hic loqui, absurdum tam est, quàm etiam extra propositum. Vel igitur de corporis mole, uel de uiribus eius est intelligendum. At nemini hæc ratio perspecta esse poterit bene, nisi ei qui naturam caloris & humidi naturalis, quæ unum sunt re, intellexerit. Ergo calor hic ab initio maximus est, non multitudine (sic enim non augeretur) sed pro ratione corporis. in infantibus enim tota moles fermè humidum & calidum naturale est. Cum uerò augetur multitudine, non proportione (hoc autem toto tẽpore infantiæ & pueritiæ fit, tum adolescentiæ) Hippocrates non spectat discrimen iuxta hoc quod est esse perfectum in operationibus, uel non esse: quid enim ad illum hoc attinet? Sed quia, ut dicebat Galenus undecimo Cap.14. Artis curatiuæ, in pueris tanta fit resolutio insensibilis per poros, ut non indigeant, quamuis febrientes, uenæ sectione. Puella ergo ad annum usq; 12, masculus usq; ad 14, nihil resecant pro uenere & cõceptione: quia corpus eo toto quod assumit, indiget: ergo neq; sectione uenæ. Tales igitur ieiunium difficillimè ferunt. Adolescentes sequũtur, in quibus augetur calor absolutè, non tamen ita ut corpus eo indigeat toto. Ergo etiam minus indigent alimento, & facilius ieiunũ ferre possunt. Consistentibus calor nõ augetur simpliciter, nec minuitur: nec etiã proportione, quoniam magnitudo eadem est, & corpus sensibiliter non mutatur, uerè tamen proportione minuitur. Senibus tam simpliciter, quàm proportione corporis minuitur. Igitur sunt quatuor ætates, in quibus omnibus, iuxta proportionem ad corpus, calor & humidũ innata minuuntur: simpliciter autem in pueris augetur, & toto indigent: in adolescentibus augetur, sed non toto indigent: in consistentibus non augetur, non tamen minuitur: in senibus autẽ minuitur. Quibus intellectis, haud arduũ erit adolescẽtiã præfinire usq; ad perfectũ corporis incrementũ, quod à 25 anno usq; ad 30 extẽditur. Consistẽdi ætas à fine adolescẽtiæ ad 65, uel quinquagesimum: reliquũ totum senectuti mancipatur. Aetates omnes hæ quo magis producuntur, eo sunt longiores: ut senectus, consistentia: cõsistentia, adolescẽtia: adolescẽtia, pueritia. nisi quod, cũ pueritia in quodam defectu consistat, in debilibus natura lõgior est: pueritia, impotentia uenereorum, non incrementi magnitudine, ipsa adolescentia. Vnde tales non ante 14 annum desinunt esse pueri, 25 tamen adolescere desinunt. atq; his 45 senectus incipit.

Rectè inquam Galenus sexto de Tuenda sa- Cap.1. nitate inquit: Aetates non sunt, ut quidã faciunt, numero annorũ determinandæ. Quod ita intelligendũ est, ut non certũ annum definiamus: non tamen ut pueritiã in septimo anno, uel adolescentiam in quinquagesimo esse dicamus. Plerunque ergo, ut metã aliquam habeas ætatũ, pueritia ad 14, adolescentia ad 30, consistentia ad 50, senectus usq;

ctus usque ad mortem ab eo anno extenditur.

Humanæ autem uitæ spaciũ multis modis ab
c.14.&15. Hippocrate diuisum est, ut dixi, in ætates. Primò quidem, ut ad incrementum corporis cõparatur. & ita in duas tantùm, uelut in sequenti Aphorismo, & secundo de Humana natura, dum dixit: Quod crescit, calidum est, cumq; adolescit: cum autem marcescere incipit, & præcipitare,
c.19. cap.9. frigidum. Secunda diuisio est in tres ætates. Hippocrates in Quarto de Victo in acutis: & eam declarat Galenus libro de Sectione uenæ. Et est in puerilem, quæ nunquam admittit uenæ sectionem: & florentem, quæ semper: & in senũ, quæ quandoq; admittit, quãdoq; nõ, & ægrè etiã admittit. Tertia est in quatuor ætates, & est
Lib.3.Aph. 24. in præsenti loco ab Hippocrate inducta. Quarta diuisio est in sex, & habebitur infrà. Iuxta ergo diuersas rationes, diuersa diuisio conuenit. Senes igitur cum neq; crescant corpore, sed stent: nec calore, sed minuantur, calorq; crassus sit, & terrea substantia, facillimè ieiunium ferunt. contrà difficillimè pueri, quibus calor maximus, & substantia tenuis, & humidũ totũ ad incrementũ necessariũ, & ipsum incrementũ maximum. Quatuor enim, ut dictũ est, sunt differẽtiæ, quarũ una est semper alijs iũcta: scilicet facilis & difficilis resolutio, magnitudini & paruitati caloris: reliquæ tres quatuor constituunt ætates. Caloris constantia facit differre omnes ætates à declinante, seu senum: incrementum caloris facit differre adolescentiam & puerilem à reliquis. Necessitas totius caloris ad corporis incrementum, facit differre puerilem ab adolescentia, & omnibus alijs.

Sed cum dicat, facilè senes ieiuniũ perferre, quæritur quomodo intelligatur: an quia famem non incurrant? an incurrant, non tamẽ afficiantur? Si famem incurrunt magis, etiã magis affici necesse est corpora debilia & sicciora. Inquit
Li. 7. Aph. 53. enim Hippocrates: Famem humidis corporibus adhibere conuenit. Verùm qualiter intelligendũ sit, suo loco docebitur. Nunc satis sit ut intelligamus, minus affici ieiunio senũ corpora: quia etiã minus famem incurrunt. Vbi autẽ famem incurrant, certũ est magis, non solùm æqualiter lædi. nã uidimus plures sanos senes ex ieiunio in morbum attonitũ aut resolutionem incidisse: iuuenes autem, & pueros, solum in lipothomiam. Vtrum uerò ante famem lædantur, credendum est quòd non: quoniam adhuc sanguis adest nutritioni sufficiens, & pituita. Læduntur tamen quidam etiam imbecillitate quadam propria. Quare hæc, ut reliqua, de corporibus temperatis sunt intelligenda. nam biliosus senex deterius afficitur ieiunio quàm iuuenis, uel puer quicunq;: & præcipuè, si imbecille os uentriculi habeat, sitq; (ut Galenus inquit) picrocholus. Senes ergo in inedia diutius superuiuunt iuuenibus, & iuuenes pueris, etiam in sanitate, nedum in morbo. quod quia pulchrè à Poeta, licet materna lingua, descriptum est, Dante scilicet, ideò carmina subijcere libuit. Inferni cap. 33.

Posciache fummo al quarto diuenuti
Gaddo mi si gitto disteso a piedi
Dicendo, padre mio che non m'aiùti.
Quiui mori: e come tu mi uedi
Vidio cascar li tre ad uno ad uno
Tra'l quinto di e'l sexto: ond'i mi diedi
Gia cieco a brancolar soura ciascuno:
Et tre di li chiamai, po che fur morti
Poscia piu chel dolor pote il digiuno.

Nondum historiam Latinam aut Græcam huic negocio magis conuenientem inueni, seu quod Pisani barbaros omnes hac in re superauerint. Constat Gaddum triennem puerum fuisse, qui inter tertium & quartum diem fame perijt: reliqui, quanto adultiores, uitam diutius protraxere. Pater octo diebus, quoniam senex erat, superuixit. Exemplum sanè inauditæ crudelitatis.

Vt uerò sciamus ad quem finem Hippocrates hũc scripserit Aphorismum, intelligendũ est, in cibi meta quinq; esse obseruanda: qualitatem, substantiam, quantitatẽ, numerũ, ac tempus. longum sit si uelim repetere, ubi de unaquaq; parte loquatur: satis est hîc de numero loqui, ut pote si quis duobus aut tribus diebus perferre ieiunium poßit, an singulis diebus semel aut bis cibandus, aut etiam sæpius in acutis morbis. nam, ut aliâs dixi, de his principalis est hic institutio, quæ nihilominus ad aliorum regimen traduci potest. Quo cognito, liquet non de quantitate, sed in sequenti Aphorismo eum loqui. Si igitur senex mereatur ieiunium quatuor dierum, eum qui in ætate constituta erit, semel singulis duobus diebus nutriemus, adolescentem semel in die, puerum bis in die: atq; eadem ratione. quantitatem autem in sequenti Aphorismo intelliges. Quòd etsi senex lædatur ex tanta inedia, minus tamen cæteris lædetur: & incumbente graui periculo uitæ, læsio illa non erit consideratione digna. Quod uerò nos angit, est quæstio de senibus extremis, quos nutriendos frequentius existimant, Galeni authoritate Quinto de Tuenda sanitate. Ter enim, cum essent decre- Cap.4.

piti, cibum sumebant. Sed quòd id necessarium foret, declaratur. nam neq; raro, & parum: sic enim uirtus defecisset, præsertim munia obeuntibus: nam alter Grammaticus, alter Medicus fuerat: neq; multum cibum sumere poterant, ut in sequenti Aphorismo, seu sæpe, seu raro: calor enim suffocatur. Relinquitur igitur, ut senes ultimi sæpe & parum cibum sumere debeant. Iniustè ergo Galenus sugillat Hippocratem hic in Commento, dicens, Non esse intelligendum de ultimis senibus, sed solùm de primis. nam cùm de ægris loquatur Hippocrates, quamuis rarò et parum cibentur, eam noxam uirium contemnit Hippocrates in tanto periculo acuti morbi, præsertim quod (ut uidebimus) in senibus hi sunt periculosiores. Et cum neque munijs tunc subiaceant, & tempus (ut dixi) admodum breue sit, certum est famem illis longè serius aduenire, & eos multò minus ab inedia affici. Dum etiā sunt sani, uerū est senes hos melius tolerare inediam singulis uicibus: sed postmodum pauco cibo & bene nutriente alendi sunt. Quòd si dicas, Frequentem & longam inediam ægrius hi saltem ferent, quàm primi senes: neque hoc uerum est. sed bene non poterunt postea ita commodè nutriri. nam si parum dederis, nō restaurabuntur: si multum, suffocabitur calor. ergo non bene tolerabunt nutritionem, sed inediam facilius ferent. Aliud uerò est longè, non tam commodè nutriri: aliud, non ferre inediam. Iniustè ergo reprehenditur Hippocrates bis à Galeno in hoc Aphorismo, cū (salua authoritate tanti uiri) frustra quasi errantem exponat. Liquet ergo, quod Hippocrates nullam omnino prætermisit ætatem: & quod quæ in hoc Aphorismo dicit, omnibus senibus conueniunt: Et si ægri sint ultimi senes, acutoq; laborent morbo, modò sint temperie non admodum biliosa, diutius absq; cibo primis senibus detinendi sunt. Nec dum ualent, sunt sæpius nutriendi, quia ieiunium non facilè ferant: sed quia parum cibi coguntur assumere, ideo frequenter. Non ergo parum cibi dandum, quia frequenter nutriendi: sed frequenter nutriendi ob id, quia parum cibi singulis uicibus dare cogimur. Atque hoc est quod dixit Prin- 1.4.Trac. 2.cap.8. ceps, Cum fuerit uirtus debilis, melius est cibum spargere, quia facilius concoquitur. Non est ergo spargendus, & sæpius dandus, ob uirtutis debilitatem: sed quia ob uirtutis debilitatem parum dandum est cibi, ideò sæpius dandus est cibus.

Præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.) Hæc est quinta pars Aphorismi, in qua agit de indicatione, ut dixi, numeri dandi cibum. Circa quam scire oportet, quod res quæ considerantur à medico, sunt trium generum, ut sæpe dixi: naturales, non naturales, præter naturam. Naturales sunt sex: Elementa, temperaturæ, humores, membra, uirtutes, & operationes. Verùm ad quatuor reducuntur, elementa ad temperaturas: non enim medicus considerat elementa nisi propter temperaturas, nec operationes nisi ob uirtutes. erunt igitur quatuor: temperatura, humores, membra, & uirtutes. Non naturales autem sunt sex: Aer, cibus & potus, inanitio repletio, motus & quies, somnus & uigilia, & animi affectus. Præternaturales tres: morbus, symptoma, & causa morbi. Ex his quæ sunt non naturales, nullam præbent indicationem, quia tales possunt permutari: sed quæ possunt permutari ad libitum, non præstant indicationem, sed indicatio est permutatio. Et idec à rebus non naturalibus indicatio nulla sumitur, nisi ab aere. Causam narrabat Galenus nono Artis curatiuæ: alias causas permutare licet, aerem non licet. Igitur à nulla re non naturali licet sumere indicationem, nisi à solo aere. Relinquuntur igitur octo tantum, à quibus posšit sumi indicatio: quatuor naturales, tres præter naturam, & aer. Et licet causa morbi sublata, auferatur tam morbus quàm symptoma: non tamen eodem modo, sed manent indicationes singulorum quæ sub genere rei præternaturalis continentur. hæc autem alibi declarabuntur. Aer uerò cum sit res quam uitare non possumus, reducetur ad res naturales. Igitur prima genera eorum à quibus sumetur indicatio, erunt iam tantum duo: res naturales, & res præter naturam. At res præter naturam continēt causam & morbum & symptoma: res naturales cōtinebunt quinq;, tēperaturam, aerē, humores, membra, & uires. Iam uerò hæc duorum sunt generum. quædā per se indicāt, & sunt uires: quædam non per se, & sunt reliqua quatuor. Sunt igitur rursus tria genera, quæ indicant quædam per se, ut maneant, & sunt uires: quædam non per se, & sunt illa quatuor: sed humores ad temperaturam reduci possunt, & de membris est consideratio generalis. Primùm igitur & per se uirtus consideranda, deinde temperatura & aer in ordine ad uirtutē, tertium res præter naturam, ut remoueatur. Sed res præter naturam in tria diuiduntur, ut uisum est: in morbi naturam, & illius tempora, & accessiones. Cap.14.

Vniuersa

Apho. seq. & lib. 2. Aphor. 5. Vniuersa igitur à quibus sumitur indicatio, erunt quinq;: morbi natura, tẽpus, accessio, uires, & accedentia: quæ, ut dixi, sunt duo, aer & temperatura. At sub tẽperatura continentur ætas & cõsuetudo, de quibus aget infrà. nam cibi, potus, naturam efficiunt aduenticiam, ut 3. de Causis puls.
Cap. 2. Igitur erunt tria hæc: ætas, consuetudo, & temperatura. Sub aere continetur tẽpus anni, & locus: sed ipse hæc duo miscuit, tanquã cuiq; ut soli scriberet, utpote solis Græcis. Fit igitur ut sint præcipuè decem, à quibus sumatur indicatio: causa morbi, morbus, tempus morbi, symptoma, accessio, tempus anni, temperatura, consuetudo, ætas, & uires. Cum igitur de morbo & tempore morbi, & accessionibus et symptomatibus, ac uiribus, tanquam principalioribus methodum tradiderit: reliquum est, ut de omnibus alijs quæ relinquuntur, dicat Hippocrates: & primò de duobus principalioribus, temperatura & ætate. At de ætate iam dixit, restat igitur ut de temperatura agat.

Vt ergo ad rem deueniam, uiuidiores minus perferre possunt famem. atq; hoc in tribus consistit: quia celerius famem incurrunt, & maiorem etiã, & magis ex tolerantia læduntur. hæc enim omnia, ut de duobus etiam diximus, in his in unũ concurrunt. indicatio uerò est de numero cibationis, non de quantitate. Per uiuidiores, alacriores, προθυμοτέρους. hi sunt natura calidioris cor-
Cap. 29. dis, ut in Arte medica Galenus docet. In his calor absumit uehementius, & corporis substantia tenuior est. Nec solum in pueris hoc, uerùm in alijs etiam ætatibus, & multo magis est obseruãdum. Qui enim senes tali natura præditi sunt, ut materia biliosa ad os uentriculi confluat, ijs uitæ magnum periculum est, ob famis tolerãtiam.
Cap. 6. Narrabat Galenus 5. de Locis, de quodam Grãmatico iuuene, qui cum famem patiebatur, comitiali morbo corripiebatur. Sed iam, ut dici solet, sub digitos reducamus: fingamusq; quatuor eiusdem temperaturæ ægros, sed diuersæ penitus ætatis, infantem, adolescentulum, uirũ & seniorem, laborare eodem genere morbi acuti, et pro qualitate ætatis æqualiter grauis, ita ut morbus salubris sit, & finem habiturus in quinta die: sit uerò cruditas in singulis tanta, quæ per diem unum, etiãsi morbus non adesset ullus, à cibo nos per unam diem prohibeat. Senem igitur per integram inediam usq; ad quintam, & iudicium exactum seruabimus: uirum, sub finem secundæ diei cibabimus, nec postea, nisi exacta quarta: adolescentulũ eodem modo, & sub initio quartæ diei iterũ: infantem primùm sub initio secundæ diei, & ita in initio singulorum sequẽtium dierũ: sicq; omnes seruabũtur, qui peruerso ordine omnes interirent. Rursus eodẽ modo, sed mitiore morbo laborent omnes, ita ut seni cibus sub initio secundæ diei & quartæ exhiberi possit: uiro quidẽ dabimus in initio secundæ & tertiæ & quartæ diei, ut ter cibum assumat, & sub uigore morbi diutius abstineat: adolescentulo aũt in secundo diei initio primùm, pòst ante initium tertiæ diei duab. horis, et ante initiũ quartæ diei horis quatuor, et ante initiũ quintæ diei horis octo: atq; ita quater cibũ accipiet. Infanti aũt sub initio secũdæ diei, et in medio: atq; ita usq; ad quintam, in cuius initio tantũ cibum accipiet, atq; ita septies.

Sanorum autem ratio non eadem erit. aliud nanq; est ferre posse, & cõuenire, ut etiam in ultimis senibus diximus. Nanq; infanti, ut ab illo incipiam, conuerso ordine quo in ægris fecimus, ter in die cibum dare conuenit, ut elici potest ex
Galeni dictis 1. de Tuen. sanit. adolescenti bis, & Cap. 10.
uiro ac seni: sed ultimo seni, dixi ter conuenire,
ex Galeno 5. de Tuenda sanitate: sicut bis cæte- Cap. 7.
ris, 6. eiusdem. Discrimen autẽ inter hos, sequenti Aphorismo docebo.

Neq; uerò obstat, quòd senes habeant frigidum uentriculum, uenas angustas cum pauco sanguine. nam qui tales sunt, natura inæqualitatem quandam sortiti, et celerius famem incurrunt, ut
in Arte medica Galenus docuit: et magis à ieiu- Cap. 63.
nio læduntur, ut 2. de Temperamen. habetur. At Cap. 4.
senibus hæc simpliciter adsunt, non in comparatione partium inuicẽ. neq; enim solum uenæ strictæ sunt, & sanguis paucus, & uentriculus frigidus: sed corpus uniuersum frigidum, arteriæ angustæ, & bilis pauca.

APHORISMVS XIIII.

QVi crescunt, plurimum habẽt calidi innati. plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus uerò parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent: quia à multis extinguuntur. Hanc etiã ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

COMMENTARIVS.

Qui negãt hos Aphorismos esse continuos, uenia digni non sunt: quandoquidem ita sibi inuicem coniungantur, ut unius orationis uicem gerant. Quod quidẽ cum clarè in singulis uideatur Aphorismis, in hoc tamẽ euidẽtius manifestũ fit.

Etenim cũ Hippocrates in ſuperiore Aphoriſmo docuiſſet numerum dandi cibum per ætates, in hoc multitudinem eius declarat. Nec mirũ quòd in duas hic tantũ diſtinguat ætates, in ſuperiore in quatuor. nã numerus certis limitib. cõtinetur, & inter eos pauci termini ſunt. ideo & præfinita ratio numeri cibãdi, & differẽtiæ ætatũ præſcribi poteſt: at in multitudine cũ ſit quãtitas continua, quæ in infinitũ diuiditur, nec multiplex diuiſio ætatũ, nec certa cibi mẽſura poteſt conſtitui. Hic tamen Aphoriſmus ratione præcedentis adeò docet, ut quaſi cõmentarius illius uideatur. Cum enim dixiſſet in præcedẽti, pueros difficillimè ferre ieiunium: inquit hic, quia qui creſcũt, plurimum habent innati caloris, plurimo igitur indigent nutrimento. aliter, ſi tu non dederis, corpus abſumitur. ſenibus uerò cũ paruus ſit calor, ideo pauciore alimento egent: à multis enim cibis calor extinguitur. Manifeſtũ eſt igitur, quòd quanto calor maior fuerit, tanto plus de cibo dandum eſt: & quanto minor calor, tãto minus. Sed quia maius & minus trifariã intelliguntur, aut ſimpliciter, aut in cõparatione ad corpus, aut pro uice: dico quòd ſimpliciter non eſt uerũ, nec ſic intelligitur ab Hippocrate: quia calor ſenilis, intelligẽdo de primo ſenio, maior eſt calore infantis nuper nati, propter corporis magnitudinẽ. Cum enim calor à tẽpore natiuitatis uſq; ad tẽpus quo cõſiſtit ætas, ſemper augeatur: manifeſtũ eſt, eo tẽpore illum eſſe maiorem quàm in tempore natiuitatis, & multo maiorem. quare in uiridi ſenecta maior eſt calor quàm in infantia. Simpliciter ergo plus debetur de cibo, ei qui in fine eſt adoleſcentiæ, quàm ulli alij. Deinde & conſiſtentibus, & pueris, æqualis: & ita infantibus & ultimis ſenibus æqualis propemodum. At in comparatione ad corpus, plurimis infantibus, & ita ſemper minus ac minus procedendo per ætates, uſque ad extremum uitæ: quia ſemper calor fit minor in comparatione ad corpus. nam pueri, & maximè infantes, ſunt toti pleni à capite uſq; ad pedes calore & humido naturali: adoleſcẽtes minus, uiri minus. in ſenibus uerò calor non ſolũ decreſcit in cõparatione ad corpus, ſed ſimpliciter. Quo uerò ad cibum, ſingula uice: quia, ut uiſum eſt in præcedenti Aphoriſmo, ſæpius alendi ſunt infantes, minus debent accipere pro uice, ita tamen, quòd in circuitu 24 horarum cibus infantis ſit maior cibo ſenis, & fermè æqualis cibo adulti & uiri: ita tamen, quòd cibus infantis in plures partes & minores ſit diſtributus.

Per hoc ergo quod dixit, *Quòd qui creſcũt, plurimum habent caloris innati: duo intelligit. unum, quòd ab initio natiuitatis uſq; ad tempus cõſiſtendi cibus debet perpetuò augeri, loquẽdo de augmento ſimpliciter. alterum, quod à principio natiuitatis uſq; in finẽ uitæ cibus debet diminui, in comparatione ad corpus. Ex quibus ſequitur, quòd difficultas illa de caloris magnitudine, in comparatione ad pueros & iuuenes, in qua tantum laborat Galenus in libro contra Lycum, eſt nullius utilitatis. Sufficiat nobis dicere, quod ipſemet docet 1. de Facultatibus naturalibus, corpora eò uſq; creſcere, donec ad ætatis uigorem peruenerint. Eouſq; creſcunt (dico in longitudine & latitudine) manifeſtè uſq; ad 21 annum: deinde à 21 ad 30 manifeſtè in latitudine, occultè in longitudine: deinde à 30 uſq; ad 40 in bene cõſtitutis occultè in latitudine, & nõ in lõgitudine. & hoc eſt tempus conſiſtendi: quia corpus nõ poteſt diu manere ſine incremento & decremento. ultra ergo corpus decreſcit, diminutio tamen nunquã eſt manifeſta in corpore, quia partes ſolidæ ob terream ſubſtantiã parũ magnitudine diminuuntur: ſed ſi põdere examinarentur, detracta carne appareret diminutio. In pueris ergo, ut uno uerbo abſoluã, calor innatus pro portione corporis eſt maximus in quantitate. Ex quo ſequitur unũ pulchrum in operatione, quod etiã expertus ego ſum: ſcilicet quòd pueri cum ægrotant, ſi eorum extrema frigeſcant conſtanter, & maximè pedes, proculdubio moriuntur. Et ratio eſt, quia maximè remouentur à propria temperie. dixi tamen de conſtante frigiditate: & non ſolùm moriuntur, ſed proximi ſunt morti. Sed de differentia caloris in qualitate inter iuuenem et puerum, reſpondeo, quòd ſunt ſimiles, & fermè æquales. nam exacta æqualitas ad Medicum nõ pertinet, tum quia differentiam non facit in medendo: tũ etiam, quia medicus eſt artifex ſenſitiuus, qui nõ cognoſcit exactã æqualitatem: nullus enim ſenſus, neq; uiſus, qui adeò ſubtilis eſt, cognoſcit exactam æqualitatem: multo minus, nec ratione ulla, quandoquidem initium demõſtrationis conſtaret in ſenſu: & ratio illa Auicẽnæ, quòd nihil aduenit puero uſq; ad iuuentutẽ, propter quod calor debeat augeri uel minui, manifeſtũ eſt quòd concludit de æqualitate ſenſili, & non exquiſita: & ſimiliter Galenus 2 de Temperamentis, idem concludit. Sunt enim dicta bonorũ authorum intelligẽda, ut uera ſunt, & ad uerũ ſenſum retrahẽda, et nõ quærẽda occaſio illos dãnandi, quod eſt primum uitium: aut pertinaciter inhærendo malè intellectis autoritatibus, ueritatem oppugna-*

Cap.7.

1.1. Doct.3. cap.3.

Cap.2.

oppugnare. in quibus uitijs uersantur fermè om-
nes authores nunc: ut uideantur sapientiores, ni-
mis anxiè oppugnãt ueteres: uel pro illis stantes,
obnixius pugnant contra ueritatem.

Ad rem reuertor. Calor innatus ab initio na
tiuitatis usq; ad uirilem ætatem remanet æqualis
in gradu qualitatis suæ, iuxta sensum: sed in infan
tibus est humidissimus & aqueus, in uiris siccis-
simus & igneus. Ideo pueri qui in febribus siccũ
calorem ualde habent, sunt ualde periculosi: quia
multum à proprio temperamento recesserunt. in
pueris autẽ adultis & adolescentulis est aereus
& moderatus, & ideo sunt tum formosissimi, et
ad tactum suaues, & spiritus eorum bene olet: et
sunt læti, iucũdi, prompti, memores & ingeniosi,
quia sunt in extremo temperantiæ sui caloris cũ
humido et sicco. Et hoc est quod uoluit Galenus
hic, & 2. de Temperamentis, ut superius dixi-
mus: & in libro contra Lycum, & alibi, ubicun-
que loquitur de hoc. nam est sibi concors semper.

Quid autem sit calor innatus, à quo planum
est fieri hanc resolutionẽ, multi dubitarunt: quo-
niam Galenus quandoq; capit partem pro toto:
Cap.9. & 5. de Simplicibus medicamentis, ubi innuere
uidetur quòd calor influens sit innatus. uerùm si
quis eam authoritatem diligenter consideret, cũ
subijciat hæc uerba: Tum in spacij inanibus non
paruam ipsius spiritus innati substantiam, imò po
tius uelut materiam quandã leuiculam, mutatio-
nem exposcentem ad innati spiritus generatio-
nem, nihilo tamen secius ad naturalia opera con-
ducentem. ex eo loco ueritas ipsa elucescet: ut sit
ipse calor naturalis aggregatum ex influẽte qui
est in sanguine spiritu, & eo qui est in membris.
& generaliter calor innatus est, quicunq; calor
stat cum sanitate: ut excludamus eum qui fit ab
aere, à febre, à laboribus: includamus uerò eum
qui est acquisitus ex diuturna consuetudine. Li-
Cap.6. cet Galenus 3. de Causis pulsuum, uideatur ex-
cludere acquisitam temperiem: quod iure fieri
non potest, cum consistat non in noua caloris
substantia, sed in qualitate noua, substantia au-
tem innata. Ideo, tametsi Galenus rectè dixerit,
melius tamen est per calorem naturalem intelli-
gere totum humidum corporis, quod per se cali-
dum est, siue in membris, siue in uenis aut arte-
rijs contineatur, cum qualitate constante, qua-
liscũq; sit, seu naturalis ex toto, seu acquisita per
longum usum, seu etiam esset à febre hectica, dũ
modo esset fixa: nam penes hũc totum calorem,
& multum consumit, aut parum: & ut magnus
est, aut paruus, Hippocrates iubet cõstitui uictus
rationẽ. Dictum est enim quòd per ea uerba,
Qui inter ipsos sunt uiuidiores, etiam
temperaturam includit. & sic sermo est clarus:
Hunc calorem Galenus quarto de Causis pul-
suum docebat esse in corde, & transmitti in
cætera membra, & maximè in læticia, & simi-
liter in uerecundia, in ira etiam: & nõ solùm per
spiritum & sanguinem, sed ipsam membrorũ u-
nitatem, ut apparet in arterijs quæ mouẽtur per
uim à corde acquisitam. Est tamen sciendum,
quòd (ut habetur in Arte medica) quodlibet mẽ Cap.9.
brum per se habet quendam calorem innatum, et
uim qua nutritur & uiuit, etiã secluso corde: sed
eã uitã diu retinere nõ potest illo extincto, 5. de Cap.2.
Locis. Ita ut calor naturalis in mẽbris sit cõposi-
tus ex tribus calorib. calore proprio, calore trãs-
misso à corde per uenas et arterias, et calore sub
stãtiæ cordis. et ideo à toto hoc cõposito fit reso
lutio in corpore. Cum aũt dixerit innatũ ca-
lorẽ Hippocrates, declarabat Galenus 1. de Na- Com.2.
tura huma. quia nõ solũ tẽpore Hippocratis, sed
etiã Erasistrati (qui fuit abnepos Hippocratis, et
nepos Aristotelis) multi existimarũt, et etiã ipse
Erasistratus, calorẽ nostrũ esse acquisitũ, et non
innatũ: sed re tamẽ istæ opiniones parũ differũt,
licet Galenus reuocet suo more, quantũ potest,
suos præcessores in errorẽ. dicitur enim innatus,
quia à natiuitate, et perpetuus. dicitur acquisitus,
quia à cœlo habetur, ut ab Aristotele 2. de Ge- Cap.3.
ner. animal. sicut dicimus etiam Mundum spon-
te esse, quia perpetuum: & pendere à Deo, cuius
est imago.

Alioquin corpus absumitur.) Quo
modo absumatur corpus, et à quo, et quid sit, nũc
docendũ est. Dicebat Galenus in lib. de Marco-
re: Nõ absumitur corpus à calore naturali, uelut
ligna à flãma. hoc enim uerius diceretur de calo- Cap.3.
re febrili: sed, ut dictũ est 1. de Tuenda sanitate,
bifariã contingit. primùm quidẽ, cũ necesse esset Cap.2.
membra humida siccari, ut propriò officio fungi
possent, necesse fuit ut calor siccãs adderetur, qui
et igneus est. Aliam causam addidit fluorẽ mate
riæ, quæ dissipatur, cuius loco aliã reparari neces
se est, quæ cibo et potu restauratur. Verùm locus
ille non satis cõstat, cum hanc resolutionem pro-
priam animalibus faciat, quæ tamen communis
est etiam stirpibus. Sensus ergo uerus est, quòd
omne quod uiuit, siccatur et absumitur, licet u-
trunq; euidentius sit in animalibus quàm in plan
tis. Siccitas est ineuitabilis, & fit ab aere am-
biente, sicut docebat Auicenna prima primi:
cuius rei indicium est, quòd etiam lapides Doc.3. c.3.
et terra

& terra siccantur: in animalibus uerò & plan-
tis hæc sicc,tas fit à calore cœlesti, etiam præter
aerem, & magis in animalibus quàm in plantis
propter motum: & propterea animalia sunt bre-
uioris uitæ quàm plantæ, & plantæ minus du-
rant quàm metalla aut lapides. Et si quis obij-
ciat, quòd illud quod mutat, est extra id quod mu
Com.24. tatur, uelut 4. Cœli dicebat Auerrois: Respon-
deo, quòd calor innatus cũ sit cum motu, est ex-
tra membra. Sed resolutio fit tota à calore inna-
to, & in animalibus sanguineis uehemens & ce-
ler, & ob id restauratione indiget corpus. Quo-
Cap.5. modo autem absumatur, dicebat Galenus in li-
bro de Marcore, si tu disseces corpus animalis
mortui ex fame, inuenies membra externa ma-
gis siccata et macilenta, & etiam interna, sed nõ
tantum. Iecur autem & cor pinguia: cor quidem
propter robur attrahendi, iecur autem propter
sanguinis multitudinem. Dico, ista sunt uera:
uerius etiam est, quòd in fame nihil est quod cele
rius absumatur uentriculo. & hoc propter tres
causas. Prima, quia uentriculus tunica interiore
nutritur ex cibo, qui in dies absumitur, ut habe-
Cap.13. tur 3. de Facultatibus naturalibus. Secunda, quia
habet sensum famis solus, à quo si cibo frustre-
tur, uehementer absumitur. Tertia, quia cogitur
indies concoquere cibum toti corpori, & est te-
nuis substantiæ & exanguis, & ideo multũ læ-
ditur. Ex quo sequitur, quòd qui habent uentricu
lum debilem, & uirtutẽ appetendi ualidam, si mi-
nus cibi assumãt quàm debeant, uehementissimè
læduntur. hæc igitur incommoda sequuntur eos,
in quib. magnus est calor naturalis. etenim quan
to maior est calor naturalis iuxta corporis pro-
portionem, eo magis corpora augentur: quare bi
fariam omnia talia corpora læduntur.

Vtrum uerò calor ille naturalis possit augeri
iuxta corporis proportionem? Dico quòd non:
aliter esset retrocessus in ætatibus. Licet Gale-
Cap.2. nus uideatur 2. de Tuenda sanitate, id sentire, dũ
inquit: Ex exercitatione calor innatus augetur,
cuius incremento attracto, & concoctio & nu
tritio meliores euadunt, solidaq; molliuntur, ape
riũturq; meatus, humidumq; attenuatur, ex quo
totum corpus perfunditur. Quæ sententia etiam
Cap.2. habetur in lib. de Renum affectib. Atq; hæc om-
nia uera sunt. at non tamen ita intelligendus est
Galenus, ut credamus ipsum uerè augeri, sed po-
Cap.8. tius conseruari. nam se ipsum declarauit 1. de Tu
enda sanitate, cum dixit: Moderatæ exercitatio-
nes tum animi tum corporis innatum calorem cõ
seruant, propterea Aesculapius optimè cantile-
nas instituisse fertur. Conseruatur etiam propriè
motu pulsus: natura enim id instituit, ob idq; fa-
ctus est, ut 4. de Differentijs pulsuum habetur. Cap.2.

Cum igitur dicimus calorem innatum augeri,
non simpliciter intelligendũ est, sed bifariam: aut
iuxta corporis proportionem, & hoc nunquã cõ
tingit: aut quo ad opus, & hoc cõtingit sæpe. Sed
quo ad opus, etiam bifariam: uel opus tantùm, uel
etiam substantiam simpliciter, & horum utrũq;
euenit. Quo ad substantiam igitur, calor natura-
lis augetur primũ ex cibis & potib. generaliter,
dum ætas admittit, ut in hoc Aphorismo. Item ab
exercitatione, ut superius dictum est: tertio à so-
mno, ut in sequenti Aphorismo. Quo uerò ad o-
pus tantùm, augetur generaliter ab ira et uerecũ
dia, ut habetur 2. de Tuenda sanitate. Verùm, in- Cap.9.
quit, in uerecundia uerè augetur, in ira aũt non,
sed solus feruor. Secundò, augetur medicamentis
calidis, 3. de Temperamentis, & dabat exẽplum, Cap.1.
uelut de lignis siccis appositis iuxta paruũ ignẽ,
quæ illum reficiunt. Tertiò, ob contractionem
caloris ob frigus, & ideo pati moderatum frigus
tẽpore hyemis circa extremitates in corpore be
ne temperato, nec tamen tam diuturnum ut fri-
gus calorẽ uincat, est adeò salutare, ut nihil me-
lius. Debet autem adhiberi mora & magnitudo
frigoris unicuiq; iuxta propriam qualitatem tem
peramẽti, ætatis, roboris, bonitatis sanguinis, cõ-
suetudinis, densitatis texturæ: & sit frigus om-
nino siccum, non humidum. Et ideo dicebat Ga-
lenus 3. de Temperamentis, quòd calor naturalis Cap.4.
contractus ad uiscera bifariã augetur, tum pro-
pria substantia, quæ ualidior est facta ob unionẽ
partium & densitatem, & quia confirmatur cõ-
coctio. Augetur quoq; tollentibus ea quæ oppri-
munt, & sic expulsione excrementorum. Est e-
tiam alius modus singularis augendi calorem na
turalem in uno mẽbro singulari, & uerè potest
augeri in uno mẽbro: quia maior est calor in cor
de quàm in quocũq; alio membro. itaq; in illo mẽ
bro augetur per appositionem emplastri, ut 5. Cap.6.
de Simplicib. medicament. & ita per uerberatio-
nem cum picatione, ut 14. Methodi. Scire au Cap.16.
tem conuenit, quòd omnia quæ calorem natura-
lem augere possunt quo ad opus ubi deficiat, ue-
lut in conualescentibus, in nimio labore extenua
tis, aut fame aut uigilia, aut uenere aut immodica
effusione sanguinis, in his uerè possunt augere ca
lorem quo ad substantiã, non solùm quo ad opus:
sed non dicitur uerè augmentum, sed potius
restauratio.

In uniuersum igitur calor naturalis quadrifa-
riam po-

riam potest augeri, uerè quidẽ & simpliciter tribus modis, quarto autem quo ad opus tantum, ut dictum est. Ex his tribus modis primus fit simpliciter, non in proportione ad corpus, & est incrementum proueniens ratione ætatis in pueris & adolescentibus usq; ad tempus cõsistendi: reliqui duo modi sunt augmenti substantiæ caloris uerè simpliciter, & in proportione ad corpus: sed uel sunt in membro singulari uelut in uentriculo, uel in corpore non se habente secundum naturam, sed casu aliquo extenuato.

Hic aliquis posset dubitare, cur in senibus nõ fiat incrementũ caloris naturalis? & ad hoc re-
Doc. 3. c. 3. spondet Auicenna prima primi, quòd iam concoctio facta est debilior: et ideo quòd restauratur, est frigidius quàm quòd consumitur: ergo calor non potest augeri. Et hæc est propria per se causa, cur non detur retrocessus in ætatibus. Causa uerò huius, scilicet cur necesse sit ut corpus perueniat ad hanc frigiditatem & imbecillitatem, propria & per se est, quia calor semper minuitur in proportione ad corpus: ergo necesse est, ut sicut ab initio fuit maior quàm pro portione, ut fiat quandoq; æqualis, & quandoq; minor: ergo tunc non concoquet nutrimentum æquè perfectum pro sui restauratione. Causa uerò cur semper minuatur in proportione ad corpus, ab initio usq; ad finem, propria & per se est, quia calor ille remouetur à suo principio: & etiam quia pars terrea remanet, & semper augetur, aliter membra non haberent soliditatem suam, & ita non essent idonea operationibus, sed essent sicut elemẽtum fluidum. Et hanc causam tetigit Galenus in
Cap. 4. lib. de Marcore, & 2. de Temperament. Sci-
Cap. 2. iuxta princip. re tamen decet, quòd membra seminis generatiua aliquando generant semen bonum, etiamsi homo senescat: quoniam cum sint mollia & humida, & non (ut dicunt) organica, non siccantur; sed semen bonum producunt. Ideo contingit aliquos generari à senibus, & esse robustos, quoniam membra generationis sunt bene tẽperata. Alij autem cum sint iuuenes, generant imbecilles, quoniam membra generationis sunt debilia. adolescentes autẽ semper debiles generant, quoniam membra generationis cum sint ualde humida, in his sunt humidissima, & ideò nullarum uirium. Cur autem aliqui una ætate crescant multum, alia non, & tamen quando crescunt sunt adultiores, & ideo iuxta rationes assignatas deberent minus crescere, quia calor naturalis est minor in comparatione ad corpus: causa est, quoniam calor naturalis quanto maior est in comparatione ad corpus, incrementum etiam est maius: sed oportet ut non suffocetur à superfluo humido, nec impediatur. in his ergo alterũ horum necessariò contingit. Ideo qui tardè crescunt, sunt diuturnioris uitæ. Ponamus ergo, sicut mihi contigit, quòd aliquis crescat parum usq; ad 15. annũ, eo anno & sequenti plurimũ crescat, deinde rursus parum: Dico, hic erit humidæ & frigidæ tẽperaturæ, uel impeditus, & propter hoc ante illud tempus non creuit: & parui caloris naturalis, unde citò finitur incrementum. Et si cum hoc tardè pubescat, erit temperatus in qualitatibus. Ideo fieri potest ut aliquis habens calorem naturalem ualidum, sit malæ temperaturæ. Et etiam contrario modo.

Sed quid sequitur incõmodi ad hanc consumptionem corporis, factam propter famem & paucitatem alimenti? Respondeo. Galenus 10. Artis Cap. 11.
curatiuæ dicit, quòd in febribus et alijs causis cõsumẽtibus, primùm absumitur pinguedo, inde caro, inde solida. & dabat exemplũ de suibus assatis. Dico ego, quòd si consumptio non processerit nisi ad pinguedinem, corpus nihil patietur, nisi malum habitum: si uerò ad carnes, iam fiet imbecillius ad coctiones. sed si ad solidorum substantiam iam perueniet, ad senij tabem. & ideo non solum erit obnoxius causis externis, ut in primo casu: & etiam prauè concoquet, ut in secũdo: sed omnino tabescet, & erit imbecillium uirium, & breuioris uitæ. Damna uerò quæ sequũtur extinctionem caloris, factam ex assumptione cibi copiosioris in senibus, sunt cruditates, scirrhi, et plerũq; aqua intercus. His tamẽ facilius succurritur ab initio, quàm incommodis inediæ. Et maximè, quia inedia persæpe febrem parit ex inflammatione caloris naturalis: quãuis Galenus hanc solam causam prætermiserit, ut uel quæ raro accidat, uel quæ cibo assumpto cesset. Adnumerare tamen inediam uidetur inter concausas. Suffocatio tamen caloris naturalis mortem repentinam afferre potest. Quia uerò dictum est, pueros habere maiorem quantitatem caloris naturalis in comparatione ad corpus, & perfectiorem illius substantiam: perfectio tamen operationum non pueris, sed iuuenibus debetur. Dico quòd hoc contingit ob instrumentorum soliditatem in uiris. Et licet uiri plures cibos concoquant, & faciliter humidos ut pueri, & siccos melius, ut dicebat Galenus 3. de Symptomatum causis: optimè Cap. 3.
tamen pueri concoquunt, apponunt, agglutinãt, ac in sui similitudinem conuertunt: reliquas operationes naturales, attrahendi scilicet, & multo

magis

magis expellendi & retinendi, debiliores habet iuuenibus. In animalibus autem nulla est comparatio: in uitali quoq; facultate sunt inferiores. Atque hæc de uiribus ætatum crescentium dicta sunt. Senes enim concoctricem ac nutritiuam habent debiliores, ut facilè in Leucophlegmatiam decidant: tũ reliquas oẽs operationes, sed minus.

Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt. frigidum enim eorum corpus docet, quòd rarò acutæ febres, & non adeò uehementes fiunt in senibus. Auerroes 7. Colle-
Cap 2. ctaneorum docet causam: Quia, inquit, febris fit naturali calore in igneum transmutato: sed calor senilis paruus est in mole, & remissus in qualitate: ergo non facilè poterit ex eo acuta febris accendi. Ostendit autem hoc quod Hippocrates dicit, senilem calorẽ nõ solùm quãtitate, sed qualitate esse exiguum. Nam ratione multitudinis nõ facilè incurrerent in febres neq; acutas, neq; alias, cum (ut uidebitur in sequenti Aphorismo) calor naturalis conseruet corpora nostra, non corrumpat. Febris ergo acuta adueniẽs seni, cum facta sit necessariò ob magnam mutationem caloris, periculosa est: tamẽ quia senile corpus à proprio temperamẽto longius discessit, tum quia cau-
Lib.2.Apho.39. sa quæ illud accẽdit, ualidior est: tum etiam quòd uires sint imbecilliores. De hoc autem aliàs dicemus.

APHORISMVS XV.

Ventres hyeme & uere naturà calidißimi sunt, & somni longißimi: quare per ea tempora alimẽta copiosiora sunt exhibẽda. Etenim tunc calor innatus copiosior est, unde & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates & athletæ.

COMMENTARIVS.

Peractis indicationibus ab ætate & temperatura naturali, agit hic de indicatione à tempore anni sumpta, & temperatura acquisita. Et est ratio manifesta & euidens, hoc modo: ubi calor naturalis est maior, ibi maiorem cibi copiam offerre oportet: sed in hyeme & uere calor est maior, & opus etiam eius ualidius. ergo eo tempore maiorem cibi copiam offerre oportet. Maiorem propositionem assumptam ex duobus euidẽtibus exemplis ostendit: ab ætatibus, de quibus in duobus antecedentibus dictũ est: & athletis, qui plurimo uti cibo cogebantur.

Qui autem essent athletæ, ex superioribus
Apho.3. habere potes. Stultum enim est, cum liceat uerso folio id consequi exactè, uelle iterum frustra repetere. Ostendit igitur experimentum, eos qui calore magno præditi sunt, seu innato, ut pueri, seu acquisito, ut athletæ, copia cibi indigere.

Quid sit hyems & uer, infrà etiam docebimus. nunc uerò quid per uentres intelligat, diligẽ- 3.lib.Aphorism.11.
tius est perscrutandum. Neq; enim, ut aliàs dixi, de ætatum diuisione cõtradictio dicetur, si quis modò uẽtrem uno sub significato intelligat, aliàs sub alio. Nãq; solum sufficit ut intelligamus, quid uerè per uentres calidiores Hippocrates insinuauerit: an scilicet cauitates omnes magnas seu uacuas, seu plenas. Αἱ κοιλίαι, inquit in libro περὶ Pag.4.
ἀνατομῆς: κοιλίη δὲ ἥπατι παρακειμένη κατ' εὐώνυμον μέρος, ὅλη μὲν ἐστὶ νευρώδης, ἀπὸ δὲ κοιλίης πέφυκεν ἔντερον. Quod est: Venter autem iecori adiacet secũdum sinistram partem totus, est autem neruosus, à uentre autem oritur intestinum. Vt appareat liquidò, per κοιλίαν uentriculum intellexisse. Sed in libro πε- Pag.4.
ρὶ ὀστέων φύσιος, appellare uidetur uentrẽ pro omnibus partibus neruosis, ut uentriculo & intestinis. inquit enim: Εἰσὶ δὲ καὶ ἀπὸ τῆς κοιλίης φλέβες ἀνὰ τὸ σῶμα πολλαί τε καὶ παντοῖαι. Quod est: Sunt autem & à uentre uenæ ad totum corpus multæ & omnigenæ, ut de uentriculo solùm intelligi uix poßit. Et in libro περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον: Ἐς δὲ τὴν κοιλίην καὶ τὰ ἐσθιόμενα καὶ τὰ πινόμενα χωρέουσιν, ἐκ δὲ τῆς κοιλίης ἶνες ἐς τὴν κύστιν.

In uentrem autem procedunt quæ comeduntur ac bibũtur: ex uentre autem fibræ in uesicã. Non satis constat, an hic liber, & de Natura ossium, sint germani Hippocratis. Videtur tamen ubiq; & iecur & pectus ac talia membra excluderẽ ut per uentres, uentriculum tantùm, aut ipsum cum intestinis intelligat. Clarius tamen lib. Pag.14.
eodem de Locis in homine. Aluũ aũt subducunt quæcunq; lubrica sunt, & incidunt, & in calidis attenuantur. Manifestum est, illum per uentrem aluum intelligere: & 5. Epidem. Cum sine cibo Pag.1.
esset uenter, uehementer sugebat & dolebat. In 6. autem hæc habet: In doloribus proximum uen Com.6. Sect.5.
trem purgare, & sanguinis uentrem rescindere. Simili exemplo in adulterina parte l b. de Victus ratione in acutis scilicet, Commen. 4. inquit: Cũ Sect.58.
uenter glandi non obedierit. & rursus: Si uẽter Sect.110.
liquidus sit, bilisq; excernatur. & infrà: Qui uentrem inferiorem calidum habent, subeuntq; acres deiectiones & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur. Galenus ibi quærit, quid per Sect.111.
uentrem inferiorem intellexerit author: nam & uentriculum

uentriculum, & omnia intestina gracilia & crassa solum, hoc nomine inferioris intelligi posse affirmat. Videtur igitur constanter Hippocratis sententia ad uentriculum referri posse. Nam & uerè id, cum multa sint membra quæ non sint calidiora eo tempore, ut uesica, cerebrum & pulmo. Sed cum uerè constet, illum iam de uentriculo intellexisse, de reliquis autem neque ipse clarè se exposuerit, nec Galenus satis diligenter perquisiuerit: uidendum est iuxta rationem quæ ex sensibus deducitur, quænam membra hyeme calidiora sint, & quæ frigidiora.

Lib. de Vsu resp. cap. 5. & 13. de Vsu par. cap. 10.

Dico igitur, membra quæ respirant, ut sunt pulmo & cerebrum, eadem ratione qua omnia externa, esse frigidiora. Cor autem quia carneo septo pulmonis defenditur, calidius est hyeme quàm æstate. Vesica quoque cum sit exanguis, frigidior est, & ideo in illius resolutionem incidunt homines magis hyeme quàm æstate: & ita uterus, cum est absque fœtu. Vterus autem prægnantis calidior est hyeme, quia conclusus. Epar & lien, & renes, hyeme sunt calidiora. ut sit regula generalis: Omnia membra solida intus, & omnia caua quæ non respirant, & sunt prope cor, calidiora sunt hyeme quàm æstate. Quæ autem caua sunt & exanguia, si respirent, aut sint à corde remotiora, frigidiora sunt hyeme quàm æstate.

Non est autem hæc caliditas qualitate maior, sed solum quantitate. Vnde hyeme plus de pituita generatur, æstate de bile. Perfectior enim concoctio fit in hyeme quàm æstate: & tamen pituita hyeme, bilis æstate generatur. Non enim perfectio concoctionis ad qualitatem, sed ad substantiam refertur. Plus etenim de calore innato est in pituita, quàm in bile, quæ ob calorem æstiuum abundat, seu in uentriculo, seu in iecore. Cap. 12. *Galenus etenim docuit 5. de Tuenda sanitate, qualitatem caloris ad cõcoctionem minimè conferre: imò qui eam habent intensam, his naturales operationes tanto esse imbecilliores. De somno aũt, & quomodo fiat, suo loco dicetur.* Lib. 2. Apho. 3. *Hic sufficit docere, quot sint horæ illius, his qui sanitatem tueri uelint. Satis erit uno uerbo illius horas determinare.* Cap. 5. *Ex Galeno 6. de Tuenda sanitate, nouem satis sunt. Si tamen quis plus impendat, maximè senex, non errabit. Et licet etiam usque ad tertiam diei partem dormire, ut Hippocrates consulit:* 2. Prog. 11. *etsi homo non dormiat, quiescere. Videtur autem Galenus in hoc damnandus, atque apertè: quoniam nisi eum reprehendamus, uerecundia aut timore calumniæ deterriti, plurimos aberrare faciemus in his quæ ad sanitatem & uitæ longitudinem pertinent. Vnde etiam seipsum peremit, deceptus falsis duobus suppositis. Nec ulla in parte magis lapsus est, aut maiore cum iactura. Existimat Galenus, cibos* 5. de Tuen. san. cap. 8. *humidos qualitate ad uitæ diuturnitatem multum conferre: somnum uerò minimè, nisi in senibus. Vnde & se uigilasse gloriatur in iuuenta. Inde in insolubiles nodos contrarietatis incidit: ut qui mel senibus maximè laudet, & siccum esse referat. est autem utrunque uerum: Nec cibis humidis qualitate senes indigent, sed substantia & humida & tenui, & non facilè corruptioni obnoxia, & sicca, & naturæ amica: quæ omnia in probato melle sunt.*

Quid igitur humidus qualitate cibus commune habent cum sene? imò prorsus malus. Similiter & de assumendis his quæ aluum leniunt ante cibum, grauiter errauit. sed hæc alibi explicabuntur. Vt ergo ad propositum reuertar, immodicè calida senibus plurimum obsunt, & humida qualitate, & quæ corpus purgant, & uigiliæ. hæc enim substantiam humidi, non qualitatem consumunt. Quæ autem qualitatem humidam consumunt, seni conueniunt: ut pistacia, pineæ, ac mel. Itaque garriant qui uelint, nunquam Galenum, non grauiter in hoc peccasse, tueri poterunt. Ego uerò in his quæ ad salutem humani generis non pertinent, Galenum etiam errantem tuebor. Quid enim aut damnare iuuit, aut tueri nocuit, egregium uirum, cum error ille humanæ saluti nihil nocuerit? At cum somnum negligat, nec putet eum qui recta alioquin uictus ratione utitur lædi, nec uitam abbreuiare, non patiar quenquam decipi. Vigilia enim & fames siccant corpora: sed fames humidis corporibus (ut infrà uidebitur) conuenit, uigilia nemini. Eò autem res hæc peruenerat ob hunc errorem, ut quid conueniret seni, nemo sciret. Nam humidi cibi hydropem generant, & pituitam, & destillationes, ac grauedines: sicci autem uitam abbreuiant. Nos ergo, abstinendum à cibis uehementer calidis ac frigidis, tum serosis, consulimus, atque etiam qualitate ualde humidis. Conuenient uinum, & carnes sicciores, dummodo concoqui poßint, & ita assata: olera & fructus horæi nequaquam, serosa enim sunt. Et quæ difficilis rursus sunt coctionis, uitanda sunt, quia confici nequeunt. Quintò à cibis substantia siccis, id est, quæ humidi pinguis parum habent:

uelut radices omnes. His nempe circumscribitur ratio uictus senum.

Quando uerò sæpius dandus sit cibus, in
Pag. 1. & 3. tertij de Diæta libri initio traditur: Hyeme, & ueris initio, semel in die: æstate bis, & autumno. Sed neque autumni mentionem facit: sed in eius initio, cum adhuc dies longiores sint, & natura temporis æstati coniuncta non admittat copiam cibi, et uires languidæ sint, bis in die dandum cibum, Author insinuat.

Sed multa in huiusce Aphorismo nos fatigant. Primùm, quòd infrà senes æstate melius se habere docet: quomodo igitur credendum est, hyeme in illis meliores celebrari coctio-
3. Aph. 18. nes? Auget difficultatem hanc Galenus in Commento hic, qui ad animalia frigidiora (cuiusmodi sunt serpentes & busones, qui tota hyeme absque cibo congelati latent, ut etiam alpini atque auellanei mures) extendi non uult Hippocratis sententiam. Quòd si ad homines etiam tenuis habitus atq; caloris hoc refert, non erit generale dictum Hippocratis: sin transferre non uult, præter propositum omnino hoc exemplum adduxisse uidetur, quòd ad doctrinam nihil confert, & ambiguitatem in Authoris sententia non paruam affert. Demum i-
Pag. 2. pse Hippocrates in libro de Humana natura affirmat, in hyeme pituitam generari, atque id generaliter. Quomodo ergo coctiones meliores fient, cum loco sanguinis crudus humor abundet? Sed Hippocratis dictum generale est, quandoquidem & ratio illius talis sit. Calor enim naturalis nec æstate nec hyeme uariatur, sed unus est, nisi ob temperaturam ab initio maior sit in me qui sanguineus sum, quàm fuerit in Aristotele qui melancholicus. aut ob ætatem: turpiter enim quis contendat, in sene tantum esse caloris, quantum in adolescente. aut propter morbum quempiam grauem, ubi non esset uia ad mortem nisi calor exhauriretur. aut propter simile morbo symptoma, ut maximam purgationem, aut immoderatam sanguinis effusionem, aut seminis, in spurcitia. Aliter calorem augeri aut minui per singula anni tempora, credere ac existimare ipsum perpetuò fluctuare, alienum cum sit à sensu & ratione, multo magis etiam est ab Hippocratis grauitate. Eadem enim ratione censendum erit, maiorem esse noctu quàm interdiu: atque ad quamcunque occasionem permutari. Si igitur hyeme manifestè extrema & externæ partes refrigerantur, & calor intus refugit, ut etiam in ter-
ra docet Hippocrates in libro de Natura fœ- Pag. 7. & deinceps per longũ processum.
tus, per comparationem ad plantas: sequitur per Geometricam regulam constanter, calorem hyeme maiorem esse intus, & in uentribus atq; concauitatibus, quàm in æstate. Neque ergo senes aut debiles excipere debemus: sed solùm illos in quibus os uentriculi, quod stomachum uocant, non concluditur. in huiusmodi hominibus deterior hyeme quàm alijs temporibus coctio celebratur. nam cum par sit, natu- 3. de Facul. natural. ab initio ad caput 4.
raliter se habentibus os illud claudi, dum coctio celebratur: si non claudatur ad amussim, ingrediens aer frigidissimus non solùm coctionem uitiat, sed uentriculi calorem extinguit, & ipsius substantiam non parum lædit. Itaque huiusmodi hominibus conducit in cella caldaria, quamuis alioqui parum utili, habitare. At in cæteris omnibus, & decrepitis extremis melius, celebrari coctiones omnes, sed secundam præcipuè, necesse est: quòd iecur calore innato magis abundet, & ab aeris iniuria sit remotius. Quorsum ergo Galenus animalium illorum historiam ad confusionem & dubitationem, absque fructu ullo in medium attulit? Cæterùm senes melius se habere uidentur æstate, quoniam utilitas coctionis non est sensilis, & membra externa mouentur facilius, nec torpent, conseruanturq; spiritus in eis ab externo calore. Vnum præterea est quod omnibus molestam facit hyemem, & querimoniam adducit: quoniam uapor ille noxius intrò truditur. quo fit, ut & lassitudines & alyces & febres magis molestæ sint eo tempore, quàm reliquis anni partibus. Nihilo secius, ut dixi, quia calor qualitate minor est, humores in omnibus, præsertim immodicè se cibis ac potibus replentibus, pituitosi generantur. Et qui falso nomine pituitæ excrementa appellantur, ut saliua, mucusq; : quoniam cerebrum magis ob respirationem & patentes tot aditus, & quia detectum caput ferre solemus, uapores in mucum, ut aer frigidus in pluuiam, uertit. Vnde salubre consilium est, præsertim aliqua ratione refrigerato cerebro, hyeme caput tectum habere, minusq; frigoribus se exponere. Cæterùm in coctionibus etiam decrepiti melius ualēt, atque ideo etiam restaurantur. Tametsi enim hyeme minor fiat resolutio ob aeris ambientis frigiditatem quàm æstate, nihilominus copiosiore cibo nutriri expedit: quia, modo concoqui possit, Hippocrates nutrire abundanter iubet. Inquit enim in libro de Ratione uictus

acutorum;

acutorum: Victus ratio ægris sanitatem affert, sanis securitatem, his qui se exercent robur & bonum corporis habitū. Itaq; si quis senex recta ratione uictus usus hyeme, non restauratur, & pinguior redditur, parum de illo in posterum bene sperandum est. Non igitur ob resolutionem cibi copia adhibetur, sed quia concoqui potest. hoc enim semper utiliter, adeò ut etiam in summa repletione laborantibus athletis fit, illud uerò necessariò. at illud non semper utiliter, ut neque hyeme necessariò, abundè nutrire cogimur. nam hoc tempus & inediam, ob paruam resolutionē, & cibi multitudinem, ob uentres calidos, & somnos longos, commodè fert: sicut æstas & paucitatem & multitudinē æquè grauiter. Propterea ergo & ab ætate tanquam re naturali, & athletarum exemplo tāquam habitu acquisito, id probat: in his enim calor magnus, cibos multi alimenti, & multitudinem illorum conficit. Non tamen addit, ut in priorib. aliter corpus absumi ob causam dictam: sed, ut dixi, corpus ad succedentia tempora subtracto alimento macilentius & imbecillius reddetur.

Cæterùm illud decebat forsan potius quærere Galenum, an hæc mutatio temporum utilis sit? cum uideatur Hippocrates hyemis utilitatem collaudare: an melius esset, habitare ubi nullæ uel modicæ essent temporum anni differentiæ? ut neq; calor æstatis immodicus sit, nec hyemis **Pag.6.** frigus uehemens. Et certè in libro de Aere aquis & locis, laudat hyemem quæ nec admodum gelida sit, nec omnino clemens, sed mediocriter frigida. Videtur tamen paulo pòst aliud sentire de **Pag.8.** regionibus, cum scripserit De temporibus. inquit enim: Dico quidem Asiam ab Europa plurimùm differre non solum in natura omnium quæ ex terra nascuntur, sed etiam hominum. Longè enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia. estq; regio ipsa, hac nostra multo mansuetior. sunt etiam hominum mores benigniores & cultiores. Causa uerò horum est, temporum anni temperata mistura. Siquidem in medio solis exortu ad auroram sita est, à frigiditate atq; caliditate pariter remotior. Incrementum autem & benignitatem inde proficisci, omnibus in confesso est, cum nihil sit præcellens & cogens uiolenter, sed per omnia æqualitas uigeat. quanquam nō habeant ubique omnia per omnem Asiam secundum eundem modum. Quæcunque enim regio in illius medio tam calidi ac frigidi sita est, ea omnium fertilißima existit, & arboribus refertißima, & maximè serena, aquisq; utitur & cœlestibus. & ex terra promanantibus. neq; enim à calore combusta est ualde, neq; à squalore & aquarum inopia exsiccatur, neque à frigore oblæditur. Inde non multo pòst subijcit: Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt, & frequentißimas, illic & regio agrestis, & maximè inæqualis existit: inueniasq; montes plurimos & densos, itemq; campos & prata. Experimentum etiam docet, in locis temperatis homines diutius uiuere, & rarius ægrotare, nec sæuis adeò morbis. quocirca de natura ipsa dubitandum non est. Quod in dubio ergo meritò esse potest, est, an arte hanc inæqualitatem fugere expediat? scilicet, an hyeme in caldarijs cubiculis habitare conueniens sit, ut Germani fermè omnes, & Sarmatæ, & quicunque borealem incolunt regionem? Si enim uitæ non officiunt caldaria, certum est, commodam esse ualde hanc habitationem. Videntur ergo caldaria primùm hanc hyemis utilitatem ab Hippocrate propositam auferre: deinde corpora eneruare, & calorem ipsum innatum minuere: præterea absumere humidum illud uitale, cum aer ignea ui præditus in cordis ac cerebri penetralia asiduè feratur & permeet: ille idem aer tam diu intra caldaria retentus, uitiatusq; multis modis humores corporis putrefacere potest. Difficileq; est mensuram ac mediocritatem seruare in huiusmodi rebus: quæ nisi seruetur, morbos uarios & graues & damna uitæ afferre solet. Demum ex calido aere in tam grande frigus se conferre quotidie ac sæpius, haud tutum est. Sed de salubritate haud dubium est, quòd non sit. Quinimo audio plures in Germania in ipsis caldarijs morte repentina obire: ad fluxiones enim huiusmodi habitationes obnoxiæ maximè sunt. Sed forsan id uitio uictus accidit. ideo non id quæro: sed, si necesse sit ex hoc uitam hominum fieri breuiorem? Hoc quidem sic determinabitur, ubi nullibi ullus ex his qui caldaria habitant, prope centesimum annum perueniat. Quod & si pauci perueniant, non peruenire multos, alij causæ, ut intemperantiæ, tribuendum erit. Etenim si fieri poßit commodè, malim in illis habitare. In Italia sæpius cœptum, toties desitum: & in Anglia, & Scotia etiam, huiusmodi cubicula non habent: quamuis frigidior sit ibi aer, quàm in Germania. Hæc igitur tam utilia, necessariaq;, ab alijs intacta fuere, cum circa toties reuolutos lapides omnes uersentur. Senibus itaque persuaserim, si non uelint in caldaria profunda hyeme se intrudere, ut domos ligneas è larice, tapetibus uestitas, & exiguas, &

sine rima, habitent. Etenim euidens periculum imminet omnibus his, ac debilibus, ac extenuatis quauis causa, sæuiente hyeme, ni plurimum exerceantur, aut huiusmodi in cellis uitam agant, ne congelatis spiritibus & innato calore, repentè attonito morbo correpti intereant.

APHORISMVS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè uerò pueris, & alijs qui tali uictu uti consueuerunt.

COMMENTARIVS.

Legitur bifariam, Αἱ ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται: id est, *Victus omnis humidus. & est in Aldino codice cum Galeni Commentarijs: sicque* Cap.4. *uerterunt Gaza & Galenus lib. de Optima secta: & ita primo de Tuenda sanitate, & octauo* Cap.8. *Artis curatiuæ legit. Aliter,* Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι: *id est, Victus humidus omnibus. atque* Cap.ult. *ita iacet in Aldino codice Hippocratis, absque* Cap.13. *commento: & Galenus primo ad Glauconem sic citat, tum Philotheus legit, authórque antiquæ uersionis Leonicenus, Brasauolus, ac Fuchsius uerterunt. Cumque hic sensus artificiosus sit, ut dictio Omnis ad febricitantes, non uictus humidos referatur, illum amplectemur.*

Ergo cum hucusque locutus sit Hippocrates de qualitate nutrientium multum, parumúe, hic incipit loqui de qualitate propria illorum. Et quia sermo est institutus de acutis morbis, qui cum febre fiunt, ut habetur in libro de Ratione uictus in acutis: regulam dat generalem, quòd humidus uictus talibus conuenit. Et continet tres propositiones. Primam per se intentam, scilicet: Victus humidus febricitantibus omnibus confert. Et conuertitur in generalem omnibus causis præter naturam, quòd contraria debent adhiberi, ut contraria uis naturali retundatur. Secunda, quòd pueris maximè conuenit: hic recipiuntur similia naturalibus, ætati, temperaturæ: quoniam similibus, præterquam aere, cuncta gaudent: facilius enim subiguntur, & subacta melius nutriunt, utpote similia & familiaria. Tertia amplectitur res non naturales, nec naturæ contrarias. & sunt, consuetudo: ita diceremus de habitu. Ex quo patet, quòd de uero humido cibo, non autem liquido aut sorbitione loquitur Hippocrates. Nam clarum est, quòd demonstratio eius in hoc constat, quòd quæ contra naturam sunt, sunt amolienda, & talis amolitio fit à contrario: & quæ sunt secundum naturam, confirmanda sunt, & talis confirmatio fit à simili: igitur per humidum intelligit tale qualitate, non autem liquidum. nam liquidum non est contrarium sicco, neque etiam uerè duro.

Hippocrates autem primo libro de Diæta Pag.9. *declarat, quòd semper in temperiebus uictu debemus uti contrario, etiamsi secundum naturam fuerint: in ætatibus autem, simili. Id accidit, quia omnis intemperies, quantumuis ab utero contracta, præternaturalis est, & inutilis: quæ autem consequitur ætatem, est naturalis & utilis. ideo una est fouenda, alia abolenda.*

Quæ tamen ad ciborum substantiam liquidam aut duram pertinent, ob egregiam utilitatem, ex libro de Veteri medicina hic sub- Pag.3. *nectere decreui. Inquit enim Hippocrates: Cibi duriores multa aqua & coctione subiguntur. Cum autem quidam cibos siccos ferant, alij sorbitiones tantum, alij ne has quidem, sed potus tantum adhibere oportet. Vbi enim cibi non conueniunt, corpus tabefaciunt, & morbo præbent alimentum. Quibus ergo sorbitiones tantum debentur, si cibo sicco aut pane aut maza utantur, magis offenduntur, quàm si decuplum eorum ex sorbitionibus sumpserint. In de liquidò apparet, non solùm oportere edulia esse cocta in sanis, sed exactè cocta, multò magis etiam in ægris.*

Verùm non leuis emergit difficultas, quoniam cum cibus uarietur uel ob morbum, uel morbi causam, uel uires (nam symptomata non uariant, nisi uel ut impediunt uires, & sic prohibent, ut dolor: uel ut euertunt, & sic expostulant cibum, ut syncopis: unde in syncope ex dolore anceps esset iudicium: & si causa morbi & morbus conuenant, ut in tertiana) non est dubium de qualitate uictus: sed si sint contraria, ut in amphimerina, necesse erit ut si cibus debet aduersari morbo, ut conueniat cum causa. hoc autem absurdum. inquit enim Hippocrates: Curatio fit per contraria De Flatib. Pag.2. *causæ morbi. Quomodo ergo omnibus febricitantibus conferet uictus humidus, ut in amphimerina? Nisi esset, quòd calor febrilis, cum sit siccus, & ea qualitate aduersetur calori naturali*

naturali qui in humido planè repositus est, ut Pag.3. *libro de Carnibus probatur: propterea necesse est, si debeat concoqui cibus, ut calor non sit uitiatus. Et si sit, addet etiam in causam. Propterea dictum Aphorismi huius intelligitur de morbis uniuersalibus, cuiusmodi est febris: dictum autem libri de Flatibus, de morbis alijs proprijs. Quòd si per húmidum uictum exponamus sorbitiones, cessaret omnis dubitatio. Sed cum præter cætera uideamus Hippocratem, per uictum humidum & siccum declarare carnes suillas, aut catulorum: planum est, de qualitate, non substantiam intelligere. Præterea cum dicat, & his qui tali uictu uti consueuerunt: planum est, homines sorbitionibus in sanitate non solere uti solis. Sin autem intelligit ex parte, omnes comprehendisset. Quamobrem planum, in humido & sicco morbum magis debere attendi, quàm causam.*

Sed de consuetudine, quantum intersit eam obseruare, dicebat Hippocrates in libro de Ra- Pag.6. *tione uictus in acutis: Consuetudo facit ut cibi mali melius nutriant, quàm boni & insueti. Qui ergo assueti sunt cibis humidis, uix possunt concoquere siccos, tum quia humidi facilius transmutantur, tum quia consueti. Sed uideo quid* Pag.3. *dicturi sitis. Hippocrates in libro de Alimento, dicit ænigma: Alimentum humidum facilius transmutatur, quàm siccum. Alimentum siccum facilius transmutatur, quàm humidum. Respondeo, quòd Hippocrates uult, quòd humida facilius transmutentur siccis. ideo præponit hoc pro regula generali. Et etiam subiungit: Alimentum quod ægrè mutatur, ægrè consumitur: quod facilè apponitur, facilè consumitur. Voluit tamen nos intelligere, siccis corporibus & consuetis siccum alimentum aliquando facilius subigi. ideo subiecit generali regulæ specialem: scilicet, Siccum alimentum facilius transmntatur, quàm humidum. Sed dicetis, per humidum uidetur intelligere liquidum, quia dicit, Humido alimento citò restaurantur uires, solido autem tardius. Respondeo, quòd ὑγρὸς apud Græcos significat duo, liquidum & humidum. Hippocrates autem distinxit hæc duo significata per contraria sua, opponens liquido solidum, humido siccum. Ideo Cornarius loco humidi, cũ dixit, Quicunq; ueloci appositione opus habent, his liquidum alimentum (scribere debuit, non humidum) ad reficiendas uires optimũ est. Voluit ergo Hippocrates regulam transmutandi facilius in liquido & solido esse generalem, in humido autem & sicco non.*

APHORISMVS XVII.

ET quibus semel, aut bis, & quibus plura uel pauciora, & particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati & consuetudini.

COMMENTARIVS.

¶ Cum declarasset qualitatẽ uictus generalem, indè specialiter in præcedenti Aphorismo, & quantitatem generaliter in numero & copia in tertiodecimo & quartodecimo: supererat ut doceret, quantitatem propriam utroque modo, scilicet copiam & numerum. ideo dicit: Et quibus semel, aut bis, plura'ne an pauciora afferre oporteat, considerandum. Ex quibus? non sanè ex tempore anni, aut ætate, aut temperatura, uel consuetudine. propterea omisso temperamento, dicit condonandum esse aliquid huiusmodi conditionibus, non sumendam principalem indicationem. Nam cum in duobus illis Aphorismis uisus esset comprobare indicationem sumptam ab illis quatuor: hic docet nos, illud intelligi debere in sanis, non ægris. sed in ægris principalem indicationem esse sumendam à morbo, causisq; eius, & uiribus: ista autem quæ ad ætatem & reliqua pertinent, non esse principalia, sed nec omnino omittenda. Prætermisit temperaturam, ob breuitatem: satis etiam fuisset, duo tantum commemorasse.

Cur uerò dixit, Semel aut bis, & non ter? docuit Hippocrates in libro de Ratione uictus in acutis, dicens: Oportet in ægris seruare consuetudinem, ut semel aut bis in die cibum exhibeamus. Pag.2. *Quinetiam dicit: Et assuetis sumere cibum semel in die, dabimus cibum seu ptisanam bis in die, sed in minori quantitate. Et ita Hippocrates censet spargendum cibum, & non in cõsuetis, ut facilius concoquatur. Quòd etsi alibi Galenus aliter sentire uideatur, afferam tamen paradoxum egregium, & fide dignum. Sunt enim Paradoxorum quatuor genera. Vnum, quod ex toto absurdum est, fitque exercitationis & ostentandi ingenij tantùm causa. ut cum dicimus, Quòd melius est esse senem orbum, quàm iuuenem cum filijs optimè educatis: aut omnino amentem & rudem, quàm sapientem & eruditum. Secundum, quod habet aliquas ueritatis notas, sed tamen est planè falsum. ut quòd*

sit, melius esse ægrum quàm sanum : Hieroni *sanè morbus profuit ad uirtutem & eruditionem, innumeris alijs, morbi solum attulerunt impedimenta.* Tertium genus est eorum Paradoxorum, *quæ probabilia sunt, sed uulgus unam partem omnino despicit. ut, quòd melior sit paupertas opibus : ad uirtutem enim, incolumitatem, eruditionem, mundiciem in cibis, & animi tranquillitatem, melior sanè est paupertas diuitijs : diuitiæ autem, quod ad reliqua commoda attinet, meliores sunt.* Vltimum *genus* Paradoxorum *est, cum quædam falso recepta sunt ab hominum consensu. uelut quòd* Sol *sit longè minor terra : qui enim dixerit Solem esse maiorem, paradoxum dicere uidebitur, cum tamen meram dicat ueritatem.* In *huiusmodi ergo genere est, quod ab omnibus receptum sit pro constanti, credendum esse magis expositoribus de opinione authoris qui exponitur, quàm authori de opinione expositoris. existimant enim pleriq; , magis credendum Galeno exponenti* Hippocratem, & Auicennæ *de* Galeni *opinione, quàm* Galeno *de* Auicennæ *opinione, &* Hippoerati *de* Galeni *opinione.* Et *tamen secus est. nam* Galenus *coniectura tantùm potuit assequi quid uoluerit* Hippocrates *: homo fuit, & multis modis decipi potuit.* At Galenum, *quid senserit, quandoquidem certi simus id uoluisse quod* Hippocrates *uoluit, ubi constiterit quid uoluerit* Hippocrates, *iam planè etiam sciemus quid* Galenus *uoluerit.* Ergo *ad propositum redeundo, cum mens Hippocratis sit, ut bis in die detur cibus, etiam assuetis in sanitate cibum tantum semel assumere: quam-*

Com.18. in fine. *uis dicat, in primo de Victu in acutis, Hippocratem esse ex his qui ægros potius fame excrucient, quàm cibis repleant : quamuis immoderatam cibi abstinentiam præ se ferat, nec usquam uideatur uelle ut ægri sæpius sanis cibentur : nihilominus censendum est, ut bis uelit, sicut* Hippocrates, *ni quid impediat, cibum esse ægris dandum.*

Cæterùm quòd dicat in eodem libro Hip-

Pag.5. *poerates,* Quibusdam *suo tempore (quod etiam nostro in usu est apud plerosque fabros, & maximè æstatis tempore) consuetum fuisse accipere cibum ter in die, tum quater : non cogit nos ut ægris toties cibum exhibeamus. quandoquidem ut extendit cibationem unicam ad geminatam, ita non uult ut secundam excedat : neque enim tempus coctioni materiæ morbi dabitur.* Vixque *fieri potest, ne ab accessionibus aut exacerbationibus impediatur.* Quòd *si morbus accessionibus exacerbationibusque caruerit, cum sit acutus, erunt febres illius continentes : atque ideo oportebit omnino à cibo abstinere. non ergo plus quàm bis, in acutis, cibum dare conueniet.*

Iuxta *ergo indicationem à rebus naturalibus sumptam,* Galenus *in* Commento *docet, duo esse consideranda : scilicet uires, & humores.* Vires *de copia cibi indicant, non de numero : nam quid attinet ad uirium robur, quòd semel aut decies cibus detur, cum id spectet ad plenitudinem?* Humores *indicant de frequentia & raritate, ut corpus repleatur aut non. nam de multitudine non possunt decernere, cum id spectet ad uires. nam si dixero,* Vbi *humores fuerint pauci, dabis multum cibi, nihil dixero. oportebit enim ut uires concoquere possint.* Existimat *autem* Galenus, *nihil referre quod ad hoc attinet, seu humores pauci sint, seu multi & mali. nam nihilo secius corpus non alitur, & uires facilè concidunt.* Iuxta *hoc igitur ponit quatuor regulas.* Prima, *si uires ualidæ fuerint, & humores pauci boni, sæpe ob indigentiam, & multum ob uirium robur dandum est de cibo.* Secunda, *si uires fuerint imbecilles, & humores boni multi, raro & parum.* Tertia, *si humores pauci fuerint, & uires languidæ, sæpe & parum.* Quarta, *si uires ualidæ fuerint, & humores multi boni, raro rursus, & pauca. excusat se, quia iuxta rationem conueniebant multa & raro, sicut in temporibus, ut in hyeme.* Sed *dicit, ob plethoricam dispositionem ita cogimur.* Sed *causa huius est error* Galeni, *de quo infrà.*

Iuxta *hanc distinctionem datur regula;* In *anni temporibus, supponendo quòd in hyeme sunt uires ualidæ, & mediocritas humorum propter autumnum præcedentem : ergo multa & raro danda sunt. in uere imbecillior fit coctio, & humores magis abundant, ob hyemem præcedentem, in qua facta est parua resolutio, & copiosa restauratio : ergo pauca, & raro. in æstate autem, ob resolutionem uirium & humorum, pauca & sæpe. in autumno, multa & sæpe.* Hæc *autem melius conueniunt quàm priora, ob causam quam subiungemus.*

De *rebus autem præter naturam, regula*

in quan-

in quantitate, quam ponit Galenus undecimo Cap. 21. *Methodi, constat in hoc, ut poßit ea quantitas probè confici, antequam acceßio uel exacerbatio superueniat: & est sumpta ab Hippocrate, ut dixi, in libro de* Veteri medicina. *Idem dico de* Numero, *ut non incidamus in acceßiones.*

Sed quod ad ætates attinet, dicebat Aui- 2.4.t.2.c.8. *cenna, & rectè, quod duæ ætates extremæ non ferunt immodicam inediam. prima ob materiam maximè tenuem, & calorem ualidum: extrema ob imbecillitatem, ut aliâs dixi, quia non poßunt restaurari.* Ex temperaturis *picrocholos, qui ex inedia maximè offenduntur, adeò ut animo linquantur.* Excipiemus *etiam eos qui habent paruas uenas, & rarum corporis habitum, & præcipuè si plurimum sudoribus obnoxij sunt: tales ab inedia maximè offenduntur, & minus à copiosiore cibatione.* Et *idem in pueris.*

Sed quod ad *consuetudinem attinet*, dice- Pag. 5. bat Hippocrates in libro de Ratione *uictus in acutis*: *Si quis cibum accipiat, non consuetus accipere, utpote si prandeat uel cœnet, tria incommoda sequuntur: grauitas, & pigritia atque debilitas, eructuatio acida, & persæpe liquida egestio. At contrà, si prandium prandere assueti omiserint, debilitas corporis consequitur, & uentriculi osculum dolet, & uiscera suspensa illis uidentur, & calidam urinam ac cum uirore pallidam mingunt, & alui excrementa siccantur: & quibus iam os amarescit, oculi caui fiunt, tempora palpitant, & extremæ partes refrigerantur, & cœnare non poßunt: & si cœnauerint, ægrius in lecto decumbunt, quàm si etiam pransi essent. inde subiungit*, Tot *& tanta sequuntur incommoda ex dimidiæ diei unius mutatione. Quasi dicat, qualia sequentur ex longa mutatione? Itaque consulit, ut si cogamur consuetudinem mutare, sensim id faciamus.* Apparet *etiam, mutationem ad inediam & rariorem cibi assumptionem, multo plura mala adducere, quàm ad copiosiorem & frequentiorem cibationem, deterioremq; esse, nec tam paratu facilia habere remedia.*

Cæterùm, *ut dixi, Galeni expositio illa de uiribus & humoribus, tota absurda est: quod ex multis conijcere poßumus. & tamen nisi magnum ægris detrimentum allatura foret, omitterem hanc declarationem, ne insectatio uideretur.* Primùm *igitur, ipse in scribendo anceps deprehenditur: & cum diuisionem proposuisset illam, deserere cogitur, ut superius docui.* Deinde *præcepta illa nec cum principijs proprijs, nec cum* Hippocrate, *nec cum experimento concordant.* Causa *etiam erroris deprehenditur, & est per se manifesta. Nam cum* Hippocrates *loquatur de calore naturali,* Galenus *loquitur de uiribus. Et uires à calore multum differunt: & quæcunque dicit* Galenus *de uiribus, uera sunt, &* Hippocratis *sententiæ conueniunt, si ad calorem naturalem referantur, cum de uiribus sint manifestè falsa.* Nam quoties hoc repetit, *quod dixit primo de* Ratione *uictus in acutis, uitalis scilicet fa-* Com. 44. *cultatis imbecillitatem esse unicum id à quo cibi neceßitas indicatur, cætera omnia auertere nos à cibo?* Quoties *illud dixit, omnem spem esse in uiribus, quia tum à cibo abstinere debemus?* Et Hippocrates *in libro de* Ratione *uictus in acutis inquit: Nam detractione uti sæpenumero expedit, cum uires suffecerint,* Pag. 7. in *donec morbus cõcoquatur.* initio. Sic *consulit, ut etiam præter neceßitatem, modò uires sufficiant, tenuiore uictu utamur, cum nullum aliud nobis periculum immineat, nisi à uiribus.* Non *sic in copiosiore cibo, ubi multa sunt pericula.* Hippocrates *etiam ubiq; loquitur de naturali calore, quem dicit, ni cibus detur, corpus absumere. hoc à uiribus non est timendum.* Dices: *Video omnia clara, modò doceas quòd & quomodo calor à uiribus differat.* Dico *igitur, calorem naturalem esse tanquam partem, uires autem tanquam totum.* Vires *enim constant ex temperamento totius corporis, & densitate solidorum, & multitudine sanguinis & spiritus.* Et *primum hoc, uulgus hanc admiratur differentiam, cum uident aliquem iuuenem boni habitus in tribus aut quatuor diebus interire. nam etsi calorem haberet iuuenis ille robustum, tamen uiribus fuerat imbecillibus.* Ipse *quoq;* Galenus *in libro de* Bono corporis habitu, *negat athletas esse, quod ad morbos attinet, ferendos, ualidis uiribus: quos haud dubium est maximo naturali calore abundare, ut etiam* Hippocrates *prima Aphorismo-* Aphor. 13. *rum testatur: sed nec rusticos, primo de* Alimentis, Cap. 1. *& infantes etiam non ualidis uiribus esse dixit. quod etiam experimentum docet, cum uesperi sani sint, manè persæpe mortui.* At *hos quis negare potest abundare plurimo naturali calore? Contrà uidebis senes imbecilli calore,* 3. De caus. pul. c. 5.

diuturnum & ualidum morbum commodè perferentes. Ipse quoque Galenus tum in libro de Optima corporis habitudine, tum aliàs innumeris in locis fatetur, uires in temperamento optimo, quod Eucrasiam uocat, consistere. Addo ego, ut dixi, densitatem solidorum, quæ & manifestè in obeundis laboribus & ferendis incommodis robur uirium declarat, & ut principalior pars habenda est: inde temperamentum bonum, ultimò innati caloris abundantia. Loco igitur uirium, calorem innatum substituere oportet. omniaq; consentient: nisi quod ubi magnus fuerit, & copia bonorum humorum, dabimus multa, & rarò, ob resolutionem. Sed si adolescens ualidis uiribus, & multo innato calore præditus ægrotet, quid agendum? Vires ualidæ inediam summam admittunt: urgente morbo, calor naturalis abundans exigit cibum: non solùm quia concoquere potest illius copiam, sed quia, ut uidetur, corpus absumit. Dabimus certè non multum tum, si morbus urgeat: deteriorq; erit illius conditio, quàm exanguis, sed robusti: pessima uerò, ubi calor naturalis ualidus fuerit cum uiribus imbecillibus: ut contrà optima, cum calor naturalis exiguus fuerit, & uires ualidæ. Sed hæc etiam aliàs à me dicta sunt. Verùm si quis Galenum tueri conetur, ut solent pluris hominem facientes, quàm iacturam quæ ex immensa confusione sequitur, dicendo sermonem eius de sanis, non ægris esse: meminerit, quomodo conueniat expositio illa Aphorismo: & quibus semel aut bis? inde etiam condonandum aliquid consuetudini: cum in sanis non aliquid, sed ferme totum consuetudini condonet Hippo-
Pag.5. crates, libro de Ratione uictus in acutis.

APHORISMVS XVIII.

Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: secundum locum uer habet.

COMMENTARIVS.

¶ Nisi quis de ægris Hippocratem loqui dicat, superfluus erit hic Aphorismus. Quid enim differt, dicere, Hyeme & uere multa danda sunt ob caloris ad uentres reditum: &, Situ dederis cibi copiam æstate & autumno, difficillimè eam ferent? Sed cum dixisset in præcedenti Aphorismo, condonandum esse aliquid tempori, docet quomodo. nam æstate & autumno parum cibi dandum est: quoniam dum ualemus, parum cibi solemus assumere: & si plurimum assumamus, ægrè ferimus. Duabus igitur ex causis æstate & autumno parum cibi ægris dabimus: & quòd calor naturalis exiguus sit apud uentres: & quòd ex longa consuetudine, dum essent sani, parum assumerent cibi. Neque ergo ad uires respicit Hippocrates, sed potius ad calorem naturalem, duplici ex causa. nam cum (ut dixit in li- Pag.1.
bro de Alimento) alimentum tripliciter dicatur, quod proximum est ut alat, ut sanguis: & quod per similitudinem alimentum dicitur, quia tale fieri potest: & quod uerè solum est alimentum, quod perfectè à calore naturali euictum est, hocq; solum est utile: igitur etiam quod uires sint imbecilles, si calor naturalis etiam imbecillis sit, nihil proderit, sed perimes ægrum plurimum cibi dando. igitur Hippocrates parum uires curat, sed calorē naturalem. tum etiam quod calor naturalis, nisi multa dederis, corpus absumit, ut superius uisum est. Hanc iacturam, ut periculosam ualde & quasi inemendabilem, refugit Hippocrates quantum potest: sicut contem- Aphor. 41.
nit exhibere cibū, etiamsi uires ualidæ fuerint, cum calor naturalis magnus fuerit. Vbi enim concoquere simul et morbi materiam & cibum sufficiat, quam noxam afferre poterit? neque enim periculum est ut coctio uitiosi humoris differatur, cum sufficiat ad utriusq; coctionem, scilicet humoris & cibi: nec ut quicquam addat in morbi materiam, cum cibus perfectè coctus in spiritus & bonum sanguinem uertatur.

Sed cum cibum prohibeat Hippocrates in Com 44.
æstate, Galenus tamen primo de Victu in acutis, numerat æstatem inter eas conditiones, quæ de dando cibo indicant. Videamus ergo, an Galenus aliquo pacto defendi possit? Et certè illum reconciliare Hippocrati arduum est. Reliquum est, ut tueatur eum aliquis dicens, æstate & in regione calida magis resolui humores ac uires, ob id magis esse necessarium alimentum. Sed, ut dixi, Hippocrates respondebit, minus posse concoqui, ideò minus indigere. Quòd uerò uires resoluantur à calore, Hippocrates iubebit frigido aere intemperiem curari, tum frigidis potibus. Itaq; Hippocrates in æstate non nutriet, in hyeme nutriet: Galenus contrà.

Simili difficultate laborat illud dictū tertio de Cap. 6. in
Causis pulsuū: Vere robur uiriū maximum, æsta fine.
te imbecillissimum, hyeme medium statum obtinet. Et in Pulsuum introductorio: Pulsus uere sunt uehementissimi, quomodo ergo calor naturalis in hyeme potest optimè concoquere: cū ibidem Galenus dicat, pulsus hyeme esse lāguidos? Cap. 9.
Respondeo: quòd ut dixi, possunt in hoc recōciliari distinguendo calorem naturalem à uiribus.

hyeme

hyeme ergo facultas naturalis erit ualidißima, uitalis autem languida, quia in corde consistit: uere utraq; erit ualida, æstate utraque languida. Nec *mirum. quod enim uni adimitur, alteri adijcitur: sicut etiam dictum est de partibus exterioribus, ac uentribus.* Sed dices: Vires ergo non habebunt indicationem cibi assumendi, iuxta Hippocratem? Dico, *uires languidæ. indicant de necessitate dandi cibum: calor autem naturalis ualidus de securitate, ut potest concoquere: & de necessitate, sed nō tanta scilicet, ne corpus absumatur. sed uires ualidæ, nec de necessitate, quia hæc conuenit imbecillibus: nec de minore necessitate, aut securitate, quoniam illa conuenit caloris innati robori.*

Circa uictus rationem iuxta anni tempora, Pag.1. dicebat Polybius in libro de Salubri diæta: *Vere debemus minuere cibum, & augere potum: & æstate similiter, ueris comparatione: autumno rursus cibum augere, & potum minuere:* Pag.1.& sequētibus. *idemq; magis in hyeme.* Idem fermè in tertio de Diæta, *iubens ut uere magis nutrientibus utamur, ad hoc ut corpus reddatur robustius, & melioris habitus, ad ferendam superuenientem æstatem.*

Secunda causa, qua scripserit hunc Aphorismum, quæ à Galeno & ipsa in Commento affertur, etiam in lib. tertio de Diæta scripta est: scilicet quòd, tametsi cibus copiosior conueniat uere quàm æstate, uere tamen solum semel in die comedere expedit, æstate autem prandere, sed modicè. Dicit ibi: *Parua quantitas sumenda est in æstate, repletioq; fugienda.* Hocq; est, *ac si dicat: quodcunq; dandū est æstate, tametsi parum, partiri conuenit in duas cibationes potius, quàm totum simul dare. Vt hic Aphorismus per tempora anni, quæ sunt unum è tribus quæ in præcedenti Aphorismo obseruanda docet, ut condonemus eis aliquid, præter rationem etiam uirium morbi cum suis coniūctis, & caloris innati, quæ sunt tria à quibus principalis sumitur indicatio, copiæ & numeri cibationis, exemplum afferat: pro ætate, consuetudine, & similiter temperatura tam copiæ dandæ, cibi scilicet parum, & numeri, scilicet sæpius illud parū partiendo in æstate, contrarioq; modo hyeme.*

APHORISMVS XIX.

IIs qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neq; cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

COMMENTARIVS.

¶ *Et hic similiter Aphorismus cum superiore illo coincidere uidetur, cuius initium est: In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare noxium est.* 11. Repetitur in libro de Humoribus, *his uerbis: In exacerbationibus quæ circuitu redeunt, cibi non sunt offerendi, neq; cogere oportet, sed auferre ex appositis ante iudicationes.* Pag.2. Ex quo *manifestum est (quod in omnibus intellectum uolo) hunc Aphorismum ex libro illo decerptum, uel ibi ab alio quopiam in margine adiectum. Plurima etiam præter id hic dubitatione digna sunt, uelut id,* Neq; cogere: *nam maius est cogere, quàm dare. Si ergo non dandus est cibus, cur adiecit frustra,* Neq; cogēdus? Præterea cur dicit, Subtrahere adiectioni ante iudicationes? *neq; enim meminit adiectionis, nec iudicationum, sed accessionum.* Galenus in Commento, *per iudicationes exponit crisim, aut morbi statum, aut accessiones: sed uult potius de his esse intelligendū.* Sed quid attinebat ad Hippocratem, *parere homonymiam, in tam graui causa, absq; necessitate? Exponamus igitur primùm singula nomina, & primùm iudicationem, quæ est morbi exsolutio:* Libro de Præceptionibus. Pag.4. Et in libro de Affectionibus inquit: Iudicatio est, *cum morbi augescunt, aut minuuntur, aut in alium morbū transeunt, aut desinunt.* Pag.3. Hoc potest demonstrari ratione: *nam mutatio omnis uel perfecta uel imperfecta, uel in aliud, dicitur iudicatio.* Et ita *sunt tria genera, quorum unumquodq; diuiditur in bonam & malam.* Galenus primo de Diebus criticis aliter diuisit, *sed non* Cap.2. *ea ratione qua* Hippocrates. *nulla enim methodo constat illa diuisio* Galeni *in bonam & malam, perfectam & imperfectam iudicationem, fidam & infidam, obscuram & manifestam, securam & periculosam, indicatam & non indicatam, in die critica & non critica.* Quis *non uidet, esse hanc diuisionem nominis in significata?*

De *adiectione uerò quæ fit ante indicationes, duo præcipuè uidentur considerandæ.* Primum illud quod suprà dixit: Prius *uerò uberius agendum, ut æger poßit sufficere.* Apho.10. Quod *enim dixit* Vberius, *intellexit, plus dare quàm pro ratione sit: tantoq; plus, quantum est id quod subtrahere antea cogimur.* Velut *qui iter facturi sunt per deserta loca, potu & cibo se magis implent quàm deceat.* Vel illud *obseruandum, quod inquit libro de* Victu *in acutis: Si cui à cibo nuper sumpto, & alio* Pag.4.

,, & aluo nondum euacuata, febris superuenerit,
,, seu cum dolore, seu sine, inhibenda est sorbitionis
,, exhibitio, donec existimaris cibum ad infernam
,, intestini partem successisse. Tempus porrò exhi-
,, bendæ sorbitionis hoc maximè obseruare ab ini-
,, tio & per omnem morbum oportet. Quum qui-
,, dem pedes frigidi fuerint, inhibere oportet sorbi
,, tionis exhibitionem: maximè uerò & à potu ab-
,, stinendum est. ubi uerò calor ad pedes usq; de-
,, scenderit, tunc exhibere conuenit. Hoc igitur
,, modo adiectioni subtrahere oportet, non quidem
,, ut sub iudicatione in interuallis totum subtraha-
,, mus cibum, sed quod solum adiectum est.

De accessione multa, ut dixi, superius dixi-
mus. De circuitibus autem uidetur, quasi in ac-
cessionibus, quæ circuitus nō obseruant, id agen-
dum non sit. Sed Hippocrates docet, uictum
non posse institui in illis, non negligi debere oc-
casionem. Sermo igitur Aphorismi est de morbis
intermittentibus, uelut tertianis & quartanis:
non autē de ipsis accessionibus, de quibus antea
peregerat in superioribus. nam in superioribus
egerat de accessionibus intermittentium, & sta
tu uniuersali continuarum: reliquū ergo erat, ut
doceret de interuallis & statu intermittentiū.
Docet ergo nihil dandū esse, ut neq; in cōtinuis.
Propterea totus Aphorismus simul integrè legi
,, debet: Iis qui per circuitus accessiones habent,
,, nihil dare oportet, nec cogere antè iudicationes,
,, sed subtrahere adiectioni. Verùm repugnat di-
ctio illa Cogere. Dico, interest dicere, His qui
per circuitus accessiones habent, cibus dandus
non est, scilicet in accessione, nec cogendi sunt
accipere interualli tēpore: &, In accessione non
est dandus cibus. Vult ergo, abstinendum à ci-
bo in his quibus per circuitus redeunt febres.
Quod si cibum postulent, dandus est hora re-
missionis: ut secundo de Morbis, de cura tertia-
Pa.12. & 13. næ & quartanæ. At in libro de Affectionibus,
in cura earundem, dat cibum in initio illarum.
Pag.5.& 6. Dico, dat in tertiana solum, uelut etiam Galenus
Cap.3. decimo Artis curatiuæ. In interuallo autē, si non
appetant, dicit, Non sunt cogendi: scilicet quia
tunc indicium est redundantiæ humorū. Vt sen-
sus clarus sit: His ægris, quibus febres per cir-
cuitum redeunt, in accessione non est dandus ci-
bus: in interuallo dandus est, idq; Adiectio uoca
tur. sed cogendi non sunt ad illam adiectionem:
uerùm si illam expetant, subtrahere eam oportet
etiam interualli tempore, cum morbus ipse fue-
rit prope iudicationem. Ex quo liquet, Gale-
num non intellexisse hunc Aphorismum: neque
enim differentiam adiecit inter ipsum, & unde-
cimum iam expositum: ut non solùm nugacem in
tanta breuitate, sed etiam immemorem prorsus
reddat Hippocratem. Verùm dices: In libro de
Humoribus loquitur de exacerbationibus, non
de accessionibus, neq; ægris? Dico, Hippocra-
tem de illis etiam loqui, ex quo magis differt à su
periore Aphorismo: de quo habet exemplum, ut Pag. 13.
dixi, in secundo de Morbis.

APHORISMVS XX.

QVæ iudicantur, & nuper iudi
cata sunt, neq; mouere neque
nouare aliquid, siue medicamentis,
siue aliter irritando, sed sinere.

COMMENTARIVS.

¶ Continuatur præcedētibus hic Aphoris-
mus à Galeno optimè. Cum enim docuisset Hip-
pocrates, qualis humor & quantus purgandus
esset: docet hic, quando non purgandum: in se-
quenti autem, quomodo purgandum: in uigesimo
secundo, quando: in uigesimotertio, quantum: in
uigesimoquarto, quādo sic, & quando nō, seu in
quibus sic aut non: in ultimo huius particulæ,
quid sequatur ex omnibus his. Ita res hæc redi-
gitur ad septem capita: Quis humor sit euacuan
dus, & hoc habetur in secundo: quādo non pur-
gandū, in præsenti Aphorismo: quomodo, in se-
quenti: quando, in uigesimosecundo: quantum, in
uigesimotertio: in quibus sic aut non, in uigesi-
moquarto: quid sequatur ex horum recta ratio-
ne, in ultimo. Refertur ad literam hic Aphoris-
mus libro de Humoribus, ubi pro Integrè legi- Pag.2.
tur ἀρτίως: quamuis Galenus dicat quod ἀ-
παρτὶ. sed hoc finxit Galenus, quia ἀπαρτὶ
significat perfectè & cumulatè. Verùm ἀρτίως
integrè & nuper significat. Galenus probat
tribus rationibus, quod significet integrè, et non
nuper. Verùm prima, ut dixi, sumitur ex ἀπαρ-
τὶ, quod scribitur in libro de Humoribus: cum
non sit uerum assumptum, nihil concludit. Se-
cunda, quia Nuper non conuenit cum Iudican-
tur, sed posset referri ad iudicata, ut rectè sic le-
gatur: Quæ iudicantur, & iudicata sunt nuper.
Tertia uerò euidentior uidetur: Quia, inquit,
absurdum est quod post tempus liceat mouere,
non autem statim ubi iudicata sunt. Sed credo
ego quod ἀρτίως significet nuper, & non in-
tegrè: sicut etiam antiqui exponebant. nam ἄρ-
τιος per ο paruum, significat æquale, inte-
grum: sed cum ω longo, significat solum nu-
per, uel paulo antè, uel modò. & ita Galenus
corrumpit

corrumpit literam Hippocratis, satis quidem impudenter, ut antiquis contradicat. Quid mirum? operto capite omnes expositores illum sequuntur: Philotheus, Brasauolus, Fuchsius. Sed ratio repugnat. Si enim indicata sunt integrè, quid attinet mouere quæ non iam in corpore ægri sunt, sed extra illud? Ratio etiam clara est ex aduerso. Si enim iudicantur, non sunt mouenda, ne uel naturam irritemus nimium, uel auertamus ab opere. Sin autem iudicata sunt nuper, nec moueri potuerunt, cum rebellia naturæ, statim si coneris expellere, nec mouere poteris propter contumaciam: nec sine magno ægri detrimento id aggredieris, cum sit debilis. Accedit, quòd scire non possumus quæ integrè iudicantur, nisi postquam iudicata sunt: sed nec tum agere quicquam debemus sufficiebat igitur dicere, Iudicata integrè non debemus mouere: & omittere, quæ iudicantur.

Imperfectæ autem iudicationis & actionis medici exempla protulit Hippocrates secundo Epidemiorum, his uerbis: Primum itaque lienis elevationes, si non ad articulos finierint, sanguinis è naribus eruptio fit: aut præcordij dextri intentio, si non penetrauerint urinæ. hæc enim est interceptio utrorumq., & recidiuæ horum meritò fiunt. Abscessus igitur horũ facere oportet, si non fiant: eos uerò qui iam fiunt, declinare: eos autẽ excipere, si prodierint iam, & qualia oportet, et qua parte oportet. Liquet ergo, hic Hippocratem loqui de bona iudicatione, cum materia extruditur extra corpus. circa morituros enim nil agendum. Si autem imperfecta sit iudicatio, ut in tumore lienis, declinare in melius: aut si bona, excipere, uelut cum ad articulos materia descendit. Sic cucurbitulas & emplastra super loca quæ excipiunt, imponemus.

Sec.3.

Duplex autem est imperfecta iudicatio: uel ratione quantitatis materiæ, cum non tota expellitur, & de hac non intelligit Hippocrates: uel ratione motus, cum fit per abscessum aut deriuationem, de qua hic intelligitur.

Sunt autem quidam morbi, quorum natura est ut non patiantur totam materiam à natura euinci, & maximè cum materia cruda fuerit, ut primo Epidemiorum: & in genere, quicunq. permutantur: ut morbus lateralis, angina, alba pituita, dysenteria. Hippocrates uerò inter illos qui purgari non debent, maximè sursum, libello de Veratri usu connumerat pallidos, & febre confractos. Intelligit ergo huiusmodi ægros, quibus iudicatio iam aduenit. Idem in libro de Medicamentis purgantibus: Cum corpus ex febre adhuc incalescit, medicamenta purgantia ne dato: carnes enim illa ad se trahunt, atq. ita medicamentum nihil operabitur, & febris augebitur: & color corporis corrumpetur, ut euadant in speciem morbi regij.

Sec. 2.

Pag. 2.

Galenus autem hic exponens ἄρτιος, non ἀρτίως, ponit perfectæ indicationis sex conditiones: quòd sit per euacuationem, non abscessum, (adde tu, Nec transmutationem) materiæ peccantis, non alienæ: concoctæ, per loca conuenientia, cum facili tolerantia, in die iudicatoria.

Quod uerò dixerit, Nouare neq. aliter irritando: intelligit de prouocantibus urinam aut sudorem, ut à Galeno primo Prognosticorum, de eo qui ægrum in balneo occidit, cum existimaret se iuuare naturam expellentem. idem de fluxu sanguinis nariũ, de uomitu etiã. Est autem quasi oppositus illi Aphorismo: Quæ relinquuntur in morbis, reuersiones facere cõsueuerunt.

Com. 4. 2. Aph. 12.

APHORISMVS XXI.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura uergit per loca conferentia, eò ducere conuenit.

COMMENTARIVS.

Et hic Aphorismus unus ex his est, qui habetur in libro de Humoribus. Sensus igitur est, quòd ubi tres conditiones affuerint, scilicet quòd materia sit euacuanda, quodq. iam pergat seu à natura inclinetur, & quòd inclinatio illa sit ad loca conuenientia, eò tunc educenda erit. Hic autem locus potest dupliciter interpretari: uel de materia quæ iam excerni incœpit, uel quæ solum est in motu. Si de materia quæ iam excerni pro parte cœpit, uidebitur posse continuari præcedenti Aphorismo, sic dicendo: Quæ indicantur & indicata sunt nuper, neq. mouere, neq. nouare aliquid, siue medicamentis siue aliter irritando, sed sinere. Quæ uerò ducere oportet, quoniam relicta sunt, quò maximè natura uergit per loca conferentia, eò ducere conuenit. Eorum uerò quæ non sunt adhuc educta, sed solùm sunt in motu, pulcherrimum exemplum habetur in libro de Ratione uictus in Acutis, his uerbis: At siquidem dolor ad clauiculam de se significationem præbeat, aut grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum, uenam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cũctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro & rubicundo liuidus, utrunq. enim contingit.

Pag. 11.

Pag. 5.

Si uerò

» Si uerò sub septo transuerso fuerit dolor, ad cla-
» uiculam autem de se significationẽ nõ præbeat,
» aluum mollire oportet aut ueratro aut peplio: ita
» ut ueratro quidem daucũ, aut seseli, aut anisum,
» aut cuminum, aut aliud quid ex odoratis ammi-
» sceas: peplio uerò silphij succum. Sed & hæc in-
» ter se si misceantur, consimilis modi existunt.
» Ducit autem ueratrum nigrum melius, & ad iu-
» dicationem commodius, quàm peplium. Peplium
» uerò flatus magis erumpere facit, ambo autem
» hæc dolorem sedant. Sedãt & alia multa aluum
» subducentia medicamenta: uerùm hæc inter ea
» quæ ego noui, optima sunt. Hæc Hippocrates,
innuẽs duo genera morbi lateralis: unum, in quo
materia fertur ad superiorem partem, ut doloris
sensum deducat ad clauiculam, uel brachium, uel
mammam, & tunc sectione uenæ opus est: aliud
ex opposito, in quo dolor est sub septo transuer-
so in costis mendosis: & tunc purgare oportet
ex hoc Aphorismo, per ea scilicet loca quæ natu
ræ motui assimilantur, & sunt conuenientia, id
est per aluum. Vnde liquet, Galenum multum
ibi aberrare, qui contradicat Hippocrati, red-
denti rationẽ præcepti sui. Dicit enim: Talia fla-
tus discutiunt, & dolorem sedant: ergo est, ac si
diceret, causas abscessus atq; abscessum minuũt.
Subijciemus autem & aliam causam ex libro de
Iudicationibus, in expositionẽ sequentis Apho-
rismi: declarabimusq; ibi, in abscessibus huius-
modi purgationẽ sæpe multis modis esse utilem.
De Galeni autem errore in illo loco, & rationi-
bus atq; experimentis non est ut dicam: quando-
quidem dicturus sim ibidem. Per idem dictum
Pag.20. interpretabimur Hippocratem, in eodem libro:
Fluxiones à capite ad uentrem ueratro curato.
Pag.10. intelligit de albo, & per uomitum, ut in libro De
locis in Homine docet. Fallit in oculorum fluxio
Pag.6. nibus, ubi uomitum uitandum docet. Sic ergo
distinguemus, in indicationibus & morborum
initijs debemus sequi motum naturæ, per loca
conuenientia deducendo materiam. non est au-
tem locus conueniens, primùm si meatu careat,
& uia. Secundò, si locus remotus sit. istæ duæ
conditiones ponuntur ab Hippocrate libro de
Pag.9. Locis in homine. Tertiò, ne super membrum
principale aut nobile, ex quo expurgari non fa-
cilè queat. Quartò, ne super membrum læsum.
Pag.4. Ob id dixit Hippocrates primo de Morbis mulie
rum: Ex fluxione infestatæ, fluxionem transi-
re ad os aut nares bonum. intelligit non de san-
guine, sed pituita. Sanguis enim qualiscunq; fue-
Pag.9. rit, supra malum, inquit ille idem. Rursus in li-
bro de Locis in homine, monet nos, quod flu-
xiones ad uentrem per gulam medicamentis al-
uum purgantibus curare oportet. Et in libro de Pag.18.
Victu in acutis: Si ex febribus dolores ad pedes
descenderint, inde ad caput & collum repant, si
quidem sanguine narium non soluatur morbus,
uenter uerò murmuret, & excrementa alui bi-
liosa fuerint, aluum scamonio subducito. Quin- Pag.19.
tam autem conditionem rectè purgandi per loca
conuenientia, statim subijcit dicens: Sectio ue-
næ, quacunq; parte fuerit lateris dolor, ex eadem
parte facienda est. Hoc est quod κατ' ἴξιν ap-
pellari dicit Galenus, secundo ad Glauconem.
Verùm dices: Hippocrates sexto Epidemiorum Cap.2.
ait, Dissimilia si uergant sursum eleuata infernè
soluere, & contraria per eadem: non igitur mo- Sec.2.
tu conuenienti naturæ motui. Et rursus in libro Pag.4.
de ossibus: Danda est igitur opera ut quàm lon-
gissimè à locis ubi dolores fieri solent, ac san-
guis colligi, uenas secemus. Non ergo ex pro-
pinquo. Itaque quæ diximus, de purganda in
morbis materia dicta sint. At si generalem do-
ctrinam facere uoluerimus, obseruatis omnibus
conditionibus præter secundam, quam solum
omittemus, cum pleno corpore auertere abscess-
sum uoluerimus: in reliquis solum obseruandum,
ut in reuulsione locum materiæ non doloris, sed
dolori contrarium, si fluxio sit ex aduersa par-
te, consideremus. Atq; ita Aphorismus genera-
liter uerus erit, & conuenientis loci in omnibus
eadem ratio: scilicet ex eadem parte qua est ma-
teria, licet nonnunquam ex aduersa dolori. In
longitudine quidem frequenter, à dextro autem
in sinistrum, & e contra rarò. Propè uerò & à
contraria, cum materia non multa fuerit, & in
contrarium secundum longitudinem illam de-
clinare uolumus.

Quòd uerò educere oporteat ex eodem la- Sec.2.
tere, quoniam naturæ hoc opus sit, declarat Hip
pocrates sexto Epidemiorum: è directo & late-
rum & præcordiorum intentiones, & splenis
eleuationes, & è naribus eruptiones, & aures
è directo. Et clarissimè primo Prædictionum:
Sanguinis eruptiones ex cõtrario malæ sunt: ut Pag.5.
si splene magno ex dextra nare fluat, & circa
præcordia, eodẽ modo res se habet. Verùm cum
sudore, hoc peius est. Et tertio Epidemiorum: In Aegro 3.
ægro qui habitabat in Dealcis horto, sanguis ex
sinistra nare fluxit, & splen eleuatus, & crus
sinistrum indoluit: quia tamen tempus dextrum
doluerat, morbus ad quadragesimum diem prò-
ductus est.

Quæ uerò ducere conueniat, septem definiuntur casibus: quorum tres cum febre sunt, quatuor sine ea. Cum febre quidem, in fine morbi concocta materia, ut in sequenti Aphorismo, ne longius progrediar: & in initio, turgẽte materia: Medicari in ualde acutis, si materia turget,
4. Aph. 10. *eadem die: & in imperfectis iudicijs. Quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, reuersiones*
2. Ap. 12. *facere consueuerunt. talia ergo non statim, ut in præcedente Aphorismo, sed denuò præparata atq; concocta educere expedit. Sine febre, aut ratione periculi morbi grauis imminẽtis: uel etiã solius redundantiæ, cũ tamen periculũ etiã immi*
6. Aph. 45. *net, sed incerti generis morbi, iuxta illud: Qui-*
„ *buscunq; uenæ sectio uel purgatio cũ medicamẽ*
„ *to conuenit, hos uere purgare uel uenã incidere oportet. Secundus, ubi propter dolorẽ. iuxta il-*
„ *lud: Supra septũ transuersum dolores purgatione*
4. Aph. 18. *indigere per superiora significãt. Quicunq; uerò*
„ *inferiora molestant, per inferiora. Et rursus sex-*
Sec. 1. *to Epidemiorum, ibi: In renẽ dolor grauis, cum*
„ *cibo impleantur. inde subijcit: Veratro purgare*
„ *iuuenes, poplitem secare. Tertius, cum materiæ redundantis, ac postulantis expulsionem, signa*
4. Aph. 17. *apparent. iuxta illud: Si quis febrem non habens*
„ *abstineat à cibo, & cordis morsum & tenebri-*
„ *cosum uertiginẽ patitur, & oris amaritudinem,*
„ *purgatione indigere per superiora significatur. Quartus in fluxionibus est, de quibus iam diximus. Atq; hic est sensus, amplificato Aphorismo, & ad generale præceptum redacto.*

APHORISMVS XXII.

Concocta medicari atq; mouere, non cruda, neque in principijs, modò non turgeant: plurima uerò non turgent.

COMMENTARIVS.

¶ *Rationẽ huius dicti declarabat Hippocra-*
Pag. 16. *tes in libro de Ratione uictus. Sed nos diffusius sic; In principijs morborum non esse materias concoctas, palàm est. Cur ergo subiecit, Non cruda, & neque in principijs? an ergo aliud est cruda & incocta dicere, uelut & primo Epide-*
Sec. 2. *miorum: Cruda uerò, & incocta? Vt uideatur distinguere Hippocrates inter crudum & inco-*
Pag. 6. usque ad 9. *ctum. Hoc ergo in libro de Veteri medicina, sic primùm aggreditur, dicens: Quæcunq; conco-*
„ *quuntur, mitiora & meliora euadunt: euadunt autem talia, quia ad mediocritatem reducuntur. omne autem quod reducitur ad mediocritatem, à contrario reducitur, ut frigidum à calido. Propterea inquit: Multipliciter, & per omnes modos contingit concoqui & permutari humores, atq; crassescere ac attenuari. Et parum antè fit aut concoctio ex permistione temperaturáq; mutua, & quasi coctura. Permistionem hanc docet esse calidi cum frigido, & frigidi cum calido. Et dat exemplum de fluxionibus, dicens: Fluxiones in fauces, ex quibus anginæ, raucedines, erysipelata & peripneumoniæ fiunt, ab initio tenues, acres & salsæ sunt: postquã maturuerint, fiunt crassæ, & sine acrimonia: tuncq; dolores & febres ac molestia desinunt. Hæc igitur est concoctio humorum peccantium. Aliam proposuerat antea ciborum rationem, dicens: Cõcoqui non est calescere uel refrigerari, humectari uel exsiccari, sed euinci quod euictum & concoctum est. quod potest euinci, potest concoqui. Euincuntur autem facilè, quæcunque nihil retinent immoderatum, ut calorem aut frigus. tales autem coctiones, superius fieri à calore naturali*
declarauit. Coctionis igitur author, calor natu- Aph. 14. 15.
ralis: forma est, euictum esse mitiorem & meliorem, & in arbitrio naturæ: modus, tẽperamentum quod ex permistione contingit: species duæ, una ciborum & potuum, alia humorum noxiorum. Proprium est autem eorum quæ concoquuntur, dulcescere: quod etiam dixit in libro de
Aere & aquis. Iuuatur autem coctio, cum con- Pag. 6. Sec. 2.
clusa manent quæ coquuntur. Vnde sexto Epidemiorum: Quæcunq; concoqui oportet, conclusa esse conuenit: contraria uerò, siccare & aperire.

Huic autem cocto duo opponuntur: Incoctum per se, quod non coctum est, aut saltem non perfectè: et crudum. Vnde septima Aphorismorum:
Quibuscunq; cruda deijciuntur, his ex atra bile 68. Sed nõ est in Galeni textu.
fiunt: si plura, copiosiore: si pauciora, pauciore. Liquet hic cruda dici, à coctione peruersa. Biliosa quoq; cruda appellauit Hippocrates, libro de
Ratione uictus in acutis, teste Galeno. Sed non Pag. 8.
uidetur mihi uoluisse id Hippocrates, ut ibi docebimus: quanquam faueat nostræ opinioni. Nihil tamen refert, cum incoctio & cruditas omni humori aduenire poßint. Forsan ueritus est Hippocrates, quæ aliquatenus cocta sunt, cruda appellare, maluitq; incocta dicere, id est non perfectè cocta. Sed Galenus exponens dictum primi Epidemiorum, nullam animaduertit differentiam: cum tamen Hippocrates hìc dicat, concocta, & non cruda: ibi, ὠμὰ δὲ, καὶ ἄπεπτα. Per cruda ergo, minimè elaborata intelligit: incocta, quæ coctionis perfectionem non potuerunt assequi, seu quia perfectè concoqui non potuerunt,

tuerunt, seu quoniam antea coctio aliquo modo peruersa sit. quod indicatur ex illis uerbis subsequentibus in primo Epidemiorum: Et ad malos abscessus conuersa. Sic ergo est, ac si diceret, non debes mouere nisi concocta: & ita concocta, ut non sint ulla ex parte cruda, id est imperfectè cocta.

Cur uerò dixit, Neq; in principijs? Quoniam cum multis persuasum esset, in morbis non esse purgandum nisi materia cocta esset, existimabant tamen in principijs hoc licere. propterea paulopòst subiecit: In acutis affectionibus raró, & in principijs, medicamentis purgantibus uti: & hoc cum præmeditatione faciendum. Et in secunda particula: Cum morbi inchoant, si quid uidetur mouendum, moue: cum uerò consistunt ac uigent, melius est quietem habere. Explodit ergo duos errores Hippocrates, unum eorum qui purgant materiam semicoctam, medicamento quod uocant minoratiuum: alium illorum qui in principio purgant, reducens omnem purgationis rationem ad duos scopos: cōcoctionem materiæ in fine morbi, & materiam turgentem in principio.

Aphor. 24.

Aphor. 29.

Medicari autem uerbum, φαρμακεύειν, accipit pro uti purgante medicamento. unde non idem est, cum utitur eo pro nomine, ut in de Victus ratione λύειν φαρμακεύειν, soluere medicamento. Medicamentum dicitur & quod uomitu purgat, ut quarta Aphorismorū, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει. Ita dicitur de emplastris, φάρμακα μαλθακώδεα. Sed nunc nobis sufficiat Galeni authoritas in Commento, ut non prohibeamur in morborum initio à uomitorijs auxilijs.

Pag. 9. 17.

Sed cur adiecit, Et mouere? Non obiter, ut intelligeremus neq; urinas neq; sudores prouocandos, quoniā mouet humores: in uomitu autem & clysteri non fit motus humorū, sed euacuantur ac si in ore contenta essent. ob id in libro de Medicamentis concedit clysterem Hippocrates, in quacunq; hora febris. Galenus tamen in intermittentium accessionibus non ueretur uomitum ciere: clysterem tamen adhibere non audet, nisi intermissionis tempore. Declarat autem, per motum quid intelligat, in Aphorismo superius adducto: Cum morbi inchoant, si quid uidetur mouendum, moue: cum uerò consistunt ac uigent, melius est quietem habere. Hic patet, illum loqui etiam de uenæ sectione, & his quæ humores omnino mouent, ut clysteria ualida, uomitus laboriosi, cucurbitulæ, frictiōes uehemētes. Præcipit ergo, ut nō moueamus. Ratio hoc ostendit, non sunt purgandi medicamento, ergo multo minus mouendi humores: quia iactura par est, ut calefacere corpus, uires debilitare: utilitas autem non est par, quoniam materia non educitur.

Lib. Quos & quando.

Modò nō turgeat. Quid sit turgere, nō uidetur Galenus intellexisse, aut noluisse intelligere. Et clarum est, quòd per turgere intelligit, moueri cum impetu. & tunc uel mouetur ad locũ excretionis, uel non: & in utroque casu tunc oportet aliquid agere. nam si excernit, iuuanda est ut perficiatur opus: quandoquidem periculum est ne non præparata materia, non perficiat quod incœpit. Si uerò non excernit, iuuanda est eò magis, ne in locum decūbat aliquem, & abscessum faciat, ex quo æger ad extremum deducatur. Quòd autem per materiam turgentem præcipuè intellexerit Hippocrates materiam inchoantem abscessum, patet libro de Ratione uictus in acutis. Vbi Hippocrates docet, sanguinē mittendum, aut purgandum. de quo miratur Galenus: quia quod præ oculis erat, non animaduertit, scilicet omnem materiam facientem abscessum, calidam esse turgentem: atq; ideò tunc conuenire purgationem, quando reliqua consentiant. exceptio enim de materia turgente, non est generalis. Cum enim purgare licet ab initio, materiam turgentē esse necesse est: sed cum materia turget, non semper purgandus est æger, nisi motus naturæ consentiat, & fuerit proprietas.

Pag. 53.

Est & authoritas Hippocratis secundo Epidemiorū: Scopo ex mucosis, biliosis, & faucium « inflammatione, malo uictus usu, aluus suppressa « est, & febris acuta facta, & lingua florida, & « uigil sine somno. Pectinis intentio magna, æqua « liter paulatim ad infernam partē in dextris: Spi- « ritus subdensus, præcordia dolebat: & cum re- « uerteretur, sine tussi uerò, subcrassa excreabat: « Peplus illi data à præcordio quidem depulit, tran- « siuit autem nihil. Hunc indicatum, quamuis difficulter, undecima die ait. Dicit ergo à medicamento & glandibus, quamuis nihil descenderit, tumefactum splenem: ideò non mirum est, si seruatus sit. Sexto quoq; eiusdem, cum ait, In renem dolor grauis, iuuenes ueratro purgare. Sed & hic Galenus interpretatur, per inferna, quod per superiora & uomitum intelligi potuit. Sed id est pro nobis. Verùm & post, cum inquit: Dissimilia si sursum uergant, eleuata infernè soluere. Multa etiam habētur alia exempla in quarto & quinto libro, uelut de Eupolemo in Oeniade: quamuis (ut ibi testatur Hippocrates) ob negligentiam

Sec. 3.

Sec. 1. & 2. in initio.

gligentiam perierit. Tum etiam in septimo, & in libris de Morbis & Affectionibus, quæ longum esset recensere. Vt constanter concludamus, materiam turgentem esse eam quæ cum impetu mouetur: atq; omnem quæ abscessum calidum inchoat huiusmodi esse, nec tamen, ut dixi, purgationem ubiq; conuenire. sed si sanguinea sit, melius educitur uenæ sectione: atq; eo magis si tendat ad locum purgationi non satis aptum, ut ad iecur.

Pag. 2. Inquit uerò, Plurima non turgere. idem dixit in libro de Humoribus, ubi exscribitur Aphorismus. Id uerò dignoscitur ex his quæ in libro primo de Morbis scripta sunt. pauciores

Pag. Penultima. enim sunt cum abscessu, quàm sine. Et ibi docet, quod peripneumonia fit ex morbo laterali, & febre ardente: tunc non sumus in proposito, quoniam non sumus in principio. ideò de huiusmodi

In fine. transmutatione aliàs dicendum. In libro ergo de Iudicationibus inquit: Quibus dolores fiunt repentè, præcordium eleuatum est superne: et si circa spuriam costam graues dolores fiunt, his solutio fit per uenæ sectionem, & inferiorem purgationem. non enim corripit febris uehemens locis impotentibus. Hic parum dissidet ab his quæ dixit in libro de Victu in acutis, & in expositione superioris Aphorismi. Sed redditur quinta causa, cur liceat dare medicamentum. Repentini ergo dolores rarò in febribus accidunt, qui indi-

Pag. 5. care solent materiam turgentem. Hoc idem libro de Affectionibus, dum curat repentinos dolores medicamento per inferna purgante, sed tum citra febrem: quos dicit fieri uel à pituita ad cor

Sec. 6. in princ. tendente, id est ad os uentriculi, & à bile. Propterea etiam sexto Epidemiorum scripsit: In doloribus proximum uentrem purgato, & sanguinis uentrem secato. Quòd si rarius cōtingit hoc sine febre, quanto magis in febribus? Nam in febribus tria sunt, ob quæ non adeò materia transit de loco ad locum: Flatus defectus, cum absumatur à febre, & humoris diminutio ab eadem: & quia partes non trudunt, sed laxantur.

Turgente ergo materia conuenit purgatio, maximè ob quinq; causas. prima est, ut cum sit in motu, facilior fiat expulsio, minuaturq; materia abscessus, & ideò facilior fiat iudicatio. Secunda, ut flatus discutiatur, qui ægrum molestia afficit, & dolorem auget: adeò ut Hippocrates in libro de Flatibus, causas omnium morborum, tum maximè abscessuum, flatus esse dicat. Tria enim magna mala facit: dolores auget, dilatat locum ut pateat aditus materiæ, & materiam mouet, urget & impellit, intruditq; in loca arcta. Ob id Hippocrates iubet, purgantibus medicamentis odorata admisceri: ut flatus discutiatur. Tertia est, ut dolor loci minuatur auerso impetu materiæ ad locum. Et has tres causas docuit Hippocrates, ut dixi, in libro de Ratione uictus in acutis. Aliam docuit in libro de Iudicatione: Pag. 5. & est, quod cum abscessus fit in loco ignobiliore, ut sub septo trāsuerso, minorem facit febrem: ergo purgatio securior erit. Quinta, ut sequamur motum ipsum naturæ, iuxta Aphorismum præcedentem. Pag. 5.

Si uerò quis materiam quiescentem expurgare conetur, tria maxima damna inferet: quæ omnia Galenus prætermisit, nec scio cur. In alio autem Aphorismo, qui paulopòst exponetur, causam unam affert, nec necessariam, nec ualidam, scilicet caliditatem medicamenti expurgantis: cùm tamen liceat, ut hodie faciunt 24. nostri seplasiarij, multo Syrupo ex uiolis magnam scamonij quantitatem miscere, aut ex rosis aut endiuia, & tunc egregiè purgabit, & quantum est in se refrigerabit. neq; deerant huiusmodi frigida tempore Hippocratis, & multo minus Galeni. Solani enim succum, & cucumeres, & cucurbitas, uehementer refrigerare, & aluum subducere, docuit Hippocrates in secundo de Diæta, quem palàm est illius esse. Quis Pag. 8. & 9. ergo prohibuit, ne horum cuipiam scamonij non paruam quantitatem immisceret, atq; sic ægrotantes ab initio uel procedente morbo purgaret, ac refrigeraret simul? Ergo incommoda intempestiuæ purgationis ineuitabilia sunt, humorem peccantem non expurgari prorsus: quod Hippo Pag. 14. crates libro de Victus ratione in acutis docuit, licet in abscessibus, & quod materia translata ex loco suo concoqui nequit, demum quod protrusa obstructiones inuictas creat, & nonnunquam abscessus, ob hæc tanta mala purgare non oportet.

Sed quomodo concoctam materiam dignoscemus? Tribus in locis perficitur coctio: in uentre, uenis, & corpore toto: ideò ex totidem excrementis, urina, alui egestione, & pure, siue laboret laterali morbo, seu alio abscessu intus uel extra. Vocat autem Hippocrates optimum pus, egestionem & urinam concoctam: quamuis optimum ad alia extendatur. Vnde uomitus Pag. 5. optimus, inquit in Prognosticis, est ex pituita & bile quam maximè permistus, & non ualde crassus, neque multus. Vtitur tamen commodissimi nomine, non optimi: sed quod ad hoc, in

Pag.4. idem tendunt. Optima igitur egestio, ut ibidem
„ habetur (quam, ut dixi, concoctam dicere pos-
„ sumus) mollis & cohærens, quam insipissari
„ oportet morbo ad iudicationem tendente: sit
autem subfulua, & non grauiter olens. In libro
In initio. autem de Iudicatione, hæc corrupta sunt, nec
perfecta, cuius causam ibidem ascribemus. Vri-
na quoq; optima est, cum fuerit subsidentia alba,
leuis & æqualis, per totum tempus donec mor-
bus fuerit iudicatus. In quo differt etiam à con-
cocta solum, quæ tempus non sibi determinat,
ut optima. In duobus ergo concoctum ab optimo
differt (quanquam uno pro alio Hippocrates
utatur) & quòd optimum dicitur de omnibus
quæ significare possunt, sudoribus inquam, uo-
mitibus, sanguine, facie, decubitu: concoctum,
solum de tribus excrementis trium coctionum.
Et quod optimum plura exigit quàm cõcoctum:
ut multitudinem, tempus, facilitatem, & reli-
qua. Secũdum, signum est à remißione febris &
Pag.6. symptomatum, ut in libro de Veteri medicina. Et
2. Aph. 47. insinuatur nobis in Aphorismo illo: Dum pus cõ-
ficitur, dolores ac febres fiunt, magis quàm iam
confectò. Et idem testatus est Galenus in secun-
Com.29. da Aphorismorum. His duobus signis conco-
ctio definitur.

Turgens autem materia tribus signis, dolore
& murmure & inquiete significatur. De mur-
Pag.11. mure diximus ex libro de Victu in acutis, in
„ præcedẽti Aphorismo: Et rursus in Coacis præ-
„ dictionibus: Tumores in præcordijs recentes,
„ doloresq; ab ipsis, si non cum inflammatione
„ fuerint, soluit murmur in præcordio (ipso)
„ obortum: & præcipuè si pertransierit per uri-
nas, aut alui egestiones. Sed & huius murmu-
73. ris meminit quarta Aphorismorum. Verùm
murmur flatus potius indicium est: & ob id
causæ motus materiæ, dolor & inquies pro-
priè motus ipsius.

Huic sententiæ tamen plures repugnarunt,
Trac.3. quorum dux est Rasis in trigesimo cõtinentium:
Cap.2. & causam præbuit Galenus, qui rationem satis
frigidam attulit: unde illa expugnata, quæ faci-
le potest expugnari, Rasis existimauit obtinuis-
se contra Hippocratem. Eum secuti sunt multi,
& Auicenna in tãto flagitio uoluit sedere in dua
bus sellis: nec ausus est stare pro Hippocrate, ue
ritate & utilitate humani generis. Galenus ta-
men Hippocratem secutus est. Medici nostri tem
poris in utroq; præcepto aberrarunt. Nam &
in non turgente materia purgant: & in turgen-
te alluum solum lenientes, aut leuiter etiam pur-
gantes, occidunt ægros. Causa quòd medici tam
sæpe aberrent ab hoc scopo, est, quòd dum sunt
iuuenes, uerentur, si non purgent, ne pro imperi-
tis habeantur. Quibus se ducem exhibuit male-
ficus & imperitus quidam, in perniciem humani
generis natus, qui etiam multa stultè de hoc scri-
psit, quæ perlegentibus hanc expositionem sta-
tim, quòd extra propositum adducta omnino
sint, intelliguntur, nec rationes illas pondus ul-
lum habere. Plures tamen medici sequentes con
suetudinem à iuuentute contractam, in errore
perseuerant: adeò ut etiam se suosq;, si casus se
offerat, ut frequenter accidisse uidi, perimant.
Plurimum ergo debemus huic Aphorismo, quan
doquidem uel cum ipso adhuc adeò malè audiant
medici, ut dicere soleant, medicos plures occide-
re quàm sanare. Quod si hic obex non esset,
haud dubito, quemadmodum Romani fecerunt,
urbes eiecturas esse medicos publico decreto.
Sed ad meliora transeamus.

Inquit Galenus quinto de Tuenda sanitate: Cap.15.
Tria sunt genera subducentium aluum: medica-
menta, ut scamonium & aloes: cibi, ut pruna,
cerasa, caules: & cibi medicamenti uim haben-
tes, ut caricæ, cnicum, mercurialis. Quæritur
ergo, an huiusmodi liceat uti, scilicet cibis puris,
& uim purgandi habentibus: in quo genere
etiam sunt cucurbitæ, ut dixi, & cucumeres?
Galenus in tertiodecimo artis curatiuæ, in phle Cap.15.
gmone cauæ iecoris partis admittit mercuria-
lem, urticam, cnicum, polypodium, epithymum,
& etiam ellebori corticem: quo fit, ut in turgen-
te materia, cũ adhuc influit, tametsi principium
iam præterierint, huiusmodi admittere conue-
niat, quando spes fuerit reuocare quod adijci-
tur: aliter autem si materia quieuerit, non sunt
danda. quæ autem reuellunt, nec supra læsam
partem ducunt, semper conueniunt: ut dum fiunt
quæcunq; purgant uehementer. Ita ergo trium
quæ aluum deijciunt, usus erit: ciborum in sa-
nis: medicamentorum turgente materia: factis
abscessibus ciborum uim medicamenti haben-
tium, cum cibis ipsis, materia quiescente, lenien-
tium. Vnde etiam caßiæ nigræ usus, solum phle-
gmonas iam patientibus utilis erit.

APHORISMVS XXIII.

DEiectiones non multitudine
sunt æstimandæ: sed si talia
deijciuntur qualia conueniunt, &
ægri facilè tolerant. Atque ubi usq;
ad animi defectionem expedit du-
cere,

cere, faciendum, si æger posſit tolerare.

COMMENTARIVS.

¶ *Verba illa,* Atque ubi uſq; ad animi defectionem, *declarant* Hippocratem *loqui non de ſpontanea euacuatione, ſed à medico facta. Quod etiam docet continuatio ad præcedentem, tum ſubſequentem Aphoriſmum.* Galenus *hac in parte uituperandus non eſt; quòd dubitauerit. melius enim eſt in ambiguis dubitare, quàm errare.* Hoc autem *ſic clarum eſt, in initio huius particulæ* Hippocratē hæc duo con-
Aph. 21 *iunxiſſe ſimul: Si qualia oportet purgentur, confert, & bene ferunt.* Cum uerò dixit, Sic & uaſorum inanitio, *non de humore ſolùm, ſed de operatione ipſa locutus eſt.* Ideò hic cum neutro *modo loquatur, utrunq; aſſumit, dicens: ſed ſi talia deijciuntur, & ægri facilè tolerant: ſupple, tunc rectè agitur.* Sunt ergo tria: *Si qualia oportet purgari, purgentur, & ægri bene ferunt, tunc rectè agitur à medico. non autem ſufficit medico, quòd qualia oportet purgari, purgentur: nam oportet ut per uiam debitam, & ſub debita quantitate, & conſtantibus uiribus & reliquis, purgatio fiat. Si uerò qualia oportet purgari, purgentur, omnibus ſeruatis conditionibus, tunc confert, & benè ferunt. & ita intelligendus eſt ultimus* Aphoriſmus *huius particulæ.* Ergo per Qualia, *uel intelligimus conditionem ſolam humoris: & tunc ſi natura id agat, confert, & benè ferunt: ſi medicus, non ſufficit.* Secunda, *ſi qualia oportet purgari, purgentur à medico, & confert, & bene fert æger, rectè medicus agit.* Tertiò, *ſi per qualia oportet purgari, purgentur, intelligamus humorem peccantem concoctum, per loca conuenientia in morbis in quibus conuenit, & ſub debita quantitate, tunc confert, & benè ferunt ægri, nec erit ſuperfluus iuxta hoc ultimus* Aphoriſmus: *nec quicquam, quamuis repetitum uideatur, repetitum erit: nec hic de naturæ euacuatione, ſed ſolius medici, loquetur* Hippocrates. Secundi *igitur* Aphoriſmi *pars prima eſt, de naturæ operatione: ſecunda, medici.* Sed *animaduerte quod multùm differt, dicere,* Si talis fiat, *& ſi qualia oportet purgari: hoc enim ad ſolam materiam refertur. primum ad medici opus, quod longè plura comprehendit.* Sed *præſentis* Aphoriſmi *tota ſententia eſt de medici operatione, ut etiam ultimi: ſed in hoc iungit partes, quia per* Qualia *intelligit humorem peccantem: in ultimo autem humorem, qui & quomodo oportet euacuari debet.* Nec *alio argumento indigeo ad hoc demonſtrandum, quàm ipſa ſerie uerborum ipſius* Hippocratis, *qui aliter utitur hoc nomine* Qualium *& talis.* Qualium *enim eſt relatiuum primum & plurale,* Talis *relatiuum ſecundum & ſingulare.* Sententia *igitur primæ partis* Aphoriſmi *eſt, quòd duo ſunt conſideranda in euacuatione: quòd qualis materia debet euacuari euacuetur, & quòd ægri facilè ferant. non dixit, quòd conferat. nam ſi qualia oportet euacuari, euacuentur, neceſſariò confert: non tamen ſequitur, ut facilè ferant, uel ob multitudinem, uel locum, uel uires, uel alia incommoda.* Vt *autem qualia debeant euacuari cognoſcas, docet præcipuè in quarta particula,* Aphor. 2
cum dixit: In medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, utile. quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Sed *& ex alijs ſignis, ut infrà.* Sed *di-* Aphor. 25.
cetis: Non'ne *oportet conſiderare quantitatem, ſaltem quando nimis exigua fuerit?* Reſpondeo, *quòd* Hippocrates *non dicit* Quantitate *ſunt æſtimandæ, ſed multitudine. iam enim præſupponit, eſſe multam deiectionem.*

Atque ubi uſque ad animi defectionem ducere expedit, faciẽdum, ſi æger poſsit tolerare. *Præclarè feciſſet* Galenus; *ſi hunc ſaltem locum declaraſſet: ſcilicet ubi expedit, quomodo omittenda ſit, ſi æger poßit tolerare.* Deinde *cum* Hippocrates *de euacuatione per aluum loquatur, ipſe exponit de ſectione uenæ.* Par *enim erat, etiam ſi uerum fuiſſet quod diceret, uel ut redargueret* Hippocratem, *uel ut illi quæ dixit applicaret: quorum neutrum cum faciat, meritò* Galenus *hac in parte damnandus uidetur.* Sed *ut breuiter uera fatear,* Hippocrates *nec de ſectione uenæ loquitur hic, nec de ſyncope, ut uelle uidetur* Galenus: *ſed uulgari illo animi deliquio, quòd ſuperpurgati ægri ſine magno periculo incurrere ſolent.* Occurrit *enim tacitæ cuidam dubitationi, quia dixerat, ſi æger poßit ferre.* Quomodo *enim ſi ad uirium defectum æger deducatur, ferre potuiſſe dici debebit? propterea ſubiunxit, ubi æger poßit perferre, ne uerearis animi deliquium, quod* Græcè *uocatur* λειποθυμίαι *ſeu* λειποψυχίαι. Vtitur *autem* Hippocrates *hic primo nomine.* At *ſyncopi correpti uocantur* Aphor. 41
ab eo ſecunda Aphoriſmorum ἐκλυόμενοι, *ab* ἐκλύω, *quod eſt diſſoluo, dißipo, deſtruo.* Quid *ergo eſt, ut* Galenus *ſimplicem animi*

defectum cum hac tanta iactura uirium confundat? & sensum Hippocratis *extra propositum nulla ratione traducat? De hac exsolutione ui-* Pag.27. *rium intellexit in Coacis prædictionibus, cum dixit: Liquida alui egestio seu sensim seu simul, si contingat, mala est: altera enim uigilias, altera exsolutionem facit. Hic tamen non uult, ut medicus tanto periculo se exponat.*

Pag. 2. Adducitur hic Aphorismus in libro de Humoribus, atq; ibi, ut uisum est diffusè exponitur.

Vt uerò ea quæ Galenus hic scribit prosequar, quæ nollem illum scripsisse, proponit tres casus, & omnes falsos: sed primus ferri potest, cæteri ne initiato quidem medicinæ digni sunt. Primus est, ardentißimarum febrium. hic si intelligit ardentißimam febrem, id est à flaua bile factam, aberrat toto, ut aiunt, cœlo: hoc enim esset scelerata manu hominem interficere. sin autem de ea quæ fit à sanguine, adhuc generale præceptum non est, Cap.10. uel ipso teste nono Artis curatiuæ, ubi de duobus ægris narrat, quibus secta uena, ab alijs medicis exsoluti nunquam amplius reuixerunt. Sed legere ἰσχυροτάτοις πυρετοῖς, ut antiqua uersio legit, id est uehementißimis febribus, melius est quàm θερμοτάτοις. In secundo casu phlegmonis, uel ipso teste, multo minus conuenit sectio huiusmodi uenæ, cum dicat tantum esse relinquendum sanguinis & uirium, ut abscessus concoqui poßit. Sed deceptus est Ga- t.Com.74. lenus ex dicto illo, quarto de Victu in acutis, ubi sic mittit sanguinem Hippocrates: In tertio casu, in dolore coli, uel renum lapidis, si ad exsolutionem sanguinem mittat, feretrum iubeat afferri medicus, & carnificem se missum testetur. Quare credo intelligendum de doloribus à causa calida ortis, cum suspicione futuri abscessus. Nec excusant uerba illa, Adhibita distinctione. Nam in dolore coli sæpe purgatio talis eâdem die occidit. Sed utut sit, melius est ut expositione hac Aphorismorum à Galeno facta, relicta, ad illius libros de Arte curandi te conferas. hic enim aut toties aberrat: aut si nolis hoc uerbum admittere, tot præbet aberrandi causas, ut omnino latronis sit, propter paucula uerba seu ab illo malè scripta, seu posterius temporum uitio corrupta, seu à nobis perperàm intellecta, tot insontium uitam in manifestum periculum uocare.

APHORISMVS XXIIII.

IN acutis affectionibus rarò, & in principijs, medicinis purgantibus uti. Et hoc cum præmeditatione faciendum.

COMMENTARIVS.

¶ *Dictio* πάθεσιν, *non habet latinam respondentem: sed in animi affectibus, dicimus eius loco perturbationem. Paßio latinum non est, affectio uel morbus conueniunt. Est autem Aphorismi sensus: Vt purgemus medicamento, quatuor conditiones necessariæ sunt, seu sunt obseruandæ: quòd affectio acuta sit, in principio rarò etiam id conuenit, & cum præmeditatione faciendum. Cur solùm in acutis? Quoniam conuenit solum turgente materia, ut uisum est: sed omnis materia turgens facit morbum acutum: igitur conuenit solùm in acutis. Ab inferiore enim ad superius argumentum concludit. Sola terra mobilis non est, ergo solum elementum mobile non est.*

Proponitur hic Aphorismus, quoniam in *uigesimosecundo dixerat: Neque in principijs, modò non turgeant. ideo subijcit: In acutis enim in principio licet purgare, sed rarò, & cum præmeditatione. Ex quo habetur, quod in processu morbi nunquam, nisi in fine, cum materia concocta fuerit: in principijs autem, solùm in acutis, & hoc rarò, & cum præmeditatione: rarò quidem, quia rarò contingit materiam turgere.*

Sed dices: Cur ergo interponitur præcedens Aphorismus? Dico, quòd ille continuatur primæ parti Aphorismi illius: Concocta medicari. Respondet tacitæ obiectioni: Multa tamen fit deiectio materiæ ante coctionem, ideò uidetur utilis huiusmodi purgatio. Respondet: Non, quia deiectiones non multitudine sunt æstimandæ: sed si talia deijciantur, qualia conuenit, & ægri facilè ferunt. Quasi dicat, etiam quod multa purgatione deieceris, nec qualia oportet purgabis, sed alienum humorem, nec facilè ferunt, ideò non iuuabis illos.

Sed cur dixit, Rarò esse purgandum in acutis? Quoniam sex sunt casus, in quibus etiam quod materia turgeat, medicari non est tutum: non dico quod omnino prohibeat. Primus ha- 1.Aphor.
betur in quarta Aphorismorum: Vtero geren- "
tes sunt medicandæ, si materia turget à quar- "
to mense usq; ad septimum, sed has minus: iu- "
niora autem & seniora uereri oportet. Non "
prohibet ex toto, sed admonet. Secundus est in extenuatione partium uentris quæ sunt infra "
umbilicum, secunda Aphorismorum: In quo- "
uis mor-

„ uis morbo partes ad umbilicum & imum uen-
„ trem attinentes, crassitudinem habere melius
„ est: multum uerò extenuari, & contabescere,
„ prauum. Sed hoc quoq; ad inferiores purgationes periculosum. Tertius est ratione temporis,
Aphor.5. quarta Aphorismorum: Sub cane, et ante canem,
» molestæ sunt medicationes. Quartus est: Cum
» corpus est astrictum. ideo secunda Aphorismo-
» rum ait: Corpora cum quispiam purgare uo-
Aphor.9. luerit, oportet fluida facere. Quod etiam quasi Galenus in Commento obseruat. dicit enim, quòd tria sunt necessaria ad purgationem rectè faciendam: ut aluus assueuerit lenientibus medicamentis subduci: ut humores qui sunt in meatibus, sint præparati: & ut obstructiones atque oscula uenarum sint aperta. Sed hic non meminit astrictionis alui. Dicit ergo, se usu edoctum, necessariam esse hanc præparationem humorum, & apertionem uenarum: sic ut hæc exceptio tres contineat partes. Quintus est in
Pag.4. eo qui nuper sumpsit cibum, libro de Victus ratione in acutis: ubi iubet exhibendum clystere, non dandum medicamentum. Sextus autem casus est, ubi inflammatio sit in uisceribus, in uia & in uentriculo aut intestinis, quia duceremus super membrum læsum. Galenus autem in præsenti Commento dicit de omnibus uiscerum inflammationibus: quod falsum est, ut superius docui. Omnes tamen hi casus, præter ultimum, docent periculum esse in purgatione, non expressè inhibent. Est etiam casus de infante, quem non adduco, quia uix poterimus in illo deprehendere materiam turgentem.

In principijs. Causas diximus. Quid si prætereat principium? Dico, Non erit purgandum. Ideo malè facit Galenus, qui contra mentem Hippocratis consulit, differendam quandoq; purgationem usq; ad secundam diem, ut humores præparentur, & ora uenarum aperiantur: maius enim erit longè damnum ex incremento febris, & decubitu materiæ, quàm usus ex illa præparatione, nisi in paucissimis casibus. Si ergo occasio principij elabatur, tunc uel æger morietur, uel omnis spes reponenda erit in concoctione abscessus, & puris reiectione. Ex quo
Pag.1. patet, cur dixerit Hippocrates libro Prognosti-
» corum hæc uerba: Sanos equidem facere omnes
» ægrotos impossibile est. hoc enim præstantius
» esset, quàm cognoscere in posterum euentura.
» Quandoquidem uerò homines moriuntur, alij
» priusquam medicum uocent, præ uiolentia mor-
bi: alij uerò accito etiam medico, repentè uita „
decedunt: quidam ubi unam uixerint diem, qui- „
dam tempore paulo longiore, antequam medi- „
cus per artem aduersus singulos morbos repu- „
gnet. Innuit manifestè, cum dixit quòd moriuntur antequam medicus aduersus morbos possit parare & adhibere præsidia, quòd omnes morbi sanabiles sunt, in quibus tempestiuè bonus medicus adhibetur: nimodò sint tam præcipites, ut dieculam aut parũ plus temporis post medici aduentum uitæ relinquant. Quadrifariam ergo pereunt ægri ex acutis morbis: uel quia medicus non tempestiuè adhibetur: uel quia medicus errat in ratione uictus: uel in purgatione aut euacuatione intempestiua, scilicet nimis serò turgentium humorum, aut nimis celeriter quietorum: aut quia morbus est in compositione lethalis, ut in uulnere cordis & cerebri. Ergo cum ita sit, si bonus medicus tempestiuè adhibeatur, nulli morientur ægri, nisi ex uulneribus, aut contusionibus huiusmodi insanabilibus, uel repente, uel in quibus uires deficiunt ætatis uitio, aut pestifera febris, aut lethalis ueneni. atque ita omnes citra artis infamiam. Et hoc dixi fermè mihi contigisse, ut uix ex trecentis languentibus, ad quos ab initio fuerim uocatus, unus interierit: imò nec forsan ex quadringentis; totò tempore quo in urbe meam artem exercui: fuereq; anni propemodum decem & octo. quod ex publica fide mortuorum, quibus nomen medici in urbe nostra ascribi solet, deprehendi adhuc potest. Atque etiam ex his qui perierunt, uix unus aut alter ab initio morbi me uocauit: sed plerique ex tabe, hydrope'ue confecti sunt.

Cur uerò adiecerit, id cum præmeditatione faciendum; potest referri ad electionem morborum, & ad modum operandi, ut cum id agimus, rectè pensitemus. Atq; id mihi magis arridet, quoniam iam rarò & in principijs faciendum dixit: ergo faciendum. Non ergo amplius restat, ut meditemur an faciendum. Et cum dixit rarò: neq; relinquitur ut meditèmur in quibus. non enim esset artificiosum dictum, rarò nos docere id licere, nisi præsupponeret in quibus iam liceret nos scire. Ergo uult ut purgationem adhibeamus, meditantes quid, qua hora, qualiter & quomodo dandum sit.

Huiusmodi morborũ ut effigiẽ quãdã perscri- Pag.18.
bã, ex lib. de Internis affectionib. quẽ Galenus

Hippocratis esse affirmat, hoc exẽplum assumpsi. Cum lien bilem ad se traxerit, febris acuta illum inuadit, quæ progrediente morbo remittitur, præterquam in ipsá lienis regione, ubi calor perpetuò uiget, & dolor acutus per interualla uentris illum affligit. Huic ergo ueratrum, quum sic habuerit, id est statim deorsum purgans bi-
Pag.5. bendum dato, & gnidio cocco subpurgato. At
Pag.9. dices, in pulmonis erysipelate non purgat, nisi post septimam diem, peplo & meconide: & in renũ lapide statim purgat corpus scamonio: ergo præter materiam turgentem licebit purgare omnia, quæ sunt omnino præter naturam, ut uermes, aquam, lapides atq; uenenum. In pulmonis autem morbo non purgamus propter febris uehementiam, & quia (ut dixi) materia non est prope locum transitus. Sed remissa febre & erysipelate, purgamus ob materiam quæ morbo coniungitur, non autem morbi materiam.

APHORISMVS XXV.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contrà, difficulter.

COMMENTARIVS.

¶ *Hunc Aphorismum, qui nostram non uiderunt interpretationem, intelligere non possunt. ideo neq; hic Aphorismus dictus est in secundo ab Hippocrate, neq; in uigesimotertio: sed cum explicauisset, quod in purgationibus à natura factis, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt, & hoc in secundo Aphorismo: & rursus, quòd si euacuatio uasorum fiat talis qualis fieri debet, id est cum omnibus conditionibus rectè euacuandi, quòd confert, & benè ferunt, & hoc in eodem: tertio, quòd si à me dico talia euacuentur qualia oportet, & ægri bene ferant, quòd euacuatio illa rectè facta est, & hoc in uigesimotertio: hic concludit, quod si euacuatio fiat eorum quæ euacuari debent, cum omnibus conditionibus quæ sunt quinq;, id est in morbis in quibus conuenit, sub quantitate qua debet, sub tempore, id est concocta materia, per locum conuenientem, & ut sit materia peccans, quòd tunc conferet ægris, & benè ferent. Sed dices, hoc concordat cum dictis in secundo Aphorismo, & in secunda parte. Respondeo, quod hoc est aliud: ibi enim docetur, quòd si talis fiat, qualis fieri debet. nũc hic loco* Qualium *subijce illas quinq; conditiones, & uidebis discrimen. nam illa fuit ratio generalis bene euacuandi, hic autem colligit dicta quatuor proximè præcedentium Aphorismorum, & breuitatis causa per* Qualia *omnes illas conditiones complexus est.*

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, IN SEcundum Hippocratis Aphorismorum Librum,

PROOEMIVM.

CVm in superiore libro, ut uidimus, Hippocrates ordinatè ad amussim curam morborũ instituerit, uenæ sectione, purgatione, uictus ratione: non eadem diligentia ordinem in hoc secundo libro seruauit, adeò ut uix ordinem aliquem tenere uisus sit. Et quamuis Benedictus Bustamaneus Paz Hispanus, qui medicinã Salamanticæ profitetur, nixus sit & huius libri seriem ad ordinem quẽdam redigere, ut et omnes alios: non tamen talis ordo ab Hippocrate seruatus dici potest, ut quemadmodum primum, ita & secundum continuo sermone scriptum dicere possimus. Verùm illud Hippocratis eiusdem in libris
Pag.1. *de Arte, atq; primo de Victu dicendum erit: Autores qui aliquid etiam non rectè scripserint, potius laudandi sunt, quòd conati sint inuenire, quàm uituperandi, quòd inuenire non potuerint: cum uoluisse inuenire, bonæ mẽtis argumentum sit: non potuisse autem, malignitatis fortunæ. Itaq; cum in hoc secundo de causis morborum non generalibus agat, tum etiam auxilijs quibusdam magis proprijs, ac de signis ipsorum morborum, tum etiam conualescentium, consideratione satis fuerit totũ ipsum librũ in hæc quatuor capita redegisse, quæ uerò cõtinuo sermone iungi poterunt, particulatim suis locis iũgentur.*

Cæterùm quòd ad diligentiam attinet, nos quantam potuimus in interpretatione horum librorum adhibuimus, nacti materiam & hominem dignum, in quem tot labores insumerentur: tum maximè, quòd illius fortuna, quanquam clarior

rior nostra extiterit in re medica, nihilominus & ipse ingratè et iniustè multa ac magna perpessus est, adeò ut cum felicissimus esset duobus filijs Thessalo & Dracone, filiaq; quam Polybio & ipsi medico locauit in uxorē, amicisq; præcipuis Democrito & Philopœmone Abderitis, Dionysioq; Alicarnasseo & Damageto Rhodio, tū Perdicæ Macedoniæ Thessalorumq; regibus, & apud Athenienses summos consecutus honores, coronā statuæ aureorū mille, initiatus mysterijs Cereris ac Proserpinæ (quod uix Romanis Imperatoribus concedebatur) uictum in Pritaneo consecutus, & ut illius gratia impuberes omnes Coorum filij usq; ad pubertatē Athenis institui possent: ipse quoq; Thessalus, filius natu maior, cum classem triennio Atheniensium, quæ cum Alcibiade in Siciliā nauigarat, sponte & paternis sumptibus secutus esset, curando milites aurea corona ab Atheniēsibus donatus esset: cùm etiam ipsos Athenienses præcipuè, tum totam Græciam ab imminente peste, quæ ab Illyrico ortum sumpserat, & in Græcos iam grassabatur liberasset: cum dona ipsorū Illyricorum regum immensa, cum Regis regum Artaxerxis longè maiora, etiam periculum uitæ subiens ob Græcorū libertatem, aspernatus esset: cum Machaon & Podalirius Aesculapij filij, Hippocratisq; maiores, Græcorū exercitū ad Troiam milites curantes secuti essent, è quibus Machaon in expeditione perijt: cum eiusdem Hippocratis abauus Nebris, monitu Delphici oraculi seipsum & filium Chrysum & Calydonium obtulisset pro Græcorū salute contra Crisos, causaq; fuisset ut illorum urbs expugnaretur, primùm libero exercitu circumsidēte à peste qua laborabat: infecto etiam canali aquæ, qui per subterranea urbem ingrediebatur, ueneno: demum Chryso ipso in muros ciuitatis primò ascendente, unde etiam cum ex his deiectus esset extincto: cum etiam Coi ipsi ne cum rege Persarum coirent extrema passi essent, euersaq; funditus eorum urbs: tandem tamē coactus est Hippocrates ipse in senectute, euersa urbe fortunis omnibus spoliatus, cum filijs atq; descendentibus ad aram Thessalorum confugere, illosq; exorare ut suppetias ferrent periclitanti ab Atheniensibus patriæ: qui urbem euerterant, alios occiderant, alios in seruitutem duxerant: hæcq; gratia, hi successus tot beneficiorum in gentē suam, scilicet Græcorū. Vnde rectè Thessalus illius filius quasi diuinās, in oratione quam ante excidium patriæ apud Athenienses habuit, inquit: Mala res est potestas, ô uiri Athenienses. raro enim homines, ea ut decet, rectè uti norunt. Sæpè etenim uni urbi parcitur ob unum hominem. Vnde ipse Hippocrates Abderitis scribens inquit: Beatæ respublicæ quæ norunt, sapientes uiros ac probos esse sua munimenta, non muros aut turres. Verùm tantum abfuit ut hæc apud Athenienses profuerint, ut etiam Hippocratem, quem tot donis ornarant, ob legationem apud Thessalos habitam, impellente sophista Antiphonte, tanquam hostem damnarent, ac ornamentis omnibus spoliarent. Sed & quantum obfuerit illi inuidia, ipse testis est in Epistola ad Democritum, dicens: Plus existimo uituperationis, quàm laudis apud homines me ex arte ob inuidiam consecutum. Ille idem ibidem testatur, se sæpius opinionem mutasse, nec ad finem artis peruenisse. Quocirca minus mirari subit, si nec mihi aut filio meo pepercerunt, cum nec gloria nec potentia Hippocratem æquauerim: cuius tamen exitus adeò præter spem miserabilis fuit, cum tamen esset nobilissimus, & multorum regum amicitia fretus. adeò uidentur ob improbitatem nostram omnia, & dij etiam ipsi odisse homines: ut ipsum Aesculapium, quòd nimis hominibus benefaceret, Iupiter ipse (ut Hippocrates ex Democrito in Epistola ad Damagetum narrat) fulmine percusserit. Quid ergo est ut demirer, cum adeò benefecerim, tanta pati? Solatur tamen communis, ut dixi, hominum conditio, atq; eorum qui humano generi prodesse nituntur. neq; parem gratiam Galeno, ut Hippocrati, nec gloriam nec studium, ut neque calamitates ipsas pares fuisse existimo. Sed iam ad propositum redeamus.

APHORISMVS I.

IN quo morbo somnus laborem facit, mortale: si uerò somnus iuuat, non mortale.

COMMENTARIVS.

¶ Ab hoc primo Aphorismo usq; ad quintū, proponit signa bona et mala in morbis, incipitq; à somno: uerùm statim occurrunt quædam difficillima. nam in coniunctis oppositis, ut in Dialecticis docuimus, cum ex utroque oppositorum opposita sequuntur, singula singulis referendo, necesse est ut rursus affirmando negandoq;, ex oppositis ea de quibus dicuntur, sequantur: ueluti in præsenti oratione, Si somnus laborem facit, lethale est:

(Somnus laborem faciens,	Somnus iuuans,
Lethale.	Non lethale.)

si iuuat;

ſi iuuat, non eſt lethale: ſequitur confeſtim, cũ lethale & non lethale medio careãt, ut ſi morbus lethalis ſit, ſomnũ oportere ut laborem faciat: & ſi non ſit lethalis, ut iuuet: Et ſi non ſit lethalis, ut non faciat laborem: & ſi ſit lethalis, ut non iuuet: Et ſi non ſit lethalis, ut non faciat laborem. Et enim ſi ſomnus laborem faciens oſtendit morbum eſſe lethalem, & iuuans non lethalem: igitur cum ex oppoſito eius quod ſequitur, ſequatur oppoſitum eius quod ſupponitur: ſequitur quòd ſi lethalis eſt, nõ iuuat, & ſi lethalis non eſt, non facit laborem. At quia lethale & non lethale medio carent, ideo nõ iuuare, & laborẽ facere, idem erunt. quod eſt abſurdum. quandoq; enim æger neq; iuuatur neq; læditur à ſomno: morbus ergo is nec lethalis erit, nec non lethalis? Dicimus, quòd ſi ea de quibus dicuntur, ſint ſine medio, neceſſe eſt etiam illa quæ dicuntur eſſe ſine medio: ſed non contrà. at Hippocrates proponit ea quæ dicuntur eſſe ſine medio. Ergo ubi non iuuet nec noceat, quamuis neceſſe ſit ut ſit lethalis aut non lethalis morbus, nullam tamẽ ex ſe præſtabit indicationem, quoniam ſub utrouis ſemper continebitur.

Alia dubitatio eſt, quoniam in ſomno quædam ſemper ſe habent grauius, ut reſpiratio & delyrium: quicunq; enim loquuntur per ſomnum, delyrant, quãdo nec ſanis integra ſit mens: item reſpiratio grauior, & decubitus plerunq;: quædam uerò melius ut quies, concoctio. quod nam igitur erit ſignum ex his certum? ideo cum dixit (facit) intelligere debemus à ſomno, non in ſomno. In libro enim de Medici uulnerarij offi-
Pag. 1. cio, inquit: Aut ſimilia aut diſsimilia, quæ comparari debent: natura ſimilia eſſe debent, ut crus cruri, non crus brachio: ergo nec ſomnus uigiliæ, ſed uigilia, quæ ſomnum anteceſsit, uigiliæ quæ ſomnum ſequitur: tum uerò etiam uigilia, quæ breuem ſomnum ſequitur, uigiliæ quæ longum. Comparare autem uigiliam, quæ ſequitur ſomnum præcedentis noctis, uigiliæ ſequenti ſomnum externæ noctis, quamuis utile ſit in dijudicando, non tamen eſt his ad propoſitum. neq; conducit quæcunq; utilia ſunt, ubiq; adduxiſſe, quod Galeno familiare eſt: ideo ſequi debemus illius bene non male acta. Tertia dubitatio eſt, quia in omnibus acceſsionum principijs ſomnus laborem & damnum affert, quomodo ergo dijudicabimus hoc? Reſpondeo, quòd Hippocrates hic loquitur de morbis acutis, in quibus potius adſunt exacerbationes, quàm acceſsiones. Intellexit hoc ſexto Epidemiorum, cum dixit: Quæ in ſomnis exacerbantur, & quibus Sec.7.
extremæ partes perfrigerantur, & mens turbatur, & alia quæ circa ſomnum fiunt eiuſmodi, & quibus contraria.

Quarta eſt, quoniam in incrementis morborum ſomni labores afferunt, & tamen id non uetat quin ægri ſeruentur. Verùm ut hæc intelligamus, uideamus quid per laborem intelligat Hippocrates. πόνος Græcè labor eſt, duoq; 46.
præcipuè ſignificat, dolorem & fatigationem, ut ſecunda Aphoriſmorum, dum inquit: Δύο πόνων ἅμα γινομένων id eſt: Duorum dolorum qui ſimul. Et rurſus, ὅταν ἄρχεται πονεῖν, id eſt: In motu cum fatigari cœperit: Ga- 48.
lenus uerò connumerat febres, dolores, fluxiones, inflammationes, delyria, ſopores. Sed ratio docet ad duo reduci debere, aut morbi & ſymptomatum incrementum. & hæc enim doloris nomine ſignificantur: aut ad uirium lapſum & oppreſsionem, & hoc à fatigatione. dolorem enim & fatigationem communi ſignificatione interpretatur Hippocrates. Quod uerò citat Galenus ex morbis uulgaribus ſumptum, Fuchſius dicit eſſe in tertio libro. ego id non inueni in illo, quamuis ter propè accedat.

Sed ut ad rem redeam, dicebat Hippocrates Sec.4.
ſexto Epidemiorum: Somnus calefacit interiora, & refrigerat exteriora, uigilia contrà. Et Pag.11.
ſecũdo de Diæta: Somni ieiunium attenuant & frigefaciunt, ſi non longi fuerint, præſens humidum euacuantes: qui uerò magis calefaciunt, carnes colliquant, & corpus diffundentes exſoluunt ac debiles reddunt. à cibo uerò ſumpto calefacientes humectant, alimentumq; in corpus diffundunt. Et in tertio rurſus: Somni, dum Pag.5.
corpus repletur, longi ac dulces contingunt: cum uerò non amplius repletur corpus, ſed fit ſecretio, tunc perturbant. Ex his non difficile eſt uenari omnium horum cauſam. nam in morbis, cum nõ aſſumatur cibus, aut ualde exiguus, non poſſunt contingere ſomni dulces & iucundi: ſed ſi natura concoquit & perficit, quod tentauerat, melius ſe habet neceſſariò homo à ſomno quàm antea, ſi non laborem ſentit patiens. non ergo in acutis ſomni labores in incremento afferre poſſunt, ſi morbus lethalis non ſit, quin magis iuuet ex alia parte materia benigniore reddita: propterea Hippocrates adduxit iſta duo ſimul, lethale & non lethale non fruſtra. nam aliter unum ex alio intelligeretur: ſed ut uno Aphoriſmo, qui generaliſsimus eſt, in omnibus morborum temporibus cognoſceremus,

morituros & superuicturos. Si enim labores si-
ne iuuamento apparuerint, morientur ægri: si iu
uamentum sine labore sanabuntur: si utrunque,
considerare oportet quid uincat, & iuxta illud
ferre iudicium. Ita doctrina redditur generalis,
nec exceptione temporum opus est, & omnibus
conuenit & dilucida est, quæ iuxta Galeni ex-
positionem obscura & contracta mutilataq; red
debatur: quoniam nimis alijs incumbebat, Hip-
pocrate derelicto. Nos uerò nihil supponimus, ni
si ut æger rectè regatur, ne cibus negocium il-
li facessat.

APHORISMVS II.

VBi somnus delyrium sedat, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Non quia hoc sit exemplum eorum quæ la
boris nomine significauit, hunc Aphorismum
subiecit (quid enim absurdius, exẽplis huiusmo-
di in tanta breuitate uti) sed ut intelligeremus
etiam de his quæ sub labore non comprehendun
67. tur, quale delyrium est, intelligi Aphorismũ. Si-
,, cut & illud quarta Aphorismorum: In febribus
,, ex somnis timores, aut conuulsiones, malum.
quamuis conuulsio sub dolore comprehendi pos-
sit, est tamen conuulsio dolore aliquid maius. so-
let autem Hippocrates huiusmodi facere men-
tionem.

Delyrij autem genera ponit Hippocrates in
primo Epidemiorum septẽ: Phrenitim, insaniam,
delyrium propriè, mentis motionem, stuporem,
melancholiam, & furorem. Phrenitim uocat,
cum assiduè delyrant: cum per interualla, dely-
rium: furorem, cum insaniunt cum ira: insaniam
autem, cum non rectè cogitant: melancholiam,
cum frustrà timent: stuporem, cum sunt obli-
uiosi: sed mente moti, cum leuiter & quasi occul
tè delyrãt. Duo tamen genera Hippocrates sex-
33. ta Aphorismorum maximè considerauit, cum di
,, xit: Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores:
,, quæ uero cum studio, periculosiores. An uerò si-
gnum laudabilius erit, prauam desipientiam, an
leuem sedari? quæsitum hoc de omnibus esse po-
test. Et certè maius malum sedari, roboris uirium
maius est argumentum: minus autem, certioris
securitatis. Et quanquam delyrium propriè, ut di
xi, dicatur de uigilantibus: tamen si multũ etiam
per somnum abundet, malum est. Et in illud Hip-
Pag.6. pocratis deuenimus in Coacis prædictionibus;
,, quod uerissimum est: Somni profundi, non tur-
,, bulenti, firmam iudicationem significant: turbu-
,, lenti uerò, cum dolore corporis incõstantes sunt.

Sed ut ad rem redeam, periculosum est omne de
lyrium: sed quod fit cum risu, sanguinis abundan-
tiam significat: quod cum studio, melancholiæ:
quod cum furore, à flaua bile: quod cum studio
fit, & ira etiam, aut oculis peruersis, aut dẽtium
stridore, plerunq; affert mortem, quoniam pessi-
mum est. Et ideo dicebat Hippocrates in Coacis
prædictionibus: Mentis emotiones modicè fero ,,
ces, & ferinum & conuulsionem significant. ,,
Fiunt enim ab atra bile, quæ exusta est.

Sed cadit dubitatio: quia in Philini uxore, ,,
primo Epidemiorum, somnus delyrium sedauit in Languens
undecima. dicit enim, quòd omnium facta est me- quartus.
mor, & tamen mortua est in uigesima. Galenus
transit, ut solet, rem sicco pede. Verùm refugiẽt
quidam ad illa uerba: Sed statim in delyrium re
cidit: illa non excusant. nam uidebatur à somno
euicta causa delyrij. Ideo hoc de delyrio intelligi
debet, ratione morbi delyrium facientis, scilicet
febris; ideo cum ibi esset signum abscessus inte-
riorum, mortua est. Quod ergo in primo gene-
raliter dixit, generaliter etiam de omnibus mor
bis est interpretandum: at hoc de delyrio, non
est interpretandum in abscessibus. fieri enim po-
test, ut in morbo laterali, in abscessu iecoris, ut
delyriũ ex somno sedetur, & tamen æger moria
tur: non tamen robustior sibi uidebitur, & cor-
pus melius mouebit. Ob id dixit, malum aut bo-
num signum, quia pertinet ad facultatem anima
lem: labor autem ad naturalem, quæ sola potest
morbos euincere. Huiusmodi exemplum habe- Pag.9. Qui
tur quarto Epidemiorum, qui mẽte motus à som- iuxta Me-
no, tamẽ nõ insanijt, iudicatus est quartadecima. dosadæ.

APHORISMVS III.

SOmnus atq; uigilia, utraq; si modum excesserint, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Potest de signo & causa interpretari hic
Aphorismus: sed antecedentia & consequentia
docent, quòd de signo. nam somnus lõgior signi-
ficat frigiditatem, & humores ac uapores abun-
dantes; quæ omnia in acuta febre sunt absona.
uigilia uerò, calorẽ, uel immodicã siccitatẽ. Con
siderantur autem in somno, qualitas, quantitas,
tempus & superuenientia. Qualitas est, quia
quidam est leuis, quidam profundus: & quidam
quasi sopor, & quidam purus. Leuis est, cum fa-
cilè expergiscitur: profundus, cum difficulter.
sed experrectus magnã facit mutationem in re-
spiratione: in sopore autẽ difficulter expergiscũ
tur, et fit parua mutatio in respiratione: aut si fit,
nõ est naturalis. Serapio in capite de Mãdragora
dicit,

dicit, quòd generat talem somnum per tres horas, ut homini possit praescindi membrum absque sensu. Quid ergo uoluit Hippocrates in hoc Aphorismo? Nil aliud nisi ut intelligeremus, non solùm ex rebus non naturalibus, sed etiam naturalibus, cum qualitate aut quantitate à debita mensura aut statu uariauerint, sumenda esse indicia exitus morborum. Plurimum tamen differt hic & praecedens Aphorismus à primo. hic enim solum de bono & malo agit, in primo autem de lethali ac non lethali. Ideo patet continuitas huius Aphorismi cum praecedente: cum in illo somnus ad rem naturae contrariam comparetur, hic ad proprias conditiones.

Pag. 4. *Hippocrates cum definiret hanc metam somni, libro de Ratione uictus in acutis quatuor ponit ordines: Primum, ut quis dormiat nocte, uigilet in die. Secundus, ut dormiat die usq; ad tertiam diei partem, scilicet noctis etiam parte ultima. Tertius, ut reliqua parte diei. Non dormire autem nec die nec noctu, pessimum est, inquit. Sub iudicatione tamen, uigilia aliquando non est adeò malum signum. Vnde Praedictionum primo:* Pag. 6. *Vigilijs infestati derepente cum inquieta iactatione sanguinem fundunt. Sunt ergo uigiliae nonnunquam iudicationis, maximè per sanguinem narium, signum.*

Sed cum, ut dixi, illud magis possit intelligi de qualitate & quantitate, quaeritur meritò, de quo Hippocrates intellexerit? & Respondeo, quòd de quantitate, quia qualitas ad uigiliam extendi non potest. Differt sopor in tribus à uero somno: profunditate, longitudine, & quod praeternaturalis sit. de hoc igitur adhuc uerior est Pag. 7. *Aphorismus. Ipse idem in libro de Coacis praedictionibus uult, quòd omnis sopor sit malus. Praedicit autem sopor, in acutis potissimè, phrenitidem uel delyrium, uel conuulsionem, aut parotidas: soluitur autem turbatione uentris nonnunquam, uel iudicatione. In capitis autem uulneribus sopor lethale signum est, ut Hippocrates in libro de Capitis uulneribus testatur.* Pag. 4.

APHORISMVS IIII.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturae modum excesserit, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Hic rursus labitur Galenus, existimans nugacem esse Hippocratem, ubi maximè breuitati studuit. neq; enim animaduertit ordinē Hippocratis, qui in primo Aphorismo posuit signa salutis & mortis, duobus sequentibus mala & bona: hic uerò meminit signi non boni, quod est remissius et minus uerendum, quam malū signum. Quocirca perspicuum est, nimis oscitanter explicuisse hos Aphorismos Galenū. Hippocrates* Aphor. 33. *infrà inquit: In omni morbo mente constare, & bene se habere ad ea quae offeruntur, bonum: contrarium uerò, malum. Galenus ibi rectè meminit huius, quod bona & mala signa non sunt salutis aut mortis signa: sed euinci possunt à contrarijs. Appetere autem cibos, est incolumitatis iecoris & uentriculi ac cordis signum. Ego non odi Galenum, quinimò ubi aliquid absurdum in eius dictis inuentum fuerit, malim non esse: credo ergo (cordis) esse adiectum aliquo modo. nec ignoro multa in cōtrarium pro Galeno posse adduci: sed nos doctrinam contentiosam facere non decreuimus, sed claram. illud enim certum est, appetitum cibi & potus, rectum scilicet in quantitate, qualitate & tempore, argumētum esse bonae dispositionis iecoris, uentriculi, & intermediarum uenarum. Appello rectum appetitum in qualitate, cum homo cibos appetit sibi utiles aut cōsuetos: in tempore, hora solita, si sit sanus, uel remissionis morbi, & maximè hora frigidiore diei, cum est aeger: in quantitate, ut neq; plus neq; minus, neq; frequentius neq; rarius cibum requirat, quàm ei sit opportunum. Recitat Hippocrates quinto Epidemiorum, in Oeniade* Pag. 2. *ciuitate quendam cum ieiunus esset, suctum uehemētem sentire solitum, ac dolorem: & quamuis purgatus fuerit medicamentis ualidis, non potuit sanari: sanatus est autem sectione uenae, donec exanguis fieret ex utraq; manu. Erāt autem egestiones prauae & exustae: quocirca bilem utranq; in uenis abundasse intelligitur.*

Neq; aliud quicquā quod modū naturę excesserit, bonū. *Habētur haec libro de Alimentis, & dat exēplum inter reliqua* Pag. 3. *de quiete & iactatione: & habētur exempla à Galeno in libro Artis medicae.* Cap. 82. *sed redeo ad Hippocratis uerba ibi, quae ualde sunt ad praesens propositū. Et ex his et alijs naturalibus, & quaecūq; alia huiusmodi ad detrimentum & utilitatē procedunt. Labores totius & partis & magnitudinis signa, alterius ad maius, alterius ad minus: & ab utrisq; ad maius, & ab utrisq; ad minus. Voluit Hippocrates, quòd signa sumerentur uel à rebus non naturalibus, uel naturalibus. Et à rebus naturalibus dupliciter, seu essent permutatae qualitate aut quantitate. Et quantitate, ad maius aut minus. Et ad maius ab utrisq;, toto scilicet, ac partibus: aut ad minus, ab utrisq; etiam. uelut,*

si augea-

si augeatur fames & quies: aut utrunq; minuatur, aut unum augeatur, alterũ minuatur. Et maius in omnibus excessus qualitatis signũ est, eam actionem parientis: minus autem, defectus.

APHORISMVS V.

Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

COMMENTARIVS.

¶ Continua fit narratio cũ præcedentibus: dum transit Hippocrates à signis malis naturalibus, ad ea quæ sunt præter naturam: ut intelligamus, in huiusmodi non esse necessariam peruersionem qualitatis aut quantitatis: quandoquidem sint toto genere iam peruersa, & ab ipsa natura aliena: nondum tamen sunt morbi propriè, sed initia & uiæ ad morbos. tres autem esse lassitu-
Cap.5. dinis species, declarauit Galenus 3. de Tuenda sanitate. atq; omnes si citra causam manifestam contingant, morbos declarant, uocanturq; tunc spontaneæ: sed etiam ex laboribus periculosæ sunt, non tamen adeò: ideo de illis locutus non est Hippocrates, non quòd etiam illæ non minentur morbos, sed quoniam non necessariò. Vt uerò deteriores sunt, eo magis morbos minantur, & certius, & maiores: ut quæ abscessus, quæ ulceris sensum præbet.

Est etiam lassitudo, quæ cõsequitur morbos,
13. de qua Hippocrates ait in 4. Aphorismorum: „ Lassitudinem habentibus in febribus ad articu- „ los, & circa maxillas potissimè abscessus fiunt. Quare nõ ibi loquitur de spontanea lassitudine, quæ morbos prænunciat, cum iam febricitans morbo detineatur: nec de alia quæ fit à laboribus, sed consequente febres. sequitur enim ad illas colliquato humido, & supra modum calefactis musculis eadem dispositio, sicut ex labore, scilicet lassitudo.

Sunt lassitudinis, quæ ab exercitatione fit,
In fine. tria genera, teste Hippocrà. 2. de Diæta. Prima, quæ aduenit non exercitatis: secunda, quæ exercitatis ultra modum, consuetis tamen exercitijs: tertia, quæ aduenit exercitatis ex insuetis exercitijs. harum omnium proponit curam ibi. Porrò in prima & ultima colliquantur, ait, carnium humidiores partes, & calefiunt & accẽduntur, sequiturq; febris calida: at in secundo genere carnes siccantur, sequunturq; horrores: & hæc est similis ei quam Galenus ulcerosam appellat. Ergo hæc eadem de spõtanea dici poterunt. Verùm
Pag.5. de spontanea loquitur propriè in libro de Locis in homine, ubi docet, quòd cum ex frigore bilis defluxerit ex capite tum ad carnes, tum ad pectus: quoniam musculi nituntur depellere molestiam illam, nec queũt, idem eis accidit quod delassatis. Nam uidemus, si quis contendat abigere quod non potest, aut brachium rectum detinere, in momẽto fatigari, ac si homo duabus horis contudisset in mortario puluerem. Fatigatio ergo à nixu fit: nixus ostendit causam molestia afficientem, quæ ibi manens concalefactaq;, febres & abscessus gignit: ob id lassitudo spontanea prænuncia est morborum.

Porrò lassitudines solui ex sanguinis mictu, declarauit 2. Prædictionum. Vbi aduertendum, Pag.4. quòd mictus sanguinis lassitudini succedens, & eam soluens, non malus est: præsertim si sine febre & dolore aduenerit. Ergo de lassitudinis exemplo, quòd etiam ex laboribus coorta pariat morbos lethales: exemplum habetis ab Hippocrate libro 3. Epidemiorum, de adolescente Sect.2.languente 8. habitante in Mendacium foro: hic enim in septima die obijt.

APHORISMVS VI.

Qvicunq; dolentes aliqua parte corporis, plurimum dolorem non sentiunt, his mẽs ægrotat.

COMMENTARIVS.

¶ Postquã docuit, dolorẽ citra causam manifestam ostendere futurum morbum: hic quasi ex conuerso declarat, non sentientes dolorem plurimum alicuius partis, magno morbo laborare. Famosus est hic Aphorismus, et apud Auicẽ- t.4. cap. 9. nam prima tertij, & apud Celsum libro 2. reci- Cap.7. tatus. Auicenna in febribus illum interpretatur: Celsus uerò & Galenus de causa doloris, nõ de dolore, ut 6. Epidemiorum: In cranone antiqui Sect.1. dolores frigidi, recentes uerò calidi. Durũ enim uisum est illis, quod & alijs uideri potest, dolorẽ esse, & non sentiri. Itaque tales causas esse dicimus, erysipelas & uulnus atq; abscessum, etiam conuulsionem, ut Galenus. Ergo ut huiusmodi Pag.5. doctrinæ aliquid referam, exemplum ponam illud in Coacis prædictionibus: In anginis omnia perniciosa sunt, quæ non manifestum dolorem faciunt. Et dolores etiam qui sedantur, citra manifestam causam perniciosi sunt. Vnde liquet, bifariam hominem dolorem nõ sentire posse, cum debeat: uel quia ab initio causam doloris contraxerit, uel quia etiam dolorem, sed pòst abscesserit. Palàm est ergo, hoc, Nõ sentire dolorẽ, nulli esse auxilio, sed malum malo addit: siquidem e-

tiam desipientiam. Verùm si quis ob dolorem alium unum non sentiat, quemadmodum infrà, non est admiratione dignum: duobus doloribus simul nō eundem locum infestantibus, maior mi-
Aphor.46. norem obscurat. Porrò, ut habetur in 1. Prædi-
Pag.2. ctionum, dolores quidam magis propriè mentis emotionem significant, ut circa umbilicum palpitantes, & in cruribus ac suris: uerùm nō ulla magis ex parte quàm capitis. At cōtingit dubitatio, cum in podagricis dolor nonnunquam cesset, nulla causa manifesta, sed sola euicta particula. dolor enim in mutatione cōstat, ubi euicta sit pars, etiam manente constante dolor cessare potest. At non sic est, quandoquidē eo in habitu Hippocrates esse uelit hominem, ut nisi mens percussa esset, doleret.

APHORISMVS VII.

QVæ lōgo tempore extenuantur corpora, lētè reficere oportet: quæ uerò breuì, breuiter.

COMMENTARIVS.

¶ Postquam locutus est in sex Aphorismis prioribus, de signis, & maximè præcedentibus futuros morbos: in his sex loquitur de his quæ pertinent ad neutrorum corporum curam, id est, quid circa illa agere debeamus. Et dat regulam, quæ potest amplificari, ut sit generalis. Reditus ad naturalem statum debet esse similis recessui: si lentus, lentus: si celer, celer. Galenus assignat causam, quia in longis morbis solida consumuntur: igitur si copiosus exhibeatur cibus, non sustinebunt. in breuibus autem, solùm spiritus & humores non solida: ideo cibus poterit concoqui. Hic seruata autoritate tanti uiri, multi sequuntur
Cap.5. errores. Primus est, quod ipsemet fatetur 12. Artis curatiuæ, membra solida absumi in febribus colliquantibus: igitur tunc non licebit breui restaurare. Secundus, quia nō in omni longo morbo solida extenuantur, ut patet in quartana, & alijs minus perniciosis morbis, ut in destillationibus: & tamen illam consumptionem non debemus restaurare subitò, pessimè enim cedet, nec restaurabitur, & plurimùm lædetur. Tertius est, quia dantur cibi & alimēta leuis coctionis, quæ poterunt à solidis debilitatis confici: ut oua. Quartus, quia in hoc Galenus præsupponit imparem consumptionem, & Hippocrates parem. Quàm enim absurdum est dicere, quòd celerius reficere oportet paruam extenuationem, quàm magnam: cum hoc sit necessarium, etiamsi nolimus, neque esset ex dictis Hippocratis, teste Galeno ipso, qui uult, quòd nil dicat nisi reconditum, eo minus in Aphorismis. Hoc autem est per se clarum. Hæc tamen expositio plerisque quippiam uidetur esse, & artificiosa. Ratio ergo deducenda est ex consuetudine, quæ non solùm tenet in similibus, sed etiam in contrarijs. Cum resolutio sit sensim, necesse est ut membra minuantur sensim: igitur assueta sunt leui motui: quare lædentur à copiosa, & confertim facta restauratione. Cum uerò resolutio est facta confertim, læduntur, nisi celeriter restaurentur. nam iuxta Galeni dictum sequeretur etiā quintus error, scilicet quòd possemus quæ breui extenuantur corpora, & lentè & breui reficere ad arbitrium nostrum: quod Hippocrates ipse non admittit. Vel dicas sic: Quæ lentè extenuantur, exiguum habent appetitum restaurationis: quæ cito, magnum. ergo hæc celeriter, illa sensim sunt restauranda. Et ita Aphorismi sententia redditur generalis, & sine exceptione.

Hanc obseruationem à contrario, declarabat nobis Hippocrates à natura fieri in parientibus, libro de Natura fœtus. Volens enim ostendere, Pag.4.
puerperij tempus in masculis finiri in triginta diebus, in fœminis autem in quadraginta duobus, sic probat: Puer mouetur in triginta duobus, & fœmina in quadragintaduobus: igitur puer perficitur in totidem diebus, & fœmina in totidē. Sed quanto magis fœtus est maior, tanto magis trahit de sanguine: quāto minor, minus. hoc enim principium est naturale, sicut primū sumptum ex experimēto: ergo quāto magis processerint dies fœtus, tanto plus trahitur de sanguine: ergo tanto minus superest, & in principio, cum minimum trahatur de sanguine, plurimum supererit: igitur in purgatione à principio puerperij purgabitur magna quantitas sanguinis, & perseuerabit in masculo ad dies triginta, in fœmina ad quadraginta duos, perpetuò minuendo. Vides igitur rationem claram Hippocratis, quòd incrementa debent esse per tot dies, & sub eadem quantitate, sub qua & per quot dies diminutio fit, & econtrà.

Huiusmodi exemplum habetur libro de Lo- Pag.9.
cis in homine: ubi tabificos curare docet, præcipiens ne se ingurgitent cibis multis. Contraria ratione in acutis statim transit ad exhibitionem ciborum in uesperi, ubi in manè sorbitionem dederit: de Ratione uictus Pag.3.
in acutis.

APHO-

APHORISMVS VIII.

SI quis à morbo cibum assumens, non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur: si uerò nō assumenti hoc accidat, signum est quòd corpus indiget euacuatione.

COMMENTARIVS.

¶ *Satis manifesta est continuatio cum præcedēti Aphorismo. Cum enim iam dixisset, quòd quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet: quæ breui, breuiter. dicet aliquis: Sic egi in utrisq;, nec restaurantur. Et maximè in extenuatis lōgo tempore, dicit, Caue ne plus quàm oporteat cibi dederis.* Quòd si non, *tunc corpus indiget euacuatione. Proponit ergo tres casus, in quibus corpus non restauratur. Primùm, ubi non dederis quantum oportet: propterea dicit,* Cibum assumens. *Secundùm, cum damus plus quàm oportet. Tertiùm, cum corpus euacuatione indiget. Et ideo innuit, quòd non solum ex nimia refectione in conualescentibus ægri læduntur, sed etiam quòd mirum uideri posset, minus restaurantur quàm à mediocri cibo.*

Galenus uidetur interpretari partem illam: Si uerò non assumente hoc accidat. *id est, quòd nō assumat quantum debet, & propter hoc non nutriatur, ita ut praui humores sint causa, quòd nō accipiat quantum debet cibi, nō causa quòd non nutriatur.* Et certè sermo Græcus hoc docet, *quoniā scribit,* ἢν ἐκ νόσȣ τροφὴν λαμβάνων. *inde subijcit,* μὴ λαμβάνοντας. *ut sit ergo sensus: Vbi quis ex morbo non corroboratur, si cibum assumat quātum oportet, id accidit, quoniā plus assumit quàm debet: si uerò non corroboratur, quia non assumit quantum debet, signum est quòd corpus indiget euacuatione.* Aliud quòd *Galenus dicit, est, quòd uellet sequi nonū Aphorismum, inde octauum: sed meo iudicio melius sic*
›› *iacet, ut statim post illa uerba,* Signum est quòd
›› *corpus indiget euacuatione: subijciamus,* Corpora cum quispiam purgare uoluerit. *inde subijciat,* Non pura corpora quanto magis nutries, id est, *nisi purgaueris, lædes, etiam quod uelis ipsum nutrire. At si hunc Aphorismum præposueris alteri, non poterit postmodum octauus cōuenire septimo, intercedente nono. Sed hoc parum refert; sufficiat solùm admonuisse cōtinuitatis amborū.*
Pag.5. *Hic Aphorismus scribitur in Coacis prædictio-*
›› *nibus his uerbis:* Qui ex morbis longis se refo-
›› *cillantes bene cibū accipiunt, & nihil proficiūt,*
›› *hi malignè in reciduam incidunt. Hic præsuppo-nit morbum esse longum, & non repurgari corpus medicamento. Sed in Aphorismo, ut ut erim parum assumant cibi, & purgentur. In Coacis etiam prædictionibus uult, quòd accipant plusquā oportet: & in hoc casu dum perseuerant, in morbum recidunt.*

Vnum aūt est animaduertēdum, cuius Galenus nos minimè admonet, scilicet Hippocratem *referre restaurationem ad robur, non ad carnes & pinguedinē, sciens quòd qui uires recipit, tria necessariò recipit: substantiam solidorum, si qua deperijt, eorum temperamentum, & calorem naturalem. Ergo sub uno hoc omnia comprehendi,* Pag.12. *ostēdit in lib. de* Affectionibus: *Corporis robur adaugent, quæ multā & crassam carnē gignūt.*

Quòd uerò dicat, pluri alimento corpus uti, cum non corrobatur, habetis autoritatem in libro de Veteri medicina, *ubi inquit:* Copiosior ci- Pag.3.
« *bus quàm conueniat ægro exhibitus, morbum*
« *auget, & corpus tabefacit. Causa autem redditur in lib. de Locis in homine. dicit enim:* Quòd Pag.14.
si corpus superat cibos ingestos, floret: idest corroboratur, fit bene coloratum, & succulentius: sed si uincatur atq; succumbat, ipsi quidē cibi per aluum secedunt, & alia mala faciunt, corpus uerò gracile efficitur. Vnde deterius est, copiosius nutriri quàm minus conueniat, cū morbi ex hoc generentur, & non minus color, habitus & uires corrumpantur & exinaniantur: quomodo autem reficiendi sint ægri, docet Hippocrates in libro de Affectionibus. Pag.11.

APHORISMVS IX.

COrpora cū quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.

COMMENTARIVS.

¶ *Si quidem superius hoc maximaex parte est explicatum, quòd tribus modis dicitur præparari corpus ad medicamenta: aluum sæpius subducendo, oscula uenarum aperiendo, & materiā quæ impedire potest præparando, scilicet ut lenta dissecemus, & crassa attenuemus. Porrò dantur & alia præcepta in 4. Aphorismorum: humectare cibo & quiete antè, in ipsa aūt purgatione mouere.* Apho.13. 14.15. *Sed ad propositū maximè quinto in sextum de Morbis uulgaribus:* Veratrum epotum, si Sect.29. *purgare uis, lauare, aut cibū sumere oportet. Sic enim ad purgationem fundendo ac liquando humores præparabimus. Balneum autem & parū ante, & quandoq; ubi uer atrū acceperit, statim adhibere conuenit: quod etiam in uenæ sectione utile esse potest, non tamen pòst: quoniam inter*

f 2 uenæ

uenæ sectionē, & sanguinis exitum, tempus nullum potest intercedere: inter sumptionem autem ueratri, & purgationē plerunq; multū temporis intercedit. In uniuersum ergo sex erunt omnes præparationes, sed tres antè solùm conueniunt, quæ antea dictæ sunt: una post motus scilicet, duæ & antè & pòst, colliquatio et humectatio.

Sed & admonere oportet, quibus non conueniant purgationes tum ex morbo, tum ex natura patientis, tum temporis. Temporis quidem, Aphor. 5. *quod aliàs dictum est, sub cane, & ante canem: quarta Aphorismorum. quòd tempus uariatur perpetuò apud nos sub cane, à decima Iulij ad decimam Augusti: antè autem, ab æstiuo solstitio ad decimam Iulij. in perpetuum ab Heliaco canis maioris ortu sideris diebus triginta antè post' ue: uiginti autem in mitiore cœlo, & humidiore anno. Ex natura hominum, ait in libro* Pag. 1. *de Veratro: Nigri humidiore carne, subsicci, balbi & blesi, ψελλὸς καὶ τραυλὸς. Humidiores uitat carnes, & modicè siccas, ne nimium colliquentur. Affectuum uerò præter naturam obseruatione sæuientem febrem, abscessum calidum uiscerum, suppuratos & imbecilles. Pòst enumerat ibi nouem alia genera malè affectorum corporum, quibus ueratrum minimè tutum est. sed purgationem per supernas partes securiorem esse uult ea, quæ fit per inferiora. Causa est breuitas uiæ, & caloris in loco magnitudo, & uentriculi robur. Ex dispositionibus autem purgationem prohibentibus, hæ quæ morbi dicuntur potiores sunt: inde naturales, pòst aeris status, inde affectiones præter naturam, neutram quasi dispositionem efficientes. atque hæc obiter: suo enim loco docebuntur. Vnum sat est, decem & septem esse quæ ibi enumerat purgationi per superiora incommoda, uelut flatum, lienis duritiem, & reliqua.*

Quæ uerò subseq soleāt imparatā purgationē, sex sunt: non purgari, uomere, dolere, uertiginem pati, cibi fastidium, & animo linqui. Dubium non est, quin huiusmodi sequantur ad acria medicamenta: ut tithymalorum species septem, lathyris & peplos, ac peplion, cuius semen uehementer urit linguam, folia lac emittunt.

APHORISMVS X.

Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.

COMMENTARIVS.

¶ *Falsò citari solet, tanquā impura corpora si nutriātur, lædātur: ut epicrasis omnis tollatur, & quæ super Aphorismo, Aestate & autumno cibos difficilimè ferunt, enarrauimus: cū relatus hic Aphorismus ad octauum, intelligi debeat solum in non appetētibus cibū. ut sensus sit: Si quis ex morbo cibum assumens nō corroboratur, signum est quod pluri cibo æger utitur: si uerò nō appetat cibum, signum est quòd corpus euacuatione indiget. nam non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Vbi enim à morbo quis conualuerit, solent reliquiæ humorū remanere in corpore, iuxta illud: Quæ relinquūtur in morbis, reuersiones facere consueuerunt. parum infrà: At ea si fuerint iuxta uentriculum, corrumpetur ciborum appetentia & concoctio simul: nec tunc epicrasin, id est mistionē bonorū cum malis faciemus, sed læsionē. at si per corpus sparsi fuerint, concoctio bona celebrabitur & appetet, modò nō nimis comedat, fietq; epi crasis.*

Porrò non pura corpora trifariam dicimus, quæ humorib. redundant malis, sed nec secretis, nec ad putredinē paratis. de quibus loquitur in libro de Insomnijs. Pag. 2. & 3. *Alia in quibus iam secreti sunt, sed nondum ad putredinem parati, ut infrà: ubi* Aphor. 15. *fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, egestiones inspicere oportet. nam si biliosæ fuerint, corpus unà ægrotat: si uerò sanis similes, tutū est corpus nutrire. Tertia, cum iam ad putredinē sunt parati, de qua dicemus paulopòst. Hic cū loquatur de conualescentibus, palàm est* Aphor. 12. *de tertio genere intelligere.*

Hippocrates in libro de Salubri diæta propo Pag. 3. 4. *nit tres casus impurorū corporū, et signa & curam. Primus est, cū humores crudi abundāt iuxta uentriculū: signū eructatio et tumor præcordiorū. Secundus, cū bilis: signū est sitis. Tertius, cum humores in uisceribus: signū est dolor in eis.* Pag. 8. *in omnib. cibi abstinētiā imperat. In tertio quoq; de Diæta meminit eorū qui deijciūt liquida et putrida, quos curat detractione cibi, & exiccatione, dando carnes assatas uolucriū, & leporinas elixas, ferinasq; omnis generis: tum exercendo corpus. ut non malè consuluerit, qui morbū Indicum solis perdicibus assatis curauit. Nō pura enim corpora siccāda omnino sunt, & modicè refrigeranda, ut putredo inhibeatur.*

Quomodo autem humor malus in corpore redundans morbos & mortē pariat, docet Hippocrates non minus subtiliter quàm uerè, quarto de Morbis, dicens: Humores praui intus corrū- Pag. 12. *puntur ac depascūtur proxima quæq; ex bonis, atq; extenduntur, donec omne uitæ alimentum putridus calor absumat, atque ita deficit uita.*

APHO-

APHORISMVS XI.

FAcilius est impleri potu, quàm cibo.

COMMENTARIVS.

Pag.4. Pag.2. ¶ Narrabat Hippocrates in libro de Alimento, et de Flatibus clarius, corpus nostrũ ex tribus nutriri: spiritu, potu & cibo. Cibo quidem solida nutriri, potu humores, spiritu autem calorem naturalem. quod etiam libro de Natura fœtus docuit. Ex his ergo dicit, facilius esse impleri potu quàm cibo. Cum autẽ impleri duo habeat significata, & simplex quod est ut corpus repleatur absq; nutritione: hoc dictum sanè sub eo sensu, grauitate prorsus indignũ est. Alter uerò sensus, sub quo uerba illa ab Hippocrate plata sunt, est, ut homo pinguescat, et carnibus ac succis seu humoribus repleatur. quod & uerum est. Inquit ergo Hippocrates in libro de Alimento: Quibus opus est ueloci restauratione, humidum alimentũ cõuenit: quibus adhuc uelociori, odores. Ex quo patet, apud Hippocratem odores nutrire. Quod sic demõstratur. nam ex aëre spiritus nutriuntur
Cap.5. libro, ut dixi, de Flatibus. & Galenus in libro de Vsu respirationis: Sed odor est corpulentior aere, igitur bonus odor magis nutriet.

Galenus hac in parte non uidetur omninò intellexisse Hippocratem: nam dictionem illam ποτοῦ, interpretatur, ut apud nos, pro potu. Et ita postmodum, ut tueatur Hippocratem, refugit ad uina nigra, excipiens alba, & multo magis ipsam aquam: cum tamen non animaduertat, etiam uina nigra ualde parum nutrire. nã
Pag.10. libro de Ratione uictus in acutis, inquit Hippocrates: Mel duplo magis nutrit quàm uinum, & mulsa magis nutrit quàm uinum album, aquosum. at mulsa fermè nihil nutrit, mel etiam ual-
cap.39. de parum: ut tertio de Alimentis Galenus ipse fatetur. Quare non est ut hîc intelligamus Hippocratem de potibus, ubi multa essent falsa, & pauca admodum uera. Dicendum est ergo, quòd Hippocrates hîc loquitur de liquido cibo & sicco in eodem genere cõparatis, scilicet carne colliquata, puta pulli, & non colliquata, maza & ptisana, pane diluto & cocto, & pane sicco, non comparando cibos & potus factos è diuersa materia inuicem. Quòd si quis obijciat, carnes colliquatas, & panem coctum appella-
Pag.2. ri ab Hippocrate in libro de Veteri medicina ῥοφήματα, distinguiq; à πώματα, quæ sunt potiones: Respondeo, quòd ibi proponit tria genera ciborum, imò quatuor: Siccum, ut panem densum, ut mazam: sorbitionem, ut ptisanam: & potum, ut uinum. hic uerò duo sub uno comprehendit, potum & sorbitionem sub potu; & sub cibo, siccum & mollem: Apparet etiam quanta utilitas habeatur ex nostra expositione, cum ægrum reficere expedierit: Galeni autem, nulla.

APHORISMVS XII.

QVæ relinquuntur in morbis post iudicationes, reuersiones facere consueuerunt.

COMMENTARIVS.

¶ Non semper quæ sic relinquuntur, faciunt reciduas, sed facere consueuerunt: uel si quis pleniore utatur cibo, ubi appetat: uel si non appetat, & non purgetur: uel etiam si appetat, & utatur recta uictus ratione, sed quod relictum multum sit prauum in comparatione ad uires. Quòd si uel expurgetur ante reuersionem, uel à natura superetur, bono utente regimine ægro; effugiet reuersionem. Tribus igitur modis contingit ad reuersionem morbi deuenire, relictis reliquijs illius in iudicatione, duobus autem effugere: ob id rectè dictum est, Reuersiones facere consueuerunt. quasi diceret, Plerunque id contingit. Et maximè, quod rarò accidit, ut ægri recta uictus ratione utantur, dum conualescunt:

Signa autem futuræ reuersionis recitantur Pag.4.
ab Hippocrate, in libro de Iudicationibus: & ponit quinque casus. Primus, ubi à febris discessu uigiliæ uehementer infestant, aut somni turbulenti, aut lassitudo totius corporis: aut dicit textus ῥώμη, quod est robur: sed uult dicere, deficiat. Secundus est, ubi febris sine signo iudicatorio abscedat: nec in die iudicatoria. Tertius est, ubi febris relinquat, & tamen urinæ crudæ sint. Quartus, cum urinæ fuerint mali coloris, rubræ scilicet, aut fuluæ, uel sedimentum habentes rubicundum. Quintus, cum morbus desinit ad parotidas, & illæ non suppuratæ abscedunt. Et idem est dicendum de alijs tumoribus; & possunt reduci ad ordinem hoc modo, ut uel ex operationibus præsentibus sumantur: & sunt præcipuè uigilia, uel somnus turbulentus, imbecillitas uirium: sub qua comprehenditur cibi fastidium, & lassitudo. Vel à præsentibus signis: & sunt, non abscedere cum excreatione aliqua, nec in die indicatoria. Vel à præteritis signis: & est, præfuisse urinas solum crudas. Vel à succedentibus: & est, subsequi urinas malas, rubras, tenues, cum rubro'ue

ſedimento. Vel à propria ratione, cum febris
defecerit aliquo cum ſigno, quod poſtmodum
permutatur, ut diſceſſus parotidarum.

Ex proprijs ſignis recidiuarum, inquit Hip-
Pag.26. pocrates in Coacis prædictionibus: Vrina denſi
„ tatem habens, diuulſam in febribus, recidiuã aut
„ ſudorem ſignificat. Intelligit per denſitatem, den
ſum ſedimentum: id ergo diuulſum ſi ſit febris, re
ditum ſignificat, niſi ſudores ſequantur. Denſum
enim difficile ſoluitur, diuulſum naturæ uim non
demonſtrari declarat. Quæcunq; igitur nõ de-
mõſtrantur à natura, nõ nutriũt: quare temporis
proceſſu putreſcere eſt neceſſarium, febremq;
generare. Aliud ſignum ibidem habetur, ſi in ini
tio morbi urina turbida ſit, & cum ſudore. Hoc
tamen intellige, ſi æger euadat. Hippocrates nar
Pag.6. rat in quarto Epidemiorum, reuerſiones factas
poſt longum tempus his, quibus urinæ ſuppreſſæ
fuerant ante iudicationem.

Quæ uerò reuerſiones faciunt, ſunt tria po-
tiſsimè: materia relicta, de qua in præſenti textu:
temporis conſtitutio, uelut in primo Epidemio-
Sec.2. ante finem. rum, & de Humoribus. probatq; uno uerbo di-
cens: Tempora faciunt morbos, ergo multo faci
lius recidiuas. facilius enim eſt ægrum iterum in
morbum recidere, quàm ſanum ægrotare: at tem
porum conſtitutionem ſeu naturalem, ut habe-
Pag.4. tur in tertia Aphoriſmorum: ſeu præter naturã,
ut primo & tertio Epidemiorum, conſtat facere
morbos, igitur etiam recidiuas: Et ratio uictus
non recta.

Sec.6. Porrò quod inquit in ſexto Epidemiorum: In
„ recidiuis mutationes proſunt, oportet igitur ad
„ ea permutare quæ conueniunt, antequam malè
afficiantur: intelligit de morbis, qui uel natura
uel temporis ſtatu reuertuntur. Velut ſyderatio-
nis ſeu attoniti morbi, de quo ſecundo de Mor-
Pag.8.13. bis, & Febris ardentis ſecundũ genus: Arteriæ
Pag.3.6. exulceratio, de internis Affectionibus, ruptio pe
ctoris & dorſi. Sed & podagra & reliqui mor
bi ex craſsis lentisq; humoribus facilè reuertun-
tur. Verùm qđ mirũ eſt magis, morbi quidã poſt
duos annos reuertũtur, ut uoluulus: ſic enim te-
Pag.25. ſtatur Hippocrates libro de Internis affectioni-
bus. Et quod maius eſt, aliqui poſt ſeptem, aliqui
poſt quatuordecim annos, ut in ſecundo libro de
Pag.4. Morbis: alibi uerò teſtatur etiam de nono anno.
Admiranda ſatis.

An uerò morbi qui commutantur, dici poſsint
Pag.2. recidiuas facere, ut in primo de Morbis ex phre
nitide in Peripneumoniam & febrem ardentẽ:
ex peripneumonia & pleuritide in ſuppuratio-
nem: atq; ex tineſmo in dyſenteriã, ex dyſenteria
in læuitatẽ inteſtinorũ, ex hac rurſus in aquam
intercutẽ. Et reſpondeo, quod quamuis hæc mu-
tatio habeat commune cum recidiua, quòd dete-
rius habeat hominem primigenio morbo. cuius
cauſam docet Hippocrates libro de Affectioni- Pag.7.
bus, dicens: Aduenit ſecundus morbus iam præ
debilitato ægro: ſed neq; obſtat morbi uarietas,
ſed coniunctio. nã recidiua præſupponit, ut prior
morbus deſinat: hic autem morbus prior nõ de-
ſinit, ideo recidiua dici non poteſt: ſi deſineret,
diceretur.

De cõtinuatione Aphoriſmi cum octauo A-
phoriſmo, clara eſt ratio adducta à Galeno: ſed
nos uideamus quid dixerit Auicenna de conuale 2. 4. t. 1.
ſcentibus, in quibus accidit caſus appetitus cibi cap.100.
ob debilitatẽ iecoris aut uentriculi, & in his co- 101.102.
gimur dare cibum: ſed non ſumus in caſu, quia ni
hil præſupponitur relictũ in iudicatione. Hippo-
crates aũt præſupponit relictũ & hic & in ſupe
riore Aphoriſmo, de quo diximus nuper. Ideo nõ
debemus occidere ægros, ut non uideamur Aui-
cennæ rationem habere: aut ut uideamur Hippo
cratis habere, aut Galeni. hoc enim deterius fa-
ctum eſt latronum facto. illi enim notis parcunt,
& iugulant homines ut accipiant pecunias: hi
uerò iugulant pecunijs acceptis, ſalutis cauſa. Di
cit ergo Auicenna, ꝙ perſæpè recidiuæ fiunt ad
morbos contrarios primis morbis: ut ex ardente
febre in reſolutionem, ſyderationem, & coli do-
lorem frigidũ. Et reddit rationẽ huius caſus: ſcili
cet curam nimis declinantẽ ad morbi contrariũ,
in quantitate ſcilicet, & qualitate. Et non ſolùm
uult quandoq; eſſe neceſſariam euacuationẽ, ſed
etiam ſectionẽ uenæ: & hoc in duobus caſibus.
uel propter ſuperuenientẽ febrem ad refrigeran
dũ corpus, uel quia cinis materiæ morbi fuit reli-
ctus in ſanguine, ut illum expurges, bonum rege
nerãdo. Et ſumpſit à Raſi in trigeſimoquarto Cõ Trac.1.c.2.
tinentis: & ibi etiã docuit, quòd in caſu appetitus
conualeſcentiũ perſæpè exhibita quæ cõfirmant
uentriculum, febrẽ redire cogũt. Et hoc accidit,
cum caſus ille fuerit propter malos humores cir
ca uentriculũ. Et in hoc plurimùm peccant medi
ci noſtri temporis, dantes offas ex triaſſantha-
lis, cum rariſsimè conueniant. aliter non dixiſſet
Hippocrates, eum appetitus caſum ſignũ eſſe, ꝙ
corpus euacuatione indiget. In uniuerſum, cum
morbus ſine cauſa citò reuertitur uirib. iam de-
bilibus, genus hoc recidiuæ lethale eſt, inquit
Auicenna. Cap.95.

Cauſæ uerò cur materia relinquatur in indi-
catione,

ca tione, possunt esse uel propter impedimentum fortuitũ, uel propter materiæ inæqualitatem, uel propter malã coctionem & imperfectã, uel propter uiriũ imbecillitatẽ. Et sumũtur ab Hippocrate *fermè omnes in prima particula iã explicata.*

Sec.3. *Scribitur etiã hic Aphorismus secundo Epide-*
Sec.2.&3. *miorum, & in sexto eiusdẽ, ubi in secũda autoritate ait: Quibus intus relinquũtur certissimæ & uelocissimæ recidiuæ. In textu Galeni legitur: Quibus intus aliquid relinquitur. Respondeo, de his morbis ibi loqui qui maligni sunt, & per ul-*
Pag.6. *cera ac tubercula. Scribitur & quarto Epidemiorum, adiectis his: Et in ipsis morbis, quæ excernuntur, sputum præmaturũ, alui secessus, intemperies & similia. Siquidem ait, talia sunt ex his quæ relinquuntur, ut non solùm de toto humore, sed parte & intemperie intelligatur.*

APHORISMVS XIII.

QVibuscunq; iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem: quæ uerò subsequitur, magna ex parte leuior existit.

COMMENTARIVS.

¶ *Quomodo alij præcedentes Aphorismi se inuicẽ subsequantur, iam dictũ est: hunc uerò planè antecedenti connecti, palàm etiam est. nã cum sermo esset de iudicatione institutus, illam etiam præcognoscere docet ex proprio quodã sibi affectu: qui est, quòd nox ante accessionẽ est diffici-*
22.Com. *lis. nam ut habetur quarta Aphorismorũ: In salubri iudicio necesse est præcedere coctionem, separationem, cõsequi uerò expulsionem: ergo tot motus, præcipuè secundum, par est præcedere aliqua molesta symptomata: cuiusmodi sunt quæ*
Cap.14. *scribuntur à Galeno, primo de Crisi, collecta ex* Hippocrate *in primo Epidemiorum, & fine libri Prognosticorum. Reducuntur aũt ad duodecim genera: Animæ perturbationẽ, delyriũ, uertiginem, & anxietatem sensuum, oculi tenebricosi, & flammã uidentes ac lachrymãtes, & tinnitus, & capitis dolores, temporũ grauitatẽ, colli quoq; & uenarũ quæ in eo sunt tensionem, pectoris & membrorũ spiritus respirationẽ difficilẽ, præcordiorũ cõtractionẽ & distentionẽ siue duriciẽ: uentriculi fastidium, nauseam, dolorẽ: oris autem sitim, labij inferioris tremorem: faciei ruborem & inflationem: totius uigiliæ & somni turbulenti, et iactatio corporis & extremitatũ, æstusq;, ut nonnunquã exurgere cogantur: cordis quoq; palpitationem, quam ille prætermittit, ut etiam retentionem secum & aliorum excre-*
Pag.8. *mentorum,* Hippocrates *autem in* Prognosticis *confidit in duobus, præsertim morbi natura & incrementis. nam si magna fuerint & morborũ & symptomatum, propè esse uigorem est expectandum. Nec ex superioribus signis credas omnia omnibus conuenire: sed quæ ad caput pertinent, sanguinis fluxũ è naribus præcedere solẽt: Quæ ad cor, eundem uel sudorẽ uel uomitũ: quæ uerò ad præcordia, & uentris murmur, fluxum uomitum'ue. Iactatio et inquies ac sitis fermè cõmunia sunt signa: quæ circa uentriculũ, uomitus. Sic igitur distinguere oportet ea quæ imminentẽ iudicationẽ docent: uelut quæ præsentem, ipsa euacuationũ genera, sanguis, urina, dolor abscessus. Sunt præterea signa quæ distinguunt bona iudicia à malis. Quid aũt iudiciũ sit, superius docuimus, & in Cõmento Galenus declarat. In uniuersum critica signa, alia quidem imminentẽ crisim significant, alia præsentem: alia qua uia futura sit, alia an bona uel mala.*

Necesse est igitur in nocte antecedente futurũ iudicium, aliquod horum signorum adesse: quod cum adfuerit, ut reliqua omnia, facilius ac magis sentitur quàm de die: ob id noctem in hoc prætulit diei, tametsi dies propior esset iudicio, quod proxima nocte esset expectandum.

Sed cur dixit ante accessionem, non indica-
tionem? Sexto Epidemiorum aliter scribitur hoc: Sec.3.
Quæcunq; tertianæ naturam habent, his nox difficilis ante exacerbationem: quæ uerò sequitur, tolerabilior, ut in pluribus. Solent iudicia fieri in exacerbationibus ob causas ab initio enarratas: unde terribiliora signa apparent in seruandis, quàm morituris. nihilominus paulo pòst seruandi melius se habent, morituri autem à iudicio nihil alleuantur. Porrò de loco illo Hippocratis satis dictũ est in Contradictionibus, et alibi etiã. Ego tamen per accessionẽ hic intelligo incrementum morbi, quòd ex iudicio necessariò aduenit.

Quæ uerò subsequitur leuior, ut in pluribus. Non simpliciter docet, quod Galenus dicit in Commẽto, scilicet ut adiecerit in pluribus ob morituros. nam si leuior ad difficilẽ referatur, persæpè etiam in morituris hoc continget. Sed intellexit, quod ut præcedens est grauior solito: ita subsequens non solùm præcedente, sed etiam solito. Primum quidẽ expulsa materia noxia, secũdum fatigatis uiribus, quæ quietem postulant. Verùm dubitare expedit non parũ, si iudicatur soluiturq; morbus, non'ne necessariò leuior erit futura nox sequẽs? Ob id in talib. expediebat Galenum immorari, quæ magnã habẽt difficultatẽ, ubi uerò de accessionib. et cõstitutionib. loquitur,

3.Epid.5. in ordine. tam copiosum esse, ut magnam partem tertij Epidemiorum adducat. Mihi sanè uidetur appositus casus languentis Chærionis. constat enim hunc (Hippocratis testimonio) ter iudicatum, tandē euasisse: septima siquidē, decimaseptima, & quadragesima. Septimā præcessit nox molesta cum delyrio: octaua dixit febrem intermisisse & respiruisse, mollior igitur illa nox fuit. Verùm in decimaoctaua à iudicio decimæseptimæ diei, dixit illum recaluisse ac sitisse, & mente motum fuisse: quæ omnia docent ipsum non solùm melius habuisse, quàm cum in iudicio superriguit, sed etiam quàm in quartadecima ac decimasexta. Animaduertere uerò oportet, quòd cum dicat, motum mente esse in decimaoctaua die, & iam dixerit non motū fuisse mente in recidiua: quòd per recidiuam intelligit tempus à nona die ad decimam septimam, in quo facta fuit prima recidiua. Verba igitur illa, Leuior ut in pluribꝰ, dicta sunt, referendo ad statum morbi generalem, nō ad præcedentem noctem, cum Hippocrates de sanabilibus morbis ac sanandis ægris solum sermonē instituerit: & ob eos qui non perfectè à morbo liberantur, ut fuit Chærion, & multi alij. Contingit autem etiam in sanandis præter hæc fieri succedentem noctē solito grauiorem, uel ob errorē, uel ob siderum cōstitutionem, uel ob morbū aliū succedentem, uel etiam ob uirium imbecillitatē.

Sed Hippocrates, meo iudicio, hic & indicationibus et accessionibus communem sermonem texuit: quoniam in omni accessione intermittentis febris fit iudicatio, ut infrà uidebitur. Si iuxta

4.Aph.63. Galenum, in suo de Morbi temporibus libello, quælibet accessio sex habet tempora: cum ad interuallum deuenit, & peruenit ad statum & declinationem, inde etiam finitur: igitur ad iudicationem deuenit, præsertim cum uideamus omnes huiusmodi febres uel in sudores uel urinas profluentes desinere. Ergo doctrina hæc Hippocratis generalis est in omnibus iudicationibus. quod etiam experimentum docet. In quartanis tamen & quotidianis talia minus urgere solent: quæ si urgeant, & maximè cum homo non prorsus liberatur à febre, nec sequitur excretio ulla, febris malignitatem talia decernunt, aut animi molestiam, aut materiam turgentem, aut abscessum cerebri, uel iuxta septum transuersum latitantē. Ergo id ut in pluribus ab eo dictum est, uel quia non soluitur plenè morbus in continuis, uel ob duplices tertianas et quartanas, atq; eiusmodi in quibus nox sequens priorem accessionem, cum præcedat sequentem, euadit deterior.

APHORISMVS XIIII.

IN profluuijs alui mutationes excrementorum iuuāt, si non ad mala mutatio fiat.

COMMENTARIVS.

¶ Sic potest Aphorismus continuari, quoniā iudicationem in febribus & alijs morbis, in quibus nihil excerni solet, fieri docuit: hic etiam in fluxibus fieri docet, cum natura causam morbi expellit. Sunt autem uentris fluxus species tres, de quibus agit Celsus, nomine, loco & re diffe- Lib.4.cap. 13.16.19.
rentes. Primum genus uocatur Tormina apud illum, nostri uocant difficultatem intestinorum, Græci dysenteriam. Secūdum, leuitas intestinorum, Græci lyenteriam appellant. Tertium, fluxus uentris, Græcis dicitur diarrhæa. Primum est affectus intestinorum, et extruditur sanguis: secundum uentriculi, & exit chilus: tertium alterius partis uel totius, & extruditur humor. Hic de fluxu uentris intelligit.

Iuuant. Si enim causa morbi expellitur, necesse est illos iuuari. Scribitur hic Aphorismus sub alijs uerbis, secundo de Morbis uulgaribus, Sec.2.in prin.
his uerbis: "Mutationes prosunt, si non ad praua mutentur: uelut his qui à medicamentis uomunt febrium gratia. Feces in meraciora desinentes putrefactionem significant, uelut Dexippo. Exemplum habetur quarto Epidemiorum, de Thesto- Pag.2 &
ris famula, & eo qui iuxta Medosadæ ædes habitabat, alioq; qui seruati sunt.

Ergo quæ sint praua, iam docuit hic, meraca scilicet. & in libro Prognosticorum enumerat Pag.3.
quinq;: ramētosa, biliosa, cruenta, prasina, nigra. Proponit autem quatuor ordines. in primo sunt aquosa ualde, alba, pallida, uiridia, uehementer rufa, spumosa. In Galeni textu non legitur Viridia. In secundo ordine, & est deterior priore, est paucum, candidū, glutinosum: uel subuiride ac leue. Tertius est pessimus: nigrum, liuidum, æruginosum, pingue, fœtidum. in Galeni textu non est Aeruginosum. In quarto, qui pessimus est, sed non adeò citò perimit, est uarium: sic uertit Cornarius ποικίλα: et melius quàm uersicolorē, quod & animaduertit Gadaldinus in Margine. parum enim conuenit cum sequentibus uerbis, Ramentosa, biliosa, & reliqua. Varium appellat, quia uariare solent.

Verùm dices: id de malo, an intelligitur simpliciter, an comparatiuè? Respōdeo, quod solùm simpliciter, quia ita Galenus exponit in Cōmento, & ratio ipsa docet: alter enim securiores essent liuidæ ex nigris, q̄ subuiridis ex permista.

Quæ autem egestiones non sint malæ, & quod non mutari malum sit, docet secundo Epi-
Sec.3.in prin. *demiorum. Alui turbatæ ex tenuibus, aquosis, non biliosis, spumosis multis, quæ aliquando deposita etiam subsidentiam habebant, ex quibus sanè etiam id quod sub dio exponebatur noctu, simile erat. Aequales specie semper alui secessus, malum. Quòd si mali sunt alui secessus perseuerantes similes, quoniam causæ magnitudinem significant: & etiam quia eodem modo afficiendo intestina magis lædunt, mutatio bona erit, & bonum etiam signum.*

APHORISMVS XV.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. nam si biliosæ fuerint, corpus unà ægrotat: si uerò sanis similes, tutum est corpus nutrire.

COMMENTARIVS.

¶ *Quia dixit, à indicatione si non corroboratur corpus, uti uel plurimo cibo, uel indigere euacuatione: hic modò docet, si uideatur malè restaurari, & ita continuatur octauo Aphorismo ad unguem. habet enim duas partes illi respõdentes, si quis bene animaduertat. Hippocrates libro*
Pag.3. *de Glandulis, docet septem esse fluxiones à capite: è quibus una est ad fauces, cum strangulantur*
Pag.1.&3. *in morbis acutis, ut habetur in 1. Prædictionum. & de hac nõ est sermo, ut neq; de Angina. est enim illa faucium inflammatio, ut paulo inferius. absurdum enim esset dicere, tutum esse tales nutrire. Sed neq; de illis exulcerationibus, & generaliter ullis morbis qui cum febre sunt. plerunq;*
Pag.11. *enim sunt periculosi, ut in Coacis prædictionib. & similiter ulcera proserpentia circa fauces, & maximè acuta & praua in infantibus sunt periculosa, ut in lib. de Dentitione. Proprium est autẽ*
Pag.2. *doloris fauciũ, ut habetur in lib. de Coacis prædictionib. si ualidus sit, tumores circa aures et cõuulsiones gignere. Sed loquitur eo modo, quo in lib. de Affectionib. Fauces à pituita inflammantur, curandæ autem sunt gargarizatione. Quomodo autem hic morbus fiat, docebat Hippocra*
Pag.5. *tes in lib. de Flatib. dicens: Cum fauces exulcerãtur & exasperantur ac inflammãtur, trahunt calefactæ humorẽ de capite: illud uerò rursus à toto corpore. Hoc uerò, ut dixi, cõtingit, quoniam glandulæ illæ quæ à lateribus sunt, implentur. Sensus igitur totus est, ac si diceret: Vbi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, inspicienda sunt excrementa: nam si biliosa sint, corpus unà ægrotat: quare nutrire non debemus. non pura enim corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes: sin autem erunt similia sanis, tutum est corpus nutrire..*

Aut tubercula, φύματα *dicuntur à Galeno* Par.1.co.13.
sexto Epidemiorum, quæ parum prominent extra cutim, & sunt acuta, non genita à causa externa. In septima Aphorismorum docuit, intus e- Aphor.8.
tiam posse generari: propriè autem fiunt in pulmone, & frequenter: hic loquitur de exteriori- Sec.1.
bus solùm. Probat illa Hippocrates sexto Epidemiorum, in septem conditionibus: scilicet quòd sint extuberantia, acuta, fastigiata, deorsum uergentia, non dura, non bifida, æqualiter maturescentia. Ergo si materia propellitur à natura expurgante corpus, bene res se habet, siue fauces laborent, siue tubercula in corpore exoriantur: sin autem ex humorum redundantia, purgatione indigẽt. hoc est quod dixit Aegrota-
re. Porrò historiam Aristei sororij secundo E- Sec.2.
pidemiorum, in tibia tuberculis ex labore obortis, uidere licet. Verùm hic laborauit febre: unde tunc non dubium erat illum ægrotare: sed sudore, & sanguinis fluxu è naribus sanatus est. fiunt ergo & ob laborum uiolentiam.

Nam si χολώδεες, *id est biliosæ fuerint. Vult intelligere quamcunque uitiatam formam, quod intelligitur à contrario: quia dicit, Si uerò similes sanis. per biliosas ergo, seu felleas, quascunq; à sanis alienas intelligit.*

APHORISMVS XVI.

Vbi fames, laborandum non est.

COMMENTARIVS.

¶ *Hucusq; continuitatis ratio clara fuit. nunc*
hic Aphorismus ita præcedentibus iungitur, Aphor.10.
quia superius dictum est, Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Vbi uerò corpora nutrire non possumus, quia non expedit, sed famem adhibere conuenit, id est inopiam cibi. quod probat Galenus in Commen-
to, ex autoritate secundi Epidemiorum, & est Sec.4.
ex repetitis in sexto, ut pleraque alia: sicut quæ in quinto repetuntur, magna ex parte in septimo: unde emendatio nostra. Et dicimus famem etiam cibi abstinentiam qualemcunque, modò
sit magna. Et probat Galenus ex Prognosti- Pag.1.
cis, & septima Aphorismorum: & hoc mo- 52.
do intelligitur.

Construitur sic ratio: Vires non sunt exoluendæ duabus uehementibus causis simul,

sed fames

sed fames & labor uehementer exoluunt uires
singillatim: ergo nõ sunt simul adhibenda. Fames
Pag.4. enim, ut inquit Hippocrates lib. de Veteri medi-
cina, magnam habet uim sanandi, debilitandi &
occidendi. De laboribus autem dicebat in 1. de
Pag 2. Diæta, cibi & labores contrarij sunt. cibi enim
restaurant corpus, labores autem absumũt. Ideo
Sect.3. dixit 6. Epidem. Cibus modicus, nõ delassari, nõ
sitire. Exemplum de pluribus rebus uires absu-
Pag.21. mentibus habetur 7. Epidemiorum, in Thymi fi-
lio laborante febre, alui profluuio, & longa ine-
dia, qui mortuus est.

Galenus autem amplificat sententiam Hippocratis, & bene iuxta demonstrationem cui innititur: Nullum exhauriens uires, conuenit cum alio: & si de naturalibus, quãto magis de his quæ præter naturam aut contra naturam sunt? Secundum naturam est senectus, imbecilitas innata, fames, sudor, & caliditas acris: præter naturam labores, uenus nimia, odores mali, uigilia, tristicia & timor. est enim timor, tristicia spei permista. Contra naturam morbi causæ, symptomata, maximè dolor & euacuatio. Ergo duo ex his iungi non debent, multo minus tria.

Sed hic explodenda est dubitatio non leuis, si
ubi fames adhibetur, non conuenit euacuatio ma-
7. gna, in morbis acutis fames adhibetur, 1. Aphoris-
morum: & ideo non cõueniret sectio uenæ, nec
Pag.14. purgatio, contra Hippocratem in libro de Ratio-
10. ne uictus in acutis, & 4. Aphorismorum. Respõ-
deo: Hippocratem hoc non dixisse. sanis enim nõ
conueniunt auxilia contra naturam: in ægris cogimur, maximè in principio, cum nondum uires exsolutæ sunt. Periculum etiã maius est in labore, quàm uenæ sectione, uel purgatione, propter inflammationem, & spirituum consumptionem, quæ in laboribus maior fit.

APHORISMVS XVII.

VBi alimentum prçter naturam plus ingestum est, hoc morbũ facit: ostendit autem sanatio.

COMMENTARIVS.

¶ Τροφὴ, alimentum apud Latinos signifi-
cat. Galenus continuat hunc Aphorismum ei:
4. Non satietas, non fames, neque alud quicquam
» quod modum naturæ excesserit, bonum. Sed ni-
mis procul expetitur huiusmodi continuatio: & etiam quia ibi de signo, non causa loquitur. Intelligamus ergo, quòd cum locutus sit de fame in præcedenti, quòd cauendum est à labore: hic docet quòd satietas est deterior, quia per se & proptè lædit, etiam non adiecta alia causa. Ex quo patet, quòd non ualet hæc ratio: Ex assumptione copiosioris cibi homo plus læditur in una die, & etiam plus longè, quàm ex inedia unius diei: ergo ex inedia decem dierum minus lædetur, quàm ex copiosa assumptione cibi totidem dierum. nam ex inedia morietur, ex cibo autẽ non.

Alimentum quid sit, superius sæpe docui.
Verùm præter naturam trifariam hic à Galeno
exponitur: uel supra uires, nam repletio duplex
secundum uasa, ut cum uentriculus nimio plus
extenditur: uel contra naturam, ut si quis fun-
gis utatur crudis, ut septimo Epidemiorum, de Pag.20.
filia Pausaniæ, quæ fungum crudum edit, &
patiebatur anxietatem, strangulationem & do-
lorem uentris: nec liberata est, nisi cum euomis-
set fungum, mulsa epota & balneo adhibito, in
quo etiam sudauit. Vel supra hominis naturam,
ut de Biante pugile, quinto Epidemiorum: qui Pag.10.
adeò erat uorax, ut ederet carnes porcinas crudas, placentas dulciarias ex melle, polentam, pepones, cucumeres, bibebatq; lac & uinum odoratum usque ad ebrietatem. Aegrotauit igitur cholera morbo, qui familiaris est immodicè se ingurgitantibus. Hunc igitur patet, omnibus modis huius Aphorismi alimentum præter naturam sumpsisse.

Rationem autem Aphorismi Galenus prætermisit, saltem claram: uolo autem docere illam,
& Aphorismum uerum esse demonstrare: ostendereq; simul, cur dixerit Præter naturam: &
cur adiecerit ea uerba, de quibus dubitat Gale-
nus, scilicet, Ostendit autem sanatio. Cibus, in-
quit Hippocrates in libro de Locis in homine, si Pag.14.
uincit naturam, efficit morbum. Appellat ergo ci-
bum præter naturam seu alimentum, cum superat naturam: sed si superat naturam, morbum facit, quia morbus fit superata natura, ut ibi dicit. Si ergo dixeris, Non efficit morbum: dicet Hippocrates, ergo non est præter naturam. Igitur solum secũda aut tertia expositio est bona. Osten-
do modò quòd efficiat morbum, quia efficit cru-
ditatem. Cuius habetis exemplum 7. Epidem. in Pag.22.
Epicharmi filio, qui ex labore & potu eam contraxit. Vnde non dixit de potu, quia facilius distribuitur uel euomitur: necessariò ergo cibus præter naturã hoc modo ingestus facit morbũ.

Ostendit autem sanatio, sic intellectis prioribus uerbis, siue sanetur uomitu naturali, seu à medico, seu secessu sponte seu à medico seu cholera seu purgatione materiæ febrem facientis, siue alio modo, cum in omnibus fiat euacuatio.

Clarum

Clarum est, quòd morbus factus fuit ex repletione præter naturam. Inde sumptæ sunt duæ illæ regulæ generales, positæ ab Hippocrate in libro de Victu in acutis: Cum cibus fuerit in uentriculo, morbo inchoante, fac ut reijciat per uomitum: si non, per aluum. Hippocrates exhibet clysterem aut glandem, nonnunquam etiam medicamentum, ut tertio de Diæta. Quòd si dicas, Prius iniungit somnum? Respondeo, quòd præsupponit, ut non sit tunc præter naturam.

Pag. 5. Hippocrates in 3. de Diæta docet, multos modos repletionis factæ ab immodica ciborum repletione, qui omnes ad nouem capitæ reducuntur. aut uomitu cruditas expellitur, uel secessu, tuncque bifida consurgit diuisio. aut enim corrumpitur, aut non. si uero retinetur, aut remanet cruditas, aut fit acida, aut corrupta. aut concoquitur in uentriculo, & carnes non trahunt: tuncq; aut grauat solùm, aut corrumpitur. & si corrumpitur, aut afficit totum corpus, aut partem, uel generat febrem.

APHORISMVS XVIII.

Eorum quæ ἀθρόως & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

COMMENTARIVS.

¶ Id est, Ea quæ non sensim, neque paulatim totum, quo nutrire possunt: sed simulatque unà nutrimentum uelociter exhibent, ueloces quoque eorum quæ restant, fiunt excretiones. Demonstratur autem sic: Natura non emittit, nisi cocta, antequam expresserit totum quod adest & continetur nutrimentum: neque contrà, ubi totum expresserit, quod residuum est retinet. aberraret enim. Sed quæ totum quod habent nutrimentum, celeriter atque unà totum exhibent, celeriter etiam excrementum separant: & ubi separatum est illud, expellitur. igitur quæ celeriter nutriunt, ac totum quicquid continent, simul separari patiuntur, eorum residua etiam celeriter expelluntur. Verbum ergo ἀθρόως, Latinè aut per unà ac simul, aut clarius per negantem orationem, utpote, non sensim, neque paulatim, exprimi debet.

Galeno tamen uisum est, hanc orationem nõ esse ueram ac necessariam, tacitusq; sugillat, ut sæpè solet in hoc opere, Hippocratem, dicens: Multa excernuntur celerrimè ob adiectam salsam quandam qualitatẽ, quæ tamen tardè & sensim nutriunt: alia uerò quæ celeriter nutriunt, ob lentam substantiam tardè expelluntur. Ob id, dicit, intelligi dictum Hippocratis sic debet, ut sint pura nutrimenta, ab omni aliena qualitate, seu naturali, seu ex præparatione acquisita, pura uel expurgata. & insinuat, quòd si, gratia exempli, coxeris ostrea parum, citò deijcientur, quamuis serò concoquantur, & paulatim, ob nitrosam (sic enim uocan, ego salsam dicam: quamuis paululum inter salsum & nitrosum, sal & nitrum intersit, quod nitrum amarũ sit, sal minimè) qualitatem. Ideo dicit Galenus: Si ostrea diu coxeris, abieceris q; ius illud, facilè intelliges serò ostrea concoqui: quòd duræ sint carnis, & paulatim nutriant. Idemq; in caulibus contingit: nam diu cocti, & abiecto iure, tardius descendũt è uẽtriculo, tardiusq; concoquuntur, quàm si solùm paululum ferueant: non quòd uerè celerius concoquantur, imò non exactè cocta nunquam fermè concoquuntur in uentriculo: sed ideo concocta uidentur, quia descendunt. Vnde nata est illa opinio, quædam esse quæ quanto magis coquuntur, tanto difficilioris concoctionis euadant, alia uerò durescant etiam.

Rectè igitur fecisset Galenus, primùm, si aduersus tantum uirum uel unum exemplum attulisset, eorum scilicet quæ & citò concoquuntur, & tardè exeunt: & quæ tardè cõcoquuntur, celeriter tamen exeunt. Deinde cum quæ concocta sunt in uentriculo, in intestinis etiã maneant, trahente iecore per mesaræi uenas succo, an de descensu cibi ex uentriculo in intestina, uel ipsa deiectione ex intestinis intelligat Hippocrates? Aut saltem docuisset rationẽ, quare harum una alteram necessariò cõsequatur. Et rursus, quare sit quòd aliqua quanto magis coquuntur seu assata seu elixa, tanto magis durescunt? ut oua, iecur, & chamæ fluuiales.

Forsan dices, Ipsemet Hippocrates uelocis secessus alias causas attulit in lib. de Affectionib. dicens: Cibi qui plurimum calefcunt, citò siccantur & durescunt, atque ob id tardè descendunt: qui uerò celeriter descendunt; succosi sunt, & natura calidi. Et rursus in libro de Locis in homine: Cibi qui aluum subducunt, sunt qui incidunt, & qui attenuantur in calido, salsi et lubrici. Sistunt autem, qui astringunt, & qui à calore coguntur, quiq; flatum pariunt, sicci atq; friabiles. Sed hic loquitur de deijcientibus aluum cibis, habentibus naturam medicamenti, ut cnico & mercuriali. Ad id de cibo, qui plurimum calescit, ut qui tenuis sit substantiæ, & siccus. Respondeo, quòd oportet ut tandiu morentur in uentriculo, ut possint siccari. & si uelociter, & non Pag. ul. Pag. 15.

& non sensim nutriunt, succosi erunt: ideo ibi tradidit regulam omnibus intellectu faciliorem, hic uerò magis reconditi sensus.

Cæterùm dices: Caro ceruina erit pro exẽplo, quæ tardè concoquitur, & celeriter è uentriculo descendit, 2. libro Auicẽna teste? Respõ-
t.2.c.145. deo, quòd Hippocrates in 2. de Diæta non id di-
Pag.6. cit, imò uult quòd tardius secedat carne apri: existimo quòd Auicenna hoc dixerit ob amaritudinem, quia ceruus felle caret: sed & equi, asi-
4. de Part. ni, muli & damæ, ut Aristoteles docet: & tamẽ
Ani.cap. 2. caro eorum non facilè descendit è uentriculo.
Lib. 37. t.1. uel forsan propter ea uerba Rasis: Qui ederit
c.172. carnes cerui, oportet ut illa sedeat in uentriculo, si concoqui debet. Sed Rasis intelligit, quòd oportet ut descendat et adhæreat imo uentriculi, nec sumatur in fine cibi, sed in initio: nõ autem quòd sedeat, id est, quòd non celeriter descendat ex ipso uentriculo.

Cõstitui ergo una regula uidetur hoc modo, Quæ celeriter nec sensim nutriunt, ea celeriter secedunt, citóq; reparãt uires, sed ad robur non multum conducunt: quæ sensim & tardè cõcoquũtur, plurimumq; nutriunt, ea tardè secedunt, & robur corpori addũt: sed si parum nutriant, nec robur addent corpori. ea regula ex libro de
Pag.12.13. Affectionibus, tum hic etiam colligitur.

His intellectis, inter ea quæ celeriter & simul nutriunt, uinum qualecunq; primas obtinet partes: sed inter uina Galenus ex duabus differentijs, una sumpta à calore, altera à substantia, nouem proponit ordines. Ponit enim à substantia crassum, tenue & mediocre, idq; bene se habet. Sed in calore album & nigrum, ac κιῤῥὸν, hoc quidem rubrũ, alij subrubrum, alij flauum: sed difficile est diuinare, cum res à sensu discrepat. Dicamus ergo clarè, distinguentes colores uini in quinq;, ut decet: nec ubi necesse est, propter duo uerba pariamus confusionem, ut Galenus, qui in non necessarijs adeò postmodum est uerbosus, ut etiam in isto Commentario. Erunt ergo nigra, alba, & proximum albo colore flauum, nigro rubrum, in medio omniũ subrubrum. Flaua calidißima sunt, & nigris substantia proxima, ut subrubra albis: rubra uerò, commutata uice, media inter flaua & subrubra.

Nigra ergo crassa maximè alunt, & tardißimè inter uina secedunt: tenuia uerò alba & flaua, celerrimè secedunt: alba quidem ob tenuitatem & paucitatem alimenti, flaua autẽ non tam celeriter: sed tamen celeriter, ob caliditatem: uerùm hæc albis plus nutriunt, & cæteris omnibus, præterquã nigris. Ex hoc genere sunt Monbasium seu maluasia uocata, Creticum uinum, uinaciola, uernaciola: & amabile seu uinũ Chium, & Tribianum Florentiæ, & huiusmodi innumera, gustu austera, odore iucundo & acri. Subrubra autem, quæ nos Cæsiola uocamus, proxima plerunq; sunt albis, tamen gustus ea distinguit. nam & ex albis quædam sunt calidißima, maximè quæ è nigra uua fieri consueuerunt sine acinis, desiderio alborum uinorum non suppeditante materia illorũ. Quapropter operæpreciũ fecisset Galenus, meminisse saporum & odorum potius quàm colorum: aut si pigebat tam longam texere historiam, omnino ab hac enarratione uinorum prorsus abstinere debuit. Ergo cum in reprehensione nulla sit utilitas, ne nos magis illo erremus, solum ea dicamus quæ in rem faciunt: primùm distinguentes, quod Galenus adeò, cum scitu esset necessarium prætermisit, scilicet an per excretiones Hippocrates intellexerit solùm alui excretiones, διαχωρήσιες dicit, à διαχώρησις, quæ est alui deiectio. Galenus tamen generaliter uidetur interpretari. Hoc autẽ multum refert, an de urinis etiam scilicet & sudoribus intelligat: mihi uidetur quòd de alui solum deiectionibus, quia præter id quod uerbum id significat, etiam cũ loquatur de nutritione quæ ad primam pertinet coctionem, uidetur Hippocrates de alui excrementis solum intelligere: quare tota illa tractatio fermè de uinis superflua est. Sed tamen, postquã cœpimus, prosequamur: uinũ dulce seu nigrum seu album, sed tenue magis, & nouum maximè, iuxta Hippocratem 2. de Diæta, Pag.7.
aluum subducit. Odorata, tenuia, urinas proliciunt, ut etiam alba tenuia austera aluum & urinas etiam sistunt. Subrubra, eatenus albis proxima. Flaua substantia nigris proximiora, ui autem albis. Rubra in medio eorum, ut dixi, facultate, imò omnium, sicut coloris ratione flaua, in medio consistunt.

Sed de alimentis non est ausus proferre, quænam sint quæ celeriter & ex se tota alunt, nisi miseram illam ptisanam: imò nec illam, sed illius succum, qui magis ad potũ quàm cibum attinet, in medium adducendo: tum petrosos pisces. Causam huius esse reor, quòd non hæc satis cum Galeni principijs concordarent. Nouam enim & re alienam, uerbotenus autem similem & consentientem Hippocrati doctrinam instituens ille, quod etiam Auicennam, uirum callidum, non latuit, coactus est tacitè Hippocratem erroris arguere. Nam Hippocratis uerba sunt in libro de Pag.penul.
Affe-

Affectionibus: ὡς μὲν τὸ ξύμπαν εἰρῆσθαι ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα. Et paulò post: αὐτοὶ δὲ ἐφ' ἑωυτῶν διαφέρουσιν ὧδε. quod est: Vt in uniuersum dictũ sit, Pisces leue sunt edulium, ipsi tamen inter se differunt, Itaque omnes pisces generaliter leuis sunt alimenti, si ad carnes conferantur. Non negat Hippocrates, quin petrosi inter eos facilius concoquantur, & melioris etiam sint alimenti: sed nec hi solùm, sed & marini his qui in aquis dulcibus degunt, & inter marinos littorales. sunt enim minus undis agitati. Enumerat autem Hippocrates inter marinos, petrosos, utpote insularis homo, in secundo de Dieta: turdum, phucam, elephetim &

Pag.6. cobionem. Galenus uidetur omnes amplexatus tertio de Alimentis, enumerans turdum, phucam, iuliam, percam, scarum, merulam: scarum autem præponit omnibus suauitate, inde merulam & turdum, reliquos tres in ordine ultimo reponit: gobionem excludit, quamuis non improbet illius alimentum, neque ut prauum, neque concoctu difficilem. Sed quis sit elephitis, haud docuit. Verùm Hippocrates inter cibos leues, etiam post petrosos, laudat rhombos, squatinas atque torpedines.

De cibis autem alijs non meminit nisi comparando Hippocrates, olus oleri, carnem carni. uerùm Galenus totum prætermisit, ut liquet: id est finem, cuius ratione Aphorismum scripsit. hic est, ut doceret suo more, qui cibi essent faci-

Aphor. 11. lioris coctionis, & qui non. dixerat enim, quòd facilius erat impleri potu quàm cibo. ibi docuerat qualitatem: hic ab effectu docet, quis cibus sit facilioris coctionis. Vnde patet continuatio Aphorismi & finis, quem adeò perperam omittit Galenus, ut faciat Hippocratem stupidum. Quæ enim hæc est doctrina, Quæ celeriter cõcoquuntur, & simul etiam celeriter excernuntur? Quî enim scire possum, quid celeriter concoquatur, aut tardè? Sed uoluit, quod putat Galenus, pro principio esse, id esse quod cognoscere docet: ut sciamus quomodo reficere oporteat ægros, scilicet ueolciter & simul nutrientibus. nam quæ in horum aliquo deficiunt, si tardè, ægros ad ultimam debilitatem perducunt: si sensim, ad laborem uentriculi, longamq; defatigationem. Quare patet, ipsum etiam de cibo tantùm, non potu loqui. sed hoc propter uinum, cui maximè Galenus fauet, omittamus.

Inter ea quæ sensim alunt, connumerat Galenus in Commento, uerticellos, seu mauis σπονδύλους, gammaros, Græci καμμάρους; squillas & locustas, σπόνδυλος apud Græcos significat & serpentem, & herbam, & lapides inuentos in capite cæstrei piscis, & thynni piscis supremam dorsi partem, & turbinatum genus ostracei corticis, quod frequenter inuenitur inter chamas Genua allatas, à forma enim fusi ferè hæc omnia sub nomine uno tam diuersa natura deducta sunt. Rondelletus putat esse ostreorum durissimorum genus, quod lapidibus coniunctum est, nec uulgare: ut non existimem tam celeri cursu Galenum transeuntem in huiusmodi impegisse, quæ cum σπονδύλοις nomine similitudinem nullam habent. Gammari caudati sunt, quos nos cancros appellamus. sunt tamen qui astacos fluuiales uocent: tam possumus gammaros uocare quàm astacos, cum, Athenæo teste, sint gammari è squillarum, id est crustatorum longam habentium caudã, genere. Lib.7.cap. 24. Antiqui fluuiatiles gammaros in usu non habuerũt: quod, ut experimentum docet, & inter cementa saxaq;, imò in ipsis lapidibus & sepulchris inueniantur. De omnibus his qui pro piscibus habentur, nec tamen pisces sunt, ut polypi, cancri, ostrea, Hippocrates locutus est secundo de Dieta, distinguens in quinq; genera. Pag.6. Primum uocatur mollium, quia sola cute integuntur, polypi, sæpiæ, sæpiolæ, loligines. Secundum ostracorum, ostrea, pholades, margaritarum conchilia, purpuræ, buccinæ, pinæ. Tertium eorum quæ concha integuntur, tellinæ, chamæ, pectines. Quartum, quæ crusta, astaci, squillæ, locustæ, erinacei, ursi, cancri, paguri. Quintum cartilagineorum: ut raia, torpedo, rana marina, squatina, pastinaca, galeus, canicula, uulpes, zygæna, lamia; Hippocrates adnumerat etiam urticam. Quæ igitur mollia sunt, quoniam cute sola teguntur, ideo durissimam carnem sortita sunt: fluctibus enim aliter obtunderentur, & cuiusq; minimi piscis iniuriæ expositi essent: ob id durissimæ sunt carnes & difficillimæ coctionis. Quæcunq; uerò crusta integuntur, eo duriora sunt, quo crusta est crassior, atq; magis lapidosa. nam carnem multa terra participare necesse est, si tam dura ex ea testa generari debet. Ergo ostrea durissima erunt, inde conchæ, post crustacea, ultimò uerò cartilaginea. Ergo quæ mollia sunt, adeò concoctu difficilia sunt, ut oculos grauent, inquit Hippocrates. Sunt &, qui cartilaginea uelint longo usu oculos hebetare: at ego non tam cartilaginea, quàm reliqua etiam genera enumerata hoc facere posse crediderim, imò magis quam hæc. Cõueniunt enim omnia in

hoc, *ut ait Hippocrates, quòd caro difficulter concoquitur, & tardè dencitur, licet crustacea & cartilaginea propter succi abundantiam, & ut dixi, quòd mollius habeant tegmen, aluum potius molliant, quàm astringant, commodeq; secedant. Itaq; ab alimento crasso, aut forsan à salsedine nimia (utrunq; enim horum oculis maximè nocet, qui tenuis spiritus copia indigent) lædi oculos, & uisum obfuscari, non abs re est. Vt uerò carnes horum tardè secedũt ita (inquit) succus eorum, iusculaq; mouent aluum: sed eodem ordine, scilicet omnium minimè mollium, maximè autem cartilagineorum. Inter chamas, quæ ab hiatu dictæ sunt, & tellinas, hoc interest, quod tellinæ in ambitu serratæ sunt, & ob id non hiant, ut chamæ: quæ seu striatæ, seu non hiant, quia in ambitu sunt læves.*

Eadem ergo regula utemur etiam in piscibus marinis atq; fluuialibus: qui enim duro carent integumento, ut anguilla & tinca, difficillimè concoquuntur, & tardè secedunt: qui squamma dura, ut lucij, etiam tardè secedunt & concoquuntur: percæ autẽ & truttæ, salmones, thymi ac carpiones, & quos uocant alosas, facilè concoquuntur, & celeriter descendunt è uentriculo, ni magnitudo piscis grauiorem & duriorem effecerit. eademq; in marinis generalis ratio, ab Hippocrate deducta, obseruanda erit.

Cochlearum etiam meminit Galenus, tanquam tardè nutrientium, & secedentium: quarum tamen usus ad hecticos, & in iecoris imbecillitate, tum ad uětriculi dolores est præcipuus. De iecore Galenus id affirmat: de uentriculi dolore dicit Scribonius Largus, sed ipse cõmendat Africanas: *ego in meipso nostris usus sum. Duo earũ prima genera sine cortice, in quarum capite solent lapides inueniri: Horridæ uisu, quas non edimus (Tunetani in Africa tamen comedere, ut audiui, consueuerunt) & testa obtectæ, quarum sunt quinq; genera: terrestre, quo in cibis utimur: marinas etiam edimus, durior est earum caro quàm chamarum. fluuiales, quæ non eduntur (sunt enim abominandæ) syluestres paruæ albæ, semper arboribus aut dumetis, aut etiam herbarum caulibus adhærẽtes, Sesilon uocant hoc genus, quod subuertit uentriculum, & uomitum excitat. Apud Gallos tamen, & Ferrarienses, in maiore sunt precio cæteris, quod sapidiores sint alijs, nec ea incommoda ex earum ẽsu experiatur. Ego edi sine noxa nuper, molliores sunt reliquis. Quintũ genus est solitariarum, quæ in Africa inueniuntur, quarum tanta est magnitudo, ut testa nonnunquam decem libras liquoris capiat. Olim uiuaria habebantur. Experimento edocti sunt, in olla pertusa undique, ut aere refrigerari possint, sæpa & farina subiecta pinguescere, unde etiam molliores redduntur.*

Coqui debent hæ, & dura quæque magnis ignibus, & circumquaque positis, in olla operculo obducta aqua ex dimidio plena cum cineribus quercus, radice ari, cortice peponum, & sinapi. inde ubi detractæ fuerint testæ, cum oleo, sale, aceto & saluia, ac porro cinamomoq;. Carnes autem, & pulli duriores linteo multiplici sub fimo calido uehementer, si duabus horis contineantur, inde extractæ, aqua frigida copiosa statim superfundantur, celeriter coquuntur. Gammari nostri tabidis multùm prosunt. Ranæ antiquis in usu non fuere: facilius longè concoquuntur cancris, & limacibus multo magis: parum tamen nutriunt & humectant, atq; refrigerant, saginantur, adeoq; impinguantur illarum iecora, ut inter delicias suauitate, inter mira magnitudine numerentur.

Verùm quia etiam brassicæ meminit, noscere oportet illius tria prima genera esse: satiuum, agreste, marinum. Sed satiuæ tres sunt differentiæ. una, à forma: alia, à parte uel cultura: tertia, ab inuentoribus. Forma fiunt quatuor species: crispa, leuis, capitata, quam uocamus Gambusium, quæ longè suauitate & alimenti bonitate alijs præstat. est que harum omnium maxima ubiq; copia. Et crambe uilissima, caule minore, cæteris folio tenuiore, flore luteo, de qua Horatius:

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Ab aliquibus hæc eadem uocata est coramble, *ut apud Columellam:*

Nunc ueniat quamuis oculis inimica coramble.

A' partibus autem nobilissima fuit olim cyma, cauliculus uerè germinans, adeò gustu iucundus, ut Drusus Cæsar non sine cyma in bellicas iret expeditiones. Tanta fuit gloria uulgaris herbæ: nostra autem ætate adhuc magis insignis cauli flos uocatus, candido capite ac turbinato, sed inæquali, & pluribus in locis cauo, prominentibus uelut undiq; clauis botris'ue, ut specie ipse non sit inferior suauitati. Mandi tur & coctum & crudum cum sale, pipere, oleo atque aceto. Sed ab inuentoribus aut locis sex habemus: Tricianam: Cumanam sessili folio, capite patulam: Aricinam, excelsam folio numeroso & tenuiore: Pompeianam, *caule ab radice tenui, sed omnium prociore, folijs angustioribus &*

bus & rarioribus, sed admodum teneris, ut hæc sit propria laus: Sabellicam ad admirationem usque crispam, dulcissimamq; gustu: Lacuturranam capite grandi, non tamen adeò ut Tricianam, sed hæc maximo labore colitur: Halmyridiam, quæ trans mare auehebatur. Possunt innumeræ aliæ earum species fingi, quandoquidem hoc oleris genus tam latè pateat, ut nullum aliud, ad arboremq; accedat. Brassica quædam est angusto folio, quam uocant Soldanellam, lacteo succo, quæ plurimum purgat, & maximè aquam.

Oua quoq; dura ferò concoqui, palàm est: at de mollibus affirmant, celeriter nutrire, maximè lutea. At Hippocrates ait generaliter: Oua

2. De diæta. Pag. 7. uolucrum robustum quid habent, alunt atque inflant: ut perspicuum sit, neq; celeriter concoqui, nec una, sed sensim: quod etiam ex intempestiuis uomitibus deprehenditur.

APHORISMVS XIX.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ pronunciationes, aut salutis aut mortis.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus illud non omnino ad certam non solùm rationem pronunciandi, sed etiam ad generalem morborum acutorum interpretationem refert: Ita ut quasi dicat Hippocrates, non omnium morborum acutorum potest esse certa pronunciatio salutis aut mortis. Verùm hic sensus admodum Hippocrate indignus esset, quia nihil doceret: sed solùm confunderet animum lectoris, ideo absit ut Hippocrati rem tam inartificiosam tribuamus. Præterea quid uetuit, ne pro οὐ πάμπαν scriberet οὐ πάντων, id est nō omnium? Ostendit etiam id euentus. nam si per acutorum morborum, finem eorum intelligit; etiam baiuli hoc dijudicare norunt: sin principium, experimentum docet, tam in ueris ægrotantibus quàm scriptis ab Hippocrate, quod ille hic dicit uerum esse. Ratio quoq; duplex id docet. nam et mobilis est materia morborum acutorum, & facilè transmutatur: & neq; in principijs cōcocta esse potest, nec cruditas desperationem affert. Idemq; de augmento, cum in his tēporibus concoctio nō adsit. Et quāuis sub cōditione prædicere liceat, ut si septimā non transierit, antequā iudicetur peribit: absurda tamē prædictio est, qua multi stolidi gloriantur. produnt enim se hoc nescire, an intra eam diem morbus iudicandus sit.

Pag. 8. Verùm illud obijcies ex Prognosticis. Qui porrò morbi in breuissimo tempore iudicabuntur, faciliores cognitu sunt: maximæ enim differentiæ in ipsis ab initio fiunt. Cum ergo maior excessus facilius exiguo dignoscatur, ergo & finis qualis futurus sit. Verùm dico quòd ratione huius esset facilior cognitu: sed motus plus impedit certum iudicium, quàm excessus adiuuet.

Porrò duobus modis distingui atq; amplificari debet hæc sententia. Primus est, ut ad pestilētes morbos referatur, in quibus præcipuè hoc uerum est, ut non sit securitas ulla ex remissione morbi, nec desperatio ex incremento. habet enim morbus pestilens præter motum repentinum, etiam qualitatem obscuram, qua facilè interficit. & ut obscura qualitas citò ad perniciem deducit, ita etiam sine certa ratione deficit, & homo sanatur. Secundus est, quòd facilius morbus quem sanabilem existimas, mortalis euadere potest, quàm mortalis sanabilis: quoniam hoc solum naturæ ui contingere potest: illud uerò etiam præter id, medici & ægri atq; aliorum errore. Verùm relinquitur difficultas de abscessibus, in quibus iam materia decumbit in eodem loco: quare in his saltem deberet esse certa ratio prædicendi, iuxta magnitudinem, locum, materiæ naturam & coctionem? Respondeo, quòd in illis etiam ob necessitatē eiectionis, & transmutationem ad ulius membrū contingit errare.

Quod maximè quærendum fuit in hoc casu, erat, quò usq; hic Aphorismus extendatur. nam in fine status & indicatione peracta, non est uerus, cum etiam idiotæ morituros agnoscant: in initio uerus est in omnibus, in incremento etiam: uerùm in ingressu status, postquam illum Hippocrates non exclusit, etiā uerū esse arbitrabimur.

APHORISMVS XX.

Quibus iuuenibus aluus adhuc humecta est, his senescētibus exiccatur: quibus uerò iuuenibus aluus adhuc sicca est, his senescentibus humectatur.

COMMENTARIVS.

¶ Si quis præcedentem Aphorismum præcedentibus connectere uelit, ita illum iunget, ut in primo dictum sit mortale aliquid esse aut non, & in secundo bonum signum, atq; ita deinceps: in præcedenti autem Aphorismo admonet nos, quòd illud mortale aut non mortale ita debet intelligi, ut non existimemus in acutis omnino moriturum aut non moriturū, sed non esse certam hanc pronūciationē. At de hanc Aphorismo quis eum præcedentibus cōtinuabit, cum de mutatione temperaturæ agat? certè nō nisi decimooctauo, in

uo, in quo dixit, quòd eorum quæ ἀθρόως & uelociter nutriunt, ueloces fiunt etiam excretiones: intellige, ubi corpus moderatè se habeat. nam si aluus humecta sit, multo citius prodibūt, etiam si non ἀθρόως nec uelociter nutriant. In quibusdam uerò non prodeunt talia, nec excretiones tempestiuè fiunt.

Sed ad rem potius accedamus, & illum alte-
Aphor. 53. ri connectamus, infrà descripto sub his uerbis:
» Quicunq; aluos humidas habent, si quidem iuue
» nes fuerint, melius degunt his qui siccas habent:
» ad senectam uerò deterius commutant. nam se-
» nescentibus magna ex parte exiccantur. Hic sanè uidetur ex duplici continuatione tum ad præcedentia, tum ad sequentia, cur hunc scripserit Aphorismum: & rursus docuit, quid melius sit, an aluum habere humidam, an siccā: & quod ad præsentem attinet Aphorismum, non debere intelligi semper, sed ut ibi magna ex parte, id est ut in pluribus. ἀπαλλάσσουσι enim. ἀπαλλάττομαι tam degere, quàm commutare, potest significare. Sensus autem magis sic conuenit. Sed quia Hippocrates homonymiam committere uidetur, difficultas hæc eò relegetur. nunc satis sit intelligere, cur hunc scripserit Aphorismum, & quomodo sit intelligendus.

4. Aph. 83. Causa lenitatis alui, ut habetur infrà, ibi: Mictio noctu plurima paruā significat deiectionē: Si naturalis sit, contingit ex pauca attractione iecoris, ut siccitatis ex magna. sed magna attractio aut parua in ætatibus & naturalis fiunt, uel ob robur facultatis, uel calorem aut siccitatem, aut necessitatem alimenti. Alius modus est rationе uentriculi. nam is uel ob frigiditatem, ut non possit concoquere: uel ob humidam qualitatem, uel ob defluxum bilis, ut non possit cibus debito tempore contineri, aluum humidā reddit. Viden dum est igitur, stante mutatione solùm consueta,
Pag. 10. de qua agit in primo de Diæta dicens, Ex pueritia ad adolescentiam mutatio fit ex humido ad siccum, manente calore: ex adolescentia ad con sistentiam corpus exiccatur & refrigeratur, ex hac ætate corpus humectatur manifestè, & etiā refrigeratur, ut in senio corpora sint frigida ualde, sicca uerò in solidis, atq; exterius & in conceptaculis superfluo redundent humido. His propositis, uideamus cur hæc uicissitudo contingat. Et clarum est, quòd nisi quis reducat hanc mutationem totam ad unum principium, nihil agit. Quid enim est quod generalem faciat orationem, nisi ratio una in omnibus. & est quod in iuuentute, quoniam corpus exiccatur, si fuerit antea humidius: & aluos humidas habent, nisi quid obstiterit. igitur dum siccantur, aluus etiam exiccatur: & hoc est per se manifestum. Sed si siccas habent aluos, cum temperies humida sit, oportet ut siccitas eа contingat ob caliditatem, uel ob siccitatem. si ob caliditatē, refrigerantur, & aluus humida euadit: si ob siccitatem, quam necesse est esse immodicam, superueniēte senio, transmutantur in humidam præter naturam, ob nimiam siccitatem, atq; ita ob frigiditatem aluus humectatur. Ex hoc colligite, quòd iuuenes bene dispositi debent habere humidas aluos, non siccas. Et ratio id demonstrat, quia infantes habent ualde humidas: igitur in transitu rectò per ætates, iuuenes debent habere humidiores senibus.

APHORISMVS XXI.

Famem uini potio soluit.

COMMENTARIVS.

¶ Θώρηξις à Galeno exponitur, in libro de Linguis Hippocratis, uinolētia uel ebrietas. Hippocrates enim in libro de Humana natura, cum Pag. 2. dixisset quod morbi cōmunes tam accidunt masculis quàm fœminis, subijcit, Θωρησσομένων καὶ ὑδροποτεόντων: id est, uini potoribus, & aquæ. Explicatius Phauorinus, θώρηξιν ἀκρατοποσίαν exponit, id est uini meracioris usum. Quid est ergo quòd hunc Aphorismum subtexuerit, illi scilicet: Quæ longo tempore ex Aphor. 17. tenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ « uerò breui, breuiter? Et ei: Facilius est impleri potu, quàm cibo. Scire tamen decet, quòd, ut habetur in Commento, quatuor sunt genera famis: Aphor. 11. Naturalis, cum statis horis homo appetit cibum moderatè: & uehemens, post longam inediam: aut nimiam resolutionem, ex laboribus maximè, uel defectum bonorum alimentorum: & fames canina, quæ fit ob atrum humorem uentriculum erodentem, cuius proponitur exemplum & cura in quinto Epidemiorum: & βούλιμος, quæ fit Pag. 2. cum membra deficiunt, & membra naturalia tamen affecta sunt malè, & corruptis humoribus referta. De hac non loquitur Hippocrates, cum sit lethalis, & ipse de sanandis sermonem instituit. Quòd autem uini potio omnem famam mitiget præter experimentum, est ratio. aut enim illa fames fit à frigiditate, & uinum cum calefaciat, famem sedat: aut à nimia resolutione, & uinum nutrit celerrimè, igitur famem tollet: aut ob humorem atrum, & unum illum æquat, ergo omnibus confert. Præterea fames sedatur nutritione & repletione uentriculi, & hæc duo

duo præstat uinum. Sed nunquid hoc solum uult, scilicet curam famis per hoc absurdum, ut ita dicam, auxilium? An nobis potius etiam illud significat, uini potum etiam hoc habere incommodi, scilicet ut famem tollat. Illud non omittendũ duco, quod ait Hippocrates libro de Veteri medicina, uinum meracum corpora quoquo modo debiliora reddere. Pag. 9. Videtur autem habere uina diuersas facultates, prout in secundo libro de Diæta scribitur.

APHORISMVS XXII.

Qvicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat: & quicunque ex euacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas.

COMMENTARIVS.

¶ Hippocrates in libro de Locis in homine inquit: Pag. 13. Vtriusq; medicamẽtum sunt contraria contrario. Verbi gratia: Cum in tumuerit pallidus, exoluitur sanè, si quod medicamentum attenuãs adhibitum fuerit: at hic tumenti attenuans opitulatur. Rursus autem, quod aliquando utilitatem cepit, nunc hic opitulanti opitulatur, quum sanè præ gracilitate decolor & pallidus factus fuerit. Si quis enim pituitosum & tumefaciens medicamentum exhibuerit, pallor sedatur. In super uerò & dolor fit & propter caliditatem, & propter frigiditatem, & propter ualde exuperans & imminutum. Et in perfrigeratis natura quidem extra corpus ad cutem, propter calefaciens ualde, dolor fit: in calidis uerò natura, propter frigidum: & in siccis natura, si humectentur: & in humidis, si resiccentur. In singulis enim, quorum natura permutatur ac corrumpitur, dolores fiunt. Sananturq; dolores contrarijs; idq; etiam unicuique morbo proprium est. nam in calidis natura, propter frigiditatem ægrotantibus dolores calefiunt. Et reliqua iuxta hanc rationem fiunt. Alius porrò modus hic est: Per similia morbus fit, & per similia soluitur, uelut urinæ stillicidium idem facit, si non fit: & si fit, sedat. Et tussis eodem modo, uelut & urinæ stillicidium, ab eisdem fit & sedatur. Alius rursus modus hic est. febris quæ propter tumefactionem ex pituita fit, aliquando quidem ab iisdem fit & sedatur, aliquando à contrarijs. Et dat pulchrum exemplum, à uomitu huiusmodi: Si quis uomenti aquam multam dare uelit; eleuentur ea, propter quæ uomit unà cum uomitu. Et sic quidem per uomitum uomitus sedatur. Rursus autem, propterea sedatur, quòd inferne depulit id quod intus uomitum ciebat: atque ita ex ambobus contrarijs (scilicet uomitum & aluum cientibus) homo sanatur à uomitu eodem. Hippocrates ergo hic tres modos tangit expositionis huius orationis, Contraria contrarijs curantur. Vnum, qui pertinet ad morbum ipsum, & est ac si quis dicat: Depellitur calor corpore refrigerato, & pallor corpore rubro reddito. & sic propositio est generalis sine dubio, sed non artificiosa. Secundus modus est, ut ad causam referatur, scilicet ut curatio fiat à contrario causæ: & tunc dicit, Non semper est uera per accidens, licet per se uera sit. nam etsi morbus fiat à calore, sublato calore cessat morbus: non tamen calor semper depellitur à contrario, sed quandoque à contrario, ut cum aqua frigida depellimus calorem febris: quandoque à simili, ut cum balneo depellimus insolationem: quandoque licet utroque modo, ut cum materiam uomitus curamus educendo, id possumus uomitu per simile, & subducentibus aluum, per contrarium educere. Oportet ergo in causis distinguere. nam de morbo, ut dixi, clarum est, & Hippocrates hic in textu & de Natura humana de causa exponit dicens: Pag. 4. Quoscunq; morbos repletio facit, euacuatio sanat: & quicunque ex euacuatione fiunt morbi, repletio. Quicunque uerò à labore fiunt, quies sanat: & quos ocium parit, labor sanat. Et in summa, medicum oportet scire, se opponere instantibus contrarium agendo morbis, naturis, temporibus, ætatibus: & distendentia soluere, & soluta distendere. Intelligit proculdubio, in malè affectis noxijsq; temporibus, ætatibus, naturis, non autem rectè & iuxta debitam rationem se habentibus. Infrà uerò, in Nothis: Pag. 7. Curationem morborum ita instituere oportet, ut causæ morbi nos opponamus. Et in libro de Flatibus: Pag. 2. Si quis causas corporis affecti probè cognouerit, facilè ea afferet quæ corpori conducunt: nimirum contraria corporibus, morborum natura perspecta. Est enim maximè secundum naturam ipsa medicina. Quare statim, ubi fames molestiam affert, morbus fit. quicquid enim hominem molestia afficit, ac tristiciam affert, morbus uocatur. Quod ergo est famis remedium? quod famem sedat, id autem facit cibus: cibo ergo famem medicari conuenit. sic sitis potus, & repletionis euacuatio, & euacuationis repletio: & labori quies succurrit, & quieti labor: & ut generaliter di-

„ cam, contraria contrariorum sunt medelæ. Nul-
„ libi autẽ clarius quàm in secundo Epidemiorum:
„ Verùm ad causam deuenire oportet, et ad causæ
Sec.4. in fine. principium. Hæc igitur sic determinare oportet, quòd curam ex contrarijs causæ accipere semper est necessarium. non semper tamen causa suo contrario expellitur: uel quoniã non expellitur ab eo ex ratione applicationis, uelut aqua frigida exterius applicata calorem adauget: uel quoniam per accidens depellitur à simili, ut calor à calore balnei, bilis à rhabarbaro eam purgante. Tertius, cùm modus est similis morbo, & tunc uidetur morbi causa à simili propulsari: uelut, si uomitu causa uomitus eijciatur.

Contrarij nomen quandoque impropriè sumitur pro opposito. oppositum autem sic dicitur, de his quæ secundum naturam se expellunt, & uocantur contraria: & secũdum relationem, & secundum habitũ & priuationem, & secundum negantem & affirmantẽ. Sic enim distinxit Aristoteles in libro de Decem uocibus. (Capit. De oppositis.) Nos autem ita distinguemus contraria ex sententia Hippocratis: Contraria dicuntur, quæ simul esse non possunt. Et tunc uel solum hoc habent ex mente, & dicuntur affirmantes & negantes orationes: uel ex re, sed absq; principio destruendi se mutuò, suntq; contraria iuxta habitum & priuationem: uel cum principio destruendi se, non tamen ipsa se destruunt, ut album & nigrum, leue & asperum: uel se mutuo destruunt, & hæc propriè sunt contraria, ut calidum & frigidũ, quæ se mutuò corrumpunt. Cum igitur Hippocrates locutus est de contrarijs generaliter, intelligit primum modum: cùm autem specialiter, tam tertium quàm etiam quartum.

Illud solum quærendum est, quomodo aliquid posit tolli, & non à cõtrario propriè? Et respondeo, quòd refrigeratio, quæ fit in balneo tepido, non fit à balneo infra balnei teporem, sed usq; ad eam: uerùm quod refrigerat, ultra est naturalis temperies, uel aer externus: balneũ autẽ aperiendo meatus efficit, ut aer externus ingredi posit. Ergo omnis morbus curatur à contrario causæ suæ per se, licet aliter uideatur cõtingere. Melius est ergo forsan ut dicamus, Hippocratẽ hoc solũ uoluisse, quòd curatio fiat tollẽdo morbi causam, & hoc uocasse cõtrarietatẽ. Continuabimus aũt hunc Aphorismũ præcedẽti, ut ita legatur: Tamẽ uini potio soluit. quicũq; ergo morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat: & quicũq; ex euacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas: quoniam non solo cibo fames sedatur, sed quouis nutriẽte.

APHORISMVS XXIII.

ACuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

COMMENTARIVS.

¶ Si præsentẽ Aphorismum superioribus continuare uolueris, ut sit totus sermo connexus, qualem par est, ut sæpius dixi esse, eum connectemus illi, Acutorum morborum. ut sit sensus: 19. Quanquam acutorum morborum non sit certa pronunciatio salutis aut mortis: hoc tamen certò licet prædicere, quòd intra quartumdecimum diem quilibet morbus acutus iudicatur.

Vt uerò ad expositionem ueniamus, Galenus multum in ea laborat, propter morbos, qui non perpetuò augentur: & etiam, quia Hippocrates dixit, acutos morbos finiri in quadraginta diebus, ut in Prognosticis: & aliquando in sexaginta, ut in libello de Diebus iudicatorijs. (Pag.2. In ultimis uerbis.) itaq; excogitarunt quidam numerum dierum iudicantium usq; ad quadragesimum. Sed hoc improbat Galenus, dicens non conuenire: sunt enim tantum duodecim. Sed cur laborandum in re clara, cum sensus sit apertus? Verè acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur, quoniam tales morbi adaugentur perpetuò magnis incrementis: tantum uerò incrementum natura humana ultra quatuordecim dies non fert: ergo omnes acuti morbi intra quartũdecimũ diem finiuntur. Qui uerò non sic finiuntur, non etiam perpetuò augentur, quare nec legitimi acuti debent appellari. Qui ergo maximis incrementis augentur, ad quadraginta: qui magnis, sexaginta acuti extenduntur. Sed melius fuisset Galeno illud quærere, quare Hippocrates non dixerit, Finiuntur: sed, Iudicantur? Dupliciter huic dubitationi occurrere possumus: uel quòd necesse sit, ubi tam apertis incremẽtis augetur morbus, ut etiam iudicetur. nam motus materiæ ad hoc cogit: uel quod iudicari intelligatur, cum febris desinit etiam sine ulla excretione, ut primo Epidemiorum: (In Clazomenio decimo languente.) Vigesima à febre liber iudicatus est, non sudauit, tubercula iam in decimaseptima oborta sunt. Ergo iudicari dixit, febrem cessare: & tamen nec in hoc morbus fuit acutus, cum quartumdecimum diem excesserit.

Ex hoc intelligite, cum morbus acutus intra quartumdecimum diem non iudicatur, errorem aliquem in uictu uel medicamento aut alia ratione admissum esse. Liquet enim, omnes ægros, qui ab Hippocrate in Epidemijs narrantur, intra eum terminum esse iudicatos, si acuto morbo laborarunt: morbos autem acutos omnes iudicari,

etiam

etiam si abscessus causa sit, in primo de Morbis
Pag. 2. *his uerbis declarauit: At uerò febris ardēs, phrenitis, peripneumonia, angina, pleuritis, uua, citò decernunt.*

APHORISMVS XXIIII.

SEptenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimus consideratione dignus: ipse enim est quartus secundæ septimanæ. Rursus uerò & decimusseptimus considerabitur: ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus uerò ab undecimo.

COMMENTARIVS.

¶ *Istum Aphorismum nemo intelliget, nisi*
Pag. 3. *qui mentem Hippocratis intellexerit. inquit ille in libro de Septimestri partu: Conceptus & abortus & partus fiunt, in quibus morbi & sanitas: scilicet secundum dies, secundum menses, secundum dierum quadragenarias, & secundum annum. inde probat, quòd cum hæc sic distribuantur, unum alterius sit particeps: & cum sit particeps iudicatio septenarij, & quadragenariæ, oportet ut tandiu retineatur prima ratio, quandiu non uitietur secunda. Cum ergo quadragenaria sit obseruanda, oportet ut etiam dimidium obseruetur, id est uigesima. sed si uigesima sit obseruanda, non uiolat a septenarij ratione, quàm serius fieri potest, oportet ut in prima & secunda hebdomada dies integri numerentur: in tertia autem, ut finis secundæ sit initium tertiæ. & hoc est primum quod proponitur.*

Secundum est, quòd quilibet terminus iudicatorius finitur intra suam hebdomadam. ideo cum dies indicatiua sit in medio, erit trigesimus primus dies indicatiuus trigesimæ quartæ: non decimus septimus, cuius numerus est dimidiũ trigintaquatuor. Et ita uno cursu declarat indicatiuos dies, qui sunt medij suarum hebdomadarum.

Tertium est, quod docuit per hoc, dies tam iudicatorios, quàm indicatiuos, qui sunt ultra uigesimam, sic ut uigesimus quartus sit indicatiuus loco quarti, & uigesimus septimus iudicatorius loco septimi: atq; ita de alijs sequentibus, usq; ad quadragesimum. Sed ultra non est morbus acutus, sed solum procedemus per uigesimas: ut sexagesima, octuagesima, centesima, & centesimauigesima. In harum medio erunt indicatiui & iudicatorij debiles, ut quinquagesimus, septuagesimus, atque deinceps.

Continuatio clara est, nam in præcedenti dixit, quòd acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. ostendit ergo etiam ante illum, quando possint iudicari, utpote in septimo: Et quomodo post illum usq; ad quadragesimum, docens uno cursu medios esse horum indicatorios, & etiam uim inesse his diebus iudicandi mediam, non tantam quanta inest principalibus. Et reddit unam rationem, quare acuti morbi ad quartumdecimum extendantur. eò usque enim numerantur integris septimanis.

Hippocrates in Prognosticis inquit: Primus terminus febrium est quartus dies: secũdus, septimus: tertius, undecimus: quartus, est quartusdecimus: quintus, decimusseptimus: sextus, est uigesimus. non possunt autẽ (inquit) hi dies per integros numerari. redditq; causam, dicens: Neq; enim annus neq; menses integris diebus conficiuntur. Et hæc fuit opinio Hippocratis de causa numeri dierum. Aliã assignat Galenus in tertio de Cap. 9.
Diebus iudicatorijs: & consistit in hoc, quod reuolutio lunæ fit in diebus uiginti septem & octo horis: & reditus ad coniunctionem solis, in diebus uiginti sex, & horis decem: quos circuitus cum coniũxerimus, fient dies quinquagintatres, & horæ decemocto, cuius spacij dimidium est dierum uigintisex, & horarum uiginti et unius: ut sit dimidium mensis, dies tredecim, horæ undecim, & ita cadit crisis in quartamdecimam diem. Addatur rursus dimidium his, & fient dies uiginti, horæq; quatuor. Sed nec sic redit res ad dies uiginti, sed transgreditur. Et præter id contrahit mensem dierũ uigintinouem ad uigintisex, ea sola ratione quòd luna latitet sub sole tribus diebus. Neq; ratio Fortunij Affaitati de mensibus profectionis solis, qui sunt tertiadecima pars totius anni, & sunt dierum uigintiocto cum duabus horis, satisfacit: cum dies uigesimus primus, non uigesimus, iudicatorius euadat. Propterea Hippocratis rationi manum dabimus.

Sed obijciet quis, quòd Hippocrates sæpius in quinto & septimo Epidemiorum narrat, iudicatos fuisse in alijs diebus: ut in quinto de uxore Pag. 2. 10.
Gorgiæ, quæ iudicata est in quadragesima prima die: & de Polycrate, in quintadecima. & in septimo de Pythodoro, in quinquagesimaprima: & de Eratolai filio, in septuagesimaprima. Et Pag. 1. 2.
Hermoptolemus perijt in quintadecima: & Fulloni in Syro, cui remisit febris in die decimaoctaua. Et ratio in omnibus est, quod computat primam diem, sicut & mos est plebeijs. appellant enim quintumdecimum diem, qui uerè est quartusdecimus. Pag. 7. 16.

APHORISMVS XXV.

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ: & maximæ, quæ ad hyemem tendunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Continuatio per se clara est. postquam enim locutus est de acutis morbis, hic loquitur de longis. Et uult suo more ex uno exemplo à maiori, ut dicunt, ostendere rationem generalem: & est, Quartanæ æstiuæ breues sunt plerunq;, quanto magis alij morbi, qui non sunt naturâ longi. Ratio triplex est, quoniam calor æstatis dissoluit humores, & ita facilius concoquuntur: secunda, quia transpirat magis corpus, & difflatur: tertia, Verisimile est genitum esse morbum ex humore eo tempore genito. sed in æsta-* Pag. 5. *te generatur bilis, ut in libro de Natura humana. igitur uerisimile est, atram bilem esse, ex qua fit quartana, factam ex flaua bile, & non quartanam factam ex melancholia simplici uel exusta: & ita erit breuis.*

Pro quo sciendum, quòd quartana ex triplici humore fit: melancholia simplici adusta, & bili flaua adusta. Et quæ fit ex bili flaua, breuissima est: longissima, quæ ex melancholia simplici, sed mitissima: pessima, ex melancholia ex- Sec. 6. *usta, sed non adeò longa. Dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum: Post pilorum defluuium quartana febris non ultra annum. id est, Cum decidunt pili, pituita salsa abundat, superueniens quartana casui pilorum, genita est ex humore liquidiore ac tenuiore, ideo non ultra annum extenditur. Est autem cõmunis hic terminus quar-* Trac. 2. Cap. 61. *tanarum, ut habetur à Principe prima quarti. dicit: Si non cõtingat error, aliter perdurat quandoq; usq; ad duodecim annos. Vtilitas breuitatis est: quoniam ut ibi Auicenna dicit, longa terminatur ad hydropem. Hanc breuitatem definit* Pag. 5. Hippocrates *libro de* Natura *humana, dicens:* Morbi *qui æstate fiunt, hyeme finiuntur: qui autumno, uere: qui hyeme, per æstatem: qui uere, autumno. aliter ad annum perueniunt. Intelligit de morbis, qui ui temporis accidunt. ideò si contingunt ob calorem, desinunt superueniente frigore. Itaq; erunt breues morbi, qui finientur in ipso autumno.*

Pag. 6. *Sed est difficultas, quia in* Coacis *prædictionibus inquit:* Hybernæ *febres quartanæ leuiter in acutos morbos transeunt. Si enim longæ sunt, quomodo transeunt in morbos acutos? Respondeo, quòd intelligit succedente æstate. non enim soluuntur à calore, sed corrumpitur earum materia. Quòd autem dixit* Leuiter, *intelligit, facili ex causa. Est autem præceptum generale, quòd morbi omnes æstiui, in hyeme incipientes, periculosi sunt in æstate: & econtrà. Sed dubitatur,* Aphor. 34. *quia infrà inquit: In morbis minus periclitantur ægrotantes, quorum morbus congruit tempori: sed quartana conuenit autumno. Tertia enim Aphorismorum, inter morbos autũni quartana nu-* Aphor. 22. *meratur. Si ergo esset lõgior, magis periclitarentur, quia periculũ quartanæ, ut* Princeps *dixit, est in longitudine. Rursus calor naturalis est, qui concoquit, separat & excernit: & ille est imbecillior æstate, ualidus in hyeme, prima Aphorismorum, ut uisum est: igitur morbi hyemales deberent esse breues?* Respondemus, *quòd calor* 15. *aeris plus facit ad colliquationem, quàm naturalis ad concoctionẽ.* Dictum *uerò secunda* Aphorismorum *intelligitur pari morbo, dato in magnitudine & longitudine.*

Hæc quidem clara sunt: uerùm illa uerba, & maximè quæ ad hyemem tendunt, sunt obscura. Galenus ita interpretatur, quasi hyemalis quartana esset longissima. Donatus *de* Mutis *in expositione pauculorum* Aphorismorum *dicit, quòd dictum hoc referri debet solùm ad morbos autumnales, non hyemales. aliter enim dixisset* Hippocrates, *scilicet* Hyemales *aũt longissimæ. Præterea quartana non numeratur ab Hippocrate inter morbos hyemales, sed autumnales. Tertio dicit,* Quartana *est longissima, cum plurimá atra bilis generatur. Sunt enim causæ longitudinis morbi, multitudo materiæ, crassities, lentor, & frigus aeris: sed plurima atra bilis generatur in autumno, ut suprà uisum est: ergo quartana autũnalis est lõgior quàm hyemalis. Dicit etiam obseruasse, quod maximum est, quartanas hyemales uere finiri.*

APHORISMVS XXVI.

FEbrẽ cõuulsioni melius est superuenire, quàm febri conuulsionẽ.

COMMENTARIVS.

¶ *Intelligere hic de quartanis cõtinuato sermone quisq; iudicabit, qui dictũ illud, A' quartanis capti nõ admodũ cõuulsionib. capiũtur: si uerò capiãtur, et quartana superuenerit, liberãtur. Cum ergo maximè utile sit cõuulsioni quartana* 5. Aph. 67. *capi, etiã omni alia febre capi conducit. unde qui uolet huius exquisitã expositionẽ, illud cõsideret dictum* Hippocratis: *Qui à conuulsione aut di-* 4. Aph. 57. *stentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Si ergo conuulsionem tollit su-*

peruenians febris, & ægrum occidit conuulsio febri superueniens: manifestum est quod pro-
37. ponitur. Causa uerò huius declaratur sexta Aphorismorum, cum dicitur: Conuulsio fit ex repletione & inanitione: ita uerò & singultus. Nam conuulsio succedens febri, ob siccitatem plerunque aduenit, maximè si diuturnæ successerit: itaque perimit cum siccitas curam non admittat, præsertim adhuc sæuiente febre. At febris conuulsioni succedens ex repletione fieri solet, atq; ob id soluere morbi causam. Quæ uerò à repletione fit, tam conuulsio quàm distentio, ab ea quæ à siccitate dignoscitur, quod quæ à repletione statim fit, à siccitate plerunq; sensim.

Sed nunquid omnes causas conuulsionis ibi enumerauerit, suo loco dicetur. Illud magis est ad propositum, quod cum dicat in libro de Iudi-
Vlt.uerbis. catione: Si à febre detentum conuulsio corripuerit, sedatur febris eadẽ die, aut postridie, aut
Pag. 14. & in Progn. Pag.10. tertia die. Id quomodo intelligendum sit, docet in Coacis prædictionibus dicens: Seniores septem annis in febre non corripiuntur conuulsione: sin minus, perniciosum est. id uerò certo experimento uerum esse deprehenditur. Puerulis enim febricitantibus conuulsio sæpè superuenit, quæ febrem soluit: sed maiore periculo, quàm priore. At adultis raro ob febrem conuulsio superuenit: & si superuenerit, perniciosum est. Terminum autem hunc definit septimus annus. Ob hoc sanè dixit Hippocrates: Melius est non simpliciter hoc bonum, illud malũ: quia & conuulsio, ut dixi, superuenire potest febri ob siccitatem, & tũc perimit: & ob materiã trãslatam, & tunc licet febris discedat, deterior tamen relinquitur dispositio. est enim crisis mala. ob hoc dixit, Melius. nam neq; semper febris superueniens conuulsioni bona est, cum fieri possit ut ob dolores superueniat: ostendemus autem conuulsionem multum à distentione differre, distentionem uerò uix unquam fieri ab inanitione.

APHORISMVS XXVII.

His quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere: neq; multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuere.

COMMENTARIVS.

¶Dictio Quæ, referri potest ad signa & auxilia. κουφίζω autem, quod est alleuo, potius ad auxilia uidetur transferri: ego tamen magis credo Galeno, ut qui proprietatem Græcæ linguæ, in qua natus est, tenuit, ut pro signo, tum propter antecedentia intelligatur. ut sit sensus: His quæ præter rationem uidentur alleuasse, signis non est fidendum. Quod & confirmant
sequentia uerba: Huius exemplum locupletissi- 3.Epid.Secun.1.ægro 2.
mum habetis de Hermocrate, cum inquit: Circa undecimam omnia uisa sunt alleuata esse: sopor cœpit. Et rursus: Decimaquarta à febre liber non sudauit: dormiuit: intelligebat omnia. Et iterum uigesima die iudicatus est; à febre liber, non sudauit. Et tamen paulo pòst, id est uigesimaseptima die periit. huiusmodi signa in utranq; partem Galenus tum hic tum alibi solet infida appellare. Qua ratione autem continuetur præcedentibus, clarum est. nam cum locutus sit de signis, & in posterum dicturus sit, ea signa quæ inutilia sunt reiicit.

Animaduertendum est, quòd in bonis dicit absolutè non esse fidendum, in malis autem non hoc simpliciter profert: quoniam nec sic sunt negligenda. quandoquidem latitare aliquid potest, cuius meritò mortem afferant. Similiter dixit: Plurima enim talia stabilia non sunt. quasi dicat: Si stabilia sint, & diu permaneant, non sunt paruifacienda. Sed an hoc intelligat etiam de bonis signis, an solum de malis, scilicet quòd non debeant nobis fidem facere, propterea quòd stabilia esse non soleant, ne frustra culpemus Hippocratem, de utrisq; dicta illa existimemus.

Cæterùm hic Aphorismus non solùm ad prædictionem, sed etiam curationem pertinebit. monet enim nos, ne mutata ratione uictus, propter signum parum constans, ægrum perdamus.

Verùm conducet hic forsan declarare, an Pag.21
quod dixit in Coacis prædictionibus: Qui morbi in malis signis leuantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles sunt: de his intelligatur signis, quæ nuper diximus? ibi autem plurima talia commemorat, ut sit hic pro exemplo locus ille. Et respondeo, quòd sic: nam alleuant illa, & non secundum rationem, cum sint mala signa: illa non remittunt, cum sint bona, non tamen ab his dicit timendum est.

APHORISMVS XXVIII.

Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui: uel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc uerò imbecillitatem significat.

COMMENTARIVS.

¶ *Postquam nos docuit, non debere infidis signis in utramuis partem fidere, solidum & maximè fidum signum, admirabileq́; docet. Est autem Aphorismorum nobilissimus, ob quatuor causas: difficultatē summam, sensus dignitatem, exponentium cæcitatem, qui nihil in eo declarando sani commemorant: demum quòd Galenus quinquies in hoc Aphorismo perperam accusat Hippocratem. Additur ratio utrique dicto, Febricitātes non omnino leuiter, si non minuantur, signū est longitudinis morbi: si nimium, significat uirium imbecillitatem: igitur utrunque est malum. Vt uerò uideamus quomodo ex uno morbi longitudo, ex altero imbecillitas uirium inducetur, uidendum est prius ad quam partem referatur, non omnino leuiter: & uult Galenus, quod tam ad plusquam ratio postulat contabescere, quàm ad nihil minui. nam ad nihil minui iustè refertur, quoniā si leuissimè quis ægrotet, maximè in hyeme, non est mirum si corpus non minuatur: ad id uerò plusquam ratio postulat, quoniam si leuissima sit febris, etiam quòd plus iusto contabescat, accidet alia causa, ut periculosum minime sit. Sed & per Non omnino leuiter, potest intelligi mediocriter & magna: sed in magna febre etiam est absurdum, plusquam ratio postulat, contabescere, scilicet habita ratione temporis, morbi, ætatis, temperaturæ, qualitatis uictus, auxiliorum & fortuitorum. Ratio autem talis est: Si non exoluitur corporis moles, signum est humores esse crassos, & corporis habitum densum. igitur cum ab his morbi longitudo proueniat, clarum est quòd dicitur: Si nimis iusto exoluitur, signum est tenuitatis humorum & raritatis substantiæ corporis, quamobrem difflata magna quantitate humorum, necessario corpus redditur imbecille. & ita patet ueritas Aphorismi.*

Primò accusatur Hippocrates in eo, quod uidetur innuere colliquationem maiorem in non omnino leuibus morbis esse malam: imò dicit Galenus, etiam in leuissimis. Respondeo quòd non, quia si contingat in leuissimo morbo, non est mala, propter duas causas. primùm, quia non arguit prauitatem morbi, & etiam quia non affert periculum mortis. hoc autem est quod Hippocrates malum uocat. propriè enim mali significato in Medicina utitur.

Secundò accusatur, quòd uerba illa (Plusquā ratio postulat) non attribuat tā his (Permanere corpus) quàm etiā illi (contabescere) ut uelit sic legi: Febricitantiū non omnino leuiter permanere corpus plusquam ratio postulat, uel contabescere, malum. Hic nolim damnare Galenū, quia credo in textu defuisse (Nihil minui) nam si adfuissent, cum illa supplerent uices eorum (Plusquam ratio postulat) non erat in quo accusaret adeò absurdè Hippocratem.

Tertia accusatio est in uerbo συντήκεσθαι, *à* συντήκω, *quod significat colliquesco, absumo, tabesco: sed in significatione passiua. Dicit non id, sed extenuari significauit. Sed quid prohibuit Hippocratem, ne uerbo* ἰσχναίνω *usus sit, si hoc uoluit, nec ut Galenus ait,* συντήκω *abuteretur? an forsan* ἰσχναίνω *antiquum non fuit? aut aliud quo extenuari significaretur? Sed extenuari dicimus carnē & pinguedinē: colliquescere uerò, cum ultrà tabescunt. nam extenuari plus iusto, non adeò malum est.*

Quartò accusat, quòd non adiecerit aut declarauerit quid sit hoc (Plusquam ratio postulat) eumq́; excusat dicens, ob breuitatē omisisse. Demiror quónam pacto uoluerit Hippocratem hoc præfinire, quod ad sensum attinet. nam si de genere rei loquitur, magnitudinem & consuetudinem in omnibus perpendi iubet.

Vltimò ait, Hippocratem existimasse omnem consumptionem plus iusto fieri ob uiriū imbecillitatem: sed dicit, non ita est. fit enim quandoq́; ob humorum tenuitatem, & habitus raritatem. Itaque illum arguit, quòd hanc causam omiserit. Sed demiror de Galeno, qui non memor fit huiusmodi habitus semper, dum febre laborāt, cum imbecillibus uiribus coniunxisse. Quamobrem, etiam si ab initio hic habitus potuisset esse cum robore uirium: ubi iam corpus consumptum est, est cum earum imbecillitate. 11. Artis Cur. ca. 6.

Quæ ergo extenuent corpus, sunt: agitatio, unde in libro de Ratione uictus in acutis, iubetur ut ægri decumbant, nec se iactent. Quæcunque Pag. 17. *etiam calida & sicca magis resoluunt non solum corpus, sed & uires, ut regio, aer, cibus: calida uerò, & humida, & mollia, magis resoluuntur.*

Huc meritò referri debent Hippocratis uerba in libro Prognosticorum: Nasus acutus, oculi caui, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, & earum extremitates conuersæ, & cutis circa frontem dura, circumtensa & arida, et totius faciei color pallidus aut niger, uel etiam liuidus aut plumbeus. Hic patet nō de sola extenuatione loqui Hippocratē, sed aliquid plus insinuasse. Hæc autem arefactio in facie ob id deterius est signū, quàm in reliquis corporis partib. Pag. 1.

quòd

quòd facies, ut in sexto Epidemiorum ait, bona
in magnis morbis bonum sit signum: & in par-
uis mala, malum. Non enim tam facile expugna-
tur faciei decor. carnosior enim est facies, defi-
Pag. 3. cientibus neruis, ut in libro de Locis in homine:
ut constet, non de imbecillitate secus locutum
esse Hippocratem, quàm de morbi longitudine,
scilicet ut signum est, non autem causa.

APHORISMVS XXIX.

CVm morbi inchoant, si quid ui
detur mouendum, moue: cum
uerò consistunt ac uigent, melius est
quietem habere.

COMMENTARIVS.

¶ Postquã Hippocrates locutus est de signis
generalibus, hic loquitur de proprijs, admonens
nos de natura temporum morborum. & est, ac
si diceret: Extrema morborum sunt leuia, media
autem ualida. & hoc demonstratur ex ipsa na-
tura morbi. nam si ex initio crescit & augetur,
& declinatio est morbi remissio, ergo initia &
fines morborum sunt mitiora: Vigor autem ua-
lidior est, & sæuior. Propterea rectè & meri-
tò hic Aphorismus cum sequenti coniungitur.
Sed in hoc admonet nos unius maximi præce-
pti & generalis, tum specialis: speciale quidem
est, quod inchoantibus morbis debemus, si ex-
pedit, mouere: quoniam in uigore quiescere opor
tet. Præceptum autem generale est, cum natura
mouet, tu quiesce: cum est quieta, tunc tempus
est mouendi. Mouere intelligimus tribus modis.
Euacuare, & hoc dupliciter, uenæ sectione &
purgatione: Deriuare seu transponere, & Auer-
10 tere. Consentit, quod dicit quarta Aphorismo-
,, rum: Medicari in ualde acutis, si materia turget,
,, eadem die. tardare enim in talibus, malum est.
Aphor. 24. Et in prima: In acutis passionibus raro; & in
principijs medicinis purgãtibus uti: & hoc cum
præmeditatione faciendum. Et de uenæ sectio-
Pag. 26. ne, in libro de Ratione uictus in acutis. Ratio ho
rum omnium est, quod neque purgatione, neque
uenæ sectione quicquam educitur peccantis hu-
moris. neq; enim ullus æger moreretur: sed ue-
næ sectio prohibet putredinem peruagari.

Supersunt duo dubia; Cur non liceat ergo
mittere sanguinem in morbi declinatione? & an
in incremento? Ergo omnis euacuatio (ut ibi do-
cebat Hippocrates) fit ob magnitudinem mor-
bi, aut præsentis, aut futuri: in declinatione neu-
trum adest: igitur euacuatio non illi debetur; in
principio debetur, ob futuri morbi in statu ma-
gnitudinem. Purgatio autem in declinatione
debetur ob eandem causam, non tamen sectio
uenæ: quoniam iam quod potuit corrumpi san-
guinis, corruptum est. In incremento autem de-
betur, si morbus nondum magnus est, & tamen
futurus est: minus tamen quàm in principio, cum
minor est. Liquet autem medicos nostri tempo-
ris maximè mouere, cum maximè morbus sæuit,
quare cum minimè, mouere debent. Causa autem
quare non debes mouere in uigore, est duplex.
Prima, quoniam tunc maximè febris sæuit, &
uires sunt imbecilles. ideo dixit in libro de Pur-
gantibus medicamentis, Non sunt in febribus Pag. 2.
uehementibus danda medicamenta, nisi cum fe-
bris remiserit. Secunda, quia posses impedire
naturæ motum eo tempore. sed hanc causam
non considerat nunc Hippocrates. Ista sententia Pag. 13.
scribitur in libro de Locis in homine: Morbos à “
principio curare oportet: Et si quidem à fluxio- “
nibus fiunt, primum fluxiones sedare: si uerò ab “
alia causa, principium morbi sedare ac curare. “
Sed obijcies ex Septimo Epidemiorum: Ventres Pag. 14.
subpurgandi sunt in morbis, ubi purganda ma- “
tura fuerint: inferni quidem, ubi consedisse uide- “
ris: signum habes, si non anxij fuerint, nec ca- “
pite grauati, & cum calores mitissimi: & cum “
post exacerbationes cessarint, supernè uerò in “
ipsis exacerbationibus. tunc enim & hi eleuan- “
tur, quum anxij & grauati supernis partibus “
fuerint. Propterea uerò in principijs purgan-
dum non est, quoniam his temporibus sua spon-
te expurgantur. Et hoc idem de purgatione per
superiora dixit in libro de Veratri usu. Eratolai
quoq; filio purgatio in statu ex copioso lacte asi-
nino multum contulit, septimo Epidemiorum, Pag. 3.
adeò quòd sanatus est Mnesianacti: etiam uera-
trum datum fuit, & uena secta, sæuiente mor-
bo: & cleocho ueratrum bis in incremento
& statu, ibidem: & uterque sanatus est. A-
lijs etiam in locis, in statu per inferna ueratro
utiliter purgat. Ideo fieri potest, ut status prio- Pag. 12.
ris morbi, sit initium abscessus in cerebro, uel
pulmone, uel sub latere: & tunc purgare licet,
& uenam secare, ut hoc non te lateat. Sed
his in locis per superiora purgauit. Quod ue-
rò dicit Hippocrates, de ueratri purgantis per
superiora exhibitione, intelligit, ubi duo ad-
sint: repletio uentriculi, & motus ad uomi-
tum, uel saltem facilitas. hoc enim non in-
telligit per mouere, ut neque per clysterem
feces educere, melius autem ista fiunt status

tempore;

tempore, quia materia magis obedit: quamobrem in initio non adeò iuuat, quoniam materia non educitur: in statu autem Hippocrates magis ueretur noxam ne trahatur ad uenas, quàm quòd intempestiuè educatur.

APHORISMVS XXX.

Circa initia & fines omnia imbecilliora: cum uerò consistunt, ualidiora.

COMMENTARIVS.

¶ *Reddit rationem praecedentis dicti: Natura non debet grauari duobus uehementibus casibus: sed motus est res ualida, & dum consistunt morbi, natura grauatur ab essentia illorum, tum etiam persaepe symptomatum: igitur non debemus eo tempore mouere. Vnde patet, quòd loquitur de motu graui, non autē quocunq;, ut dixi antea. Vnde non de clysteri, nec leui uomitu aut frictione. Et etiam quòd haec regula conuenit omnibus uehementibus motibus conduplicatis, utpote quod non debemus eadem die sanguinem multum mittere, & purgare uehementer, nec bis purgare, nec copiosum sanguinem mittere ex duabus diuersis partibus.*

Vtrum uerò in uigore causa morbi sit ualidior? Galenus in sanabili hoc negat, at Hippocrates dicit Omnia, id est morbi symptomata, causae. Hoc est quod Galenus non animaduertit, quod in uigore materia perfectè concoquitur. non autem est perfectè concocta: hoc enim pertinet ad declinationem. est tamen mitior illa materia in sanandis. Sed aliud est dicere morbū aut causam, aut symptoma esse mitiora. aliud minora. Dolor enim uentriculi aut iecoris, incipiente abscessu, minor est colica ex fecibus orta non lethali: nec tamen est mitior morbus, sed saeuior. Ergo & causa & morbus, & omnia quae sunt praeter naturam, maiora sunt semper in statu, ut rectè dixit Hippocrates.

Virium autem (quanquam haec sit parerga) ea quae in cerebro est, & ab ipso diffunditur, prima redditur debilior: & magis manifestè quae mouet, quàm quae cognoscit aut sentit: uitalis autem, parum aut nihil uariat: naturalis, si ad proportionem conferatur, perpetuò fit ualidior. eius enim robur ex excrementis cognoscitur, urinis, egestionibus, sputis, pure, quae in dies fiunt meliora. Simpliciter autem plus illa debilitatur, quàm ulla aliarum. nam aegri ubi conualuerint, nullam maiorem noxam sentiunt, quàm quod cibos uix concoquunt, & maximè in uentriculo, quia membrum est exangue. Cor enim & iecur cum sint carnosa, uehementer & calida & sanguinea, & principia uix laeduntur. Et si laedantur, non est leue periculum ob id, etiam ex minima noxa. Itaq; solent consulere medici, ut à morbis uentriculus tum intus tum extrà muniatur. Galenus suo more admonet simpliciter de Com. 12. Aphor. *Animali, quam uocat, facultate, occasionem potius errandi praebens, quàm docens. nec hoc dixi, ut illum arguam: sed ut legentes admonerem, ne in hac tanta insolita breuitate rei tam necessariae scitu periclitarentur.*

Sed quid dicemus de morbis qui minuuntur, de quibus Hippocrates in primo de Morbis, uelut Pag. 3. *est genus sanguineae febris? huiusmodi enim statim post initium minui incipit. Sed sensus Hippocratis est de morbo, qui unus consistit. qui enim ab initio minui incipiunt, non sunt ijdem morbi: sed pars parti succrescit, uelut in flumine, cuius aquae portio effluit, alia subingrediente.*

APHORISMVS XXXI.

Ei qui ex ęgritudine bene cibatur, nihil proficere corpus malū.

COMMENTARIVS.

¶ *Quòd Galenus hunc Aphorismum uelit octauo adijci, leue crimen obijcit Hippocrati: sed quod ex eo sequitur, multum obest opinioni de Hippocrate. nam cum ibi dixisset: Si quis à « morbo cibum assumens non corroboratur, si- « gnum est quod corpus pluri alimento utitur: hic « uerò repetens, & sui oblitus dicat, esse malum? hoc non conuenit. multum enim differunt error & signum malum. Sed discrimen est, quoniam hic praesupponit, quòd benè cibetur. quare non potest causa esse, quòd non restauretur cibi nimia copia, neq; paucitas. Ergo si non restauratur corpus, hoc est malum signum. Non autem hoc intendit Hippocrates, sed sequentis Aphorismi conclusionem. Vnde hoc maius est & deterius, nihil proficere quàm non corroborari. non corroborari enim, necessariò nō est malum: sed nihil proficere nec uiribus, nec carne, nec colore, quae tria in morbis deperire solent, hoc malum est. Est ergo sensus hic: Si quis conualescens rectè cibetur, nec quicquam proficiat, malum. Quale autem malum, nunc subijcit: scilicet, quod postmodum eò deueniunt, ut non appetāt. Proponit autem Galenus duas causas non proficiendi: humorum prauitatem, & hoc rectè, & ad Hippocratis mentem, ut ex sequentibus uerbis patet: & imbecillitatem uirium. Hoc non animaduertit falsum esse. imbecillitas enim tanta, quae cum recta cibatione non proficit, quis*

non

non uidet, ad sanitatem eam non spectare, sed esse mortis futuræ certam causam? Causa ergo mali est, corruptio in humoribus, ut primo de
Pag. 4. Diæta: Quodcunq; maius est atq; potentius, trahit ad se quod est imbecillius: ideo si humores corrupti sunt, adeò augentur, ut postmodum ci-
Pag. 8. bum efficiant iniucundum, ut quarto de Morbis. ubi etiam docet, quòd ob id fiunt corpora magis gracilia, quia ob prauos humores cibi non uincuntur, ideo plus secedit quàm ingeratur. Ergo tam octauo Aphorismo, quàm ei qui dicit,
10. Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, iungi potest. Sed utcunq; sit, propter sequentem potius scriptus esse uidetur.

APHORISMVS XXXII.

Omnes ferè qui malè se habent, circa initia bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt. Qui uerò circa initia cibum ualde non appetunt, postea bene appetentes, hi melius euadunt.

COMMENTARIVS.

¶ Ergo uult ostendere, quædam esse ab initio deteriora, quæ in melius melioribus finiant: & rursus quòd deterior sit leuis affectio ingrauescens, graui in melius tendente. Docet tertiò quorsum tendat appetitus bonus, cum corpus non proficit: scilicet ut postmodum non appetat. Causam explicat Galenus in Cōmēto, & rectè, sed oblitus alterius causæ perperam adductæ. Quia ergo non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, aucta impuritate, & humorum corruptione, tandem eò uentum erit, ut quod malum aderat, scilicet non nutriri, maneat: quod uerò boni erat, scilicet appetere, pereat. Huius autem duo egregia inter reliqua Hippocrates apposuit exempla, Cleanactidem primo Epidemiorum: qui cū circa trigesimam diem bene appeteret, uix octuagesima iudicatus est. aderant enim cum ea appetētia, signa tamen prauorum humorum in urinis, & reliquis. Et in tertio eiusdem de Pario, qui circa quadragesimam diem abhorruit cibū: & quia malis usus est cum hoc cibis, itaq; centesimauigesima die mortuus est. Vt intelligamus, non appetere cibum, malum esse signum: ut appetere semper, bonum: non tamen tātum prodesse signi bonitatem, ob id quòd causa sit mali effectus, scilicet nutriendi copiosius ægrum quàm expediat: nec tantum obesse signum malum non appetendi, quantum prodest usus abstinentiæ ex deiecta appetentia consequens. Cum uerò & non appetere & assumere, & præsertim malos cibos, simul iunguntur, tunc hoc pessimum est. Per id autem intelligimus, non solùm non proficere malum esse signum, sed etiam perseuerare alia mala signa in urina, in egestionibus & uigilia, & causam esse ut copiose nutriendo res cedat in deterius. Sed hoc non adeò malum est, ut est non proficere: quandoquidem proficere in melius, peculiaris sit utilitas bene appetentis, & cibum recta ratione sumentis.

Sextus æger. Sec. 3. ægro primo.

Qui uerò circa initia. Docet, quòd etsi tales non appetāt, quia mali humores prope uentriculum sint, tamen pauci, aliter non potuisset subiungere (postea bene appetentes) consumptis his humoribus sensim hi melius euadunt. Ex quo collige quartā regulam, Quòd melius est habere paucos humores noxios in loco præstantiore, quàm multos in remotiore: ut plus faciat multitudo, quàm locus. Nam qui habet plures humores, procul à uentriculo in deterius labetur: qui paucos, iuxta uentriculum in melius proficiet. sed hoc forsan non est per se, sed quia impediendo assumptionem cibi, consumuntur à calore naturali. Verba illa ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, declarant ambiguitatem ex uersione; Valde non appetūt: quod maius est, quàm nō ualde appetūt.

APHORISMVS XXXIII.

In quouis morbo mente constare, & bene se habere, ad ea quę offeruntur bonum: contrarium uerò, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Continuationē huius Aphorismi cum præcedenti, manifestam esse liquet. nam cum in præcedenti prætulisset inappetentiam ipsi appetentiæ, facilè quis coniectari potuisset, inappetentiā, ut ita dicam, esse bonam, & appetentiam malam. Dicit ergo, quòd appetere cibos per se semper est bonum, & contrarium malum: ut intelligamus quod dixerat in præcedenti Aphorismo, contingere solùm ratione subsequentium, non autem signi. Ergo demonstratio huius est, mente constare: ostendit autem robur facultatis principalis in cerebro, aut cerebrum non affici multùm, bene appetere sanitatem uentriculi & iecoris. ab his enim duobus membris fit appetentia, aut saltem robur facultatis, sed non lædi uentriculum, iecur nec cerebrum: aut si lædantur, ob robur non uinci, bonum est signum. igitur patet Hippocratis sententia. Quæ eodem modo amplificari potest de leuitate corporis: ac pulsu, ut omnes facultates simul comprehendas.

b Eorum

Eorum qui utroq; bono signo caruerunt, neminem sanatum prodidit Hippocrates. nam in pri- 2. Lãgués. ma constitutione tertij Epidemiorum, Hermocrates, qui & delirauit, & cibum fastidiebat, mortuus est in uigesimaseptima. Et Euryanactis 6. Lãgués. filia in decimaseptima: in tertia uerò pestilenti constitutione Parius, in centesimauigesima: & puerpera in Thaso, octuagesima. In quibusdam 1. Langués. unum adfuit, aliud non: uelut Pythodoro, septi- Pag. 1. mo Epidemiorum, qui cibos & sorbitiones assumebat, nihilominus per somnũ (dicit) delyrabat & excitatus uix ipse sui ipsius (inquit) erat. Sanatus tamen est: quoniam, ut dixi, nec à somno delyrabat: nec delyrium dici potest, quod per Pag. 2. somnum contingit. sed & ibidem Eratolai filius conualuit, quamuis leuiter delyraret, quia cibum appetebat: delyrium autem potius obliuio dici debuit. Sanati tum sunt serò: hic septuage- Pag. 3. simaprima die, ille autem quinquagesimaprima. Cydis autem filius, tametsi cibos appeteret, quia tamen uehementer delyrauit, paule post ui- Pag. 5. gesimam diem mortuus est. Aliud exemplum ponitur in Hermoptolemi uxore, quæ uehementer appetebat, delyrabat autem grauiter, quæ & ipsa mortua est: quoniam non bene se ad ea quæ offerebantur habebat, sed furiosè illa deuorabat.

Ergo his intellectis, si duo hæc signa non pariter procedant, ita distinguendũ est. Delyrium non adeò res perpetua est, ut appetentia uel fastidium: ubi autem sit continuum ut illa deterius est signum, quàm inappetentia, & plus potest quàm appetentia. occidit enim continuum delyrium in febre. Præterea delyrium in acutis, uel mentis constantia, plus possunt quàm appetentia uel fastidium. plerīq; enim in acutis ad statum usq;, propter materiam quæ circa, os uentriculi est, uel ob calorem, cibum fastidiunt, & tamen sanantur. In diuturnis autem morbis plus significant appetentia & fastidium, quàm mentis constantia uel delyrium. Delyrium etiam per se maius est quàm fastidium cibi, quod etiam sanis multis est familiare. Appetentia quoq; & inappetentia non eodem modo se habent, ut delyrium & constantia mentis. nam etsi delyrare deterius sit quàm cibum fastidire, non tamen non delyrare melius est quàm appetere. hoc enim melius est, quàm mente constare. Nec eodem modo in ætatibus: delyrium enim in iuuenibus & senibus longè magis deterius est fastidio: in pueris multo deterius est fastidium cibi, quàm mentis motio.

Demum bene appetere, aliud longè est, quàm uehementer. Primum est, cum consuetos cibos appetunt, & oblatos moderatè recipiunt. Secundum, cum non appetũt quidem, sed oblatis utuntur tamen. Tertium est, cum appetunt, sed presentes respuunt. Quartum, quod pessimum est, cum non appetũt, et oblatos degustare non possunt. Hoc autem deterius est, quàm si nauseam commoueant. hoc enim uentriculi solum uitium est, illud plerunq; iecoris. Non appetere autem consuetos cibos, & malos etiam minus, malum est, quàm prorsus non appetere.

APHORISMVS XXXIIII.

IN morbis minus periclitãtur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.

COMMENTARIVS.

¶ Ratio huius dicti est, morbi minus perniciosi sunt, quorum causæ minores sunt. nam, ut uidimus suprà, cura fit per causæ ablationem: sed Aphor. 22. morbi consimiles naturæ uel ætati uel alijs à minori causa fiunt, quoniam facilis est generatio cuiusq; in similibus, libro de Natura humana: Pag. 5. igitur morbi geniti in similibus minus periculosi sunt, quàm geniti in non similibus. Amplificatur autem ad alias extendendo causas, quæ possunt efficere morborum causas, aut repugnare illarum generationi: ut regionẽ, artem, uictus rationem, ac huiusmodi. Secũdò, quòd morbi geniti in contrarijs principijs suis causis sunt longè alijs deteriores. Tertiò, quod non solùm hi morbi sunt periculosiores ad mortem, sed serius & maiore cum difficultate sanantur, & maioribus indigent auxilijs. Si quem delectat uidere amplificationem huius Aphorismi, legat illum in secundo Prorrhetici, In acutis biliosis albicantes, cum Galeni expositione. Com. 18.

Continuatio ad præcedentia est, quoniam cum docuisset signa sumpta ab operationibus naturalibus in præcedenti: hic docet signa sumpta à comparatione morbi ad res naturales. Illud autem accidit Galeno in huius Aphorismi explicatione, quod ego in fabula de Ebulo narraui in secundo fabularum. Ferunt enim eam esse naturam Fab. 28. ebuli, ut si decocto stipitum & radicũ illius crura lauentur dolentia, leuet dolorem lotio illa: sin autem sana, dolorem inferat. sic Galenus his in libris passim sugillat uel tacitè uel apertè Hippocratem, credo quòd ab alijs defenderetur: in hoc

autem

autem Aphorismo illum non semel tuetur, quia à cæteris per calumniam accusetur. Præclarè igitur toto hoc uolumine fecisset Galenus, si morē hunc huius cōmenti, potius quàm aliorum sequi maluisset. Sed homines sumus, qui quidem & lucrum & ambitionem & gloriam amamus, etiam nimio plusquàm deceat: laborem ut mortalibus inimicum, auidè refugimus. Sed ad rem.

Supra Aphor.22. *Primum argumentū fuit hoc, Contraria cōtrarijs curantur. sed in morbis, factis in contrarijs naturæ dispositionibus, aut temporis, habemus naturā aut tempus pro auxilio: uelut in tertiana hyemali, hyemis frigus: & in quartana æstiua, calorē æstatis, ut superius uisum est. Respōdet Galenus duobus modis. Primum, quòd licet naturalis dispositio aduersetur causæ, tamē causa est maior: ut pote causa tertianam faciens, maior est hyeme quàm æstate. Et ideo licet hyems adiuuet ad tollendum causam, quia tamen causa est iam, & tollere causam in actione consistit, ideo deterior est tertiana hyemalis æstiua. Quod etiam secundo modo respondendo confirmat, scilicet quòd experientia deprehensum sit, ardentes febres in hyeme periculosiores esse, quàm in æstate. Addit aliud, quod etsi uerum sit, inter tot tamen causas quæ assignari possunt, soli tempori conuenit: scilicet quòd mutato tempore, tales securiores sunt: et ratione signi, quòd à leuiore causa morbus factus sit: & causæ, quoniam mutato in cōtrarium tempore facilius curetur. Sed hoc est omnino extra Hippocratis considerationem. nam tertiana facta in æstate, non transit ad hyemē, sed finitur in æstate: & si non finiatur in æstate, finietur in autumno, nō in hyeme. Et ut breuiter dicam, mens Hippocratis est, quoniam morbus in contraria dispositione imprimitur à uehementiore causa, & etiam difficiliorem efficit morbum, utpote ex contrarijs mistum, ut tertiana in hyeme: adest enim utrunque contrarium simul, à quibus maximè natura affligitur. Ideo ad primum hoc Dioclis argumentum ex libro de septimanis dico, quod morbi multi periculosiores, citius tamen sanantur. nec est quod ostendam hoc, cum tritum sit: ut febris ardens splenis tumore. Hoc ergo uoluit Hippocrates, solùm, quòd morbi in statu consimili sint minus periculosi, quia natura minore incommodo perfert.*

Secundum illius argumentum erat, quòd grauedines & raucedines in ualde senibus non maturantur: & tamen morbi illi congruunt ætati senili. Respondet Galenus, quòd idem Infra Aph. 40. *non est difficilius sanari & occidere: & quòd dixit in ualde senibus, non simpliciter senibus. Sed clarum est, quòd si non maturantur, quòd sunt periculosiores, & quòd sunt morbi ualde senum. Ideo non maturantur in senibus, ob naturæ similitudinem: sed quoniam ætas ipsa est ad omnes morbos imbecillis. nam & ab acutis maius incurrunt periculum, ut etiam Galenus testatur prima Aphorismorum.* Com.14.

Tertium est, quod Hippocrates primo Epidemiorum inquit: Multis qui ambuigui erant, tunc tabes confirmata est: quibusdam uerò primùm cœpit. & his natura ad tabem uergebat. moriebantur autem multi, & plurimi ex his. Si igitur plurimi moriebantur ex tabe, quorum natura erat tabifica, uerum non est generaliter dictum Hippocratis. Ad hoc respondet Galenus, per naturam debere intelligi temperaturam, iuxta illud: Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ uerò ad hyemem benè maleúe se habent, non de compositione. Sed fallitur, quia in sexto eiusdem dicit, quòd natura parati ad tabem, facilius in eam incidunt, & facilius sanantur. Sec.1. 3.Aphor.2. Sec.7. uide solutionē 3. Aph. 10.

At dices: Quid de quartana, quæ morbus est autumnalis, ut superius uisum est, est tamen longior: & quo longior, eo periculosior? Dico, quòd hoc est generali ratione omnium morborum, non autem speciali. & ideo quartana autumni minus longa est comparatione quartanæ æstiuæ, quàm tertiana autumnalis notha, in comparatione alterius consimilis æstiuæ. Eadem ratione dicemus, quòd tubercula in immundo corpore periculosiora sunt quàm in puro, ut superius uisum est: non quia tubercula, sed quia singuli morbi. Eodem modo dicemus de febre, de conuulsione ex siccitate, quamuis nerui natura sicci sint. omnes enim morbi sicci difficiliores. Aphor. 25. Aphor.19.

APHORISMVS XXXV.

IN quouis morbo partes ad umbilicum & imum uentrem attinentes, crassitudinem habere melius est: multū uerò extenuari & colliquescere, prauum. Sed & hoc quoq; ad inferiores purgationes periculosum.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum dicit, In quouis morbo, ut hic: & in superiore, In quouis morbo mente constare: non solùm ad ægrotantes omnes, sed etiam sa*

nos extenditur Aphorismi edictum. Neq; enim uniuersis ægrotantibus quicquam commune esse potest quod etiam sanis non sit, præter operationum offensam. Si igitur ita est, non solùm ægrotantibus, sed & sanis conueniet, & utile etiam erit, eas partes habere craßiores. Continuatur autem ex qualitate rerum naturalium generaliter considerata: cum antea res naturales ad singulos morbos comparasset.

Inquit ergo, quòd in quibusuis morbis partes uentris melius est ut sint crassæ, quàm tenues.
Pag. 2. *hoc explicatur ex parte in Prognosticis:* „ Præcordium optimum est, quod doloris est expers, „ æquale & molle. *Quod enim extenuatur, neq; molle est, sed asperum & tensum, & plerunque etiam inæquale. Galenus pulchrè diuidit uentrem in tria, scilicet hypochondrium, id est partem quæ subiacet* χόνδρῳ *id est, ensiformi cartilagini, et partes ad umbilicū, &* ἦτρον. *Quòd si in quinque, forsan distinctè magis, præcordia quæ à lateribus hypochondrij (quanquam etiam eo nomine significentur) & ilia, à lateribus umbilici & imi uentris. sic enim distinctè poterimus unamquanq; partem nominare, ut in Anatomia docuimus. Exponit ergo Galenus de causa, non de signo. Extenuatæ enim partes illæ & coctionem debilem edunt, atq; hoc de naturæ opere, & purgationibus ineptæ sunt. at de his dicemus. Verùm Hippocrates de signis solùm loquitur. nam de causa nos admonet, quotiescunq; egreditur semitam atq; ordinem, ut hic (sed & hoc quoq;, &c.) Ergo si de signis loquitur, docendum est quomodo id sit intelligendum. Extenuari ergo partes ad umbilicum & imum uentrem, contingit uehementius ob ardentium febrium perseuerantiam. partes enim epigastrij obductæ pinguedine, si debēt extenuari, necesse est calorem feruidum ibi subesse, ac diu manere, ex quo hectica ut plurimùm consequi solet. itemq; cum is calor uehementior sit circa cor, uerendum est ne uel hecticam gignat, uel consumptis spiritibus hominem perimat. Melius itaq; Galeno fuisset id quærere, quod experimēto deprehenditur, quodq; Hippocrates animaduertit, ob idq; prætermisit hypochondrij consumptionem, quæ rarò accidit in ægris, sicut inferiorum partium uentris frequenter: cur id accidat, cum calor non minus uehementer infestet hypochondria quàm* ὀμφαλὸν καὶ ἦτρον? *Et mihi sanè uidetur, quod eum ab umbilico infra solida quædam moles ex intestinis subijciatur, in quibus etsi aliquid inane sit, tamen totum spacium completur: pars uerò epigastrij carnosior quàm in hypochondrio, calor febrilis tamen ibi magis sæuit, humoresq; in mesaræo sparsi fouent illum, ideò è regione illa maxima fit colliquatio. at hypochondrio toti subest uentriculus, qui uacuus inane spacium multum relinquit, plenus autem frigidior est atq; humidior: unde hypochondrium supercalefacere nullo tempore, neq; exiccare potest. tum uerò & pars superior minus naturaliter pinguis, sed neruosa quasi, ut in quam desinant initia musculorum, aut fines inchoent. unde adeò extenuari nequeunt, ut infrà positæ partes: siquidem umbilici è regione, uentriculi imum finitur. Et ne generaliter dicā, non absumuntur nisi humores, humores autem in mesaræo, mesaræum autem non altius protenditur: unde non adeò colliquescere partes superiores possunt, ut inferiores. Scire autem oportet, humores qui ibi continentur, magno auxilio naturæ esse. Est enim locus ille quasi penu naturæ.*

Sed & hoc proponit, ut dictum est, partē ad curationem pertinētem, scilicet periculosum esse in huiusmodi extenuatione purgare per inferna: de superiore non dicit. quid enim attinet unum alteri? Sed bene cauere oporteret, ubi superior pars esset colliquata, ne ad uomitum cogeremus.

Sed neq; Galenus explicat, cur periculosum sit extenuato inferiore uentre purgare: sed idem per idem fermè exponit, quòd oporteat scilicet ea membra esse robusta. Ergo medicamentum, cum ad intestina humores duxerit, si non calore externi hypogastrij craßi foueantur, illi resident diutius, & dolores mouent & erodunt, & intemperiem gignunt: non quòd robur musculis sit necessarium, quod minimum hoc in casu sufficit. Vnde etiam usus edocuit, ut fatigante medicamento ægrum ob dolores, quod inuiti quasi prodeant humores, solet ea pars calidis linteis utiliter foueri.

APHORISMVS XXXVI.

QVi salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur: & qui prauo utuntur cibo.

COMMENTARIVS.

¶ Qui putant Hippocratem non continuasse hos Aphorismos, considerent solùm longè petitam hanc continuationem huius Aphorismi ad præcedentem. nam cum in illo locutus esset, ordinem seruās de signis, hic de curatione, in præcedenti

cedenti attexuit secundam partem primæ, unum conficiens Aphorismum, atq; hunc ipsum illi secundæ parti. Vt sit sensus: Extenuatio uentris inferioris obnoxia est purgationibus. sed & qui sano sunt corpore, & qui prauis utuntur cibis, si per medicamenta euacuentur, citò exoluuntur. ideo supple, in his omnibus medicamenta quantum fieri potest sunt deuitanda. Demonstratio ostendit sensum Aphorismi talem: *Qui sani sunt repugnante medicamento citò exoluuntur, & qui prauo utuntur cibo. sed enim in utrisque dissoluuntur uires: his quidem ob humorum prauitatem, qui ex prauo gignuntur cibo: illis autem ob pugnam, non quia colliquet carnes sanas. Huiusmodi exempla dat Hippocrates quinto Epidemiorum, dicens: Antander cum esset alioqui sanus, nisi quòd uesica doleret, catapotio assumpto, primùm purgatus est multum & celeriter, deinde cum à meridie uehementi dolore circa uentrem teneretur, nox insomnis, strangulatio, iactatio, desperatio, cum nihil amplius demitteret aluus, & uomeret interim: demum postridie soluta aluo, & multo etiam sanguine effuso, perijt. Sic ibidem narrat de multis alijs, inter quos Euboceus cum purgatus esset, deorsum ex pharmaco tribus continuis diebus, obijt: Symmachi autem filius ob id perijt, quòd per sex dies non purgabatur: adolescens uerò qui ex Eubocea uenerat, mortuus est ex uomitorio medicamento, quia debile fuit, & non purgatus est: ferna autem, quoniam parum per superna, multum per inferna. Vnctor autem ille septimo Epidemiorum, cum bibisset medicamentum, perperàm per superna & inferna purgatus est, & ex purgatione successit febris, tussis, spirandi difficultas, à quibus uix euasit. Vt in uniuersum sic exhibita medicamenta, quadrifariàm occidant: aut nimium purgando, aut per partem, per quam purgare non debent, aut per utranque, aut non purgando, unde dolores & febris commouentur.*

Pag. 7. (beside "to Epidemiorum")

Pag. 5. (beside "ptimo Epidemiorum")

APHORISMVS XXXVII.

Qui bene se habent corpore, difficulter ferūt medicatiōes.

COMMENTARIVS.

Cum declarasset statum corporis, hic declarat habitum, scilicet eorum qui bonis abundant humoribus. Vt enim mali humores nimium fluunt, ita difficulter boni, natura eos amplectente. Vnde tormina & dolores & febris sequuntur. Vt enim habetur in libro de Humana natura, Medicamenta purgantia primò trahunt proprium humorem, inde mistum: sed cum nullus adest humor secretus, quia omnes boni sunt, trahit mistum, & per uim, & ita lædit. Vel si humorem pro humore alium purges, inquit in libro de Affectionibus. Et præter cætera caput calefaciunt omnia medicamenta purgantia, ut inquit in libro de Locis in homine. Vbi suadet, ut præter reliqua id obseruemus in dandis medicamentis, ut ualida solùm robustis exhibeamus. Vt uerò generaliter colligam sententiam trium præcedentium Aphorismorum, uidetur Hippocrates ambo extrema refugere duarum contrarietatum: *Euchymiæ, cacochymiæ, sanorum, & morbo nimis consumptorum in dandis medicamentis purgantibus per inferna.*

Pag. 3. Pag. 10. Pag. 9. 10.

APHORISMVS XXXVIII.

Parum deterior cibus aut potus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus.

COMMENTARIVS.

Cum locutus esset de auxilijs per medicamenta exhibendis, quoniam de conditionibus non substantia instrumentorum medicinalium, loquitur etiam hic de cibo & potu exhibendo, non ratione morbi, aut essentiæ cibi, sed adiectæ qualitatis. Habet hic textus originem ex sexto Epidemiorum, dum sic scribit: *Aegrotantibus gratificationes, uelut est purè præparare potus & cibos, & ea quæ uidet: mollire ea quæ contingit. Aliæ gratificationes quæ non magnoperè lædunt, aut facilè reparari possunt: uelut frigida, si ea opus est. Aliæ gratificationes sunt, introitus, sermones, habitus, uestitus, ægrotanti tonsura, ungues, odores.* Sec. 4. Exponens ibi Galenus, & in sequenti Commento dit: *Duplex utilitas habetur ex gratificatione ægri in his rebus quæ sunt citra illius iacturam: una, quod melius in cibis concoquunt, in potibus sitis sedatur: ex odoribus somnus conciliatur: ex balneo quies uirtusq; restauratur, seu uires. Ex altera quæ est amor ægri ad medicum, & obseruantia, fit ut illi in omnibus pareat. Vnde plures à parentibus uel filijs uel amicis cibum acceperunt, quem alioquin auersabantur. Et ideo dicit, Ego dedi quandoque aquam frigidam per unam diem, antequam expediret, ut mihi ægros obnoxios redderem. Et aliqui per quindecim dies perpetuos Pergami à potu abstinuerunt, per-*

suasi quòd Aesculapius id imperasset: qui nullius alterius præcepto in tam dura abstinentia parere uoluissent. Eadem sententia habetur in li- Pag.12. bro de Affectionibus: Cibos, potus, aut obsonia quæcunque ægri concupiscunt, si non damnum consequatur, exhibeto.

Qui nam autem sint hi cibi parum deteriores, intelligemus ab Hippocrate eodem loco dicēte: Omnes alij cibi (optimi sunt, panis, maza, carnes, pisces, uinum) cæteri parum iuuant aut lædunt. Dicat aliquis, cucumeres crudi nonne sunt mali? Dico, intelligit tres conditiones in eis. Prima est, quòd cum in singulis cibis facultas contineatur generandorum quatuor humorum, & alij alio indigeant humore magis, eo fit, ut cibi ijdem alijs boni sint, alijs mali. quarto de Pag.2. Morbis. Et hæc sententia etiam habetur à Ga- Cap.10. leno in libro de Cibis boni & mali succi. Hoc adieci, quoniam plerique negant, & facto ipso contrarium huius præcepti sequuntur, dantes oua & carnes ægris, quos cibos bonos simpliciter appellant: licet Hippocrates oua ex hoc numero exclusrit, cum tamen in febribus longè magis expedirent pisces. Eodem modo si con- Pag. 7. suetudo obstet, dicit Hippocrates in libro de Ratione uictus in acutis, facilius feruntur mali cibi consueti, quàm boni insueti. Et ita unum ex his fit similiudine generali, aliud contingit ob specialem consuetudinem, tertium ob propriam cuiusque naturam, uelut cen phobi & tyrophobi. Ob hæc non potuit assignare certam rationem ciborum bonorum & malorum, quoniam mali non sunt mali omnibus. Secunda conditio est, quòd sint cocti & subacti multa aqua & Pag.3. coctura, ut habetur in libro de Veteri medicina. Dicit: Cibi omnes ualidissimi tam sanos quàm ægros offendunt. Qui autem ualidissimi cibi Pag.6. sint, infrà declarabat dicens: Quicunque excellentes habent qualitates. Nam cocti multum ab huiusmodi liberantur. neque enim piper neque acetum, multa aqua, & diu cocta, eos sapores retinent. Declaratur autem tertia conditio in ter- 1.Läguens. tio Epidemiorum, cum dixit in Pario ægro: Edu- 3.constit. lijs quoque multis & uitiosis utebatur. Sed & quantitatem insinuauit, & cibi proprietatem, in- 13.Lägués. ferius in Apollonio dicens: Lacte usus est mul- 3.constit. to, cocto & crudo, caprino & ouillo, & uictu malo. Itaque appellat uictum malum, lac in hoc casu, tum ob multitudinem, tum ob morbum. febre enim & tumore præcordij dextri laborabat.

Suauior trifariàm dicitur: natura, ut iecora gallinarum, præcipuè inter omnia edulia, quæ etiam restaurant appetitum cibi: & inter reliqua dicit Auicenna, quòd iecur taptili auis repa- 13.3. Tra.5. rat appetitum in dracone. Et secundus modus cap.ult. est ob proprietatem: sicut ego, qui edo libenter cammaros, séu astacos: quia mater, dum me in utero haberet, uehementer eo cibo delectabatur. Tertius est, ratione præparationis. Huiusmodi exemplrm proposuit nobis Hippocrates in libro de Internis affectionibus, dicens: In cura Pag.20. morbi regij ex flaua bile dabis gallinarum pullum, percoctum cum cæpa, caseo, coriandro, sesamo, sale & uua passa alba. Sesamum hic mali odoris est: forsan genus erat odoratum, apud Hippocratem.

Amplificatur etiam hæc regula, cum extendatur ad medicamenta: ut in libro de Ratione Pag.5. uictus in morbis acutis; ubi tam ueratro quàm peplio admiscet odorata. quod etiam alijs in locis sæpius obseruat, ne uentriculus subuertatur.

APHORISMVS XXXIX.

SEnes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus: qui uerò ipsis morbi accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

COMMENTARIVS.

¶ Non ob continentiam uitæ, alioqui magis ægrotaturi, ac sæpius, senes, ut Galenus uult, minus ægrotant iuuenibus. quæ enim regula absurda Hippocratis, maxime suppressa postmodum causa? Sed quoniam temperamento sunt frigido & sicco. calida autem & humida corpora sunt, quæ abscessibus ac febribus sunt obnoxia, qui maximè morbi frequentes sunt: ob id iuuenes, etiam si se custodiant, æstate præsertim, magis ægrotant senibus, & frequentius. Et pariter, si utrique incontinenter uiuant, eadem ratione. Distinguit tamen Hippocrates, ægrotare, id est acutis morbis corripi, ab eo quod est morbis subijci: propterea non scripsit senes iuuenibus morbis minus subijciuntur (falsum enim forsan fuisset hoc modo dictum) sed, Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. Cur autem dixerit, magna ex parte, liquet: quoniam senes cacochym, iuuenibus pari habitu frequentius ægrotabunt: hic. calore naturali, & excretionibus solùm prohibentibus, illic sola temperie. neque enim uerisimile est, eo dicto magna ex parte disparem fecisse collationem, ut senes mali habitus conferret

ferret iuuenibus bene constitutis: sed uerisimile est, eosdem ad seipsos, ut esset artificiosa comparati, contulisse. Plures autem bono quàm malo solent uti regimine. nam etsi in uictu peccent, laboribus tamen, excretionibus, somniorum longitudine & profunditate, purgationibus annuis, cibis pauci alimenti, prohibentur à repletione: & ideo à cacochymia: neque enim cacochymia sine repletione est, aut uerè potest appellari: quare etiam tales in senectute minus ægrotant, præsertim eo tempore, quo plurimi ægrotare solent, scilicet in fine æstatis, & usque ad medium autumni: quanquam finis autumni perniciosiores afferre soleat morbos, reliquis eius partibus. Cæterùm & hic Aphorismus non de principalibus morborum causis agit, ut nec tres proximè antecedentes: sed de his, quæ non sunt naturæ contrariæ. Hanc uerò in sententiam, inquit Cicero in libro de Senectute, adolescentes facilius in morbos incurrunt, grauius ægrotant, difficilius curantur. Et Celsus: Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet. Sed nemini maior fides in hoc, quàm Hippocrati ipsi. In primo enim de Morbis hæc habet: Et qui quidem iuniores patiuntur eas affectiones, quæ à laboribus fieri dictæ sunt, hi & ampliores & uehementiores ipsas patiuntur, & magis quàm alij dolent, & statim in ipsis manifestæ fiunt, ut sanguinem aut spuant, aut uomant. Sed & quædam quæ eueniunt ipsis, fallunt ipsos præ bona corporis habitudine. Seniores autem quidem raro patiuntur: & si patiantur, debiles ipsas perpetiuntur, utpote ipsi debiliores cum sint: & remittunt magis ipsis, & affectionum maiorem curam gerunt. Fiunt igitur ab initio omnino minus seniori quàm iuniori: & ubi factæ fuerint seniori, debiliores fiunt, iuniori uehementiores. Et iuniori quidem, utpote qui habet corporis uigorem & siccitatem, & carnem densam ac robustam, & ad ipsa ossa assidentem, cute circum ipsam circumtenta: quum aliquid amplius laborarit, solito magis & derepentè conuulsiones uehementes fiunt, & ruptiones multæ ac omnigenæ uenarum ac carnium. Et horum aliqua statim manifesta fiunt, aliqua posteriori tempore comparent. At senioribus uigor fortis non inest, & carnes circum ossa diffluunt, & cutis circum carnes: & ipsa caro rara est, ac debilis, ut neque tale quid pati possit similiter senior, ueluti iunior. Et si quid patiatur, leuiter patitur, & statim manifestum redditur. Atque in tantum quidem in affectionum principio, iuniores senioribus difficilius liberantur.

In quarta accusatione.

Lib. 2. cap. 1. in princ.

Pag. 11.

Sed obijciet quisquam ex libro primo de Diæta: Sanissimi ex ætatibus pueri, inde adolescentes: morbosissimi autem senes, & his proximi. Loquitur de longis morbis. Morbosos enim dicimus, non qui quandoque ægrotant, sed qui quibusdam implicantur affectionibus, à quibus nunquam ferè sunt immunes. Hoc modo si intelligamus morbosos, fatemur, senes esse morbosiores iuuenibus: sin quòd nouis morbis corripi soleant, nihil minus. Sed & ibi de frigida & humida temperatura loqui se testatur. subijcitq́; paulo pòst: In calida & sicca sanissimi sunt senes, morbosissimi autem iuuenes.

Pag. 11.

Quando uerò senectus incipiat, ex præsentis Aphorismi ultima parte collata cum autoritate in libro primo de Diæta habetur, cũ dixit: Qui à quadragesimo anno morbo aliquo correpti fuerint, nunquam fermè euadunt. igitur cum hoc dicat de senibus, senium eo anno incipere existimat. Rursus in sexta Aphorismorum: Renum & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanantur. confert cum dicto sexto Epidemiorum: Renum affectiones supra quinquagesimum annum sanatas non uidi. Igitur cum senes quadragesimo, seniores quinquagesimo anno definiat, patet conuenire. Per iuuenes autem an intelligat etiam infantes, haud dubium est, tum quia uniuersam ætatem humanam in duo diuidenti hoc necesse est, tum quia infantes sunt omnibus alijs morbosiores.

Pag. 10.

Aphor. 6.

Sec. 7.

Si quis igitur uelit colligere causas, cur senes ægrotent rarius quàm iuuenes, quatuor sunt. Prima, quòd ipsi habent calorem imbecillem, & ideo nõ possunt pati magnam febrem uel phlegmonem. nam febris in calore, phlegmon in multitudine sanguinis, fundamentum recipiunt. Secunda, quòd senes à debilibus causis offenduntur, ideo non perpetiuntur morbos, sed statim se subtrahunt. Iuuenes autem, dum resistunt, uehementius à morbis corripiuntur, & maioribus: & hæ duæ causæ adducuntur ab Hippocrate. Tertia est, quòd sunt minus obnoxij putredini ob frigiditatẽ & siccitatẽ: & est nostra. Quarta, quòd utuntur meliore uictus ratione. Quòd uerò dixit (minus) intelligi potest rarius, et à leuioribus morbis, et utroq; modo: quod uerbi significatũ demonstrat, & experientia docet.

Qui uerò ipsis morbi accidunt longi, ma-

xima ex parte comitantur ad mortem. nam morbi longi fiunt ob crassos, lentos & frigidos humores: Com.19. *Secunda Aphorismorum Galenus. Sed in quarta dicit, propter craßitiem, multitudinem uel frigiditatem:* Com.44. *quasi poßit humor esse crassus, calidus aut frigidus tenuis. adeò etiam parum sibi constat, dum hic multitudinem, ibi lentorem dicit. At ego didici ex Hippocrate primo de Morbis,* Pag.2. *dum longos enumerat morbos, undecim fieri ex nouem causis: multitudine humorum, frigiditate, angustia meatuum, intemperie fixa in membro, uitiata compositione, ubi manus admoueri non potest, loco transitus excrementorum fluxione aut ulcere laborante, fluxione ad locum decliuem rectà, & natura morbi circularis. Quæ omnia cum uires & calorem robustum exposcant: atque hæc in senibus ambo sint imbecillia, liquet omnes huiusmodi morbos uix unquam in senibus sanari. Continuatio est ex naturalibus causis, ad eas quæ sunt præter naturam comparatis.*

APHORISMVS XL.

RAucedines & grauedines in ualde senibus coctionem non admittunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Docet quæ non curantur; & est quasi partis secundæ præcedentis Aphorismi exemplum. Est autem raucedo seu raucitas, apud Celsum* Lib.4.cap. 2.Sec.4. *βράγχος, morbus, ut Plinius ait, in quo uox ut tubæ rauca fit. Grauedo autem, κόρυζα: dicit Celsus, per κόρυζαν Hippocratem intellexisse omne destillationis genus. Recitat Brasauolus, cum Leonicenus annum agens nonagesimumsextum, raucedine laboraret, Albertus Sauonarola medicus, Phratrij Hieronymi frater, dixit: Grauedines & raucedines in ualde senibus non maturantur. Respondet igitur Leonicenus, Aphorismum eum non esse scriptum de medicis: habuitq; hac in causa prosperam fortunam. iure enim caporum optimo, mombasioq; conualuit. In uniuersum duo hæc animaduertere decet: Primùm, uoluisse docere Hippocratem, quid intelligeret per morbos longos, scilicet qui nullis circuitibus determinantur. nam quotidiana & quartana, cum non poßint rectè se custodienti transire centumuiginti dies, ubi non lethales sint, non comitabuntur senes ad mortem, sed antea finientur. Secundum est, quod cum in præcedenti loquutus sit de senibus, hìc exemplum affert in ualde senibus. Galenus plures morbos affert in Commento, qui nunquam sanantur in senibus, quorum magna pars etiam in iuuenibus est insanabilis: sed non affert causam, cur hìc non dixerit in senibus, sed ualde senibus. Vult ergo nos intelligere, ætatem tantum posse, ut etiam faciles morbos alioqui reddat insanabiles. Atq; utinam non tam multa Galenus adduxisset, sed potius explicasset cur tam raro exemplo usus sit. Cum uideamus etiam ualde senes interquiescere ab his morbis, etsi non prorsus liberentur. Ideo non dicit, non curari, sed non peruenire ad coctionem. Meminerit ergo eorum quæ dixit in sexto Epidemiorum:* Sec.5. *"Morbi connutriti in senecta & per concoctionem & solutionem & rarefactionem, desinunt. non ergo miraculo sanatus est Leonicenus, neque Albertus adduxit Aphorismum ad propositum: nec Galenus nec alij expositores mentem Hippocratis declararunt, sed maximum errorem admisere. multi enim decrepiti æstatis beneficio, mutatione regionis, cum uictus ratione salubri, citra concoctionem sanantur. Sic ergo & ex difficultate spirandi & dolore coli & splenis persæpe liberantur. De podagra autem, ac renum doloribus & gibbo, cum habeant peculiarem causam, suo loco dicetur.*

APHORISMVS XLI.

QVi frequenter & uehementer absq; causa manifesta exoluūtur, derepentè moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ *Galenus rectè admonet, quòd necessariæ sunt tres illæ causæ, frequenter, uehementer, absque causa manifesta: sed non sunt necessariæ, ut uerus sit, sed ut sit semper uerus Aphorismus. Melius ergo fecisset, si docuisset, quid hoc repentè mori. neque enim uidemus sine morbo repentè homines mori, nisi syderatione correptos. Propterea existimandum est hos esse partim ex his, partim ex illis qui cum leui morbo subitò intereunt. quapropter etiam patet ratio continuitatis ad sequentem Aphorismum: ad præcedentia autem, quod in his locutus sit de Prognosticis uehementis morbi, qui mortem affert, sicut in præcedenti qui non facilè curatur. Per hoc aūt quod dixit, Vehementer: intellige syncopim, non lipothomā, & quæ non facilè soluatur. At uerò huiusmodi casus nostra ætate et in nostris regionibus rari*

bus rari sunt, frequentiores forsan apud Hippocratem. Siderationes autem quotidie uidemus, & magis Florentiæ. sed hæ non uidentur repetere: aut si repetunt, resolutionem tamen relinquere solent. Hic tamen affectus frequentior est in mulieribus. unde Hippocrates secundo de
Pag.32. Morbis mulierum: Si cor strangulatur ex utero, spiritus & anhelatio intercipitur. Hoc planè morbo laborabat dulcißima mater mea. Nec dicitur hæc causa manifesta. per eam enim solùm intendit externam, ut uenæ sectionem, uel inediam. iuuat etiam hoc ad curationem, considerantibus nobis quòd huiusmodi homines ab his quæ cor cõfirmant, liberari possunt à periculò: si etiam ab his quæ illud minãtur, liberentur.

APHORISMVS XLII.

SOluere apoplexiam uehementem, impoßibile: debilem uerò, non facile.

COMMENTARIVS.

¶ Declarat nobis duo, per quæ in primo debemus à curatione prorsus abstinere, ipso eo-
Pag. 2. dem dicente in libro de Arte: Medici munus est, eis qui à morbo uicti sunt, manus non admouere: alterum, ut sciamus & prædicere, & nos
1.Aphor.6. subducere, si possumus: sed si curare oporteat, ut memineris, quòd extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt. Demonstratio huius est: Apoplexia ualida fit ex obstructione ualida cerebri, & est cum priuatione respirationis: sed talis repletio fit à maxima causa, ergo indiget longo tempore, ut saltem deriuetur: sed priuatio motus pectoris, non admittit uitam, nisi momentaneam: ergo talis morbus est insanabilis, & statim perimit. Quòd si dicas, suffocationem factam à frigido humore, non statim perimere, respirante corpore per cutem: Respõdebit Hippocrates, quòd humor erit tanto craßior, ergo nihilominus eo longiore tempore indigebit ut deriuetur. nam de purgatione nulla prorsus spes est. Quòd si iterum obijcias, quòd potest à sanguine fieri, atque sic statim solui: dico, quòd tum ob calorem quàm celerrimè perimet. Ratio autem continuationis haud obscura est. cum enim in præcedenti Aphorismo egisset de una specie exolutionis uehementi, hic agit de ea quæ toto genere uehemens est.

Sed aduertendum, multas esse dispositiones: uelut syncopim, carum, & uteri suffocationem, similes syderationi, uelut & in sexta Aphoris-
49. morum: Quicunq; sani dolore capitis repentè capiuntur: de caro, non apoplexia loquitur. Ἀπόπληκτον enim idem uocat, quod syderatum, ut secundo de Morbis. Sed difficultas est Pag.3.
in hoc uerbo ἰσχυρὴν, id est quæ sit uehemens. nam Hippocrates omnem resolutionem uocat syderationem. unde in Coacis prædictionibus inquit: ἀποπληκτικοὶ γίνονται τὰ δεξιὰ, Pag. 13.
ἢ τὰ ἀριστερά: id est, fiunt syderati dextra uel sinistra. Ergo uehementem syderationem uocat, solùm interceptam spirationem. Vnde pri- Pag. 1.
mo Prædictionum: Vocis interceptiones cum exolutione peßimæ. In his autem spiritus, ueluti qui strangulantur, promptus, malus est. Num & talis mentem mouet? Declarat causam in secundo: Qui morbi sacri à capite initium sumũt, Pag.6.
deterrimi sunt: uerùm curam aggredi in iuuenibus, si laboris amantes fuerint, dummodò quis stupore attonito syderatus non fuerit. Vnde liquet, Hippocratem hanc commutationem, quod & ita est, arbitrari lethalem. Vult ergo & ex atro humore, de quo sexta Aphorismorum, & Aphor. 54.
perculso cerebro difficillimum esse morbum: insanabilem autem, si uehemens sit. Et dolor capitis uehemens si perseueret, ut suprà dictum est, 1.3. Trac.5. cap.13.
dicebat Auicenna, & uertigo in senibus, prænunciant syderationem.

APHORISMVS XLIII.

QVi strangulãtur ac dissoluuntur, nondũ uerò mortui sunt, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

COMMENTARIVS.

¶ Postquam docuit quòd syderatio uehemens non sanatur, declarat quæ nam sit hæc syderatio uehemens. & dicit, quòd in strangulatis ac dissolutis, si spuma in ore apparuerit, non restituuntur: quasi dicat, quòd hæc est syderatio uehemens. Demonstratio constat (ut etiam Galenus rectè exponendo declarat) in hoc, quòd talis spuma fit ex calefacto corde uehementer, & impulsu magno pulmonis, tum etiam resolutione spiritus: sed corde calefacto iam, & non prodeunte spiritu, cum magna refrigeratione indigeat; necesse est suffocari. Et similiter cum spuma eò prodeat, quò spiritus prodire non potest; palàm est maximum factum esse conatũ, & pulmones esse resolutos. hæ tamen duæ rationes ultimæ parum sunt ad mentem Hippocratis.

Quomodo autem fiat spuma, declarat Hippocrates libro de Flatibus, dicens, quòd in Sacro Pag.6.
morbo, cum nihil sentiant, nec uideant, aer tamen transiens per uenas iugulares, tenuißimam sanguinis

sanguinis partem educit secum, quam ob multitudinem humidi & permistionem ualidam de-
Pag. 5. & 6. albat, atque ita fit spuma. Et in libro de Morbo sacro: Spuma fit in pulmone, quoniam prohibito spiritu ne ingrediatur, feruet pulmo, & spumescit uelut moriens. suffocatur enim epate & septo transuerso sursum attractis. Inde orta non leuis dubitatio, quoniam & in uteri affectibus nos sæpius, & in morbo comitiali fermè semper apparet spuma. uisa est etiam nonnunquam in laqueo strangulatis, ut aiunt, qui tamen reuixerunt. Galenus conatur dissoluere hanc difficultatem, dicens non esse hoc generale, sed plerunque. Contingere enim, ut nonnunquam reuiuiscant. Sed quid ad eos qui Comitiali morbo laborant? nam hi plerunque reuiuiscunt, & tamen cum spuma strangulantur. Ideo intellectus Galeni non oritur ex re uisa, ut debuit. Dicit Hippocrates: Cum spuma circa os fuerit, non reuiuiscunt: non, cum in ore. Vidimus enim nos, quòd cùm spuma circumambiebat os, eregione autem nulla erat, omnes moriebantur: nam non ex pituita tunc talis facta est spuma, sed prius calefacto corde ac pulmonibus, spiritus uitalis eductus est: demum refrigerato spiritu è regione oris nulla fit spuma: quæ autem circunstat, manet. atque sic generalis est Aphorismus.

APHORISMVS XLIIII.

QVi natura admodum crassi sunt, citius moriuntur quàm graciles.

COMMENTARIVS.

¶ Continuat sermonem quem inchoauerat de rebus naturalibus, his quæ præter naturam sunt comparatis. Exordiendum est autem ab inuentione nominum, ut ad demonstrationem per-
Sec. 1. ueniamus. Inquit ille secundo Epidemiorum:
,, Quorum uenæ amplæ, uentres & ossa ampla,
,, hi sunt qui tenues sunt: pingues uerò his contraria habent. Ergo crassissimi omnia hæc habent angustissima: quo fit, ut nec spiritu multo abundare possint, nec liberè perspirare corpus queat, facillimeq; in obstructiones incidant: ob has tres causas citius moriuntur gracilibus. Galenus censet comparationem esse generalem: sed Hippocrates uult, uerum esse tantùm in admodum crassis. nam qui paululum à temperamento recedunt, robustiores sunt paulo macilentioribus. Id rectè dictum non de habitu acquisito debere intelligi. nam uenæ latæ in his nihilo minus sunt. Huiusmodi sententia etiam in pue-
ris uera est: Quicunque dentientes habitiores Lib. de Dentitione.
manent, & altiore somno utuntur, periculum
est ne conuulsione corripiantur, inquit Hippocrates: adeò ut de habitu acquisito etiam in hoc casu possit intelligi.

APHORISMVS XLV.

QVicunq; iuniores morbo Comitiali laborant, mutatione maximè ætatis & locorũ & uictuum liberantur.

COMMENTARIVS.

¶ Turpissimè, præter utriusq; Aldini Græci codicis fidem Leonicenus, & qui emendarunt postremò hos libros, addiderunt (temporum) quod ex malo intellectu sensus Hippocratis accidit. quomodo enim ex mutatione temporum tam magnus morbus soluetur? multos enim sic liberari necesse esset. νέοισιν, iuniores interpretati sumus, quòd νέων hic pueros significet: quod ex consensu duorum locorum rectè comprobat Fuchsius. Primus est quinta Aphorismorum: Quicunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscunque autem uigesimo quinto, commoriuntur.
Secundus est Galeni sexto Epidemiorum, qui Sec. 1. tex. 5.
hunc locum sic citat: Puerorum morbi comitiales unà cum pubertate mutationes habent. & aliâs, Vbi in Aldino codice legitur ὑπολήμψιες, sed qui est cum commento, habet ἐκλάμψιες,
id est, Effulgescentiæ. Cum ergo locutus fuisset Aphor. 4. suprà.
de syderatione, hic loquitur de comitiali morbo, ei proximo ac simili. de illo quidem pronunciauit, quod curari uix poterat, de hoc autem subiungit tres modos, quibus curari possit. Vt intelligeremus per hunc Aphorismum, omnium magnorum morborum curationem, uelut calculi, difficultatis spirãdi, atq; uertiginis, & doloris capitis, qui certis circuitibus redire solet.

Galenus tertio de Locis, ponit duas similitu- Cap. 7.
dines inter comitialem morbum & conuulsionem, ut quatuor differentias. prima similitudo est, quod qui comitiali morbo laborant, conuelluntur utrinque, antè scilicet & retrò. Secunda, quòd fiunt ambo hi affectus ex repletione humoris crassi. Porrò discrimina sunt, quod in comitiali sensus perit, in conuulsione stat. perit autem dupliciter: aut totus in ualido, aut pars in leui comitiali. Secundum quod comitialis accessio breuis est, conuulsio quandoq; per multos

per multos dies durat. Tertium, comitialis fit semper à repletione: sed conuulsio quandoque, imò persæpè fit etiam ex inanitione, ut suprà 6. Aph 37. *docuimus. sed melius infrà.* Quartum, *quòd comitialis est propriè & magis in cerebro, conuulsio magis in neruis: & ita comitialis est acutior morbus, conuulsio difficilior. Assimilatur autem syderationi in repletione uentriculorum cerebri, & in amissione sensus: sed differũt in tribus. quia in syderatione totus sensus perit, in comitiali tantum pars. syderatio est priuatio motus, comitialis motus corruptus. Tertia differentia est nostra, & est cum Auicenna & Auer*- 5.Coll. 41. *roe, quòd apoplexia fit ex materia, comitialis ex flatu. Galenus credit quod ex materia: sed non est uerum.* Primùm, *quia non adeò breues haberet accessiones.* Secundò, *quia ab accessione non perfectè liberarentur. quò enim detrudi deberet illa materia?* Tertiò, *quia plures comitiales morbi transirent uel uitio regiminis, uel ob hyemem, in syderationẽ: cum tamen uideamus multos laborare uiginti annis comitiali morbo, nec tamen corripi syderatione.* Quartò, *quia uidemus expressè, & Galenus ipsemet fatetur, ascendere flatum in his qui eum morbum ex consensu patiuntur: ergo si fieret ex materia, esset mul*- Pag.5.& 6. *to deterior.* Præterea Hippocrates libro de Sacro morbo docet, quòd hic morbus fit prohibito spiritu, ne progrediatur in cerebrum, *à pituita in uenis contenta: & ita non uult pituitam in cerebro contineri. Et si dicas, quod ibi* Pag.14. Hippocrates, *& in libro de Victu in acutis, uult quòd ex comitiali fiat semisyderatio seu paraplexia: dico, quòd hoc facit pro nobis. nam eadem materia si ad cerebri uentriculos perueniat, facit paraplexiam, ergo antea in comitiali ibi non erat.*

Dicitur autem comitialis sacer, ἐπίληψις, *id est detentio, morbus magnus, lunaris, Herculeus: qui uerò etiam infantilem appellant, aberrant re: ostendemus enim, quod infantilis propriè est conuulsio, non autem comitialis.*

Sed uidetur contradictio, quia Hippocrates Sec.8. in fine. *dixit fieri hunc morbum à pituita. Sed sexto Epidemiorum inquit: Atrebilarij fiunt comitiales, & comitiales atrebilarij. Respondeo, quòd comitialis morbus fit ex pituita: per pituitam ibi intelligit humorem crudum. Veritas etiam est, quod ita experimento apparet. quare natura atrebilarij utrique affectui sint obnoxij atræ bili ob naturæ familiaritatem, comitiali ob cruditates. ut uisum est in Ludouico Bossio Iurisconsulto, filio Constãtini, & ipsius Iurisc͠osulti.*

Cur uerò plerunque spuma soluatur, causa est: quia flatus ille repulsus à cerebro magna ui & sputo obuians, aut pituitæ, in uia spumam generat, ut diximus suprà. Ex his patet cur rectè dixerit Auicenna prima tertij: Comitialis morbus est sternutatio ualida, & sternutatio est comitialis leuis: habent enim ambo ortum ex flatu in uentriculis cerebri. Aphor.43. Trac.5.ca. 8.coll.2.

Quòd ad ætates attinet, trifariam curantur: tum ratione circuitus, tum ratione mutationis habitus, uel ob uenerea. Vnde tertia Aphorismorum: Plurimæ uerò affectiones pue- 28. "*rulis iudicantur, partim in quadraginta die*- "*bus, partim in septem mensibus, partim in* "*septem annis, partim ad pubertatem accedentibus. Quæ uerò permanserint affectiones* "*pueris, nec exolutæ fuerint, circa puberta*- "*tem, aut femellis circa mensium eruptiones,* "*diuturnæ fieri solent. Considerat tria Hippocrates: circuitum temporis, mutationem temperaturæ, & effectum, qui ex uenereis ac expulsione redundantiæ excrementorum prouenit. Sic & illud secundo de Morbis: Morbi* Pag.4. *quadam post septem annos, alij post quatuordecim. Refert Suetonius, Caligulam imperatorem beneficio ætatis à comitiali conualuisse, sed imbecillem factum.*

De Regione dicebat sexto Epidemiorum: Sec.5. *In morbis longis terras mutare commodum* " *est. Similis sententia, & ualde congruens, ha*- Pag.2. *betur primo de Diæta: Oportet laborum uim* " *præcognoscere, tum naturalium, tum qui per uim* " *fiunt, & qui ex ipsis carnes in augmentum* " *præparant, & qui in defectum: & non so*- " *lùm hæc, sed etiam mensuram & proportio*- " *nem laborum ad multitudinem ciborum, & ho*- " *minis naturam, & corporum staturas & æ*- " *tates, & ad tempora anni, & ad mutatio*- " *nes uentorum, & ad situs regionum in qui*- " *bus degunt, & ad anni constitutionem ac* " *statum. Sed & astrorum ortus & occasus* " *cognoscere oportet, quo mutationes & ex*- " *cessus ciborum ac potuum & uentorum, & to*- " *tius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus* " *oriuntur, obseruare sciat. Quam sententiam* " *breuiter admodum confirmauit in tertio eius*- " *dem operis libro dicens: Hominum naturæ &* Pag.1. *ætates & regiones, & uentorum mutationes* " *tum temporum & anni constitutionum, uariam* " *uitæ rationem exigunt. Et breuiter in libro de Aere, aquis & regionibus, hoc exposuit,* Pag.ult. *dicens:*

7. ult. *dicens: Temporū uarietates potiſſimæ ſunt, quæ naturam ipſam permutant: deinde etiam regio, in qua quis nutritur: poſtremum autem, aquæ.*

De uictus ratione præcipuè memorabilis eſt P. 1. *illa ſententia Galeni, libro de Attenuante uictu:* „ *Vidi arthritidas, in quibus oſſa erant denudata;* „ *difficultates ſpirādi inueteratas, lienis, & quod maius eſt, iecoris tumores duros, tum comitiales incipientes, ſola uictus attenuantis ratione obſeruata curatos. Sed nunquid ſufficiat uictus rationem & regionem mutaſſe, niſi in contrarium prorſus hæc fiant: ut in uictum calidum, ſiccum, tenuem, laboresq́; plurimos, aerē autem liberum, calidum, ſiccum, tenuem. Vnde non refert quàm longius abeas, ſed quàm ad partem te conferas, plerunq; tamen longius abeundum eſt, quòd huiuſmodi mutationes non leuem cœli uarietatem ac differentiam expoſcant. In eodem genere ſunt thermarum aquæ, & potus ille adeo nunc celebratus, decoctū ex ligno Indico, ſub ratione uictus mutata continebitur. Sunt & auxilia quæ*pit. De *dam ſingularia, quale illud undecimo de Simpli*oſsibus. *cibus medicamentis: Noui hominem, qui oſſa hu mana tenuiter trita in potu dabat neſcientibus, multosq́; tum comitiali morbo tum arthritide la*Cap. 23. *borātes ſanauit. Et illud Cornelij Celſi libro tertio: Quidam toto ſanguine gladiatoris nuper iugulati epoto, à comitiali morbo liberati ſunt. Sed de his plura, dum librum de Sacro morbo exponemus. Nunc illud uidendum, an prorſus comitiales morbi, qui poſt uigeſimūquintum annum ſuperueniunt, ſint inſanabiles? hoc uerò ad quintum librum pertinet. ſuo enim loco tractanda eſt quæſtio, ne opus infinitum reddatur: hic ſufficiat monuiſſe, et eos curari poſſe comitiales, mutata regione & ratione uictus, aliisq́; præſidijs, quos in adulta ætate morbus ex errore, nō ſponte inuaſit.*

APHORISMVS XLVI.

Dvobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, uehementior alterum obſcurat.

COMMENTARIVS.

¶ *Poſtquam cōparauit res præter naturam ad naturales, nunc incipit res etiam præternaturales inter ſe conferre, declarans unum paradoxum, ſcilicet quòd contingit aliquando dolorem dolore leuari: hoc autem, cum fuerint diuerſis in locis, & unus altero uehementior. Hic mihi ſanè latior eſt uia philoſophandi, primū, quòd contingit idem, ut dolor corporis moleſtiam animi leuet: ut ego in luctu cædebam crura ac tibias, multumq́; contulit. Et pueri qui domo abſtracti mœrerent, relictis fratribus & parentibus, cæſi moderatè leuant curam animi, nec ita tabeſcunt. Et dolor animi in diuerſo genere, uelut timor pro priæ uitæ, amiſſionem rei tollit: ut his contingit, qui in tempeſtate excutiunt ſponte merces. Vnde auxilium in mœroribus, ex alio genere doloris aut corporis aut animi ſumere licet. nam in eodem auget, quemadmodum recitat Liuius de* Decade 5. lib. 2. *Fuluio Flacco pontifice, cui cum filiorum unus in Illyrio obijſſet, alter ad mortem abſq; ſpe laboraret, laqueo ſe ſuſpendit. Vt uideatur animus noſter & ipſe ſpacijs quibuſdam diuidi, non ſui ſubſtantia, ſed diſunctione eorum quæ cogitat atq; imaginatur. Hoc eſt quod ego etiam inter podagræ laudes recenſui, quòd hominem ab omnibus animi & corporis doloribus alijs leuet. Le gitur autem (Simul non eundem) & (Simul eundem) abſq; aduerbio (Non) Sic legit Leonicenus & Braſauolus. Sed Græcus codex uterq;, & Galenus & ratio reluctatur.*

Vtrum uerò homo eadem in parte duobus doloribus ſimul affligi poſſit, Galenus negat tam abſolutè, quod probari debuit. nam mihi ſecus ui detur, licet homo non diſtinguat illos niſi ratione. Etenim ſi quis dolens ſecetur, percipit & flagrantiam ex uulnere, & dolorem. nihilominus miſcentur dolores; fiuntq́; dolores compoſiti, quos ob id nominare non norunt patientes. Si enim grauans dolor & acutus ſimul miſceantur, fit imago incerti, ſed moleſti doloris. Indicio eſt primùm dolor, qui ictibus quaſi feriatur per interualla intenditur, cum nemo ſit qui hos duos eſſe non aduertat: & ſimiliter flagrantia dolori miſta, ut cum cucurbitulæ incidendo cutim ſuper locum uerberatum imponuntur, ut in miſeris remigibus fieri ſolet. Quòd uerò dolor dolori proximus illum augeat, haud dubium eſt: ſed cur ſic, procul autem leuet, diſquirendum eſt, ſimul & ſi minor maiorē leuat, an non, & cur ſit, quòd nemo ſit qui non à pluribus doloribus deterius ſe habeat, quàm ab uno. Corporis enim partes proximæ tametſi ſint, ita diuerſæ ſunt, ac ſi plurimùm diſtent, maximè ſi non eiuſdem naturæ ſint, uelut caro & oſſa: anima uerò tam una in capite et pedibus imis, quàm in oculo & palpebris. Ergo Galenus rectè feciſſet, ſi hoc declaraſſet: an quòd non ſentitur à proprio ſenſu, neq; à communi? itaque diſtracta mente alio dolore, minor ſentiri non poteſt. Quamobrem non ſolùm minores à maioribus obſcurari reor, ſed & magnos dolores à minoribus. Nihilominus qui

pluribus detinẽtur doloribus, eo miseriores sunt,
quód maiore cessante ab alijs occupantur. Ergo
ex hoc licebit dolorem dolore auocare ad partes
Sec.3 in ignobiliores. Quód & sentit Hippocrates sexto
fine. Epidemiorum, cum dixit: Alterius loci morbos
„ loca excipientia, aut ob dolorem, aut ob grauita-
„ tem, aut propter aliud quiddã liberant: aut quód
„ alijs sunt communicationes. neq; enim sensum di
strahendo solùm affectionem leniunt, sed etiam
causam doloris auertendo uerè minuunt. Et ideo
in doloribus acutißimis nobilium partium exci-
tare conuenit, si poßint etiam auferre.

APHORISMVS XLVII.

DVm pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quàm iam confecto.

COMMENTARIVS.

¶ Declarat unam causam doloris, tum etiã fe
bris, quoniã hoc in casu coniungi pariter necesse
est: atq; ita præsenti Aphorismo, in quo de dolo-
ris sedatione loquutus est, iungitur.

Causas abscessuum enumerat Hippocrates
Pag.3. libro de Humoribus quarto: Febres, tusses, colli
quationes & frigus. Dolorem prætermisit, quo-
niam per se hoc non potest, nisi adsit colliquatio:
ut in coli dolore tortis, atq; huiusmodi. Quod ue
„ rò dixit (magis quàm iam confecto) declarauit
Pag.8. quarto Epidemiorũ: Maturi in morbis abscessus
an iudicent, signum est, si dum feruida sunt mala,
non febricitarint: & dum molesta sunt, facilè tu
Pag.14. lerint. Et rursus septimo eiusdem: Concoctionis
„ signa sunt, si non anxij fuerint, nec capite graua
„ ti, & quum calores mitißimi, & quum post exa-
„ cerbationes cessarint: superni uerò, in ipsis exa-
cerbationibus. Quoniam uerò in febribus mate-
ria non continetur in loco in quo fiat ulcus, pro-
pterea dum materia concoquitur, fiunt & au-
gentur febres, non autem dolores. Ex quo illud
conuincitur, quod intendit Hippocrates alibi, o-
mnem morbum esse ulcus. nam si omnis morbus
est dolor quidam, aut cum dolore. est enim mole-
Pag.1. stia quædam, ut ipse ait in libro de Flatibus. sed o-
mnis dolor fit continui solutione: quia in febrib.
dum concoquitur materia, non fit dolor, tametsi
calor augeatur multùm: igitur omnis dolor fit ex
continui solutione. Voluit ergo nos admonere de
duobus maximis incõmodis, quæ coctiones co-
mitari solent. Sed an in peruersa coctione dolo-
res augebuntur, & febres magis quàm antea? Vi
Com.29. detur Galenus suprà uoluisse, quód solum in sana
bili morbo mitescãt, hæc in statu. Sed distinguen
Cap.6. dum est ex his quæ dixit, primo de Differentijs
febrium. cum enim docuisset actionem unam es-
se, quæ à naturali calore fit, & uocatur coctio:
aliam quæ à præternaturali, quæ est corruptio:
sed hæc solùm in inanimatis inuenitur, quoniam
calor naturalis qualiscunq; sit materia semper a-
git: tertia, quæ fit ab utroq;, in qua superante no
stro calore coctio etiam uocatur: sed à priore dis
similis, cum non sit cibi, sed noxij humoris: supe-
rante autem præternaturali peruersio (est enim
corruptio) sed ut coctio à coctione, ita corru-
ptio à corruptione differt. Hæc autem bifariam,
ut ibi dicit, contingit. uel naturalis caloris imbe-
cillioris causa, & tunc dolores & febres remitti
uidentur: ægro tamen ad perniciem tendente: uel
ob materiæ prauitatẽ, et tunc cõtinuè augentur.

APHORISMVS XLVIII.

IN omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim laßitudinem mitigat.

COMMENTARIVS.

¶ Demiror ualde Galenũ, qui tam de Hippo-
crate, ubi illo opus est, magnificè sentit: nec uult il
lum uulgata, imò ne nota quidẽ medicis solis, sed
tamen plerisq;: referre hic uelle, ut nota etiam ru
sticis dixisse credat, nec satis etiam uera. neq; e-
nim fatigati, si quiescant, protinus dolore omni et
laßitudine carent. Cæterùm quod ad continuita
tem attinet, clara est. causam enim doloris, de quo
in duobus antecedentibus egit, tollendam ad ue-
rè curandum dolorem docet. atque ita auxilium
præstans esse ostendit, ut statim medeatur et mi
tiget, non auferat, ut quidam uerterunt. Sensus
igitur est ex duobus, ut laboret iam, & sit initiũ
laboris. quia fieri potest trifariam aliter: ut non
laboret, & quiescẽdo nõ mitescet labor: ut pro-
cesserit in labore, & quamuis quiescat, non tamẽ
cessabit laßitudo: ut si malè affectum corpus, &
tunc non cessabit eodem modo. Dictum est quid
laßitudo, suprà. Sensus est ergo: morbi & dispo- Aphor.5.
sitiones, quæ fiunt in initijs, sublata causa statim
mitigantur: sed si processerint, transeunt in mor
bos iam factos; aut si corpus non secundũ natu-
ram se habuerit. Quid ergo lucrabor ex hoc A-
phorismo? unum satis notũ: nõ esse in labore per-
seuerandum, ubi quis laßitudinem sentiat: aliud
non uulgare, ubi quis ab initio laßitudinis quie-
scat, & non mitigetur laßitudo esse immundum
corpus paratũ ad morbos, ideoq; purgatione indi
gere. Ideo inquit in Præceptionibus: Vehemen- In fine.
tis laboris studium deuitandum est. Propterea in
tertio de Diæta nos admonet trium. Primùm, ut Pag.2.

lassitudinē omni tempore deuitemus: secundū, ut deambulationibus in manè corpus exerceamus. Ideo mementote, non ut stolidi, si equo caretis, non quantum possitis procedere: sed quòd id reuerti coactis esse dimidium tantum uiæ, aliter in lassitudinem incidetis. Tertium, hyeme & frigido tempore magis ac diutius exercendum: sed tamen cessandum non modò antequam lassitudinē sentiamus, sed antequam corpus incalescat. Vtile enim est frigus, & probat hoc exemplo arborū, quæ melius fructificant ex hyemis tolerantia. tria ergo sunt quæ uitanda sunt: lassitudo præparans ad morbos, exercitium graue exhauriens uires, & in hyeme calefaciens corpus, exsoluens Sec.3. *robur. Sed dicetis, In sexto Epidemiorum inquit:* » *In exercitationibus sudor fluens guttatim, qui e-* » *xit uelut ex canalibus, aut depressio ex elatione. Vbi Galenus non habet quid dicat, quia non inuenit ab alijs. Est igitur præceptum corporibus morbificis, quibus conuenit ut non hyeme ad præseruationē sic expurgari laboribus, quoniam tum maximè optimè concoquunt, & se tutos à plenitudine reddunt. Talis enim exercitatio, ut in libro de Cibis boni & mali succi, & primo de Alimentis docet, si cum longo somno coniuncta sit, & cibos crassi & lenti & prauietiam alimenti mutare in bonum potest: imò, ut dixi, in quarto de Tuenda bona ualitudine, succum exquisitissimum ex pane & oleribus elicit. Et similiter, si anhelitus ex elatione deprimatur & subsidet: tunc erit quiescendum, fatigata natura. Duo enim hæc signa proponit fatigatæ naturæ. unum, à copiosa excretione, quod melius est, quoniam ad id etiam sequitur utilitas: alterum, ex operationis læsione. Ex quo non probo in sanis tantam exercitationem, ut quæ uitam necessariò breuiet: nec quòd proponit A-* Cap.6. *uerroes sexto Collectaneorum in morbosis corporibus, ut quotidie se exerceant ad initium usque sudoris, & eleuationis anhelitus. nam corpus nimis accendetur, nec expurgabitur: sed melius est per circuitus, uelut sumpto medicamento, certis quibusdam diebus longo sudore corpus exercere: alijs diebus solùm tantum ut incalescat, sine spiritus mutatione & sudore. Sola autem contentio spiritus multum facit ad* Pag.13. *sudores, ut secundo de Diæta. Atque illud obseruandum, ut æstate in arena & loco frigido corpus exerceatur: hyeme peruncto corpore oleo, in loco tepidiore.*

APHORISMVS XLIX.

QVi cōsueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles uel senes, non consuetis robustis atq; iuuenibus facilius ferunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Dixerat in præcedenti Aphorismo, laborē deuitandum. hic docet, non ex æquo laborem hunc seu lassitudinem aduenire omnibus, sed celerius insuetis. Lego autem (uel senes) potius quàm (& senes) nam difficile est senem ac debilem melius posse quicquam ferre ualido iuuene. Transire consuetudinem in naturam, docuit* Hippocrates *libro de Aere, aquis & locis,* Pag.12. *dicens, quòd macrocephali, id est longa habentes capita, fiunt consuetudine obstetricum, inde natura gignuntur tales ab huiusmodi. non igitur aliter fieri potest, quàm quòd natura tales ex consuetudine redditi sint. Mihi uidetur præter cætera uoluisse* Hippocrates *nos docere, idem in omnibus fieri posse robustis, magnis, ingeniosis, pulchris, probis, atque huiusmodi: tum etiam in animalibus alijs. Galenus causam huius esse existimat robur, quod adijcitur membro ex labore: atque ea causa est, sed non tota: uerùm morbus omnis in hoc constat, quod molestiam affert, ut Hippocrates in libro de Flatibus.* Pag.15. *At molestiam afferunt insueta: quia naturæ contraria, nec familiara. Vnum pulchrum, dicebat Seneca, non omittendum, & quòd ego uerum esse sum expertus: tantum posse consuetudinem, ut si mala tantum nos afficerent, post uelut ab initio, nemo durare posset in calamitatibus ac tormentis. Vt igitur membrum labori assuetum est, primò in externis partibus calli obducuntur, per quos homo parum aut nihil patitur: durescit præterea cutis, & inde etiam membrum solidum redditur: natura assuescit transmittere illuc sanguinem & spiritus, & temperies conformis fit laborem passuro: demum anima ipsa, quod non paruum est, æquo affectu fert, nec adeò turbatur ac terretur.*

Non omiserim errorem maximum Brasauoli, qui adeò stupidum fuisse Oribasium credit, ut ea illi tribuat, quæ nulli sano homini quantumuis stupido tribui deberent: cum constet ex ipsius operibus, etiam Galeno fuisse præstantiorem. quod etsi modò circumferantur commentaria nomini illius falsò ascripta, inepti uiri est, cum alioqui Brasauolus eruditus sit, & uir egregius, tametsi nunc mortuus sit, falsorum scriptorum causa

Hoc non uidetur ad hunc locū pertinere.

causa tam celebri uiro adeò turpem inurere calumniam. Verùm nimius amor Graecae literaturae eum fefellit.

APHORISMVS L.

QVę ex longo tempore cõsueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. oportet igitur ad insueta permutari.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum in praecedenti Aphorismo cõparasset consuetudinem ad homines, id est eos qui consueti sunt, & qui insueti: hic facit comparationẽ rerum, dicens, homines perferre consueta longo tempore, tametsi deteriora melius, quia minus nos molestare soleant insuetis. Inde transit ex* Dialectica *sua ad oppositum. Verùm circa pri-* Pag.6.&8. *mam partem* Hippocrates libro de Ratione ui*ctus in acutis, plurima. primum differit circa consuetudinem naturalem ciborum & potuum; adeò ut uelit cibos prauos meliores esse consuetos insuetis bonis. inde pòst transit ad res praeter naturam, adeoq; magnifacit consuetudinem, ut uelit eum qui uulnus acceperit in tibia, deinde quieuerit per quinq; uel sex dies, inde cœperit antequam conualuerit obambulare, deterius afficiatur, quàm si ab initio cœpisset obambulare. Ex quo patet, hic loqui de consuetudine bifariàm. Vna, qua molesta melius ferantur, & mala in bonum commutentur, & haec oportet ut sit diuturna. Alia uerò, quae est necessaria in quacunque mutatione, & in illa sufficit ut homo paucis diebus aut uicibus ei rei assueuerit. Et ideo admirantur de ea sequela* Hippocratis, *illum non intelligentes. inquit enim: Insueta etiam quòd sint optima, molestare solent: ergo transeundum est ad illa quandoque, etiam si consuetus fueris malis. quia malis consuetudinibus aliqui detinentur, uult ne tamen adeò illis inhaereant, ut ad bonorum usum redire non poßint. Ideo non intelligunt* Aphorismum, *qui eò tendit, ut doceat non consueta minus molestia nos afficere, sed insueta magis officere. ad ea igitur si bona sint transeundum, ne uel in malis perseuerando laedamur: uel ubi ad bona redire uoluerimus, nobis non liceat. Id maximè manifestum fit in his qui non ouis aut ferculis utuntur. dum enim aegrotant, multum impediuntur. Accedunt casus rerum humanarum, propter quos cogimur nonnunquam & mala subire, aut quod frequentius est, mediocria: & ideo bonum est illis etiam assuecere, ut ferri poßint, non ut in eis perseueremus. Stultum uerò est credere, illum uelle ut tentemus dormire super terram sub dio hyemis tempore, certam iacturam subeundo, nec tamen propter id uitemus incertam. Ideo sexto* Epidemiorum: *Consuetudo autem ex qua-* Sec.8. *libus sani degimus, uictus modis, tegumentis, laboribus, somnis, rebus uenereis, mentis affectionibus. Vbi clarè enumerat sex res non naturales. Et in* Coacis *praedictionib. haec habet:* Pag.2. *Praeter consuetudinem quid facere, uelut est, proponere sibi aliquid, aut expectare aliquid prius non consuetum, aut contrarium, malum est, & mentis emotioni proximum. Et in libro etiam de* Insomnijs: *Quaecunque homo ex consuetis* Pag.5. *ac familiaribus se uidere existimat, ea animae concupiscentiam significant. Quaecunque uerò perterrefactus fugit, sanguinem sisti ac coerceri.*

Rationem autem Galenus *primae partis pulchram adducit, tam in cibis & potibus, quàm aere: nam de cibis cum ex his fiat habitus, acquiraturq; similis illis natura, cum longo tempore perseuerauerit: fiet etiam habitus ille similis nutrimento futuro, quare faciliter concoquentur. Non enim est concoctio, nisi aßimilatio: & quae aßimilata sunt, iam magna ex parte facillimè transmutantur. ideo familiaria melius concoquuntur, eaq; causa panis optimum praebet alimentum.*

In aere etiam frigidus densat cutim, & ita à frigore minus offenditur: calidus autem aperit poros & meatus. unde melius difflatur calor, minusq; aestuat homo.

APHORISMVS LI.

PLurimùm atq; repentè euacuare uel replere, calefacere uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimium, est naturę inimicum: sed quod paulatim fit, tutum est tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum docuisset consuetudinẽ esse seruandam, & utilem in rebus naturalibus: hic docet, etiam in his quae sunt praeter naturam obseruandum, ut sensim à naturali statu atque consuetudine recedamus. Ideo si purgandum sit, aut replendum corpus, aut calefaciendum uel refrigerandum, id neque multùm neque confertim agendum est. Est autem sensus* Aphorismi *huiusmodi: Multum ac repentè euacuare, seu quouis alio modo mutare corpus, est periculosum. Et*

reddit rationem, quoniam omne nimium est naturæ inimicum: est autem nimium, cum fit magna mutatio, & repentè. Vt enim ostensum est
Cap. 1. à Philosopho, septimo Physicorum, iuxta cōparationem duorum quorumlibet, scilicet spacij emensi, & temporis in quo pertransiuit, & proportionis mouentis ad motum habetur tertium. Veluti mouetur longo tempore, et à magna proportione, ergo multum spacij emensum est mobile. Et ita hic dico, fit magna mutatio & celer, igitur à potentia ac ui multa. at multam uim natura robusta ægrè fert, alia non omnino fert: igitur talis mutatio est periculosa in debilibus, et in robustis iacturam affert, adeò ut cum comparatio dicti sit ad imbecilles, fit periculosa hæc mutatio ne interficiat: demonstratio autem probat, quòd semper iacturam afferat. Et ita Hippocrates solita breuitate demonstrat primā partem per secundam, & in secunda præter id addit præcipuum documentum: Vt bifariàm debeamus refugere hanc mutationem. Itaque est, ac si diceret: Omnis mutatio magna & repentina lædit hominem uehementer. & hoc est generale, & deducit ex hac unam specialem, quæ est, Ergo etiam in debilibus omnis talis mutatio est periculosa: igitur tum ob unum, tum ob aliud est fugienda.

Secunda pars est, in qua nos admonet, quòd sensim procedere oportet in talibus magnis mutationibus. Et construitur syllogismus sic: Multum euacuare, malum est, & periculosum: igitur sensim oportet. à destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Neq; enim conuenit obijcere ægros periculis, & illos lædere. Sed quia sic dicendo, nihil nouum dixisset: propterea nos admonet, hanc repentinam mutationem fugiendam esse, cum ex uno contrario in aliud transire uolumus. quasi innuat: Quod si restaurandus sit aliquis macilentus, gratia exempli, ab initio lentè & sensim restaurādus est, inde magis & uberius, ubi iam restaurari cœperit. Idem dico de euacuatione. Et ideo elicitur pulcherrima ratio in omni curatione. Vnde ex hoc trahitur illa regula Auicennæ, adeò celebrata, cum sua demonstratione scilicet: In principio à leuioribus est inchoandum.

Hunc Aphorismum non extendam ad opus naturæ, quia nimis amplam tractationem præter propositum facere oporteret, cum Hippocrates omnino traducat ad medici opus. Illud solùm animaduertere decet illis uerbis (cum ab altero ad alterum transitus fit) hunc Aphorismum præcedenti coniunxisse. Porrò de mutationibus non solùm repentinis, sed omnibus, quòd cauendæ sint, scripsit sexto Epidemiorum. de re- Sec. 3.
pentinis autem agit libro de Ratione uictus in Pag. 6. & 7.
acutis, dicens: Quod securius est ad sanitatem, in similibus persistere, quàm repentè etiam in melius commutare. Et infrà docet (cum hic duo tantùm) tria maximè esse in mutationibus uitanda: ne uehementissimas, ne repentinas, nec etiam intempestiuas illas faciamus. Inde proponit unam pulcherrimam regulam huiusmodi, Pag. 9.
Quamuis omnis repentina mutatio difficilis sit, tamen ad labores deterior quàm ad uasorum uacuationem. Vnde patet, Hippocratem ponere triplicem ordinem etiam in his repentinis ad naturalia, ut quietem quæ facillimè fertur: ad præter naturam, ut ad euacuationem: quæ difficilius, ad contra naturam: quæ difficillimè, ut labores. Sed cur dictum est in sexto Epidemio- Sec. 6.
rum, In recidiuis mutationes prosunt: oportet autem transmutare ad ea quæ conueniunt, antequam malè afficiantur. Cum enim recidiuæ fiāt ob malā intemperiem, & imbecillitatē eam subsequentem, iuuat mutare aerem scilicet, & uictus rationem ad ea quæ conueniunt, antequam malè afficiantur: ideo celeriter, præoccupando reditum morbi. Liquet ergo, quòd propriè loquitur de his qui sæpe recidunt: ut Cherion, de quo affert exemplum, qui bis in recidiuam incidit, ut habetur in tertio Epidemiorum. Cum er- Sec. 2. ægro quinto.
go in talibus repentè mutare conducat, non tamen multum mutare operæprecium est. Denique illud considerandum ex Septimo eiusdem: Pag. 7.
Mutatio per qualia, ex qualibus, ad qualia se habet, tot sunt animaduertenda.

APHORISMVS LII.

OMnia secundum rationem facienti, & non euenienti secundum rationem, non est trāseundum ad aliud, stante eo quod à principio uisum est.

COMMENTARIVS.

¶ Continuatur hic Aphorismus præcedenti, cum de curationis modo generali, ut in eodem, hic agat: uerùm non intellectum fuisse ab aliquo, id planè testatur, quod nihil habeant quo illius expositionē illustrēt. In sexto Epidemiorum Sec. 2.
hæc habet Hippocrates: Per adiectionem contraria adhibere, & interquiescere. Vbi Galenus suo more exponit. Verùm sententia est: Vt cum uolueris cognoscere morbos, contrarijs au

xilijs adhibitis & interquiescẽdo, intelliges qualis sit: quia à simili augebitur, à contrario mitescet. Hoc igitur cum uideamus, nullum certius est experimentum. Ne ergo nimis etiam huic modò tribueremus curãdi ac cognoscendi, præcipit ut hæc regula adhibeatur: quòd si maneat ratio eadem qualis uisa est antè, quòd non debeas permutare genus medelæ (nam ponamus quòd morbus sit frigidus) & adhibuerimus medicamenta calida, fiet, ut si permaneant signa frigiditatis, ut non decipiamur. nam si calidus fuisset, & si non curatus esset morbus, saltem signa morbi frigidi deficerent, tum quia erant falsa signa, tum quia corpus ex medicamentis incaluit. ergo non staret ratio, quæ ab initio uisa est. Non ergo manendum in eis propter primam rationem morbi, neque ppter secundam perseu quia qui deceptus est in prima, potuit decipi in secunda: sed quoniam illa prima ratio dum manet, signum est, nos non esse deceptos in intellectu morbi. Non ergo ratio cognitionis morbi, sed perseuerantia cum illis auxilijs, indicat non esse mutandam curam. Adducit ad hoc propositum ex secundo de Medicamentis secundum locos Fuchsius autoritatẽ Galeni, dicentis: Curandi rationem consistere in cognitione affectuum, qui cum inuenti fuerint certa scientia, propria auxilia exposcunt: quæ tametsi ab initio nihil proficere uideantur affectibus contumacibus, ob id quod materia seu flatuosus spiritus meatibus interclusus impediat medicamenti opus, non tamen mutanda sunt, dicente Hippocrate, & adducit hunc Aphorismum. Dico, huius impedimenti etiam plures aliæ possunt esse causæ: qualitas ambientis, curæ, proprietas hominis, & multa alia. principaliter tamen, ut ait Galenus in Commento, propter naturam uehementer crudam. Sed dicetis, ergo præciditur uia mutandi curationem per tempora morbi? Respondeo, quòd illa mutatio non est in genere auxiliorum, sed magnitudine solùm.

Cap.1. Sec.10.

APHORISMVS LIII.

QVicunque aluos humidas habent, si quidem iuuenes fuerint, melius degunt ijs qui siccas habent: ad senectam uerò deterius degunt. nam senescentibus magna ex parte exiccatur.

COMMENTARIVS.

Aphor.20. ¶ Superius uisum est, hunc Aphorismũ illi cõnecti, & ad uitandam homonymiam melius legi, Degunt, in secunda periodo, quàm Cõmutãt: quoniam in prima oportet ut legatur Degunt. commutant enim, ad propositum non esset. Sed & continuatio est ad sequentem Aphorismum clara. nam in utroque agit de comparatione ætatum inuicem, iuuentutis & senectutis: ad præcedentem uerò, quoniam quædam aliter se habent quàm prima specie uideantur. in priore enim Aphorismo non succedentibus rebus ex uoto, uidebatur mutanda ratio medendi, quæ mutãnda non est. ita hæc iuuentus cum aluo liquida melior uidetur, quàm cum dura, cum tamen non sit ita. Est ergo, ac si dixisset: Ne mireris quòd non mutanda sit ratio medendi, tametsi uideatur iure debere mutari. nam & multa alia uidentur quæ non sunt: quemadmodum de iuuenibus, quorum aluus est mollis.

Sensus ergo elicitur ex hoc, quòd humida aluus melior sit, semper sicca: sed quoniam commutanda est ratio à iuuẽtute in senectutem, melius est ut sit sicca in iuuenta, & humida in senecta, quàm contrario modo. Primum declaratur in libro de Aere & aquis: Fieri non potest, inquit, ut mòrbi acuti generentur, ubi alui liquidæ sunt: at esse securum ab acutis morbis, qui maximè perimunt. Et pòst subijcit, quòd aluus humida multùm prodest ad securitatem lapidis, ne in uesica generetur. Hoc est melius degere, & utile ac commodum generaliter, cuicunque ætati. Connumerat etiam libro de Coacis prædictionibus Hippocrates, aluum suppressam aut inter signa aut causas conuulsionis. Aluus etiam sicca mala est febrientibus omnibus, & uulneratis, ut habetur in primo de Morbis. At secundum de Senibus ex hoc constat, quòd hi si siccas aluos habeant, retentis multis humidis excrementis quibus abundant, frigidis'que, facile à syderatione, à podagra, à malo habitu, à fluxionibus, hydrope, dolore coli, multisq; alijs morbis propè insanabilibus corripiuntur. Vnde etiam ex hoc Aphorismo docemur, aluum humidam semper seruare, non medicamentis tamen.

Pag.3. Pag.7. Pag.7. Pag.4.

Scripsit Auenzoar, eum qui mollem aluum seruet, nullis corripi morbis. Epistola ad Regem.

APHORISMVS LIIII.

MAgnitudo corporis iuuentæ quidem neq; indecens, neque illiberalis, senectæ uerò inutilis & deterior paruitate.

COMMENTARIVS.

¶ Quantis tenebris obfuscarit Galenus hos Aphorismos, uel ex hoc uidere licet tam exili argumento: ubi cum Hippocrates de uera loquatur corporis magnitudine, scilicet altitudine & crassitudine, quantumuis rectè moderatis: refugit Galenus ad corpus informe, longum, sed minimè crassum: ob id solum, ut reor, quòd ipse talis esset, scilicet magnus & crassus, capite grandi, ceruice robusta, crinibus crispis & duris, colore fusco, oculis magnis, uegetis, robustis, laborum patiens, admodum acer, ambitiosus, literarum & ueritatis summus amator, adeò ut ob hæc prolis & uxoris curam neglexerit, uini meraci potor, breuis somni. Sed ad rem redeo. Quid primùm absurdius, quàm dicere, proceram exilitatem neque indecentem neque illiberalem iuuentæ, cùm sit ridicula etiam parentibus & fratribus, uix que non contempta in principibus? Deinde quis docuit Galenum, hos, non illos uerè magnos in senecta incuruari, cùm oppositum ostendat experimentum? Et ratio etiam subscribat. maiore enim pondere prægrauantur, & cùm sint etiam humidiores, magis curuantur macilentis. nam & ligna uiridia ab igne magis flectuntur siccis.

Melius ergo fuisset quærere, cur cùm anima sit immortalis, tamen tam paruo ponderi succumbat in senectute? Si dicas id cōtingere, quia plus est necessarium de calore: habet etiam corpus maius, maiorem uentriculum, iecur & cor: quo fit, ut ex paruitate principij accidere uideatur.

Sunt & qui negent hunc Aphorismum medicum esse, calumnianturque Hippocratem. Vbi enim in tanto uolumine quicquam non medicum inuenient ab Hippocrate dictum? Melius est ergo, ut intellecto hoc quòd medicinalis sit Aphorismus, id quæramus, quomodo senectæ inutilis sit, & deterior paruitate. Languida enim corpora si parum nutrias, si multum mittas sanguinis, si copiosè purges, statim exoluuntur: & serò, si modò sanentur, admodum restituuntur: sin autem à præsidijs ualidis cesses, ui moribi pereunt. at contrà parui corpore, omnia ualida auxilia facilè sustinent, utpote robustiora: & inediam præcipuè, non solum propter robustiores uires, sed etiam ob id quòd corpus paruum communiter minore cibo contentum est, & facilius ac celerius conualescunt ex morbis. Præterea magnos huiusmodi uiros, & à laboribus & negocijs utiliter, tempestiuè, ac prius quàm paruos amouebis, ut qui ferre talia diutius non queant ob naturæ imbecillitatem. An uerò hæc omnia tum ad curationem, tum præseruationem sint utilia, considerandum relinquo.

Illud præterea, quòd tanquam compertum, quod maximè dubium est, omiserunt, quærere oportuit: An scilicet, ubi magnitudo obest senectuti, paruitas utilis sit, & melior mediocritate? in talibus uersari Galenum & cæteros expositores oportuit, & non in inutilibus nugis. Plurimùm enim conferre hoc ad medicinam ipsam, perspicuum est: imò etiam esse necessarium: ut scilicet, paruis corporibus an mediocribus maior fames sit iniungenda, plus de sanguine mittendum, plus fricanda, exquisitius purganda. At tantum abest ut ista quærerent, ut etiam quæstionis titulum ignorauerint. Et mihi uidetur hoc uoluisse Hippocratem hic modò, ut proportione partium paria sint, scilicet mediocre & paruum, uel utrunque bene compositum, uel utrunque malè: experientia scilicet hoc docente, quod parua corpora omnia facilius & melius ferunt in senecta quàm magna, & celerius restaurantur. & quoniam etiam articulos habent melius constrictos, citius ambulant. Et pinguia pinguibus, & macilenta macilentis conferendo. Hippocrates libro de Aere & aquis & locis, cum docuisset Asianos esse proceræ staturæ, & formosos, & satis bonorum morum: aufert tamen ab illis uirilitatem & fortitudinem, & laborum patientiam. Idem etiam de Phasidis fluuij accolis, quos ingentis proceritatis & excellentis corpulentiæ esse tradit: minimè tamen robustos, aut ad perferendum labores idoneos esse ait. Pag. 9. & 11.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HIERONYMI CARDANI MEDICI, IN TERTIAM SECTIONEM Aphorismorum Hippocratis, Commentarius tertius.

APHORISMVS I.

MVTATIONES temporum potissimùm pariunt morbos. Et in quibusdã temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

COMMENTARIVS.

Pag.11. *QVadruplicem temporum mutationem obseruat Hippocrates. Vnam atque primam ordinariam, & cuique regioni propriam atque familiarem: de qua ipse dicebat in libro de Aere & aquis ac locis, quòd ubi hæc mutatio magna fit, scilicet ut æstas sit ualde calida, & hyems ualde frigida, ibi homines sunt robustiores: quia calor naturalis repercussus intro ob illas mutationes robustior euadit, & functiones omnes naturales efficit meliores. Similiter & affectus animi ex huiusmodi mutationibus percelluntur, quare homines fiunt promptiores, magis uiriles & fortiores, atque ad omnia munia, maximè bellica, magis parati. Et hanc ob causam magis dicit, Europei sunt Asianis præstantiores: illi autem habent horum loco corpora maiora, formosiora, & animos mansuetiores. De huiusmodi mutatione loquitur in hac particula Aphorismo nono, & à uigesimo ad uigesimumtertium, ubi enumerat morbos temporibus familiares. Secunda mutatio est ex comparatione unius temporis ad aliud succedens: quia quanto maius fit discrimen inter unum & aliud tempus, eo magis sæuiunt morbi. Et de hoc proponit quatuor exempla, ab undecimo scilicet ad quartumdecimum Aphorismum: in quibus semper obseruat tria hæc. primum, quòd proponit hyemem uel æstatem, inde tempus medium succedens. Secundum, quòd constituit semper constitutionem secundi temporis è regione contrariam constitutioni primi. Tertium, quòd proponit morbos qui eueniunt non in primo nec secundo tempore, sed in tertio: utpote si proposuit de constitutione hyemis & ueris, proponit de morbis æstatis. Tertia mutatio est ex exortu siderum & occasu, de qua in libro de Aere & aquis ac locis inquit: Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè uerò æstiuum: periculosum etiam æquinoctium utrunque, magis uerò autumnale. oportet autem & astrorum exortus cõsiderare, præcipuè Canis, deinde Arcturi & Pleiadum occasum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur: aliq; perimunt, alij uerò desinunt, aut in aliam speciẽ aliumq; statum transmutantur. De hac egit in sextodecimo & decimoseptimo, licet causam non exposuerit. Quarta, est fortuita mutatio, de qua loquitur à quinto ad octauum Aphorismum. nam quintusdecimus Aphorismus omnibus mutationibus communis est, sicut & hic primus: sed primus est generalis, quintusdecimus autem est specialis. Sunt ergo duo genera mutationis, naturale, & est primus & tertius modus: & fortuitum, secundus & quartus.* Pag.9

Continuatur præcedenti particulæ in ultimis Aphorismis, ubi docuit consueta perferri faciliter: hic autem docet mutationes temporum ob id generare morbos: unde etiam quinquagesimus primus ad hoc maximè facit. nam si repentè & multum quouis modo corpus mouere est periculosum, & naturæ inimicum, igitur cum temporum mutationes id agant, sequitur ut temporum mutationes generent morbos, & sint periculosæ, & occidant etiam imbecilles. Statuit ergo fundamentum totius huius particulæ in Aphorismo superius explicato. Sic igitur hic argumentatur ex primo & tertio genere mutationis ad duo reliqua: Mutatio naturalis temporum parit morbos, quia uidemus quod morbi æstiui sunt dissimiles morbis hyemis, & autumnales uernis, quod declarat inferius. Sed mutationes reliquæ sunt maiores: prima, quia primam includunt, & etiam ultra addunt propriam uim, quæ persæpe est maior. prima igitur mutationes omnes quorumlibet generum, temporis potissimum, morbos pariunt. Aphor.9.

Cur autem dixerit mutationes, clarum est, nam non una est, sed quatuor, caloris ad frigus,

& contrà humidi ad ſiccum: & contrà, imbrium & ſerenitatis. Tranquillæ ad uentoſam, & contrà: atque hæc triplex, ſcilicet, auſtrina ad borealem, & contrà, & utriuſq; cum tranquilla: ita fient duodecim mutationes ſimplices, ex quibus fient compoſitæ geminæ, cum ſint tantùm quatuor ſimplices: quoniam mutatio ex tranquilla in Aquiloniam uel auſtrinam, non poſſunt eſſe ſimul cum ea quæ eſt inter auſtrinam & borealem, nec etiam inter ſe: tamen cum ſint tres, fient quadraginta octo. Et triplices octuaginta, & quadruplices eadem ratione quadraginta octo: ut ſint omnes quæ eſſe poſſunt, centum octuaginta octo. Cum ergo ex his non connumeraſſet, niſi duas atque ſimplices, comprehendit paucis illis uerbis (Et alia pro ratione eodem modo) reliquas omnes alias. Porrò q̃d permutatiões intelligat, an ipſum permutari, an ipſum permutatũ eſſe (plurimũ enim inter hæc intereſt. nam ſi de utroq; intelligit, totus annus ſub alterutro horũ fermè cõtinebitur: ſin ipſum permutatũ eſſe, non erit mutatio cauſa morborum, ſed calor uel frigus: ſin ipſa mutatio, ipſa primùm non ſentitur, cum ſenſim fiat, & maximè naturalis etiam) etiam experimentum docet, non in ipſa mutatione fieri morbos, imò nec in ipſa mutata ambientis aëris qualitate. Hunc ſcrupulum nullus eſt auſus diſſoluere: qui certè duriſsimus eſſet ad mandendum, niſi ducem

Abu. ad 14. Aphoriſ.

haberemus Hippocratem, qui & in Epidemijs, maximè primo & tertio, & hic infrà, cum doceat nos pro mutationem, non ipſum mutationis actum, ſed mutatum eſſe, utpote calefactum uel refrigeratum. neque in hoc tempore etiam morbos fieri, ſed hanc eſſe cauſam morborum: ipſos uerò morbos fieri paulopòſt, ut etiam experientia oſtendit. Vnde patet, quantum cæcutiant expoſitores etiam in luciďiſsimis & maximè neceſſarijs rebus: me'que primum detexiſſe, quæ tam longo tempore, quamuis ſub manibus, latuerunt.

Hæc igitur omnia iam per ſe clara ſunt, niſi obſtaret Galenus, qui uult, Hippocratem non intelligere de naturali temporum mutatione, propter illud uerbum μάλιστα: quoniam dicit, mutationes temporum naturales non magis pariunt, quàm ſoluant morbos, ſed ſolùm illæ quæ multùm excedunt. Ergo non poſſumus dicere, quòd potiſsimum pariunt morbos. Deinde uellet legere literam alio modo quàm probat, ſed corrumpit ſenſum Hippocratis. unde patet, ipſum non intellexiſſe Hippocratem. Dico ergo, quòd Hippocrates intelligit, ut dixi, de mutatione temporum naturali, tanquam aſſumpto manifeſto. Per potiſsimum, intelligit frequenter & maximè, ut alij uerterunt etiam, atque id ueriſsimum. Vnde enim etiam in æſtate maximè ſecundum naturam, tot tertianæ, in hyeme tot deſtillationes, in uere atræ biles, morbi praui in autumno, niſi ex ipſa temporis natura? Et quæ dialectica eſt hæc, Morbi à temporibus ſoluuntur, ergo non potiſsimum fiunt? Morbi à uenenis ſoluuntur, ut elephantiaſis à uiperarum carne, ergo uenena non ſunt uenena? Sed oportuit adijcere, quòd ſi adiectum fuiſſet, uerum non fuiſſet: tot morbi à temporibus fiunt, quot ſoluuntur, aut non minus. horum neutrum eſt. nam multi fiunt morbi, & pauci ſoluuntur in temporum mutationibus, & fiunt per ſe, & ſoluuntur per accidens. Quicunque enim uel nimis imbecilles uiribus, uel temperamento ſimillimi ſunt tempori, uel malo utuntur uictu, ægrotant.

Nunc uerò colligamus, ipſam rem exponentes, quod nunquam ab alijs cognoſci potuit: & omnes adducunt Hippocratem, & quid dixerit intelligere neglexerunt. Dicamus ergo, quòd tempora anni, ut habetur infrà, ſic à Galeno diſtinguuntur: Aequinoctium uernum, ueris initium ſtatuit: ortus Pleiadum, æſtatis: Canis exortus, illius medium: Arcturi ortus, initium autumni: Pleiadum occaſus, hyemis. Clarius hæc diſtinxit in primo Epidemiorum: Ver incipit ſub æquinoctio, aeſtas ſub ortu Pleiadum: & quia uer nobis incipit decima die Martij, & iuxta Galenum nec per duos integros menſes extenditur, fiet, ut circa quintam Maij inchoet æſtas, & poſt duos menſes fiat eius medium exoriente canicula, iuxta decimam Iulij: & quia æſtas eſt fermè quatuor menſium, ad Arcturi ortũ terminata, qui fit (ut ille refert) q; duodecim diebus ante autumnale ſolſtitium, fiet autumni initium, calendis fermè Septembris? Et quoniam occaſus Pleiadum contingit diebus circiter quinquaginta poſt autumni æquinoctium, erit occaſus Pleiadum, qui & initium hyemis, circiter calendas Nouembris: tunc'que prima pars hyemis, quæ extenditur ad brumam ſeu ſolſtitium hyemale: id eſt, iuxta duodecimam diem Decembris, cum incipit media hyems, & extenditur uſque ad φυταλίαν, quæ incipit à Fauonij flatu iuxta decimam diem Februarij, cum uiolæ purpureæ pullulare incipiunt, ſeu florere. Atque ita annus diuiditur in ſeptem partes, quemadmodum & Hippocrates

Com. 14.

Com. 1. Sec. 1. poſt procemiũ.

crates dicit, diuisit in libro de Septimanis. Et uer est dierum circiter quinquagintaquinque, & est indiuisum. Aestas autem dierum centum & quindecim, & diuiditur in duas partes: Autumnus dierum sexaginta, & remanet indiuisus: Et hyems dierum plusquam centum & triginta, et diuidetur in tres partes. Sed quia haec diuisio non congruit his temporibus, cum permutata sint tempora, non solùm ortus & occasus siderum, sed etiam aequinoctiorum & solstitiorum, & etiam (ut rectè Galenus ait) haec ratio non conuenit omnibus regionibus, sed solùm his quae sunt in eodem parallelo. Et quoniam confusa est, nec declarat mentem Hippocratis, & etiam malè intellecta à Galeno, & peius recitata: ideo exponam rationem diuisionis temporũ, iuxta sensum ipsarum rerum, & experimentum, & ea per quae planè intelligi poterunt dicta Hippocratis in hoc libro, & in Epidemijs, & in libro de Aere, aquis & locis. Et si te non mouet mea autoritas, quam uolo ut hoc in casu nullam esse putes, moueat te ipsa rerum experientia & successus. per haec enim praeuidebis, qui, quales & quando futuri sint morbi: quae adeò ignorantur à medicis nostri temporis, ut cum uideatur illis omnia in contrarium euenire, eorum quae Hippocrates dixerit, quod sic Hippocratem intelligentibus euenire est necessarium, illius doctrinam tanquam inanem et ridiculam contemnant, & etiam irrideant.

Est ergo huiusmodi ratio, quatuor tempora anni semper à cardinibus cœli, dum sol est in eis, inchoant: Ver à uernali aequinoctio, Aestas ab aestiuo solstitio: Autumnus ab autumnali aequinoctio, Hyems à bruma seu hyemali solstitio, quandocunque inciderint, serò autem mutantur. Nunc enim Ver à VI idus Martij: Aestas, pridie idus Iunij: Autumnus, idibus Septembris: Bruma, pridie idus Decembris, uel circa. euariat enim per unam diem antè post'ue: sed hoc nihil refert, quando non adeò subtiliter res tractanda sit, ut de morbis ipsis praefinire certam diem uelimus, ualeamus'ue, nec hoc iubet aut docet Hippocrates. Inde considerandum, quod, ut demonstrauimus in libris de Subtilitate, omnia elementa natura frigidißima sunt, unde fit ut motus hi ad caliditatem & frigiditatem non sint aequales, sed recedente quidem sole, ut in autumno & hyeme post quindecim dies ad summum uigoris perueniant. ergo autumnus ad summum inaequalitatis perueniet circiter quarto calendas Octobris, & hyems circiter quinto aut sexto calendas Ianuarij. At in calore triginta fermè dies expectare oportet, ita ut summa aequalitas consistat circa idus Aprilis. unde Poeta:

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.—

Circa has idus enim sol in Taurum ingreditur. Maximus uerò aestus fit circa idus Iulij, atque id est initium aestatis: idest, uigoris illius. Hippocrates ergo mutationem temporis non ab ipso temporis principio, quod latet fermè, nec à mutatione ipsa, quae sensim fit, nec esset ratio cur magis una die quàm alia mutari tempora diceremus: sed ab ipso temporis statu, cum tale maximè est, accipit. Nec definit unam diem, sed cum (ut dixi) calor minus apud nos frigore uigeat, cum elementa discessum solis adiuuent, & frigus: regressui autem eius resistant, caloremq; impediant: ideo calor tardè accedit, & breui tempore manet: frigus autem celeriter aduenit, & diu manet. Quamobrem in hyeme & uere, uiginti dies proximos: in aestate & autumno, cum sol recedat iam à nobis, solùm decem dies proximos, assumere temporis pro statu oportet. Ita ergo fiet, ut uer ad finem Aprilis & Maij calendas extendatur, hyems uerò ad quintumdecimum calendas Februarij, aestas ad octauum calendas Sextiles seu Augusti: autumnus, ad nonas Octobris. In his ergo temporibus uiget causa morborum, utpote à priore statu temporis maximè dißidentibus, atque tunc duplices morbi oriuntur: proprij tempori, et qui fiunt ex opposita transmutatione: utpote in ipso uere, pro exemplo, morbi uerni uigent ab idibus Aprilis ad calendas Maij: qui uerò fiunt ex commutatione contrariae hyemis, ad uer apparebũt post calendas Maij, imò multo pòst, scilicet ab aestiuo solstitio. Et primi quidem initium suum non ultra septem dies ab idibus Aprilis differre poterunt: alij autem statim à solstitio inchoabunt, nec differunt ultra septem dies: eorum uerò incrementum perueniet usque ad uigoris finem ipsius aestatis, id est ad octauum calendas Augusti. Nihilominus euariant haec tempora, & postponunt uel anticipant: ratione quidem imbrium postponunt, uentorum etiam anticipare possunt. Sed euentus morborum sunt expectandi iuxta rationes easdem ad uigorem temporis sensilem, & qui tunc habetur, non qui esse deberet. Ideo cautè praedicendum, si non pluat, uel uenti naturam temporis mutauerint: & tunc non solùm tempus morborum, sed & natura eorum mutatur, ut in 5.6.7.16.& 17 Aphorismo.

APHO-

APHORISMVS II.

NAturarũ hæ quidem ad æſtatẽ: hæ uerò ad hyemem, bene male'ue ſe habent.

COMMENTARIVS.

¶ *Omittit Galenus cõtinuationẽ, ex qua pendet tota interpretatio Aphoriſmi. nam cum docuiſſet mutationes temporum potiſsimùm párere morbos, poterat uideri ex hoc omnes æſtate, atque hyeme maximè, quoniam hæc tempora etiam maximè ſunt intemperata, debere ægrotare. dicit ergo non, ſed quoties mutatio ad conueniens naturæ fuerit, ſcilicet frigidorum ad æſtatem, calidorum ad hyemem: quæ uerò ad ſimilia ſtatim ægrotant, calidæ & ſiccæ ad æſtatem, frigidæ & humidæ ad hyemem: medijs uerò temporibus leuiter, malè ſe habent. Et ſimiliter temperaturæ mediæ extremis temporibus. Sed nunquid per naturas ſolùm temperaturas intelligit, ut Galenus exponit: an primum etiam illud intelligendum eſt, etiam de iecore tantùm, & corde uel cerebro? Cerebrum enim frigidum hyeme manifeſtè læditur, non ita calidum iuuatur: & iecur calidum æſtate læditur, hyeme non adeò iuuatur. Et denſa textura bene ſe habent hyeme, rara æſtate. Et quæ tenues habẽt humores, melius ſe habent hyeme quàm æſtate. Amplificatur* Pag.4. *in libro de Humoribus: Ad ætates, regiones, uictus rationem & morborum cõſtitutiones. quæ omnia proſequitur in ſequenti Aphoriſmo, qui unus eſt cum præſenti, ideo etiam ille continuatione non indiget. Ex hoc etiam naturam perdiſcere licet. qui enim melius ſe habẽt æſtate quàm hyeme, frigidi ſunt, & humidi temperamenti, et rarioris texturæ.*

APHORISMVS III.

MOrbi quoq; alij ad alia bene uel malè ſe habent: & quædã ætates ad tempora, & loca, & uictus genera.

COMMENTARIVS.

¶ *Quòd ut dixi de reliquis quatuor, quæ ad naturã comparantur, hîc inter ſe modò cõparantur, & ad morbos. Exponendum eſt igitur quid uelit per Alia: an intelligat naturas. & certè cũ comparentur ſex: Naturæ, morbi, ætates, regiones, anni tempora & uictus, hac una ratione quæ eſt bene uel malè ſe habere, liquet, quòd per alia intelligit & naturas, & anni tempora: et ita fient quindecim comparationes, computata illa quæ poſita eſt in præſenti Aphoriſmo. Fuchſius in duabus quæſtionibus mirum in modum ſe contorquet: in prima, an cum dicimus morbos ad tẽpora anni bene ſe habere, ſit intelligendum quòd difficiliores ſint, & ita* ἢ ὐ ἢ κακῶς πεφύκασι *interpretatur, magis aut minus procliues ſunt. Qui ſenſus cum ſit uiolenter excerptus ex his uerbis, eſt etiam præter Hippocratis mentem, qui omnia ad ægrotantem, non ad affectus ipſos refert. Præterea quæſtio eſt de nomine: quomodo enim cunque ſtatuas, modò ſcias quæ morbos reddunt difficiliores ſeu deteriores, in his ægrum malè ſe habere, & in quibus tempora obſunt morbis, ſi id dici rectè poteſt: melius ſe habere ægros, id mihi ſatis eſt. Vt tandẽ ſenſus clarus ſit, morbi quibuſdam in ætatibus & temporibus & locis, ac uictus generibus, deterius uel mitius homines afficiunt. Secunda quæſtio eſt difficilior, Nec illius humeris apta, confuſa, falſa, inordinata. Et breuiter dico; quod ſimilia conueniunt nutrimenta generali ratione in omnibus: quia nutritio fit ex ſimilibus. eſt enim aſsimilatio, ergo quæ ſunt ſimilia, facilius aſsimilantur & nutriunt. Et ideo hæc regula eſt generaliſsima ratione primæ intentionis, & eſt nutritio: at ratione intemperiei cõtrariæ, utpote frigidæ et ſiccæ, quæ aduerſatur uitæ, eſt neceſſarium uti contrarijs. Quòd autem timeatur nimius lapſus, nõ eſt cauſa in calida & humida intemperie, ut utamur cõtrarijs, ſed ſimilibus non admodum in qualitate à temperamento recedentibus. Sed in imbecillibus, et maximè ſenibus, uariat hic modus. nam ſi robuſti ſint, uti debent calidis & humidis ad tardandam ſenectutem: ſed ſi ſint imbecilles, talia alimenta non nutriunt bene, quia non poſſunt tranſmutari, & replent hominem excrementis, & ita duplici malo afficiũt hominem; ergo neceſſe eſt his uti ſimili alimento. Et hæc eſt tota ratio breuiter explicata. Aer ergo, quia non indiget ea tranſmutatione, & quia aſsiduè attrahitur maxima quantitas tum ad cor, tum ad cerebrum, ſi ſit ſimilis, omnino lædet hominem: & in morbos, & ad mortem traducet, niſi in temperie æquali. Ergo in inæquali ſemper debet eſſe contrarius. Eadem ratio quæ eſt de aere, eſt de medicamentis: quoniam contraria eſſe debent temperaturæ, ut eam retrahant ad temperiem, uel ſaltem non fieri ſinant deteriorem. Similiter in cibis, qui duræ concoctionis ſunt, oportet ut ſint ſimiles: facilis autem, diſsimiles. nam difficilis coctionis, &*

contra-

contrarijnunquam perfectè concoquuntur. Et hoc est, quòd idem homo cibum unum difficilis coctionis facile superabit, ab alio autem maximè lædetur. Et in hoc non solũ oportet considerare temperiem totius, sed etiam uentriculi, imò forsan magis, & consuetudinem. Ideò demiror de Galeno, qui contrarios cibos laudat in omni intemperie, & etiam quod præter rationem uituperat Hippocratem: sed hoc non est mirum, neque nouum. Quòd enim reprehendit, est bene dictum, quia Hippocrates per alia intelligit ætates & uictus genera: sed si legatur ut uult Galenus, nõ comparabit morbos ad ætates: igitur non rectè, quoniam deficiet unum ex illis quindecim membris connumerandis.

Quòd si obijcias, Hippocratem uelle ut quis Pag.2. utatur uictu contrario, in libro de Salubri diætas, & primo de Diæta: Respondeo, quòd ibi Pag.11. loquitur de ratione uictus tutiore, non utiliore. nam cum scribat uulgaribus, illi tutius reguntur cõtrarijs quàm similibus. Sed ne uidear hanc partem absq; ratione & Hippocratis sententia tue- Pag.3. ri, audite illum in libro de Alimento: Pulmo alimentum sibi contrarium trahit, reliqua uerò omnia idem. Idest, pulmo gaudet contrario corpori alimento, si frigidum sit corpus, aere calido: si calidum, frigido: sed reliqua omnia gaudent simili, trahũt ergo: simile igitur similibus uesci con- Pag. 3. uenit. Idem libro de Natura pueri: Simile transit Pag.4. ad simile. Et primo de Diæta: Concors concordi adhæret: discordia autem rebellant, dißident ac Cap.ult. pugnant. Hoc idem, ne dubitare poßis, Galenus ipse secundo de Elementis confirmat, Hippocratis autoritate.

APHORISMVS IIII.

IN temporibus, quãdo eadem díe modò calor, modò frígus fit, autũnales morbos expectare oportet.

COMMENTARIVS.

Galenus certè uno uerbo se explicat, dicens, q̃ nõ nomẽ, sed temperatura est causa morborũ: cum ergo temperatura huiusmodi tẽporis sit autumno similis, meritò in huiusmodi tempore autumnales morbos expectare oportet. Sed infrà Aphor.9. tamẽ, cum dicat, Autumno morbi acutißimi atq; lethales maxima ex parte: cum aßignet quatuor causas huius, non uidentur competere his temporibus, qui sic euariant, nisi una. Nam nec malus usus fructuum, nec caloris innati resolutio, nec consuetudo digerendi malos halitus per cutem: quia si hoc in uere contingat, hyemi nihil horum conuenit. Cum ergo infrà autumnales mor- Com.22. bos refert, excipere oportet eos qui simul sunt æstiui. Inquit enim: autumno uerò & multi æstiui morbi fiunt. Ergo nec de omnibus illis, sed hos sub illis contineri dicit. Consequuntur enim formam illorum, qui propriè ex mutatione à calore in frigus, & contrà proueniunt, non aliorum. tales sunt propriè febres erraticæ, anginæ, anhelationes, urinæ stillicidia, & difficultates intestinorum & ilei, & morbi comitiales. Intelligit autem, quòd tale tempus diu perseueret, & pluribus diebus continuis hoc contigerit.

Et extenditur ad alias similitudines partium anni, & ad regiones: uelut Romæ hæc sæuitia morborum abundat maximè, quia aeris qualitas etiam uere autumnalis est.

Sunt etiam qui uelint per autumnales mor- Aphor.8. bos intelligere inconstantes & mali iudicij, ut infrà. Sed hoc cum sit ualde remotum à uerbis Hippocratis, non audeo affirmare. Nam ipse in libro de Humoribus hæc habet: Si uerò simi- Pag. 4. liter eiusmõdi quoq; fuerint morbi, & ad talem modum tracti, ueluti est morbus regius autumnalis. frigora enim ex caloribus, & calor ex frigore. prosequitur autẽ idem in alijs temporibus. Inde subiungit: Quum uerò æstas fiat uerisimilis, sudores in febribus, & febres faciles. Et paulo pòst: Et autumnus, si non in tempore ac derepentè hybernarit, non aßiduè tales morbos facit, eo quòd non in tempore incœpit, sed inæqualiter fit. Proponit ergo duo genera temporum. primo, cum consistunt secundum naturam, & tunc pariunt morbos secundum naturam maximè: & cum transeunt in alienam qualitatem, & tunc magis uigent morbi secundum naturã qualitatis alienæ acquisitæ, quam temporis proprij. et hoc est quod hic uoluit. Sed illud restat, quare mutatio, quanto breuior, tanto deterior, ut quæ in anni temporibus, quàm in diuersis annis: & in diebus diuersis, quàm anni temporibus: & in horis paucis eiusdem diei, quàm in diuersis diebus? Causa non alia est, quam quæ dicta fuit superius in præcedenti sectione. nam quæ fit & ad horas Aphor.51. & momenta, cum sit celerrima, multũ agitat naturam, nec sinit occasionẽ habere resistendi, unde fluxiones & insaniæ. nam libro de Aere & a- Pag.15. quis dicit: Temporũ frequentes mutationes mentem percellunt. hoc contingit ex magno impetu humorum ad caput tendentium, inde etiam morbos turgente ex materia fieri conuenit. Vnde cũ tot scire necessarium esset, demiror cur Galenus tam sicco pede hanc expositionem transegerit.

Mani-

Manifestum uerò est, dari & tertiam mutationem ad simile, ut autumnus, autumnalis: & tunc erit maximè lethalis, id est abundans plurimis morbis, & lethalibus, & celerrimè mortem inferentibus.

APHORISMVS V.

Austri auditum hebetantes, caliginosi: caput grauantes, pigri, dissoluentes: quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum & pectoris dolores. quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.


COMMENTARIVS.

¶ Post absolutã generalem de mutatione & actione temporum narrationem, ad specialia deuenit, & incipit à cõstitutione quæ oritur ab ortu siderũ, aut fortuita, nam flatus uentorũ quorundam etiam insequitur certa tempora, & est Fauonius, qui & Zephyrus, spirat fermè nonis Februarij: aut sub quartum Idus, & tunc terra quasi iam inchoato uere purpureas edit uiolas: & Etesiæ, id est Aquilones, ut à Plinio habetur, qui octo diebus ante exortum caniculæ incipiũt ab æstiuo ortu, uocanturq; Prodromi, & perseuerant post eundem ortum diebus circiter quadraginta duobus, ut in uniuersum quinquaginta diebus spirent: nec nocte unquam, nec manè, sed à tertia solum diei hora incipiẽtes fermè tota die flant. In Italia haud perpetui & cõstantes, quasi unicum præsidiũ aduersus tantos æstus. At Boreæ & Austri flatus apud nos fortuiti sunt. Martio tamen mense prope uernum Aequinoctium, cum omnes uenti pugnant, Aquilonares maximè apud nos uigent: quod ea parte fauces montium adsint uersus Germaniam.

Lib. 2. cap. 47. & 18. cap. 34.

Enumerat ergo undecim morborum genera, quinq; pro Austris, & sex pro Borealibus: quorum causæ à Galeno rectè explicantur, atq; utinam tam bene ubiq; excusasset enim nos à præsenti labore. Causa ergo cur Austri hebetent omnes sensus, ac motus grauantes & dissoluentes uires, est, quòd calefaciunt, humectant, & uaporibus caput replent, ex quo origo omnium sensuũ ac motuũ. Sed dices, cur Austri humidi sunt? de caliditate enim perspicuum est, ob regionis situm, quæ ad meridiem iacet. Dicunt, quòd humidi sunt, quoniam mare transeunt. Hæc ratio falsa est: nam uapores maris magis siccarent, quàm humectarent forsan, & etiam quia habitantibus in Aegypto hi uenti humidi sunt, et magis quàm Boreas, & tamen ibi transeunt per arenas. Dico ergo, quòd omnes uenti debiles secum uehunt uapores terræ, ideo omnes humectant. ideo Austri cum procul ueniant, humectant: at Boreales cum sint ualidi, quia propè adueniunt, solum aërem deducunt, & non uapores. ideo non adeò humectant. Et quia frigidi sunt, & magno impetu feruntur, constringunt poros, & partim congelando, partim exprimendo siccant corpora. Et hæc fuit causa, cur Hippocrates, more suo cõsulens breuitati, assumpsit pro exemplo duo extrema: calidißimum humidißimum, tardißimum & frigidißimum, uiolentißimum et siccißimum, per quos de medijs coniecturam facere liceret. Propter hoc dicebat Hippocrates secundo de Diæta: Venti omnes frigidi sunt, et humidi: quoniam natura aeris talis est. Ex quo liquet, quòd ipse concors est cum nostra opinione, qui censemus omnia elementa esse frigidißima, aerem aũt et aquam etiã humidißima. quamuis causa. Quã Hippocrates assignat, sit alia: scilicet quòd spirẽt à niue, glacie, fluminibus, terra perfrigerata. Sed satis est, quod in affectu & prima causa, scilicet uentorum natura & aeris frigiditate sumus cõcordes. nam de causis alijs remotioribus, nondũ inuẽtis principijs ueris philosophiæ, nõ potuit Hippocrates illa docere. Magis mirandum est, quòd cum habuerit falsa principia, potuerit ueritatem de rebus cognoscere.

Pag. 2.



Sit igitur circulus finitoris in nostra regione a b d, & manifestum nos esse in k centro: sint igitur k h & k g sexaginta, eruntq; ex desideratis in Apologia de Subtilitate, ortus hyemalis, distãs partibus uiginti sex, et minutis quinq;: sitq; k l & tantundem k m pro ortu hyemali, k autem uernalis ortus: & ducantur a l b & e m f. erunt igitur ortus hyemalis e, æstiuus a: occasus æstiuus b, hyemalis f: & uernalis ortus c, occasus d. habebis igitur octo uentos principales antiquis notos: Austrum ex g, Boream ex h, & reliquos ut dixi. Cum uero c & d sint magis australes quadraginta quatuor partib. nobis erunt, c a partes sexagintaocto, & tota a e fermè nonaginta quatuor. non tamen uoluimus exquisitè hæc inuestigare.

Responsio ad 80 obiectionem.


gare satis est, q. ortus aestiuus est ualde borealis. Hoc autem iuuat multũ ad aedificationes aedium.

Sed redeo ad expositionem textus. Aquilonia constitutio refrigerat, & exprimit ac densat corpora. & ideo facit fluxiones, ex quibus tusses & fauces: sed ex frigore horrores, alui durae fiunt, bile quasi gelu concreta, nec intestina pungente, siccatis etiam fecibus, & ui intestinorum torpente ob frigus ipsum. Vrinae uerò difficultates cur fiant, ex subsequentibus intel-
Aph. ult. huius Par. liges. nam & bile ad locum illum transeunte relictis intestinis, & uesica parum se comprimente, fit haec difficultas. Costarum & pectoris dolores cur fiant, Galenus docere praetermisit: quoniam hoc non se statim offerebat scribenti. Certè demiror eos qui illi tantũ tribuunt, non animaduertere quod in hac expositione, ubi quid difficile incidit, statim dilabitur: Si enim ob id costae & pectus dolent, quòd sint membra exanguia, cur non magis genua & cubiti? at hoc experimento compertum est, dolere pectus & costas multis mortalibus in hac constitutione, non genua uel cubitos. Causa ergo est, quòd pectus maximè calet uicinitate cordis & pulmonis & iecoris: & quia constat maxima ex parte ossibus & cartilaginibus, & ideo ualde exangue est, ideo facilè & multum perfrigeratur: sed mutatio celer à naturali statu doloris propria causa est, maximè cum ibi sint membra praedita multo sensu, ut in pectore neruorum multitudo. igitur ab his constitutionibus ea pars dolore afficitur, non ita aliae. nam uenter & musculi ac surae, quia carnosae, non facilè perfrigerantur. cubiti, genua ac ossa tibiarum perfrigerantur quidem uehementer, sed non dolẽt: quia natura semper frigent, & etiam minus praedita sunt neruis. frons uerò & caput, ob consuetudinem non adeò ut pectus afficiuntur, tametsi exanguina sint, & etiam calida ob cerebrum.

Pag. 4. Hic Aphorismus in libro de Humoribus habet, praeter ea quae hîc referuntur de Austrina constitutione, ulcera fluida & putrida, maximè circa os & pudenda.

Haec igitur est uis constitutionis, cum uenti per multos dies ijdem aliqua in regione perseuerauerint. Vapores enim in ualidis uentis ob motum uelocem dissoluuntur, & ita aer purgatur: in remissis autem aer repletur. Quid si leuis aura à Septentrionibus spirauerit? hoc est difficile: sed ubi accidat, nec aerem purgabit, nec replebit. In hac fermè sententia est Hippocrates libro de Diaeta secundo, dicens: Auster frigidus est & Pag. 2.
humidus natura in propinquis locis, uelut et Boreas: quia ibi uehemens est, & per loca humida progreditur. at cum ad nos peruenit, naturam mutat ex longinquo itinere, calefacitq; & resiccat. per uiam enim calidam procedens, exuritur à sole, atque siccatur. Boreas autem naturam suam retinet, & ideo refrigerat & humectat. Sed uidetur in hoc contradicere his quae hîc dicta sunt, quoniam diximus totum oppositum: Austrum humectare, Boream exiccare. Nam Boreas natura quidem humidus est, sed ob motum uehementum exiccat: sicut uidemus in ulceribus, quae posita in aqua currente mirum in modum siccantur, quanto magis à celeriore uenti Boreae, impetuq; adeò acri. Sed Auster etsi siccus natura sit, ob uapores tamen, quos secum uehit, & lentitudinem, humectat. Deinde prosequitur naturam aliorum uentorum ibidem, dicens: Venti uel procedunt à mari, & sic sunt sicciores: uel à niuibus, glacie, fluminibus; stagnis, & sic sunt frigidi & humidi: tumq; salubres, nisi immodicè frigidi sint, aut calidi etiam. Reliqui frigidi & humidi, recreant animam, si puri sint sua frigiditate: & corpus nõ exiccant, sed humectant. Venti autem à terra prodeuntes, immodicè siccant, scilicet ob uapores & motum: ideo non solùm homines, sed etiam animalia & plantas laedunt: qui uerò ex montibus prodeunt ad urbes, non solùm siccant, sed etiam turbant spiritum, & morbosa corpora reddunt. Manifestè autem duorum horum principalium uentorum Austri & Boreae originem sub polis esse docuit: unde etiam naturam uenatur aliorum ex regionibus unde ueniunt, quaq; transeunt. In libro autem de Sacro morbo ait, Sacer Pag. 8.
morbus maximè fit ex uentorum mutationibus: inter hos potentissimi sunt Aquilo & Auster, atque maximè contrarij loco & uiribus. nam Aquilo purgat aerem, pellucidumq; reddit: humidum, & quod turbatum est ex illo, tum etiam è corporibus ipsis hominum propellens, ob idq; etiam omnium saluberrimus. Talesq; sunt omnes è mari & aquis (supple mobilibus) proficiscentes. Auster uerò calefacit & humectat omnia, atque obtenebrat etiam solem & lunam & sidera: ideo etiam si hîc non sentiatur, ex inspectu siderum, quoniam (ut declaraui in libris de Subtilitate) uenti è superiori parte aeris in inferiorem descendere solent, quod iam superius spirare coeperit, cognoscipoterit, cum sereno scilicet coelo uix astra uidentur, nec so-

lum, inquit, aerem & humana corpora turbat Auster, sed & omnia uasa, flumina & puteos, & mare & fontes, calidaq; ex frigidis, humida ex siccis, turbida ex claris reddens. Quinetiam dicit, omnia uasa quae in terra sunt humore aliquo plena, illum sentiunt: innuens, quòd experimentum docet, uina ab illo corrumpi, & omnia reddi deteriora. Ideo dicit, Etiam cerebro maximè noxius, ipsum humectando, & eius uenas laxando: ut contrà aquilonius constringit, purgat & corroborat. Placet autem declarare uer-
Pag.2. ba Hippocratis obscura, sed uerissima in libro de Aere & aquis ac locis: sunt autem haec primùm: Quaecunque ciuitas ad uentos sita est calidos (puto autem eos qui inter brumalem solis exortum, itidemq; occasum perflant) huic hi uenti sunt peculiares: à Septentrionalibus autem non perflatur ea ciuitas. Aquae uerò eius multae & subsalsae sunt: aestate calidae, hyeme frigidae, ideo mutationes recipiunt corpora hominum, & potissimè uentriculi eorum. Et declarat genera postmodum morborum longo processu, per naturam temporum, & constitutionem eorum naturas & aetates. inde subijcit: Quaecunque autem ciuitas ex opposito ad uentos frigidos sita est inter ortum & occasum aestiuum. Inde declarat, quae illi succedant, prout in Commentarijs exponetur. Non ergo intelligit Hippocrates, quòd ciuitas respiciat inter ortum aestiuum & occasum, ut intelligatur esse inter illa duo loca: esset enim ad Boream posita. neque inter ortum hyemalem & occasum: esset enim planè ad meridiem. Sed uult dicere, Seu sit posita ad ortum hyemalem, seu occasum hyemalem, seu inter haec duo, quomodolibet (inquit) erit exposita uentis calidis. Et ita in alijs, frigidis. Quae autem inter ortum aestiuum & hyemalem, aut occasum aestiuum & hyemalem, erit exposita uentis temperatis. Et ita manifestum est, quòd erunt tres status seu situs ciuitatum: calidi, & insalubres: frigidi, & salubres: & temperati, non prorsus salubres, nec morbosi. Proponatur ergo pro illis facilè cognoscendis circulus orizon a b c d, cuius centrum e. & obseruetur fixo e l stylo ad perpendiculum in plano die Solstitij aestiui, in ortu



solis umbra e f, & in occasu e g, ducendo lineas retrorsum ab umbra: & ita in ortu & occasu solis, dum est in aequinoctio uernali, autumnaliue, e b & e d: & ita in die solstitij hyemalis in ortu & occasu e h & e k. & diuisis arcubus f g, & h k per aequalia, ductaq; a e c per puncta media a & c, fiet ex demonstratis in libris de Rerum uarietate, a e c linea meridiei, & Auster flabit ex a, Boreas ex b: qui autem uenient ex h a k, erunt calidi: & ex h erit ex ortu hyemali, ex k ex occasu hyemali: & ex f c g frigidi, ex f ex ortu aestiuo, ex g ex occasu aestiuo. Ex h f temperati orientales, ex k g temperati occidentales.

Dicit ergo Hippocrates ibidem: Orientales clari sunt, & salubres: occidentales autem turbulenti, & morbosi, & assimilantur autumno, quia calorem & frigus eadem die inducant: sicut quae ad orientem, ueri. sunt enim temperatiores regiones. Vt autem hoc intelligatur, quod pulcherrimum est, elaborandum est. nam Adrianus Alemanus Sorcensis non exposuit, alioqui clarus: est enim perdifficilis haec ratio. Sed exemplo utamur. Sit urbs m detecta ab Oriente, hoc autem dupliciter: natura, secundum Hippocratem, ut quòd montes circundent eam ab alijs partibus: & arte, secundum Vitruuium, ut portae urbis & uiae omnes sint ad orientem. Cum ergo sol agat uentos, moueatur ex b, procedat que ad n, refrigerabit igitur m perpetuò uentis, & calefaciet accessu suo: sed ab n m d, quia tecta est, incalescet quidem, sed non nisi per dimidium diei. Ergo ponatur, quòd dies sit sexdecim horarum propter dimidium diei & noctem, erit temperata sexdecim horis, & calida octo tantum ergo erit similis ueris ultimae parti. Sed si esset conuersa ad d, totis octo primis horis incalesceret, quia non perflatur à parte orientis: nec postremis octo horis, quia uenti praecedunt solem, non contra illum ueniunt: ergo erit similis aestiuae constitutioni. Ideo dicit: Eo quòd multum temporis inter matutinum & uespertinum intercedit. Erit etiam similis autumno, quia cum mane exoriente non perfletur ab orientalibus uẽtis, perflatur à Borealibus, qui tamẽ non perseuerant: uesperi uerò à nullis nisi australibus, quare percoquuntur. Ergo magna fit mutatio in his regionibus, & fiunt similes autumnali constitutioni. Hoc autem quod dixit & repetit, Aer matutinum tempus plurimum occupat: intelligit, quòd uenti magis ante meridiem, quàm

Pag.4.

Lib.1. textu 25.

quàm pòst spirant. Tertia causa est, quòd aer matutinus est rosidus, ut qui à nocte & rore, sed occidentalis, ab equis iam calefactis: quare cum unus nocte, alter die suscitetur, unus aerem temperat, alter corrumpit. Illa uerba, ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται, si quis sic interpretetur, Eo quòd multum differentiæ intercedat, non temporis scilicet inter matutinum & uespertinum tempus in caliditate & frigore, clarissimus erit sensus.

Definiendo ergo uentorum genera secundum mentem Hippocratis, licet ob breuitatem uerba non sint adeò clara, fient septem ordines. Primus est optimus, Boreas à polo ad ortum æstiuum. Secundus, ab ortu æstiuo ad ortum æquinoctialem, ualde bonus. Tertius, à polo boreali ad occasum æstiuum, humidus & aquosus ualde. Quartus, ab ortu æquinoctiali ad ortum hybernum calidus, non bonus. Quintus, ab occasu æstiuo ad occasum æquinoctialem, malus. Sextus, ab occasu æquinoctiali ad occasum hyemalem, ualde malus. Septimus, à polo australi ad ortum & occasum hyemalem, pessimus: quanquam qui ad occasum respicit, etiam deterior sit eo qui ad ortum. Quod si libeat aliqua annectere, uide etiam infra, dum de Austrina & squalida loquemur constitutione.

APHORISMVS VI.

QVando æstas fit ueri similis, sudores multos in febribus expectare oportet.

COMMENTARIVS.

Pag.4. ¶ *In libro de Humoribus, Hippocrates hæc* » *addit: Febres faciles, & non peracutæ, neque linguis obaridis fiunt. Causam dicti huius explicat in Commento Galenus: quia sudor & quæcunque alia, fiunt, cum ambæ causæ, scilicet materia & efficiens, adsuerint. Sudoris efficiens, calor: materia, humidum. æstas cum calida sit propria natura, & humida, quia ueri similis, ideo generabit sudores plurimos. Alia ratio: æstas cum fuerit ueri similis, non erit immoderatè calida: quamobrem non difflabit humidum, quod est in corpore, per uapores, sed per sudorem educet. Simile accidit currentibus. nam plus sudant longè, postquam resederint, quàm dum currunt. Tertium, quod in penitioribus latet Hippocratis sensibus, est, quòd tempora dupliciem habent uim: unam, potentia ad generandos morbos, atq;, ut ita dicam substantiam morborum: aliam, ad formam morborum, quæ ex actu pendet. Vnde febres generantur ardentes & tertianæ ex natura æstatis, & per sudorem terminantur ex natura ueris. atque hoc erutum ex naturæ intimis uisceribus generale est, quòd naturæ morborum sequuntur temporum propriam essentiam: sed formæ & exitus & qualitates uim continentis aeris. inquit ob id Hippocrates in secundo Epidemiorum: Pluuiæ minutæ in æstate, febres sudorificas effecerunt.* Sec.1.

APHORISMVS VII.

IN siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales magna ex parte morbos expectare oportet.

COMMENTARIVS.

¶ *Suo more, ex una proposita re manifesta, ad generalissima transit. Et non solùm ex prima partem secundam demõstrat, sed ex secunda primam, scilicet quòd in siccitatibus longis ac diu uigentibus febres acutæ generantur. Vnde illud: ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι, squaloribus interpretantur. Est enim squalor, summa quædam ac diuturna siccitas. Ergo generaliter morbi talis fient, quales perseuerantes constitutiones producere natæ sunt: non tamen omnes, sed magna ex parte. Scribitur hæc secunda pars in libro de Humoribus: Si annus diutius talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales etiam morbi diutius erunt. Et si maximè ualidæ fuerint, maximi quoque morbi & communissimi ac longissimi fient.* Pag.5. *Hæc igitur est amplificatio huius sententiæ. Nec solùm de simplicibus constitutionibus est intelligendus Aphorismus, sed qualibuscunque. Huiusmodi rarum & celebratissimum exemplum habetur in tertio Epidemiorum:* Const.3. *unde ibi aduertendum, quòd prior pars anni, scilicet uer & æstas, fuerunt austrinæ & pluuiæ, sine uentis tamen. Verba illa (cum squalores fuissent superioribus temporibus ad annum) Galenus non explicat, sed intelligenda sunt etiam de hyeme, quæ uer illud præcessit: ut iam duas continuas enarrationes subtexuerit, tertiam autumni aggreditur, inde hyemis: duas ad brumam, & post ueris sextam: inde me diæ æstatis septimam, ad ortum Canis usq; post canicularium dierum, inde autumni: ut iam sint nouem, quæ duos fermè annos comprehendunt. Inde proponit morbos ultimæ partis hyemis, sed constitutionem prioris partis edocet, ut sint decem constitutiones, & anni duo, & aliquid ultrà,*

ultrà, cũ peſtis illa inaudita ſæuire cœpit. Aliud Sec.1. exemplum eſt in ſecundo Epidemiorum, ubi ex pluuijs aſsiduis tempore æſtatis morbos in Cranone ortos enarrat. Seu ergo conſtitutio tota ſimplex perſeueret, ſeu euariet, morbi perſeuerant uniuſmodi. quod etiam in regionibus quæ uni tantum expoſitæ ſunt uento, eſt intelligendum. Nec idem eſt dicere, In ſiccitatibus febres Aphor. 15. acutæ fiunt, & multi fiunt morbi. nam infrà docebit, ſiccitates imbribus eſſe ſalubriores. nec idem eſt dicere, In ſqualoribus abundare febres acutas, aut fieri: & in ſiccitatibus ſimiliter id contingere. Multa enim meliora cum augentur, naturam mutant: & his quæ natura deteriora ſunt, peiora euadunt.

Cauſa, cur ſiccitates ſint cauſæ acutarum Pag. 2. febrium, eſt: quoniam, ut dicitur in libro de Humoribus, ſicca ſunt plerunque etiam calida, & immenſa ſiccitas calorem exacuit: ideo febres fiunt acutæ, quoniam materia attenuatur. Illud operepræcium erit referre, cur id accidat, quod Sec. 4. dixit Hippocrates ſexto Epidemiorum: Terra ſiccitatibus ſqualida, uolucrium genus abundat. Alius textus habet; Bene ſe habet. Cur ſicci homines in ſicco temperamento aeris deterius degunt, aues autem cum ſint ſicci temperamenti melius? Reſpondeo, quòd in animalibus quæ ratione carent, natura uoluit ut omnibus ſimilibus gauderent: quia animal omne, homine excepto, certo tempore oritur, & eo tempore optimè degit, quia ex eiſdem orimur & nutrimur. Homo autem, quocunque anni tempore cum oriatur, contrario aere gaudet. Accedunt autem præter id auibus & multa alia commoda in uictu: quoniam ab imbribus & humido aere multum læduntur, quæ non ſunt aquaticæ.

APHORISMVS VIII.

IN conſtantibus temporibus cum tempeſtiuè tempeſtiua redduntur, morbi conſtantes & boni iudicij fiunt: in incõſtantibus autem, inconſtantes, & mali iudicij.

COMMENTARIVS.

Pag.4. ¶ Hippocrates libro de Humoribus: Si tempora tempeſtiuè & ordinatè ſe habuerint, fient morbi iudicatu faciles. Duo ſunt quæ proponit hîc, ſcilicet ut tempeſtiuè tempeſtiua reddantur: id eſt, ut tempus propriam naturam retineat, nec in aliam degeneret. & ob id, quoad Aphor. 6. hoc, eſt quaſi contrarius ei qui dicit: Cum æſtas fuerit ueri ſimilis, nam tum æſtas non retinet ſuam naturam. aliud, ut non permutetur in uarias formas: ſed conſtet uer in temperamento, æſtas in calore & ſiccitate. Naturam horum temporum à duobus, pluuijs & qualitatibus, ſumit Hippocrates in libro de Aere, aquis & locis, dicens quòd hyems debet eſſe frigida, ſed non immoderatè: & uer, æſtas & autumnus, pluuioſa ſuo tempore, tunc annus erit ſecundum naturam. Pag.7. Vt uideantur fieri quatuor coniugationes, cum tempora anni ſunt conſtantia & tempeſtiua: cum tempeſtiua, ſed non conſtantia: cum non tempeſtiua, ſed conſtantia: cum neque tempeſtiua, nec conſtantia. quorum omnium cauſas refert Hippocrates in ortus & occaſus ſiderum ibidem, cum rectè proceſſerint, intelligit quòd per erraticas temporum uices non confundantur. Vnde notandum, quòd de mundo accidit idem quod de hominibus, ut conſuetudo omnia meliora efficiat. tametſi enim caniculæ ortus in æſtatem incidat, quo nil minus expediret, cum calidum calido iunctum exurat corpora: quia tamen ſingulis annis hoc contingit, melius ſe habent omnia ſi annus habeat æſtatem calidiſsimam & ſiccam uſque ad metam naturalem, quàm ſi æſtas eſſet temperata & mitis. Indicio eſt, mundum conſuetudine teneri, ut mortales ipſos: quòd annus in Italia (qualis in Aegypto) optimus, ſterilis erit. Cum ergo fuerint tempeſtiua tempora, & conſtantia, morbi planè conſtabunt, & boni erunt iudicij: & ſi neutrum aderit, neutrum continget. duo ergo ex quatuor membris explicauit Hippocrates, reliqua duo ergo membra docere oportet. Galenus ſiquidem confundit conſtantem cum tempeſtiuo, & unum facit, ut conſtantia tempora uocet, cum tempeſtiuè tempeſtiua redduntur: utrouis modo intellexeris, nil refert, modò ſcias eſſe tempeſtiua tempora, cum (ut dixi) qualitates & imbres ſuo ordine adueniunt, atque etiam perſeuerant non ſimpliciter, ſed quantum perſeuerare debent. Si igitur aduenerint, nec perſeuerarint, morbi erunt conſtantes, & non ..ò mali iudicij, quoniam ſuo tempore euenerunt, quæ euenire oportebat, non tamen prorſus erunt boni iudicij. At ſi conſtant, ſed non tempeſtiuè redierint, tunc erunt quidam boni aut mali iudicij ſecundum ſimilitudinem temporis, ad quod facta eſt mutatio. Si ergo ad ueris ſimilitudinem, erunt boni iudicij: ſi autumni, mali. ſemper autem erunt mali iudicij, id eſt fallacis, non autem ad mortem tendentis. Quomodo enim uerum eſſet quod dixit ſupra: Cum

æſtas

æstas fuerit uerisimilis, sudores in febribus expectare oportet: si semper essent morbi mali iudicij sub hoc sensu, id est ad interitum spectantis? Vnde patet, Galenum perperàm ualde Hippocratem exponere de malo iudicio, id est ad mortem tendente. Quin etiam, ut melius intelligatur Hippocratis sententia, adducam ex secundo Sec.1. Epidemiorum claram sententiam: In quietis ac constantibus temporibus & annis tempestiuè tẽpestiua præbentibus, boni status & iudicatu facillimi morbi fiunt: in inconstantibus uerò inconstantes, & qui difficilè iudicantur. Cum sanè in Perintho defecerit aut abundauerit aliquid, ut aut uenti sint, aut non uenti, aut aquæ, aut siccitates, aut ardores, aut frigora. Liquet ergo, cum proponat constantem annum, id est, cuius partes suum locum retinent: & constantia tempora, cum perseuerant in suis debitis qualitatibus caloris, frigoris, pluuiarum, siccitatis, & uentorum ac tranquillitatis, fieri morbos, qui constant, & iudicium habent facile. aliter autem difficile, non tamen perniciosum. Vocat morbos constãtes, specie & numero & forma: Specie quidem, qui non transeunt de uno in alium, ut angina in peripneumoniam: Forma, cum non habent nisi sua propria signa (uelut per con- Const. 3. trarium, primo Epidemiorum: Plurimis febres acutæ, cum sudore, parum insuper rigebant) & Const.3. talia quæ non sunt propria acutarum. Et in tertio: Erat autem modus febrium ardentium, ab initio soporosi, horridi, non siticulosi. uide quàm bene conueniant hæc cum ardente febre. Numero, ut ibidem: Diu soporosi, & rursus insomnes. Secundum hos omnes modos fiunt morbi inconstantes, in his temporibus. Similiter qui difficile iudicantur, multis modis hoc contingit. uel ex forma iudicij, cum in abscessus uel alios morbos transeunt: uel cum serò iudicantur: uel cum magnis cum laboribus & sæuis symptomatibus: uel cum nõ perfectè: & uix, uel cum morbus redit: ultimò, cum ad mortem tendunt.

Sed hic dubitatione dignum est de autumno, qui si sit æqualis, pauciores, & minus lethales morbos affert, ex regula suprà data, & ex hac. Videtur saltem magis incõstantes efficere, etsi non magis lethales. Rursus tempora secundum rationem suam plurimos morbos generant, etsi non lethales: quomodo uis immutentur deteriores ex præsenti Aphorismo? Quis igitur erit annus, in quo paucissimi sint morbi, & salubris? nullus sanè, ut patet. Sed experimentum docet, aliquos esse annos salubres, in quibus uix ægri uideantur. Hic doctrinam Hippocratis in libro de Aere & aquis & locis attendere oportet. Pag. 8. Quòd si borealis sit autumnus, ac siccus, & neque sub Cane neq; sub Arcturo pluuiæ præcesserint, confert pituitosis natura: & maximè qui natura sunt humida, & mulieribus. Biliosis autem hoc tempus infestissimum existit: ualde enim exiccantur. Subijcit, ergo qui'nam morbi eis eueniant: docetq; quòd per hyemem humidi optimè degunt. Qui igitur regionem humidissimam incolunt (ut Mediolanenses) melius se habebunt eo anno, uel cũ boreas assiduè flat. Quæ à 20. ad 24. Aphor. etiam infrà dicuntur, ad duo referri debent: scilicet, quòd si modò morbi appareant, hi sunt qui ibi scribuntur. abundant autem, cum annus aliqua in parte uel secundum naturam exuperauerit in temporibus, uel non omnino naturam suam ad unguem seruauerit, uel homines in recta uictus ratione deliquerint aliquo modo. Ad aliam uerò dubitationem dicendum, autumno mitius se habente, minus sæuire morbos: constantes tamen minus esse, quàm etiam naturales. nam hoc concordat & cum sexto Aphorismo, & cum præsenti. neque ergo necessarium est morbos non constantes constãtibus esse periculosiores, aut perniciosiores ex dubitatione prima: nec annum minus morbosum mitiores habere morbos. nam, ut apparet ex secunda dubitatione, qui Mediolani (ut priore utar exemplo) ægrotabunt, sæuioribus morbis uexabuntur, quàm in anno minus ei ciuitati salubri. Dispositio autem uentorum Borealium uidetur communis omnibus locis, & nec periculosiores facere eos morbos qui adueniunt, quemadmodum constitutio loco opportuna. Sed & loci, in quibus intempestiuè adueniunt tempora, nec constant eorum naturæ, sed pluuijs frigoribus aut caloribus aut uentis permutantur, sæpius morbis subijciuntur inconstantibus, & difficulter (ut in temporibus) sed non adeò ob consuetudinem longè à recto tramite iudicantur.

APHORISMVS IX.

AVtumno morbi acutissimi, atque exitialissimi maxima ex parte: uer uerò saluberrimum, & minimè exitiale.

COMMENTARIVS.

¶ Cum dixisset in præcedenti Aphorismo, in inconstantibus temporibus inconstantes morbos fieri, & mali iudicij: & suprà, Quando eadem Apho. 4. die modò calor modò frigus fit, autumnales morbos fore expectandos: hic declarat in gene-

re, quales sint scilicet acutissimi, & lethales maxima ex parte: uer uerò esse saluberrimum, & minimè exitiale. Galenus (ut superius dixi) autumni causas quatuor refert: atq; inter illas inæqualitatem præcipuam, quare morbos huiusmodi faciat: sed non refert, cur autumnus adeò inæqualis sit. Similiter de uere refert causam, quod sit saluberrimum, & minimè exitiale in temperamentum ipsum. In quo bifariam errat, & quòd uer sit temperatum, & quòd ob temperamentum sit causa salubritatis. Non demiror, quod
Cap. 2. Avicenna in nono de Animalibus, tanta mala de Galeno dixerit, & alibi longè maiora etiam, cum dixit ipsum existimasse se philosophũ, atq; ausum adnumerare se inter philosophos, cũ nec eam scientiã ullã ex parte degustauerit: ac longè plura, quæ mihi tũ uidebantur mirabilia, sed cum nũc respicio, qualiter omnia cõfuderit principia rerũ naturaliũ, non quidem tã ignorantia, quàm incuria, & studio contradicendi antiquis, certè existimo, quãtum utilitatis præbuit curatiuæ methodo, tantum damni attulisse disciplinis.

Primùm ergo uideamus, cur autũnus sit inæqualior uere, & quomodo. nã de tota inæqualitate ab initio ad finem, ubi nõ maior sit differentia inter initium & finẽ autũni, quàm inter initium & finem ueris, cum uer ponatur à Galeno aliquãto breuius autumno, se quereretur, quòd minor esset inæqualitas dierũ singulorum in autumno quàm uere. Sed cũ discrimen illud dierũ non accedat ad decẽ dies, & differentia autumni à uere sit magna inter principiũ & finem, eo quòd uer procedit à frigore ad calorẽ, autumnus contrà: sequitur ex demonstratis in expositione primi Aphorismi huius particulæ, maiorem esse uarietatem inter dies singulos autumni, quàm ueris. Secunda causa est, quod cum noctes autumni crescant, ueris autem minuantur: & nox augeat frigus, & dies calorem: & iam frigus sit promptius ut augeatur calore, ut maior fiat mutatio inter calorem meridiei ad frigus mediæ noctis, & etiam crepusculi uespertini in autũno, quàm inter frigus mediæ noctis ueris, & calorem meridiei atq; matutinum. igitur maior etiam inæqualitas. Tertia causa est, quòd cum aer autumni sit tenuior, quia succedit æstati, aere ueris qui succedit hyemi, ut iuxta regulam Aphorismi maior mutatio fiat à media nocte ad mediam
26. Quintæ particulæ. diem, & à media die ad mediam noctem in autumno quàm in uere: & ita etiam in partibus reliquis diei, eo quòd à media die ad mediam noctem tam in uere quàm autumno sunt duodecim horæ, & similiter à media nocte ad mediam diem semper sunt duodecim horæ. Quarta causa ex eadem tenuitate aeris pendet: ut si autumno flent uenti, aut imbres decidant, plus immutetur aer quàm uere, et ita ex alijs causis. Quinta est ex ratione cœli. nam uere sol est iuxta Apogeum in fine eius, in autumno uerò fermè prope Perigeum. igitur maior est calor autumni quàm ueris, pari ratione. sed si maior est calor, ibi etiam sit maior mutatio: cum semper in magnitudine maiore, maiores & euidentiores diuersitates appareant. & ita maior est inæqualitas in autumno quàm in uere. Vltima est, quòd inæqualitas autumni est à calore ad frigus: ueris autem, à frigore ad calorem. sed quæ est à calore ad frigus, est longè perniciosior quàm à frigore ad calorem: ut à Galeno habetur tertio de Tuenda sanitate. igitur inæqualitas autumni habetur pro maiore, quàm ueris. Hucusq; non enarrauit Galenus, quia de hoc non est locutus. Cap.10.

At cum uoluit afferre causam, cur uer sit saluberrimum, dixit: Quia temperatum, ut primo de Temperamentis. hoc uerò est absurdissimum. Cap.14. Primùm, quia finis est longè calidior initio: igitur uel initium est frigidum, uel finis calidus. Stultum est autẽ dicere uer temperatum, propter duos aut tres dies, qui in eo tales esse possent: cum plures sint etiam in autumno persæpè. Deinde quæro, an intelligatur de meridie? & sic nox erit ualde frigida: uel de crepusculis, & sic meridies erit calidus, & nox rursus frigida: & ita stultum erit dicere, uer esse temperatum, hoc modo, propter unam uel duas horas, quæ huiusmodi in die inueniantur. nam & æstate hora matutina est temperata etiam, & ita quomodocunque assumantur partes temperatæ ueris, seu in diebus respectu totius temporis, seu in horis respectu diei, non potest dici uer temperatum. Deinde in nostra regione initium ueris est ualde frigidum. Rhodi rosæ eo tempore apparent, in Aegypto etiam maturantur plerique fructus. quinetiam in Italia tantum est discrimen inter uer Neapolis & Mediolani, quantum inter uer & æstatem hic fermè. & uer in Scotia est hyems, & in pluribus partibus Germaniæ. quomodo ergo uer dicetur temperatum, quod alicubi est calidius nostra æstate, alicubi frigidius nostra hyeme? Ideo refugiunt defensores isti Galeni, cum ipso, ad id, quod uer est temperatum in temperata regione, qualis (dicunt) fuit Hippocratis & Galeni. At si ita est, & uer est saluberrimum, & minimè

minime exitiale, quia temperatũ ſecundum Galenũ. Igitur uer eſt ſaluberrimũ, & minimè exitiale, ſolum in regione Hippocratis & Galeni? At huius primò experimur contrarium. nam uer non minus eſt ſalubre in Italia, Gallia & Hiſpania, quàm in Coo, & Rhodo, & Pergamo. Deinde quæ doctrina fuiſſet Hippocratis, dicere, Ver eſt ſaluberrimum ſolùm in regione noſtra? pari ratione dicere oporteret, quòd ea quæ ſcripta ſunt de præceptis medicinæ ad nos non pertinerent. Demũ ratione ipſa demõſtratur, uer eſſe calidum & humidum. humidum planè, quia hyeme terra & aer humidiſsima ſunt, & neque ſuperuenit calor ullus, ſecundum Galenum, qui diſſolueret hoc humidum, & conſumeret. ergo uer eſt humidiſsimum. Demonſtro modò quòd ſit calidum, & quomodo. nam uer fit, cum ſol eſt in æquinoctio uernali, & tunc æqualiter diſtat ab utroque ſolſtitio, ſcilicet æſtiuo & hyemali. ergo tempus uernum ab initio eſt medium inter ſummum calorem ipſius æſtatis, & frigus maximum hyemis in ea regione: ſed poſt æquinoctium ſol cum perpetuò ad nos accedat, aer incaleſcit continuè. igitur uer eſt calidum ſub hoc ſenſu, id eſt declinans à medio inter ſummum frigus, & ſummum calorem illius regionis, uerſus calorem: humidiſsimum autem ſimpliciter, non comparatiuè. Ex quibus ſequuntur duo manifeſta corrolaria. Primum, quòd uer in regione frigida, eſt frigidum: & in calida, calidum. & hoc etiam eſt manifeſtum experimento. Nam cum ſit medium inter calorem ſummum æſtatis, & frigus ſummum hyemis, ſi regio ſit qualis Scotia, aut Germania, erit uer frigidum adeò, ut ſit ſimile noſtræ hyemi: & ſi ſit uer in Aegypto, erit calidius noſtra æſtate. Dicitur tamen ad calidam declinare, quia initium eius medium (ut dixi) inter æſtatem & hyemẽ ſit, & perpetuò ab initio ad finem incaleſcat. Sole ſemper ad nos accedẽte, dicetur uer declinarè ad calidum: id eſt, ſimile magis eſſe æſtati illius regionis, quàm hyemi. Secundum corrolarium, ueris initium eſt longè humidius quàm calidum ubique locorum, niſi regio ipſa ſit (ut Lybia) ſicciſsima: finis uerò quandoq; pariter humidus & calidus, ut in noſtris regionibus: & humidior etiã quàm calidus, in Germania & Scotia: in aliquibus autem calidior quàm humidus, ut Rhodi, & Alexandriæ etiam magis. Et ita patet, Commẽtum hoc de temperamento ueris eſſe merum ſomnium: quandoquidem potius debeat dici calidum & humidum, quàm temperatum. Sed nec ſimpliciter calidum (ut dixi) ut antiqui exiſtimabant, & in hoc decepti ſunt: ſed calidum, id eſt declinans à medio ſtatu æſtatis & hyemis, uerſus calorem. Nec eſt ut torquearis, quòd uiſus ſim ponere uigorem caloris & frigoris in ſolſtitijs, cum ſuperius aliter docuerim. nã hîc accepi ſolſtitia pro ſummis uigoribus, breuitatis cauſa: non quòd oblitus ſim ueritatis.

Cauſa ergo cur uer ſit ſaluberrimũ, & minimè exitiale, non eſt tẽperamentũ, ut dixi: quoniam uer non eſt tẽperatũ, ſed calidum & humidum: & etiamſi eſſet, non eſſet niſi in regione tẽperata. at hoc de ueris ſalubritate eſt generaliter uerũ, à torrida zona uſq; ad Septentrionẽ: & licet in Germaniæ partibus aliquibus uer ſit frigidũ, & æſtas tẽperata, ut apud Lapones & Biarmios: in Aethiopia autẽ citra cancri tropicũ uer fit calidũ, & hyems tẽperata: nihilominus & apud Lapones & Biarmios uer, non æſtas: & apud Aethiopas uer, nõ hyems, eſt ſaluberrimũ. Cauſa igitur ſalubritatis ueris eſt triplex. Primum, eſt tẽperamẽtum calidũ & humidũ ita conforme hominibus, ſicut æſtas auibus, & hyems piſcibus. & non ſolùm uer eſt ſaluberrimũ hominibus, ſed etiã quadrupedibus pleriſq;. Sicut ergo uer eſt ſaluberrimũ quadrupedibus, æſtas auibus & inſectis, hyems piſcibus: ita cõtrarijs in tẽporibus animalia hæc pereũt, homines ſcilicet et quadrupedia etiã autumno, aues & quæ ex putredine generantur omnia hyeme. cum enim frigida ſint, et plurimo calore aeris ad uitam indigeant, hyeme pereũt: ſic uerſa uice piſces æſtate ob ſiccitatem, ideo maximè in æſtate ſqualida. Sic ergo apparet, cur dixerit Hippocrates uer eſſe ſaluberrimum, et autumnum lethalem maximè.

Secũda cauſa eſt, quia in uerè cũ nõ exuperẽt qualitates prauæ, ſcilicet nec frigus hyemis, nec ſiccitas æſtatis (ut dictũ eſt) et mutatio fit ex frigore ad calorẽ, quæ lõgè tutior eſt quã ex calore ad frigus. at in autũno ſunt oppoſita, mutatio ex calore ad frigus, iã declarata in primo Aphoriſmo: et exuperant in eo ſiccitas et frigiditas, quæ ſunt qualitates contrariæ naturæ, humanæ: imò omniũ animaliũ in genere ſaltẽ. igitur uer ut erit ſaluberrimum, ita autumnus exitialis.

Dubitabit autem aliquis, quomodo poſsit demonſtrari, in autumno uigere latentem ſiccitatem, licet non exiguam, & frigus etiam? Et dico, quòd aer æſtiuus eſt ſiccus, proculdubio ob longum æſtum. & ſimiliter terra: & in autumno non fuit cauſa, quæ illum aerem potuerit humectare, quoniam adhuc calor in meridie ui-

get: igitur autumnus est siccus. Sequitur autem ex hoc, quòd si ab initio autumni multi decidant imbres, erit minus siccus, & ideo longè minus exitialis. De frigiditate dicam, sicut in uere de caliditate. in æquinoctio enim autumnali est medius status inter maximam æstatem & maximam hyemem, & perpetuò Sol recedit à nobis, igitur autumnus erit frigidus sub eo sensu, sub quo diximus uer esse calidum. id est, quod tendit ad frigidum, in comparatione ad medium statum hyemis & æstatis illius regionis: tamen est semper simpliciter siccus, ut uer humidum. Ex quo sequitur aliud corrolarium, quòd scilicet autumni initium est magis siccum quàm frigidum, & finis magis frigidus quàm siccus: intelligendo eodem modo quo diximus, uer esse magis humidum quàm calidum ab initio, & reliqua iuxta regionum comparationem.

Tertia causa est, quòd in uere sol accedit ad nos, qui est autor uitæ & generationis & conseruationis omnium (ut secũdo Physicorum, & t.c.26. in libro de Generatione & interitu) & autumno discedit à nobis: ideo siccantur folia arborum, & marcescunt omnia, sicut uere germinant ac florent. Quæ si quis consideret, uidebit causam aliunde petendam, quàm ex temperamento, etiamsi illud adesset. neque enim tanta est differentia inter temperamentum ueris & autumni in qualitatibus manifestis, ut uno tempore omnia rideant, pullulent, læta sint, induant arbores folia, floresq;: alio autem omnia tristia & decidua, exarescantq; folia plantarum, antequam frigus sentire potuerint. Quinimo multa sunt quæ ante calorem ueris florent, ut uiolæ purpureæ: & hoc, quia sentiunt accedentem solem. Quòd si quis dicat: Si calor solis est adeò uitæ amicus, cur æstas tot habet morbos, quæ calida est, & in ea solem habemus propinquissimũ? Dico, quòd calor ille est alterius naturæ, scilicet factus ex refractione ac collisione radiorum, sicut in speculis cauis: & ideo igneus, & causa interitus. sed purus, quantumuis sol uigeat, ut in montibus sub æquinoctio positis, saluberrimus est. Est & aliud consideratione dignum, quòd tunc, scilicet uere & autũno, sol celerrimè mouetur: ad nos quidem accedendo uere, & à nobis recedendo autumno: adeò ut fermè per quincuncem unius partis in meridiano singulis diebus uere appropinquetur, autumno autem discedat à nobis. Quæ causa est, ut reor, ut maximè fiant mutationes occultæ, licet non in aere adeò manifestæ his temporibus, magisq; quàm æstate & hyeme. hoc autem propriè paulò antè etiã, post utrunq; æquinoctium contingit. Ideo rectè dixit Hippocrates, Astrologiam medico esse maximè necessariam, libro de Aere & aquis: & in primo de Diæta. Pag.2.&3. Ergo cum dixit, acutissimos morbos autumno fieri: de his locutus est, qui natura tales sunt: cum uerò exitialissimi, Pag.2. licet etiam principaliter de acutis intelligendum sit, potest etiam ad omnes alios extendi. ob causas enim dictas, & calore naturali exhausto, & temporis natura nostræ inimica, & mutationibus repentinis à calore in frigus, percellitur animæ facultas adeò, ut qui uel ætate uel longo morbo, uel laboribus uel tristicia exhausti sunt, aut prauo usi per æstatem sunt regimine, occumbant. Vtrum uerò expediat permutare uestes, ut Romæ solent in huiusmodi constitutione, ut uesperi & manè grauioribus utamur, certum est prodesse: sed & supra modum cauere diligenter, ne exerceamur sic, ut corpus incalescat.

Cap.10.

APHORISMVS X.

Autumnus tabidis malus.

COMMENTARIVS.

¶ Vt in sexto Aphorismo de humida qualitate aeris, in comparatione ad tempora: in septimo de sicca simpliciter locutus est, ut duobus Aphorismis quatuor coniugationes comprehenderet: sic in præcedenti de autumni natura locutus est simpliciter, hic uerò in comparatione ad tabidos, ut per hos morbos quoscunque longos intelligeremus. ibi ergo ad sanos de acutis, hic ad ægros de longis comparando sermonem facit, ut sint quatuor & hic coniugationes. Autumnus enim acutos in sanis exitiales reddit, longos etiam exitiales efficit: superueniens autem ægrotantibus acuto morbo deteriorem facit, non tamen lethalem, ut nec longo. Verbum φθίνουσι significat propriè phthoen, consumptionem, quæ ex ulcere pulmonis fit. Accepit hoc pro exemplo ut manifestissimo, quoniam talia esse debent exempla. conspicuum enim est in his, quòd autumnus omnibus longis morbis malus sit: quoniã phthoe laborantes plerunq; perimit. Ergo, inquit, eadẽ erit ratio de omnibus cõsumptis longo morbo, licet non in omnibus adeò conspicua. Vnde et medico ad prædicendum, & ægro ad præcauendum, præceptũ hoc nõ parum utile esse potest. Vnde primũ clara est ratio interpretandi. Cum enim uellet hic docere, autũnum omnibus fermè morbis longis esse noxium: oportet eam rationem inuenire, qua autumnus maxime

ximè generaliter huiusmodi morbis aduersetur: utpote uel ulceribus, uel consumptioni, uel pulmoni. hæc enim tria habet phthoe. Pulmoni quidem & ulceribus ratione frigiditatis autumnus aduersatur, tum uerò quòd eo tempore mala fiat coctio ob natiui caloris imbecillitatem: eam uerò inæqualitatem temporis omnia corpora debilia ægrè sustinent, ideo etiam consumpta.

Quot autem tabis sint genera, dicebat Hippocrates secundo de Morbis. Est unum genus, quod est diuturnum, & uocatur à Serapione Phtisis senilis, in qua non est ulcus in pulmone, sed eijciuntur purulenta, inquit Hippocrates: & est quòd pituita crassa corrumpitur in pulmone: & durat hic morbus septem annis, nonnunquam nouem. ab initio tamen purgato cum elleboro corpore, & adhibita diligenti cura sanatur. aliter, dicit, occidit. Secundum genus est ex feruenti pulmonis ulcere, quod uel statim perimit copioso sanguinis & puris sputo, uel etiam non multo pòst tempore, quod tamen etiam ab initio curatur. Curat autem duobus remedijs; quibus utitur ad curationem primi generis, scilicet ueratro purgando, & lenticulæ cremore: φάκια & φάκιον Hippocrates habet, id est legumen. φάκην Gaza lenticulam, similem lenti, quæ φάκος uocatur. Duo enim genera affert Aegyptus. πιπίσκειν φάκιον, lentis coctæ cremorem, nam & cocta lens lenticula uocatur. Tertium præsidium est ex potu lactis asinini. Circa quod sciendum, quòd ulcera omnia indigent exiccatione, ut etiam in tertio Methodi: sed hæc duplex ab humidis, quia cura ulcerum est exiccatio, & ab humore prauo influente, qui consolidationem impedit ratione malæ qualitatis. Prima fit lacte asinino, & est tertium præsidium: secunda elleboro, quod etiam educit à profundo, & procul scilicet à pulmonibus. Lenticulæ autem cremor exiccat ulcera sine morsu: & forsan Hippocrates in ea aliquid utilitatis etiam specialiter experimento deprehendit. Tertium genus fit ex defluxu seminis, & uocatur dorsalis tabes, quia in dorso iuxta spinam sentiuntur uelut decurrentes formicæ: & fit à cerebro. etenim sentiuntur sonitus in auribus, & capitis grauitas & anhelatio in motibus celeribus, & post uehementes febres succedentes lipyriæ hominem perimunt. Cæterùm hoc genus cum febre coniunctum non est, primum autem per interualla (dicit) nonnunquam debili quodam calore corripitur; at secundum genus perpetuam febriculam coniunctam habet, & poma maxillarum rubra, & sputum omnino saniosum & malè olens.

Pag.17.

Cæterùm ad dignoscendum hoc sputum saniosum, idem dabat documentum, in Coacis prædictionibus dicens: Sputum si oleat, super carbones: si descendat, in aqua marina, posita in uase æneo: si tabescenti defluant capilli, superueniet fluxus uentris, & inde ex illo mors. & ita patet modus, quo secunda species tabis perimere solet: & est ualde frequens, ut omnes fermè sic moriantur. Dicit ergo, tabes perniciosissimæ sunt, quæ accidunt ex ruptura uenarum crassarum, id est magnarum, & à defluxu ex capite. & habet utrunque notissimam rationem: & subiungit, quòd sunt maximè à decimooctauo anno ad trigesimumquintum, & huius causam inferius exponam. Notum uerò est & illud, quod fit ex suppuratione in laterali morbo, cum in quadraginta diebus non repurgantur. quinta Aphorismorum. 15.

Pag.19. Apho.29.

Cum ergo præter ea quæ Galenus & alij docent, Hippocrates uelit etiam exquisitissimum genus tabis sanari posse, quod citra experimentum non semel factum dixisset: uidendum est quod nam sit illud in specie, quod sanari possit. Proponit ergo in secundo de Prædictionibus septem signa, quæ significant ægrum sanari posse. Primum à sputo, ut facilè per tussim educatur, sit album & æquale, & ab inflammatione alienum. Secundum, ut quæ è capite defluunt, per nares educantur: scilicet ut non fatigetur etiam educēdo quæ è capite defluunt, nec etiam ex illa fluxione morbus augeatur. Tertium, ut non adsit febris, scilicet putrida. nam se exponit dicens, Vt cœnare possit. nam qui empyemate correpti sunt, febrem habent molestam hora uespertina, adeò ut à cœna rectè consulendo abstinere cogantur. Quartum, ut sint sine siti. nam hectica, qua laborant, si sola fuerit, sitim non inducit. Si ergo siti uacant, uacant & febre putrida, & mala fluxione, & superflua exiccatione. Quintum, ut minimè sit extenuatus. Causam habuistis in secundo libro. est enim malum signum, & curationem impedit. Sextum, ut aluus deijciat: ne fortè nimis exusta sit, sed dura tamen: quod indicat uim contentricem ac cōcoctricem esse incolumem: & pro ratione, inquit, assumptorum, ut corpus nutriri nec absumi indicet. Septimum, ut pectus sit quadratum, hirsutum, carnosum, non magnus ossibus: quod indicat, naturam membri patientis esse ualidam.

Pag.5.

oportet

oportet autem, quod curari debet membrum, robuſtum eſſe: hæc ſunt ſigna ſanabilis morbi. Quæ autem ſpecialiter ſanationem prohibent, ſunt: Si mulier aut uirgo ex ſuppreßione menſium in tabem deuenerit, aut ſi (ut dixi) ex deflexu humorum in hunc morbum deflexerit, aut ex repetitis ſuppurationibus. rarò enim huiuſmodi euadunt, dicit: ſed autumno plerique, ut etiam alij longis morbis laborantes, moriuntur. Ex quo etiam patet ſenſus Aphoriſmi.

Sec.7. Scribitur & ſexto Epidemiorum ſub his uerbis: Tabeſcentibus autumnus malus. malum & uer, cum ficus folia cornicum pedibus ſimilia ſunt. Intelligit de illa ueris parte, in qua fit magna mutatio ob flatum uentorum. Sed in noſtra regione cum ſit frigidior illa Hippocratis, ſub æquinoctio fit ea mutatio: ſed ficus nondum pullulare incipiunt, ideo oportet attendere mutationem uentorum apud nos.

Pag.8. Addit in libro de Locis in homine Hippocrates modum, quo fit tabes ex defluxione, dicens: Si pulmo humidus fuerit, fit ex copioſa defluxione ſuppuratio: ſi autem ſiccus, tabes. Tabis autem dorſalis, id eſt cum fluxio in dorſum incubuerit, duo ſigna: dolorem lumborum, & quod caput in anteriori parte uacuum eſſe uidetur. Non ſolùm autem tabes autumno magis affligit, ſed eſt etiam morbus autumnalis, ut infrà uidebitur. Aphor. 22.

Sunt etiam tabes quædam propriorum membrorum: uelut renalis, quæ fieri ſolet ex ulcere malè curato in renibus ipſis, ut in libro de Internis affectionibus: & coxendicis, ut apud eundem in Coacis prædictionibus. Quibus ex intermittentibus ſæpius fiunt recidiuæ, his in coxendicum leuem tabem deriuantur. De huiuſmodi tabe loquitur in libro de Glandulis, dicens: Pituita ſi per ſpinalem medullam defluxerit in coxendicem, tabeſcatq́; ex eo coxendix, morbus fit longus, ſed inſanabilis, ex quo defloreſcit totus uigor hominis, & moritur tandem. huic dolent ſcapulæ, & crura, ac pedes. Si uerò pituita defluat ad pulmones (inquit) ex capite in pulmones, fit pus, & erodit pulmones, & fit tabes: ſi uerò in uentriculum, & ibi non quieſcat, fit leuitas inteſtinorum: ſed ſi in inteſtinis moretur, fit uoluulus diuturnus. (Pag.10. Pag.5. Pag. 4.)

Porrò de curatione ſuppuratorum, diligenter per chirurgiam agit Hippocrates ſecundo de Morbis: adijcitq́; cauſam, cur tabificis aduenìat fluxus uentris, ex quo pereunt, & caſus capillorum. nam inquit: Iam demonſtrante putredine circa cor aſcendunt uapores ſalſuginoſi, ex quibus capillorum radix uitiatur, caduntq́; capilli: materia uerò illa ſalſa defluens ad uentriculum & inteſtina, commouet ea, & non ſinit conquieſcere cibos, & ideo incocti eijciuntur. Vexatq́; tabes magis iuuenculas mulieres, quàm anus. Sed notãdum, quòd (ut etiam habetur ſexto Epidemiorum: Tabeſcentes ſtatim urito) antiquo tempore curabant aliquos, deploratos alioqui, hoc præſidio, quo hodie caremus. (Pag.16. Sec.7.)

Sed hîc dubitatur, quoniã Hippocrates hoc in loco dicit, quòd tabifici naturâ facilius incurrunt tabem, & facilius ſanantur, iuxta illud, In morbis minus periclitantur ægrotãtes. ubi Galenus uitans illud primi Epidemiorum, Et maximè moriebantur hi, quorum natura ad tabem uergebat: dicit, quòd dictum illud Aphoriſmi intelligitur de temperatura, non compoſitione membrorum. Sed dico quòd eſt generale: quia ſanantur, quicunque leuioribus ex cauſis incidunt in morbos facilius: proni autem natura facilius decidunt, igitur facilius ſanantur. Sed in primo Epidemiorum cauſa erat eadem, quia conſtitutio temporis, quo in caſu nõ ſolùm qui compoſitione aßimilantur, ſed etiam temperatura, & celerius corripiuntur morbo populari, ſed etiam facilius moriuntur. Ergo Galenus non rectè exponit Hippocratem, nec difficultatem ſoluit. Nam ex præcepto Galeni minus fugere deberent biliosi in conſtitutione populari ardentium febrium, utpote qui minus eſſent periclitandi ſeu morituri: cum tamen totum contrarium ſit. nam & facilius morbo eo corripientur, & facilius morientur: & plures ex his qui ſanabuntur, tardius & minus integrè ſanabuntur. Ex quo uides, quanta mala pariat malè tradita doctrina. (2.Aph.34. Conſt.1.)

APHORISMVS XI.

DE temporibus, ſi quidẽ hyems ſicca & aquilonia fuerit, uer autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt ęſtate febres acutas fieri, & lippitudines, & inteſtinorum difficultates: præcipuè uerò mulieribus & pueris, qui natura ſunt humidiores.

COMMENTARIVS.

¶ Amplectitur contrarias temporum naturas in hoc & ſequentibus duobus Aphoriſmis, propter

propter duo. primùm, ut intelligeremus, quod erat obſcurius, ſcilicet miſtionem cõtrariorum: ſecundò, ut ex euidentioribus doctrinam conficeret. maiores autem ſunt effectus contrariarum diſpoſitionum temporum, propter mutationem, ut declarauimus in contrarijs temporibus, quàm in eadem qualitate perſeuerantibus. Obſeruat autem in omnibus, præterquam in quartodecimo, ubi agit de ſimilibus. ut intelligeremus diſcrimen roboris mutationis & ſimilitudinis, & etiam effectus, quatuor. Primùm, quod accipit tempus primum, quod excedentem habet qualitatem, ut æſtatem uel hyemem: & poſt tempus æquale proximè illi ſuccedens, ut uer poſt hyemem, autumnum poſt æſtatem. Secundum, quod effectum proponit in tempore primo contrario: ut ſi accepit æſtatem pro primo tempore, proponit de morbis futuris ſequenti hyeme. Tertium, quod accipit duplicem contrarietatem à natura pluuioſi & ſereni, & à conſtitutione uentorum: uelut auſtrali, aut boreali. Quartum, quod facit conſtitutionem temporis ſimilem aeri: ut ſi accipit conſtitutionem aquiloniam, accipit & ſiccum aerem, & ſerenum: & ſi auſtralem, humidum & pluuioſum. & hoc fecit ad confuſionem nimiam uitandam. Res enim per ſe obſcuræ, ſi obſcuriores etiam tradendo reddantur, à nemine poſtmodum intelligi poſſunt.

Hippocrates in libro de Aere, aquis & locis, hunc Aphoriſmum ad uerbum deſcribit atq; declarat, ut piaculum fuerit aliter eum interpretari. Pag. 7 in fine.
» Si quidem hyems ſicca et aquilonia fue-
» rit, uer autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe
» eſt æſtate febres fieri, & lippitudines. Cum e-
» nim æſtas derepentè accedat, dum terra adhuc
» humida eſt à uernis imbribus & auſtris, neceſ-
» ſe eſt æſtum duplicatum eſſe, & à terra irrigua
» ac calida, & à ſole urente, cum uentres in ho-
» minibus nondum conſtricti ſint, neq; cerebrum
» reſiccatum. non enim fieri poteſt, cum uer ta-
» le exiſtat, ut corpus & caro non humore fluida
» fiant, adeò ut febres acutiſſimæ in omnes irruãt,
» maximè autem in pituitoſos. At dyſenterias par
» eſt fieri & mulieribus & uiris humidioribus.
» Et ſi circa Canis exortum accedat aqua ac tem-
» peſtas, & Eteſiæ ſpirauerint, ſpes eſt ceſſatio-
» nis, & ut autumnus ſalubris fiat: ſin minus,
» periculum eſt ne & pueri & mulieres morian-
» tur, minimè uerò ſenes. Et ne qui ſuperſtites eua-
» dunt, in quartanas deſinant, & ex quartanis in
hydropes.

His uiſis, diſcrimen Aphoriſmi & loci adducti adnotemus, quod quidem exiguum eſt, cum tres morbos in utroq; enumerat: febres acutas, lippitudines et inteſtinorum difficultates. Sed in libro de Aere & aquis, ſcripſit pro (Acutas) acutiſſimas, ut etiam Galenus legit in ſuo Commento. Aliud diſcrimen eſt, quòd dicit febres huiuſmodi fieri pituitoſis. ex quo diſſoluitur utraq; differentia. quaſi dicat: Febres et lippitudines fiunt omnibus, ſed pituitoſis acutiſſimæ. Tertium diſcrimen eſt, quòd in Aphoriſmo legitur, Pueris humidioribus: in libro de Aere et aquis, uiris humidioribus: ſed cum raró uiri ſint adeò humidi, appoſuit pueros, ut compendioſior fiat ſermo: ſcilicet intelligentibus nobis, quòd quando uiri & ſenes adeò fuerint humidi in exceſſu ut pueri humidi, tunc tales & ipſi corripientur huiuſmodi morbis. & ita fiet regula generalis in tranſitu ab * ad ætatem. Quartum diſcrimen, quod eſt maioris ponderis, eſt, quòd in Aphoriſmo ea uerba (præcipuè uerò mulieribus, &c.) uidentur referri debere ad lippitudines, febres et difficultates inteſtinorum: ſed in libro de Aere et aquis, uidentur referri ſolùm ad inteſtinorũ difficultates. Verùm ad omnes morbos referendum eſt, quia dicit (maximè autem in pituitoſos) loco generalis dicti. Et etiam quia in Aphoriſmo dicit, neceſſe eſſe talia accidere, ſcilicet generaliter. igitur præcipuè aliquibus. et cum non explicet niſi humidiores: ergo illud uerbum Humidiores, cum annexis, debet applicari omnibus morbis recitatis.

Cur uerò dixerit (neceſſe eſt) Galenus diſputat dicens, ratione hoc eſſe deprehenſum: quia experimenta uel ſex aut ſeptem, quæ uix homini in tota uita obſeruare, non ſufficiunt ad conſtruendam generalem regulam. Verùm non ob hoc dixerim Hippocratem hoc dixiſſe: ſed quia ipſemet ſe declarat, rationem ſequutum. Credo ergo illud uerbum adiectum, quod et rationem ſequutus ſit, et propria experimenta, et longas etiam prædeceſſorum ſuorum obſeruationes habuerit, quas cum ueriſſimas inuenerit, auſus ſit addere illud uerbum Neceſſe eſt.

His uiſis, reddamus rationem quatuor propoſitorum, à Galeno etiam deſcriptam, ſed obſcurè ſatis: cum nullus expoſitorum poſt ipſum uideatur aſſecutus, nec omnino perfecit, ſed diminutã reſcripſit ex aliquo ueterum Commẽtario. nam nullibi tam acutus uidetur fuiſſe. Sed qualiſcunq; ſit, illi tribuatur, quamuis implicita: ipſius autem contextus rationem addere, ſuperuacuum eſt, cum

est, cum ex libro de Aere & aquis ac locis Hippocrates eam diffusè docuerit, & cur hi tres morbi præcipuè sæuiant: unum solum addendo, Proble. 8. *ex prima Problematum, uideri lippitudines febrium quasi prænuncias, quòd ab eadem causa, scilicet æstu, proueniant.*

Ergo primùm accipit æstatem aut hyemem pro primo tempore, ut dum morbos in contrario tempore gigni docere uult, uehementem habeat qualitatem in illo. uelut pro æstate, cum uult morbos ex calore gigni, hyemem assumit, ut interposito uere in æstatem desinat. Et assumpta æstate, interposito autumno in hyemem, ut ex uno tempore in aliud mutans, uel maximum calorem uel maximum frigus causam ipsorum morborum habeat. Subijcit autem secūdum tempus, ut in tertium deueniat: ut uer hyemi, ut ad æstatem. Nam non poterat primùm enumerare hic morbos hyemis, cum hoc infrà facturus esset Aphor. 23. Aphor. 13. *(neq; enim existimes, uelle hic, quamuis prætereat, nullos morbos contingere: sed tales, quales paulo pòst docebimus) neque ueris, quod cum hyemi contrarium sit, temperat aerem. si enim simile fuisset, potuisset morbos gignere: necessarium igitur fuit ut enarraret morbos tertij temporis, primo scilicet & secundo præterito. Tertij causa (quam Galenus omnino non intellexit) est, quod in omnibus accipit duas contrarietates: unam in actiuis, aliam in passiuis. Nam passionem Cicero uitauit, & passiuum etiam neglexere plures: hoc tamen Charisius Sosipater, antiquissimus Grammaticus, cum omni illorum schola recipit: utrunque uerò Priscianus, Grammaticæ artis princeps, & ἀνέκλεκτος, ut in posterum cum Ciceronianis disceptare non cogar: sed utens & essentiam induxit Quintilianus, prius recepta (ut cum Horatio)*

Et noua fictaq; nuper habebunt uerba fidem, si Græco fonte cadant, parcè detorta. —
uel: — Si uolet usus,
Quem penes arbitrium est. —

Vt si hyems sicca, imò αὐχμηρὸς, id est squalida (ut aliàs dixi) & Aquilonia, id est frigida: uer uerò ἐπομβρον, id est assiduè pluuiosum, ut utranque passiuam qualitatem in extremo concipiat: & Australe, id est calidum, quod ipse declarauit illis uerbis, Et à terra irrigua & calida.

Ordinatur ergo ratio sic: Hippocrates uolens ostendere morbos, qui accidunt ex mutationibus temporum, duobus temporibus contiguis indiguit. & quia mutatio fit inter contraria, contrarijs constitutionibus temporum indiguit: & quia contrariæ constitutiones temporum sibi inuicem succedentium naturales æquant aerem, & ideo non gignunt morbos, indiguit tertio tempore. Et quia in eo exigitur qualitas efficax, oportuit ut primum etiam eam haberet.

APHORISMVS XII.

SI uerò hyems australis & pluuiosa fuerit, uer autē siccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad uer inest, ex quacunque occasione abortiunt: quæ uerò parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare uel statim intereunt, uel tenues & ualetudinarij uiuunt. Cæteris autē mortalibus difficultates intestinorū, & lippitudines siccę fiunt: senioribus uerò destillationes, quæ citò interimunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Stultum est disputare, & tempus terere in inutilibus: utpote, cur quidam imperitus adiecerit Serena: cum palàm sit, ad confusionem omnium id pertinere. Ita enim aggredi expositiones oportet, ut in manifestis lectorem non cogamur frustra nugis nostris operam dare: ut qui dam interpres Dioscoridis, in quo plura uerba, nullæ fermè sententiæ. Nec in contentionem reuocare decet, non solùm quæ nullum fructum afferunt, sed nec quæ exiguum, in tanta uitæ humanæ breuitate, in tot impedimentis, in tam magna multitudine rerum nobiliorum & utilissimarum. Quare operæpretium magis fuerit docere, quomodo Hippocrates ex constitutionibus ambabus fermè naturalibus; scilicet hyeme frigida & sicca (quamuis hyems sicca proprie non sit, sed potius serena) & uere calido & humido, quale esse debet, ad contrariam naturæ temporis in utraque qualitate conditionem transierit, scilicet hyemem australem, id est calidam, quantum esse potest, & pluuiosam: uer autem siccum & aquiloniū seu αὐχμηρὸν, quod magis est quàm siccum & frigidum: ut nos admoneret, non esse eandem prorsus rationem in mutationibus quæ sunt cōtra naturā, ei quæ est secundum naturā. Sed uideamus primùm, quomodo ipsemet seipsum interpretetur in libro de Aere & aquis: Si uerò hyems australis & pluuiosa & tranquilla fuerit, uer autē siccum & aquilonium* Pag. 8.

,, aquilonium ac tempestuosum: primùm quidē mu,, lieres, quibus partus ad uer inest, ex quacunque ,, causa abortiunt: quæ uerò parient, imbecilles & ,, morbidos infantes pariunt. quare uel statim in- ,, tereunt, uel tenues & ualetudinarij uiuunt. Atq; ,, hæc quidem mulieribus. Cæteris autem morta- ,, libus difficultates intestinorum, & lippitudines ,, siccæ fiunt: & aliquibus defluxiones à capite in ,, pulmonem. Pituitosis igitur difficultates intesti- ,, norum fieri uerisimile est, & mulieribus pituita ,, de cerebro defluente, propter naturam humidio- ,, rem: biliosis autem lippitudines siccas, propter ,, carnis caliditatem ac siccitatē. Valde autem seni ,, bus defluxiones, propter raritatem ac eliquatio- ,, nem uenarum, adeò ut aliqui quidē derepentè pe ,, reant: aliq uerò semisyderati, aut dextra aut sini- ,, stra parte fiāt. Cum enim hyems sit australis & ,, pluuiosa ac tepens, ut corpus nō astringatur, ne- ,, que uenæ, uere accedente boreali ac sicco & fri ,, gido, cerebrum postquam ipsum dissolui ac pur- ,, gari contigit à grauedine ac raucedine, tunc si- ,, mul cum uere stabilitur ac constringitur: quare ,, derepentè æstate accedente, & ardore ac muta- ,, tione adueniente, hi morbi incidunt: & intesti- ,, norum læuitates, & aqua intercus ferè reliquis ,, morbis desinentibus superueniunt, cum nō queāt ,, facilè uentriculi à cōcepto humido exiccari. Hic primùm additur, In constitutione tranquilla & tempestuosa. atq; hoc fuit quòd quidam in Aphorismo legunt, εὔδιος frustra: inde deterius (ut dixi) uerbum illud quod tranquillum significat. hic quippe cum tempestuoso opponatur ab Hippocrate, serenum uerterunt, & ex nullo duos errores finxerunt. nam oportuit, si εὔδιος adderetur, addi etiā δυσχείμερος. At uerò hîc utrunque conueniebat, subtiliter & minutim omnes causas disquirenti: in Aphorismo neutrum, breuissimè omnia complectenti, nec nisi necessaria. Apparet igitur, scitulum quempiam, existimantē corrigere Aphorismum, eam dictionem frustra interiecisse. Verùm dices, quomodo poterit esse tranquilla & aquilonia? Respondet bene Gale-

Com.1. post Proœmium. nus tertio in tertium Epidemiorum, aerem nō secus atq; maris aquam perpetuò moueri, atq; hæc in summo: aer uerò in sublimiore parte. quod probat ex motu nubium, quæ uelociter mouentur, tametsi infrà & apud nos nullus uentus sentiatur. Et hoc est quod nos declarauimus in pri-

Cap.1. mo de Rerum uarietate, ubi docuimus uentos fermè semper ex superiore parte in inferiorem ferri: quod etiam probè norunt nautæ. cum enim uident nubes altius discurrere, statim parāt se aduersus uentum illum: et si uident illas bifariàm agitari, subitò expectant certam tempestatem: & si possunt, in tutiorem locum se recipiunt. Si ergo uentus aquilonius in superiore parte tantùm uigeat, aeris dicetur tranquilla constitutio, & tamē erit Aquilonaris. Sed dices, Alia emergit dubitatio: quia dicit Australis, & cum assiduis pluuijs, ut suprà exposuimus: & tamen primo Epide Sec.1.tex. 4.8.

miorum dicit, Hyems austrina tota squalida. Et rursus: Cum esset tota hæc constitutio austrina & squalida. Et per contrariū in secunda constitutione eiusdem, cum esset totus annus humidus & aquilonius. Propterea dico, quòd Aquilo Sec.2.text. 5.

& Auster ex diuersis partibus flant, ut dixi: qui à polo Boreas, serenitatem & siccitatem parit: qui ab Occidente æstiuo, imbres multos, in Hippocratis regione. Auster qui à polo flat, humectat aerem, & imbres adducit: qui ab oriente, etiam hyemali: sed qui ab occidente, exiccat.

Primùm quidem.) Adiecit hæc uerba in libro de Aere & aquis, ut intelligeremus hoc principaliter agere. & iurè. corpora enim prægnantium cum sint imbecilliora, citius & magis afficiuntur reliquis corporibus. Dixit etiam Primùm: quia tales uere, & non expectata æstate patiuntur. Et hoc est quod dixit Galenus, exponens præcedentem Aphorismum super uer Sec.1.

bis illis Hippocratis secundo Epidemiorum: Car ,, bunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus ,, aqua larga: contingebat hoc per totum, & ma- ,, ximè ab austro, quando mutatio est magna, & ,, ad qualitates quæ plurimum faciunt ad corru- ,, ptionem: ut in Cranone ad calidum & humidum. dicet enim infrà: Morbi in pluuiarum mul- Aphor.16.

titudine, putredines. At ibi fuit cum maximis caloribus pluuiarum multitudo: uel si corpora sint imbecillia, ut hic in ipsa statim constitutione, non expectata in aliud tempus mutatione, morbi fiunt, & maximè cum constitutio fuerit præter naturam temporis. Tria ergo sunt, quæ non sinunt expectari constitutionem tertij temporis: magna mutatio ad qualitates, quæ sunt causæ putredinis: peregrina & aliena temporum constitutio ab ipsis temporibus, & imbecillitas ac præparatio passurorum corporum. Causam huius cum Hippocrates non expresserit, Galenus aliam subiunxit non sufficientem, ratus Hippocratem eam prætermisisse. Galeni causa ingeniosi inuenti est, sed sanè ridicula, scilicet quòd infantes in utero repentinū frigus sentientes, alij quidem debiliores

abortu intereunt. non enim sufficiunt perferre illud frigus, quod laxa corpora humida & mollia matrum admittunt. alij dum nascuntur, repentino frigore aeris percussi moriuntur: uel si uiuunt, tenues & ualitudinarij uiuunt. Pudet me quod Galenus has nugas scripserit. Primùm Hipocrates non supponit illud frigus repentè aduenire, sed per totum uer manere atque augeri. deinde uidetur existimare, quòd caliditas illa hyemis sit res magna, cùm sit solùm tepor quidam, & clemens (ut ille uocare solet) hyems: multominus ueris frigus comparandum est frigori hyemis.

Cur ergo mulieres non abortiunt infantes in hyeme? cur qui nascuntur media hyeme, non solùm non pereunt, sed robustiores sunt his qui alijs temporib. nascuntur? Malè ageretur in Germania, & apud Sarmatas, si infantes nascendo perirēt ob frigus aeris. at tantum abest ut frigus
Cap.10. aeris perferre non possint, ut etiam quod ipsemet Galenus testatus est in primo de Sanitate tuenda (sed non meminit) fluuio mergant nuper natos infantulos. Deinde quem calorem maiorem sentiet infans ex hyeme tepida, qui uix discrimen æstatis & brumæ sentit: & quomodo calidus aer uel frigidus ad illum penetrabit? malè ageretur, si hyeme frigeret infans in utero. at fefellit illum, quod nō animaduertit Hippocratem scripsisse causam huius. Indicio etiā est, quòd causam difficultatis intestinorum & destillationis, & lippitudinis siccæ, uerba Hippocratis adducens, scripsit, abortuum prætermisit. Ergo generalis omnium causa ab Hippocrate traditur hoc modo: Cum hyems fuerit australis, pluuiosa & tepens, corpus totum, & præsertim cerebrum, repletur multo humore pituitoso (scilicet etiam salso, ut bene exponit Galenus) uenæq; laxantur: inde repentino superueniente frigore, generantur grauedines & raucedines, materiáque ad oculos calida deriuatur, quæ foras non exit, constrictis omnibus meatibus à frigore (hoc enim rectè etiam à Galeno explicatur) fiúntque lippitudines siccæ, id est, in quibus lachrymæ non profluunt (communiter enim in lippitudinibus alijs effluere solent) & difficultates intestinorum, & destillationes quæ in senioribus etiam citò interimunt, & in prægnantibus eijciunt fœtum: etsi modò ferant usque ad partum, nascuntur adeò imbecilles ut uix uiuant: aut si superuixerint, languidi erunt, & admodum infirmi, ob naturam illam acrem & crudam à cerebro maxima ex parte expressam. Quis tam mihi iniquus erit iudex, qui fabulam illam Galeni de frigore, huic adeò manifestæ & sensili, atque ab Hipocrate causæ sumptæ præponat? Præsertim cum Pag.11.
dicat Hippocrates in libro de Sterilibus: Si qua prægnans decem menses perficere non potest, sed corrumpit, & hoc sæpè patitur ex huius utero, tum ex toto corpore aquam purgato. Et primo de Morbis mulierum, cum do- Pag.11.
cuisset madidos & humidos uteros non concipere, inquit: Sunt autem mulieres, quæ facilè in uentre concipiunt, gestare tamen non possunt, sed fœtus corrumpunt tertio aut quarto mense, nulla alia causa manifesta: sed id contigit ob eam, quæ relata est. Et infrà paulo: Si uteri pleni sint, membranæ minus cohærent fœtui, atque ita abortiunt. Quis unquam de calore aut frigore hæc audiuit, nisi hæc talia sint, ut matrem ipsam corrumpant?

Huius Aphorismi exemplum affert secundo Epidemiorum: In Perinthum circa solstitium Sec.3.
ferè æstiuum uenimus: facta est autem hyems clementi cœlo austrina, uer & æstas ualde sine aquis usque ad Pleiadum occasum. nam si etiam quid aquæ cecidisset, id erat uelut minutæ roris guttæ. Et Etesiæ non ualde spirarunt: & qui spirarunt, diuulsè id fecerunt. Aestate febres ardentes populariter grassatæ sunt multæ. Sed quia non adijcit, quod uer fuerit Aquilonium seu frigidum, ideo loco fluxionum contigere febres. Manifestum est autem, quòd cum sint tria principalia (ut sæpe dictum est) scilicet tranquillitas & uenti, imbres & serenitas, calor & frigus, quòd in Aphorismo (ut exponitur in libro de Aere & aquis) omnes tres mutationes complexus est. Voluit autem intelligi per id quod uentos omisit in præsenti Aphorismo, plus referre qualitatum actiuarum & passiuarum mutationem, quàm uentorum: nam secundo Epidemiorum etsi meminisset mutationis ex humido in siccum, nihil tamen tale secutum est. illud uerò exemplum nihilominus hic ualde accommodatum est, cum si quid in hac mutatione desecerit, intelligere uoluerimus, quid sequatur. Sequutæ enim sunt febres ardentes, & quales ibi describuntur, non sanè ualdè mortiferæ: & maximè quibus pustulæ quædam rubræ miliaceæ in cute subortæ sunt. Ex his mulierem nullam mortuam fuisse, cui hæ eruperint, animaduertit.

Sciēdū est etiā, Galenū existimare omnes hos quatuor morbos uere fieri: cum tamē Hippocra-

tes

tes æstate omnes præter abortum uelit succedere, scilicet lippitudines siccæ, difficultates intestinorum, fluxiones tam quæ citò interimunt, quàm communes.

Duos tamen adijcit morbos, quos uult solum in æstate fieri: scilicet læuitatem intestinorum, & aquam intercutem. nam reliquos uult etiam in ipso uere incipere posse: tamen in æstate magis sæuire, & fieri magis populares. Sed cur in Aphorismo omisit æstatis mentionem? certè si non in alio aberrasset Galenus, uenia dignus fuisset. Causa fuit, ut intelligeremus uere quidẽ, etiam non superueniente æstate hæc contingere. meminerat autem se declarasse in libro de Aere & aquis, quòd rationem docuerat in omnib. generalem, quòd tales morbi si etiam incipiant in ipsa constitutione, uberius in tempore succedente grassantur, adeò ut abundante humore perue-
Aphor. 54. niant homines ad leuitatem intestinorum: seu, ut
41. in septima Aphorismorum, ex Cornario, à læuitate intestinorum, dysenteria: et Sexta eiusdem, à dysenteria aqua intercus: seu quod dissoluta multa pituita hoc etiam per se contingat, utroq; modo uerum esse potest.

Sed cur dixit, Destillationes in senioribus, quæ citò interimunt? Galenus minus explicuit, quàm ipse Hippocrates, cum doceat se loqui de morbo attonito apertè, cum subiungat: Aliqui uerò semisyderati aut dextra aut sinistra parte fiant. Nam si materia illa in ualde senibus, cum im-
Pag. 11. becilles sint, & uacuas habeant uenas (primo de Morbis, quod etiam in textu suprà ex libro de Aere & aquis retulimus) deferatur per uenas iugulares ad cor, loco grauedinis uel raucedinis, repentè moriũtur apoplectici: sin per neruos resoluti, altera ex parte syderantur. Liquet autem, quod hic Aphorismus contrarios status ad unguem duorum temporum cum præcedenti facit. non solùm autem licet, sed necessarium est sic facere, cum non ex contrarijs contraria sequuntur, ut hic. nam non solùm contraria omnia, sed quædam etiam prorsus eadem, ut dysenteriæ: quædam ex parte, ut lippitudines humidæ et siccæ, in una fluxiones, in altera acutæ febres producuntur. Abortus autem, nihil habent quod eis respondeat.

APHORISMVS XIII.

Si uerò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus uerò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines: quibusdam autem, & tabes.

COMMENTARIVS.

¶ Tres facit coniugationes Hippocrates li- Pag. 8
bro de Aere, aquis & locis, incipientes ab æstate, utpote quæ morbos magis perniciosos adducant: unde etiã quatuor illæ constitutiones, quas pro exemplo ponit in primo Epidemiorum, aut eiusmodi sunt, aut magis ad has quàm ad duas prius recitatas accedunt. Omittit autem Hippocrates primã harum trium hic, quæ talis est, ut melius præsentem ex collatione intelligamus. Si autem æstas pluuiosa sit, & austro multum perfletur, similisq; sequatur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse: & his qui pituita abundãt, & quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri uerisimile est. qui uerò bile abundant, costarum & pulmonis inflammationes. Hæc de simili. de dissimili uerò, de qua in præsenti Aphorismo est sermo, hæc refert: Si uerò æstas sicca fuerit, & aquilonia, autũnus uerò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt (& cerebri corruptiones) & tusses, raucedines atq; grauedinés, quibusdam autem & tabes. Nec plus habet ibi, quàm in Aphorismo, unde explicatio ex superioribus sumenda erit: solùm id additur de cerebri corruptionibus, quam simul cum reliquis quinque affectionibus declarabimus. Cur æstatis non ascribat morbos, palàm est: quoniam unius temporis morbos describere propositum non est: & etiam, quia temperata erit huiusmodi constitutio, ac maximè sine morbis. Sed & autumnus temperatus erit: & si modò aliquantisper calidus & humidus, cum natura sit frigidus & siccus, nõ pariet multos neque magnos morbos: sed superueniente hyeme, à frigore copia humoris pituitosi, ac etiam serosi constricta in cerebro, pariet omnia quæ dicta sunt: et in præparatis etiam ad tabem, ex acri destillatione phthoen dictam.

Porrò alterius constitutionis causas ascribere, non ad præsentem, ut liquet, sed sequentẽ pertinet Aphorismum. melius igitur fuerit hic, ut in sequẽti Aphorismo, tum hoc quod proposuimus, tum expositionem, tum etiam ut de ortibus siderum sermonem absoluam: atque quæ Galenus ibi nugatur, partim refellam: partim doceam, quod ille pollicitus nesciebat, ut hic de causis mutationum temporum historiam perficiam. Mutantur tempora sex ex causis potissimum, calidaq; fit uel frigida constitutio temporis, serena

uel pluuiosa, turbulenta uel tranquilla. Primùm ex solis motu in signifero, cuius cum sint quatuor puncta principalia, si in duo media diuidatur, fient quatuor diuisiones: quarum duæ sunt ab æquinoctio ad æquinoctium, in quarum Boreali manifestè calor uiget: in Australi autem manifestè frigus, ut hic accessus ad puncta, ad qualitates manifestas pertineat, calorē scilicet & frigus: reliquæ duæ à tropico ad tropicum, occultas faciunt mutationes. quod sol à bruma ad æstiuum solstitium germinare faciat, et uitam augeat occulta ui: in tota alia medietate contrahit se, & uitam debilitat. Cum uerò actio solis duplex sit, occulta et manifesta: hinc fit, ut uer utranq; causam complectatur, generationis & uitæ, calorem scilicet & accessum: autumnus uerò utranq; oppositam. nam & sol recedit, & abest ultra æquinoctialem. Hiems uerò, quæ à bruma incipit, & sub Aequinoctio finitur, occultè qdē sole ad nos accedēte, saluti & uitæ et generationi utilis est: apertè autem aduersatur, propter solis absentiam seu frigus. ita æstas contraria ratione, licet calore uitæ amica uideatur, occultè tamen uitæ insidiatur. Vnde plantæ hyeme trāslatæ uiuunt, aut etiam insitæ æstate pereunt: æstate tamen fructificant, hyeme etiam fronde carent. Atque hæc su-
Cap.9. mūtur à Ptolemæo, primo de Iudicijs astrorum.


Illud adijcere licet, q; cum Apogeon solis nostra ætate sit in secundæ partis cancri fine, ideo cum tunc uigeat æstas, erunt æstates temperatæ: hyems quoque, cum sol sub bruma sit in Perigeo: Antiscijs uerò nostris, omnibusq; qui sub eodem circulo æquinoctio parallelo habitant, contrà est. nam hyemes habent frigidissimas, cū tunc eis sol in apogeo sit: & æstates feruentissimas, quia sit in perigeo tunc. cum uerò æstas apud nos, ut dixi, sæuiat ad 11. calendas Augusti, id est, cum sol distat à solstitio partibus quadraginta, hinc fiet ut post termille et octingentos annos incipiat regio nostra æstates pati calidiores, hyemes uerò frigidiores. augebitur autē hoc malum, donec peruenerit Apogeon ad libram octo millibus abhinc ac octingentis annis: tum uerò ob inæqualitatem multis inundationibus & æstibus ac conflagrationibus concussa hæc medietas borealis sensim desolabitur, perseuerabitq; atque augebitur hoc malum nouem annorum millibus. At interim occultè lædetur constitutio uitalis omnium rerum: apertè autem uigebit atq; florescet, ut in æstate solet, partes tamen ad polos minus affligentur.

Secundum est ex motu lunæ: hæc mirificas habet mutationes, quas nisi singillatim explicauero, intelligere nō licebit. Ergo à coitu ad quadrantem septem diebus & dimidio frigefacit & humectat: idem facit ab initio Capricorni ad Arietis initium, imitata solem. à solis primo quadrato ad oppositionem Ver refert, & ab Arietis initio ad Cancri initiū: pariter post quindecim dies à coitu, & statim ab oppositione cum sole, & à Cancri initio ad Libram calefacit et siccat. At in ultimo quadrante, & à Libra ad Capricornum, siccat atque refrigerat. Ponamus igitur, quòd dum Sol est in initio Leonis, Luna sit in Arietis initio, erit æstas æstuosa ratione habitus et luminis Lunæ, & signi uernalis: cuius causa non multum siccabit, licet sit in quadrante æstiuo. quare Lunæ effectus cum necessariò cōtrarij sint, semper ratione luminis & loci: ideo fit ut uix unquā potuerit constitui ratio manifesta mutationis tēporum ex Luna. Si enim Sol accedat ad nos, & ipsa prope nos parum calefacit ob luminis paruitatem: si Sol prope solstitium sit, et ipsa prope oppositionē, erit ultra æquinoctij circulum, ut multum calefacere non possit. Hoc ideo factum puto, ne nimis frequentibus & celerrimis mutationibus morbi desæuirent, & perniciem mortalibus afferrēt. Cum uerò Luna post solstitium statim coierit cum Sole, & ad Arietem peruenerit, congeminatur calor, fitq; longa æstas non æstuosa, quoniam plus auget calorem Solis in Leonem ingressus, quàm Lunæ quæ antea in eo fuerat potentia.

Tertium est, ex erraticis alijs: quarum duæ Venus & Mercurius cum semper prope Solem sint, eodem fermè in quadrante sunt signiferi: quare illorum ratio parum euariat à Solis ratione, nisi quod cum in Leone simul fuerint, caliditatem augent, & feruidiorem faciunt æstatem: cum in Scorpione, inæqualitatem. & ratione atque experimento compertum est, pestiferos facere Autumnos. quòd si Mars ibi adsit, erit maius malum, & æstuosus ualde Autumnus: & si Saturnus Martis loco, idem erit quod ad morbos attinet: sed erit frigidus, nubilosus: utroque autem modo maximè inæqualis. Porro fiunt quatuor congressus earum, seu per coniunctionem quæ omnium est ualidissima, seu per oppositiones, Saturni quidem cum sole, refrigeratúrque aer ualde, & cum luna obnubilatur ac densatur: cum autem Mercurius coit cum Ioue, aut (ut dixi) opponitur, fiūt uenti. Et si Mars cum Venere, fiunt imbres & tempestates, eóque magis, si sol uel luna accesserint: & si

& si haec contingant, cum oriuntur, aut occidunt. Et ortus Saturni atque occasus refrigerat, Martis autem calefacit, Iouis aerem temperat atque serenat. Est tertia uis non contemnenda in singulis. Nam Iupiter dum accedit, temperat occulte, fouetq; hominum & omnium uiuentium uitam. Eademq; in quadrantibus peragit fermè quae sol: nisi quòd loco caloris temperat, & serenitatem cum leuibus uentis adducit, aut aufert, ut in Sole dictum est. Saturnus ab Ariete ad libram temperat aestatē, hyemes acerbas facit. Et uterque Saturnus & Iupiter prope tropicum hyemalem, antequam eum superauerint, niues magnas mittere solēt. at Saturnus à Libra ad Arietem, et similiter Mars, parum mutant temporis statum. Mars tamen ab Ariete ad Libram tepidas facit hyemes, feruidas aestates, maximè in Leone. Accessus Saturni et Martis quomodocunq; fiat, seu per longitudinē seu per latitudinē, hominū & animalium atque plantarum corpora debilitat, & à temperie euertit: recessus, utilis est.

Quartum, ut dixi, est ex ortu siderum magnorum, atq; occasu: praesertim (ut dixi) in Canicula & Arcturo ortum, in Pleiadibus Hippocrates ortum & occasum considerat. Luna quoque illis congrediens his temporibus, auget eorum effectus. sed, ut dixi, haec ad sequentem transferenda sunt Aphorismum. Quintum uerò est pluuiarum abundantia uel defectus, de quibus infrà suo loco dicemus. Sextum est uentorum flatus, Aphor.16 *de quibus nunc quae Hippocrates tradidit in suis regionibus, in nostra & omnib. alijs docere propositū est.*



Sumatur noster orizon a b c d e f g h. cuius in centro k, ut dixi, nos semper esse necesse est. et ducta ab Austro ad Boream a k e, cum aequinoctij circulum secet orizon, semper per aequalia sint sectiones c & g. nam sunt circuli magni. Et ideo cum k etiam sit centrum aequinoctij ex demonstratis in geometricis elementis, erit c k g ad perpendiculum diuidens a k e. quare ortus aequinoctij & occasus, quasi inter Meridiem & Boream, nobis & omnibus in quacunq; plaga habitantibus. Ergo ortus & occasus aestiui erūt Boream uersus d & f, ut dictum est: & hyemales b et h, quae omnia puncta ueris nominibus uentorum praefiniuimus: quamuis aliàs, dum scriberemus commentaria in Ptolemaeum, paululum ab hac nominum descriptione (quod nondum Dialecticam inuenissem) uariauerim circa Zephyrum, & quorundam aliorum nomina uentorum: quae corrigi debent iuxta hanc descriptionem, seruata mathematica ratione, quae ibi habetur inconcussa. & proponatur ut nobis, quod dicit uernaculus Poeta,

Zephyro spira, el bel tempo rimena.

Quòd uētus ille sub uespera spirans serenat coelum, iuxta illud etiam:

Zephyro spir'el ciel si rasserena.

Et moderatè refrigerat. Subsolanus, nubes adducit. & qui inter c d positus est ab Oriente: cum tamen superius dictum sit ex Hippocratis sententia, Zephyrum esse nimbosum: & qui ad orientem spectant, siccos. Ptolemaeus in primo libro ponit subsolanum siccum, sed Fauonium humidum: sed ueritas debet consentire experimento & rationi. Subsolanus humidus est, & calidus, & assimilatur ueri: Fauonius autem autumno, frigidus & siccus: Auster aestati et meridiei, sed ob debilitatem fit calidus & humidus, cum natura sit calidus & siccus: & Boreas frigidus & humidus, sed ob impetum fit siccus. assimilatur enim hyemi & nocti. Aliter Subsolanus habitantibus sub Diaboristhene, transit per parallelum quartumdecimum, ideoq; per terras gelidas, & minimè calidas: & si ueniat à loco calido ex c, peruenit in k regionem frigidam, & est per pontum Euxinum, sed procul, & sinum Adriaticum: ideo est lenis & humidus: & pluuias adducit,

Lib. de Aere & aquis Pag. 4.

Tex.có.39.

adducit, non tamen magnas, quoniam est prope mare. Sed Etesiæ cum sint ualidiores, & ferantur ex Oriente æstiuo, magis refrigerant, & parum humectāt. Boreas autem, ut dixi, quia propè est, ualidissimus, & gelidos uentos facit. Zephyrus autem ex parallelo, per Thylen ad nos uenit, per mare Anglicum & Galliam, ideo refrigerat & exiccat. At qui aduenit ex Occidente uernali seu autumnali, cum transeat per mare mediterraneum, & non uehementer irruat ob distantiam, humectat, & imbres ex mari adducit. transit enim per Atlantem Africæ tempestuosum. Per idem Vulturnus aquosior est Notolibyco, quia longius aduenit, & uterque calefacit. Transit autem Vulturnus per maria Sudum & Mediterraneum, linea ex b in k minus inclinata, quàm ex h in k: quo fit ut minus excalefaciat, et magis humectet. at quæ ex h in k, præceps est, & ad Austri naturam magis tendit. Porrò Græciam Vulturnus superat, & ideo etiam Græcus dictus est: sed & Cæcias inter Eurum & Etesias positus, per Græciam transit, uterq; orientalis & humidus, sed Cæcias frigidior est. Omnis autem uentus præter Austrum, & qui ualde propinquus illi est, refrigerat, eo quòd cum prope nos est, per frigidas regiones transit: & eo magis, quo ualidior, & in hyeme flat: uel uere, cum nondum terra calefacta est. Venti quoq; omnes contrarij imbriferi sunt. cogunt enim nubes, & ideo tempestates & procellas adducunt. Iuxta illud ergo in unaquaque regione considerabimus, quòd uenti cōtrarij tempestates adducunt, modò sint aut ambo ualidi, aut ambo remissi: sed tunc longas faciunt pluuias. Secūda aūt regula: Venti ualidi frigidi sunt uehementer, atque ideo etiam humidi natura, sed serenitatis autores: remissi autem naturam retinent locorum, per quæ transeunt. Tertia est, Vt uentos omnes ciuitates ab æquinoctijs ortibus & occasib. temperatos quasi habeant, & humidos generaliter, quoniam procul flant. Qui uerò ab æstiuis ortibus & occasibus, frigidi ob propinquitatem: occidentalibus orientales humidi, occidentales sicci, ob propinquitatem: orientalibus autem orientales sicci, occidentales humidi. Ideo Ptolemæus cum esset longè orientalior nobis, scilicet partibus quadraginta propè, orientalem uentum siccum pronunciauit, occidentalem autem humidum. Quinta autem & ultima regula est: Venti naturam sapiunt locorum, per quæ transeunt. Si per terras siccas & aridas, calidi sunt ac sicci: si per terras humidas, frigidas, lacus, stagna, niues, frigidi sunt & humidi: si per maria, sicci: sed si leues, pluuiosi. uapores enim deferunt, & cogunt, nec auehere possunt. ob id à pluuia & imbribus pluuia, & imbres persepè madefacta terra adueniunt. Venti enim omnes tunc humidi sunt, & pluuiosi.

Est etiam aliud cōsiderandum circa causam æstatis, scilicet quomodo post solstitium magis crescat calor, cū sol recedat à nobis. Causa est, quia nostra regio adeò est frigida, ut ab æquinoctio usq; ad solstitium totus labor sit, quasi in calefaciendo aerem & terram, & præcipuè quòd noctes adhuc sunt longæ. augetur tamē calor et plus ab æquinoctio ad solstitiū, quàm à solstitio ad uigorem æstatis. Sed quia illud quod augetur, ultra solstitium magis sentitur, quia aduersatur naturæ nostræ: ideo uidetur magis augeri post solstitium, quàm ante. augetur ergo calor post solstitium minus, quàm ante solstitium. Demonstro modò, quod recedente sole debeat augeri. Proponatur ergo punctus l, in quo dum sol est in nostra regione, si ibi perpetuò esset, nec uariaretur nisi uicissitudine diei & noctis, temperatus esset aer. Tunc ex l in d procedendo augetur calor, hoc est usq; ad æstiuum solstitium: sed recedendo par fit calor in punctis medijs recessus l & d, sicut accessus, qui superadditus iam calori acquisito auget æstū: igitur calor æstatis augetur, donec sol redierit ex solstitio in l. Pūctus autē l, est locus in quo declinatio iam parua est: id est, finis Cancri, seu initium Geminorū. nam declinatio à solstitio est partium trium, & paulo plus quadrāte: ibi etiam in singulos dies declinatio solis augetur quinta parte unius gradus (ut uocant) et ita dimidio maximi incrementi, propius autem minus. Cum ergo distantia à solstitio praua sit, & etiam ex hoc discrimen maioris diei, tunc à minima nocte fermè idē permaneat, cum minus sextante uarietur, & recessus solis à nobis, cum sit minor dimidio maximi recessus, et ideò minus refrigeretur aer ex recessu quàm ex propinquitate incalescat: sequitur generaliter æstatis calorem tribus his concurrentibus causis augeri per triginta dies à solstitio, & tunc incipere summum æstatis uigorem. Mense quoq; ante solstitium generaliter aerem esse temperatum, ita ut calor diei cum refrigeratione noctis temperatum quiddam, & ita de alijs partibus diei correspondentibus partibus noctis. Et hæc ratio cū ea quæ superius est adducta, ad unguem concordat: & hoc in regionibus borealibus. Rhodus enim, & quæ propiores sunt æquinoctio, tanto

citius

citius ad ſuum perueniunt temperamentũ, quantum eſt differentia diei ad noctẽ: & quia cum ſol eſt ſub æquinoctio, diſtant ſolũ trigintaſex partibus ab æquinoctij circulo, & tunc dies iã ſunt æquales noctibus, ſequitur ut uer incipiat ſtatim fermè poſt æquinoctium. Accedendo igitur exiſtimandum eſt, ſuppoſita æqualitate diei & noctis, uiginti quatuor partes diſtantiæ facere temperatum tempus. Et tantundẽ diſtant ultimæ declinationes utrinq; ab æquinoctiali, & tantundem fermè diſtat etiam ſol à nobis quarto nonas Aprilis, cum uer eſt, & aer temperatus nobis, id eſt maximè cõueniens naturæ humanæ: uerè aũt, quantum decet, calidus & humidus. Manifeſtum eſt ergo ex hoc, quòd quanto ulterius procedit æſtas, eo caloris incrementa ſunt fermè inſenſilia: licet propter ardores iam urgentes magna uideantur.

APHORISMVS XIIII.

SI uerò aquilonius & ſiccus, ijs qui naturam habent humidiorẽ, & mulieribus conferet: reliquis autẽ erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & diuturnæ: nonnullis uerò & atræ biles.

COMMENTARIVS.

Pag. 8. ¶ Sic legitur hæc pars in libro de Aere aquis & locis, atq; etiam ab Hippocrate exponitur, ut
» coniuncta primæ parti præcedentis Aphoriſmi:
» Si quidem æſtas ſicca fuerit, & aquilonia, au-
» tumnus etiam aquilonius & ſiccus: & neq; ſub
» Cane neq; ſub Arcturo pluuioſus cõfert pituito-
» ſis natura, & maximè his qui humidi ſunt, &
» mulieribus: bilioſis autem infeſtiſsima hæc conſti
» tutio exiſtit. Valde enim exiccantur, acciduntq;
» eis lippitudines aridæ, & febres acutæ ac diu-
» turnæ, & aliquibus bilis atra. Siquidem quod li-
» quidiſsimum ac aquoſiſsimum in bile eſt, conſu-
» mitur, denſiſsimum uerò & acerrimum relinqui-
» tur. quod idem accidit ſecundum eandem ratio-
» nem, & circa ſanguinem: unde hi morbi his ac-
» cidunt. Pituitoſis autem hæc omnia commoda
» ſunt. exiccantur enim, & in hyemem perducuntur minimè humecti, ſed reſiccati. Palàm eſt, quod in hoc loco cũ coniungatur eis uerbis præcedenti in Commentario recitatis, Si uerò æſtas ſicca fuerit & aquilonia, illud præſupponere, quod etiam in Cõtextu docet. legi etiam debet, Et diuturnæ, non grauedines. litera enim Græca corrupta erat ex πυρετοὶ ὀξέες κρονικαὶ, pro κόρυζαι. ſic Hippocrates in libro de Aere aquis ac locis, ſic Celſus libro ſecundo legit. Cap. 1. 10. & 11.

Ariſtoteles prima Problematũ utrunq; prætermittit. Galenus ſuo more legit in utroq; textu, Grauedines ſeu κόρυζαι, et utriuſq; omittit expoſitionem: grauis & accuratus certè expoſitor, dignuſq; pro quo quidam tantum digladientur. Dixi ſæpius, nec accuſare benedicta, nec omittenda utilia: ſed non illi fauendum ea in parte, in qua uolũtate, non neceſsitate aut difficultate labitur. Sed & in hac ſententia eſt Fuchſius, qui ubi poteſt, ſolitus eſt carpere Braſauolũ: cuius eſt hoc ex Hippocrate inuẽntũ. Deinde quod maius eſt, ſi ſic legatur, ratione caret. Sunt qui legant, κρουνικαὶ πολυχρόνιοι.

Explicatio Aphoriſmi perbreuis eſt: Si æſtas & autumnus fuerint ſicci & aquilonij, id eſt frigidi his qui humidiori ſunt temperie, uel ratione ſexus, ut mulieribus: commodus erit humido, ſuperfluo, ſiccato. Bilioſis aũt hæc conſtitutio erit infeſtiſsima. nã qđ liquidiſsimũ eſt, atq; aquoſum, à quo tẽperari ſolet, bilis abſumitur: quod in cerebro eſt relictũ ad oculos, ſi extrudatur, facit lippitudines ſiccas. intellige tamẽ alteri' generis ab his quæ in ſuperiore deſcriptæ ſunt Aphoriſmo, ſcilicet deteriores, utpote à bile flaua ualde reſiccata. quòd ſi nõ extrudatur humor, fient atræ biles: ſi uerò ſint humores in toto corpore, fient febres acutæ. Quòd ſi reſiccetur ſanguis, ut inqt, fient relicta melãcholia, febres ualde diuturnæ.

Per hæc eadẽ explicemus, quæ in præcedẽti Aphoriſmo explicare promiſimus: Si tam æſtas q̃ autumnus fuerint auſtrales et pluuioſæ, in hyeme ſubſequẽti cõtracto multo humore corrupto fient febres ardentes ex ſalſa pituita, in his qui pituita abundauerint: quib. uerò bilis ſuperabũdat, coſtarũ et pulmonis inflãmationes. hic enim humor corrupto ſanguini copulatus, facile penetrat in huiuſmodi loca, cum calor nõ adeò uiget. Ideo adiunxit, In utroq;: ſed tamẽ magis ꝑpter hoc, in his q quadrageſimũ annũ exceſſerint. Siqdẽ infrà dictur' eſt, ultra hãc ætatẽ (id eſt, quadrageſimi anni) morbi laterales, et pulmonis inflãmationes. Omnia igitur hæc bellè congruũt inuicẽ. Aphor. 30.

Reliquum eſt, ut quæ Galenus pollicitus eſt, quæ tamen præſtare ſe nõ poſſe (tanquã poſſet) intelligebat, exponam. (Primũ igitur incipere) docet inchoandum eſſe à ſimplicibus temporum intemperiebus. Hoc eſt hic extra propoſitum: dicetur autem ſuo loco. Deinde uult tranſire ad duas & tres & quatuor conſtitutiones temporum, atque in hoc numero qui annum complet, terminari. hoc etiam malè. nam ut ſuperius docui ex Hippocrate in tertio Epidemiorũ, Conſt. 3.

in constitutione pestilenti ipse amplectitur undecim penè tempora.& duos annos, igitur nō oportet hunc finem statuere, nec temporis in anno, nec quatuor constitutionum:sed methodum tradere,qua omnibus satisfaciamus, seu sint paucio res quatuor,seu plures.Igitur qui exempla Hippocratis intellexerit de duabus constitutionibus, seu morbi in eis cōtineantur,seu transferantur in tertiam,de omnibus intelliget. Sed nec uult Hippocrates,ut dixi, ut à medijs temporibus incipiamus,sed ab extremis, scilicet æstate uel hyeme: quod cum fecerimus, uel erunt similes, uel contrariæ.Vtrarumq; autem harum dedit exemplū: tria in contrarijs tanquam difficilioribus, & unum in similibus ut faciliore.Si uerò fuerint partim contrariæ,partim similes,ex utrisque extremis facere licebit coniecturam.Cum uerò differentiæ sint tres, ut dixi,in qualitatibus actiuis et passiuis,et uentis (nam serenitatē à siccitatē pertinet, ut humida qualitas ad imbres & uentos, nisi dum flant) parū referre putet,nisi quatenus calefaciunt,refrigerant,exiccant aut humectāt. manifestum est redigi hæc omnia in sexdecim coniugationes tantum,nec plures: cum Galenus non ausus sit de illis agere,existimans forsan esse penè infinitas.nam cum æstatis constitutio sit necessariò calida & humida , uel sicca uel frigida, & humida uel sicca: autumnus uerò sequens, si ei ad unguem esse debet cōtrarius, etiam quadrifariàm uariabitur. si similis, quadrifariā rursum. erunt igitur omnes modi octo,totidem hyemis cum uere. Igitur modi principales erunt sexdecim, quorum cum certissima ratione quinque attulerit exempla,quibus sexdecim modi illi cognoscuntur,palàm est non potuisse nec plura ab Hippocrate exponi sine loquacitatis suspicione.

Quorum causa præsentem Tabulam subteximus.

1	XI.	Hyems Frig. Sic.	Ver Cal.& Hum.
	XII.	Hyems Cal. Hum.	Ver Frig.& Sic.
2	XI.	Hyems Frig. Sic.	Ver Cal.& Hum.
	XIII.	Aestas Frig. Sic.	Autumnus Cal.& Hum.
3	XIII.	Aestas Frig. Sic.	Autumnus Cal.Hum.
	XIIII.	Aestas Frig. Sic.	Autumnus Frig. Sic.
4	XIIII.	Aestas Frig. Sic.	Autumnus Frig.Sic.
	Additus,	Aestas Cal. Hum.	Autumnus Cal. Hum.
5	XII.	Hyems Cal. Hum.	Ver Frig.& Sic.
	XIII.	Aestas Frig. Sic.	Autumnus Cal.Hum.

In his cum commune sit, duo tempora, & sibi inuicem succedentia accipi,quorum primū habet qualitates uehementes, secundum remissas: non fit uarietas,nisi quoad qualitates. quarū una semper est actiua,alia passiua,uel in temporibus, uel in commutatione tantū.Sunt igitur quatuor, in quo singulæ constitutiones conueniunt:tempora duo succedentia. Primum,cum excessu:secundum,propè temperatum,& qualitates actiua & passiua: tria uerò discrimina uel temporū uel qualitatum, uel quod commutentur aut maneant. Si ergo tempora sint eadem, & non commutentur qualitates,solum sint diuersæ, fit quarta coniugatio. Si tempora sint eadem, & commutentur,necesse est qualitates esse diuersas: aliter esset eadem constitutio,fit ergo prima coniugatio.Si tempora sint eadem,qualitates eædem, necesse ut si sint diuersæ constitutiones , ut una commutet, alia non. igitur fit tertia coniugatio, manifestum est ergo,quòd in eisdem temporibus non possunt esse plures quàm tres hæ coniugationes. Si autem tempora diuersa sint, uel commutant,& qualitates sunt eædem, & fit secunda coniugatio : uel qualitates sunt contrariæ,& fit quinta coniugatio. Quod si uelles ut manerent,et qualitates essent eædē aut diuersæ,oportuisset

tuisset addere sextũ exemplum hyemis & ueris similiũ: & tunc cũ addito, & 14. fuissent factæ duæ cõiugationes, atq; expletus numerus omniũ coniugationũ, quæ in hoc casu excogitari poterant. Sed non fuit necesse, quia hæ cõiugationes fuissent cõpositæ ex 14 Aphorismo, & secunda & quinta cõiugatione. Cum enim in eisdem temporibus manentibus exposuisset duo exempla in quartodecimo, & addito Aphorismo, diuersorũ aũt temporũ & eiusdẽ qualitatis in secunda cõiugatione, et diuersarum in quinta, patet propositũ.


Quòd uerò polliceatur se expositurum librũ de Aere & aquis, nemo existimet id perfectum esse ab eo: neq; enim ausus est illum explicare, cum ei uideretur difficillimus. nam cum plures alios libros minoris momenti exposuisset, hunc pulcherrimum, & adeò in ore omnium, si ausus esset, inter primos exposuisset. At non exposuisse, optimè animaduertit Brasauolus, uir maximi iudicij inter nostri temporis scriptores: tametsi in hoc uno de Oribasij expositione iudicio cæcutierit. Sed quod non exposuerit (ut ille ait) Galenus eum librum, ex multis conijcitur. non adnumeratur ab eo nec in libris De libris proprijs, nec de ordine propriorum librorum, nec citatur ab illo ullibi, ut solet in alijs facere. nec Oribasius cum in eum sermonem incidisset, nec Aetius, nec Rasis, nec Auicenna. qui plures illius libros, qui nunc non extant, uiderunt, ullibi mentionem illius fecere: ut constet, illum rei difficultate deterritum, non ausum exponere.

Quod uerò paulo antea.) Proponit tria genera habitationum. temperatam per se: dicitq; eam esse, quæ est sub zona contenta inter parallelas, inter Coum & Gnidum. Coos insula distat ab occidente partibus 57, ab æquinoctiali partibus 36, minutis 26. & Gnidus Veneri dicata ciuitas, aliàs Cnidus, in Peloponeso Doris, iuxta Halicarnassum, ab occidente partibus 50. ab æquinoctiali 37 distans. Rhodo paulo borealior, quibus Pergamus est borealior, scilicet partibus 39. minutis 45 distat, ab occidente partibus 57. minutis 26. Sed Rhodos & Coos insulæ sunt, Pergamus & Gnidus in continenti. Itaque Pergamus extra temperatam regionem est. Quædam regiones sunt prorsus intemperatæ, ut Aegyptus & Libya propter calorem, Thracia & Pontus ob frigus. Tertium genus est regionum, quæ per accidens sunt temperatæ, ut quæ in littore maris sunt. In calida enim, ut Libya & Aegypto, tẽperantur perpetuo flatu uentorum frigidorum, in Ponto & Thracia ob loci humilitatem calidiora redduntur. hoc dixit, ut Pergamum temperatã esse ostenderet hoc secundo genere temperamenti, licet non primo. est enim in littore maris. Dicit ergo hæc quæ hic scripta sunt, solum intelligi debere in temperata regione. Nolo nunc ob prolixitatem hic de temperamento regionum agere. Satis sit regiones & ciuitates situ reddi, & cœlo, temperatiores.

Ordo autem temporum.) Locus est, ut quæ de ortu & occasu scripta sunt ab Hippocrate, nunc aperiã. Ortus siderum & occasus triplex est: Cosmicus, Chronicus, & Heliacus. Cosmicus, siue, ut ita dicam, mundanus est, cum singulis diebus astra omnia & sol emergunt supra orizontẽ, ut uideri possint, et uocatur ortus: cum uerò mergũtur sub occidente, dicũtur occidere, uideri enim nõ possunt. hunc modũ cum sit diurnus, & nõ possit esse causa morborũ, aut mutatiõis aeris, ob breuitatẽ Hippocrates nõ curauit. Secundus, est ortus & occasus Chronicus, seu potius Nycterinus, id est nocturnus. cũ astrũ enim statim post occasum solis exoritur in orientis parte, quasi cõtra solem, dicitur Chronico ortu oriri: Et si ante ortũ solis ex occidẽtis parte occidit, Chronicè occidere dicitur, ut sẽp aduerso sole astra oriãtur & occidãt Chronicè. Tertius, est Heliacus. Solari enim ratione oriũtur astra, cũ ante ortũ solis ex eadẽ parte oriẽtis astrũ sub crepusculo matutino exoritur: occidit uerò, cum post occasum solis statim astrũ soliũ uideri in occidẽte, nõ amplius uidetur. bifariã enim occidere tũc dici potest: et q post solẽ occidat astrũ, & quòd propter solẽ paulo pòst abscõdatur, desinatq; uideri (ut sẽp accidit) præterq̃ in luna, Mercurio et Venere, quæ nõ semper cũ uespertino in crepusculo apparẽt, pòst abscõduntur. Hippocrates hunc occasum, q duplici ratione posset dici & Heliacus & Chronicus, & ortũ Chronicũ negligi, ut q ambo fiãt uesperi, & in crepusculo uespertino: solũ curat ortũ Heliacũ et occasum Chronicũ astrorũ: quoniã uterq; cõtingit in crepusculo matutino. Sed ortus Heliacus fit ex parte orientis, occasus autẽ Chronicus ex parte occidentis. Proponatur ergo Orizõ alicuius regionis a b c d, ecliptica d e f. circuli et parelleli a m et b c h, ut tota plaga cœli cũ signifero et insignibus, quotquot astris uidentur, in ea contineatur. Palàm igitur est, q astrũ m orietur in a, et occidet in r quotidie: et astrũ l ortũ iam est in f, & occidet in d: & astrũ o orietur in b, et occidet in c, & astrũ n orietur inter f & a. Cũ ergo necessariò sol sẽp sit in circulo d e f, ponatur sub terra

prope

prope f, sic ut iam illucescere incipiat: omnia astra quæ erunt in c, d, r, uel propè, ut usque ad




s, t, u, chronicè occidere dicentur. quæ si nõ multum ab ecliptica distent, erunt fermè opposita soli. Cum ergo Pleiadum solum occasum consideret, hæ uerò non multum absint ab ecliptica, & ipsæ sint in uigesima tertia parte Tauri: manifestum est, q. incipient occidere octauo Idus seu die sexta Nouembris. atque hic occasus fermè per quindecim dies extenditur. cum enim ipsæ fermè sint immobiles, & sol moueatur ex p uersus d, semper intẽpestiuius occidẽt, donec occident ante crepusculum, & tunc iam non dicuntur occidere. creduntur autem tunc multum posse hæc astra in huiusmodi occasu, adeò ut faciat initium primæ partis hyemis, finiatq. autumnum. Sed ex parte orientis, cum astra sub sole sunt, nullam habent uim, teste Ptolemæo. Cum ergo recedit, do nec uideri possit astrum quod antè est, tunc oriri dicitur heliacè, seu ortu matutino. Hic ortus diuersus est trifariàm, ex natura astri. nam Saturnus uideri potest in 11 parte ante solem, Iupiter in 10, Mars in 12, Venus in 6, Mercurius in 10. omnesq; cum sint in Libra, omnes etiam planetæ ratione contraria in Piscibus uel Ariete non uidentur, nisi post 20 partes distantiæ: quod contingit ex obliquitate ascensionis, et natura ac magnitudine stellæ. Solum in Venere hoc fallit. per uigintiquatuor enim minuta distantiæ à Sole in Piscibus uideri potest, & in Ariete, et in Aquario paulo plus dimidia parte: cum tamen obliquè ascendant. quod accidit maximè ex eo, quòd tum est in Perigeo fermè eccentrici, & parui circuli: cum sit soli uncta, & ob solis splendorem. Sola luna oritur uespertino heliacè, occiditq; chronicè eodem tempore: ut ortus heliacus sit idem cum occasu chronico, cum uesperi primo à coitu in occidente sub crepusculo uideri incipit. Tertia causa est astri latitudo, ut in Sirio seu Canicula, qui cum ad meridiẽ 40. partibus fermè declinet, exoritur multo serius quàm oriri deberet. Ex natura enim splendoris & situ in longitudine oriri deberet in distantia 15. partium à sole, & ita oriri circa nonas Iulij. At uerò cum distet 40 partibus semper à sole, aut paulo minus, & sit sidus splendidissimum totius cœli, non solùm ob magnitudinem, sed claritatem luminis, ac copiam: cum talia sidera (ut etiam luna) 25 partes distantiæ, & etiã minus exigant à sole ut uideantur: liquet, modò ante solem oriatur, posse uideri, nec aliam in longitudine exigere distantiam. oritur ergo cũ decima parte Leonis. Ergo dies caniculares incipiunt 11. calendas Augusti, prope id quod etiam Plinij tempore, scilicet 15. calendas Augusti, cum prima Leonis parte. Arcturus autẽ oritur 13. calendas Octobris, cum tertia parte Libræ, qui inchoat autumnum. Ideo ratio Hippocratis propter stellarum motum nunc euariat. Autumnus enim decem diebus ante Aequinoctium certa ratione inchoare debet. Hos autẽ quatuor ortus & occasus, scilicet in Cane & Arcturo ortum, in Pleiadibus ortum & occasum, obseruat Hippocrates. in sua enim regione Arcturi ortus imbres multos demittebat. Sed uideamus quomodo sol impediat astra uideri. Certè cũ est prope sidus, & cum prope orizontem. experientia enim ostendit, quòd quanto auror a magis illucescit, tanto magis absconduntur astra. propinquitas autem ad astrum nõ impedit, nisi quatenus pars illa clarior est. Vnde astrum quandoque propius soli uidebitur, cum sol magis ab orizonte ea in parte distiterit, et procul magis abscondetur, cum duæ lineæ, quæ à sole ad orizontem & ad astrum una fuerint. Sit ergo sol in p, linea p q est ad orizontem breuissima. itaq; astrũ in l melius uidebitur quàm in k, licet k magis distet à sole quàm l. Iuxta hoc si placeat de stellis, quæ non plus quindecim partibus ab ecliptica distent, rationem ortus colligere, ex arcu k l & l p colliges, ut Monteregius docet arcum k p, iuxta Monteregiũ in Tabulis primi mobilis. Sed & considerare oportet arcum p q, & inclinationem (ut dixi) lineæ p k à linea p q, & tempus quo apparent astra. nam si sit æstiuum, melius uidentur ob subtilitatem aeris, & etiam regionem, & hominum qui uidẽt qualitatem, adeò ut sit coniecturalis. Regio alia facit ut astra melius uideantur: et si aer sit tenuior, & qualitas temporis etiam uariat. Vnum non est prætermittendum, plus prodesse distantiam solis ab orizonte, quàm ab astro: quandoquidem astrum quanto

Lib. 3. de Iudiciis Tex. 40.

Lib. 11. Cap. 47.

quanto magis ascendit sub crepusculo, eo semper minus uideatur. unde tum illius distantia à sole parum prodest. Hæc sunt, *quæ uelle uidebatur docere Galenus: cogitamodò, si uel tantas difficultates imaginari potuisset. credebat enim rem hanc esse facilem. Ideo longè melius fecisset, pedem* (*ut dici solet*) *extra medicinam non efferre: quem cum quidam sequi conati sunt, ridiculos se uel initiatis artium præbuere.*

Reliquum est ut doceamus modò, qua hora maximus calor & frigus uigeant quocunque tempore anni, & quæ habeant incrementa ac decrementa quibusuis horis diei. Desumpta autem est ratio ab his quæ in præcedenti docuimus Aphorismo de temporum natura: sed illa est simplicior. Sit ergo orizon a b c d, & eius centrum e, et circulus per initiū Cancri f g b c, cuius centrū k, sectio cum orizonte b c, eritq; portio b f c maior medietate. ducatur igitur k e per centra, & super k ad perpendiculum m k n & b c, quæ cadet infra illam: quoniam b f c portio maior est



semicirculo. Secet ergo e k in h, & ducatur circulus per initium Capricorni o q a d, cuius centrum sit s. puncta intersectionis orizontis a & d. erit ergo arcus a o d super orizontem minor medietate circuli ex ratione sphæræ. & ducatur a d secans o h in p. Diuidantur arcus k b h et k h c per æqualia lineis h g & h l: itemq; anguli o p a, & o p d per æqualia, lineis p g et p r. erunt ergo ex demõstratis in sphæra arcus f b & f c, item o a, et o d semidiurni suorum temporum, scilicet æstatis et hyemis. Et ex demõstratis in Geometricis arcus f g & f l maiores medietate arcuum semidiurnorum. quia lineæ h f & h l maiores sunt lineis h l & h c: & k f, & h g maiores h g, & h b. & per eadem arcus o q & o r minores arcus semidiurni medietate, ideoq; circulus q a & r d. nam lineæ p d & p r maiores sunt lineis p r & p o: & ita p a & p q maiores p q & p o. & anguli, ut dictum est, contenti ab illis lineis, æquales secundum comparationem, Quia

ergo homo respectu circuli f b c est in h, & circuli a q o r d in p, & circuli a b c d in e, erit ut sol tempore æstatis augeat calorem usq; ad l, si oriens sit b. obtinet enim ibi mediam altitudinē, & sub æquinoctio usq; ad dimidium arcus semidiurni postmeridiani, & in hyeme usq; ad r, posito quod sol oriatur æstate in b, & hyeme in a. Constituatur ergo regio, *cuius maxima dies sit sexdecim horarum, & minima horarum octo: igitur sub æstiuo solstitio erit meridies hora sextadecima, tempore æquinoctij decimaoctaua: brumæ, uigesima. calor igitur maximus erit in æstate, hora uigesima cum dimidia, quia arcus f l est maior quatuor horis: tempore autem æquinoctij hora uigesimaprima, tempore brumæ hora uigesimaprima cum dimidia: qa o r est minor r d. nam si essent æquales, esset caloris uigor hora uigesimasecunda ad unguem: at hyeme anticipat, ut dixi, quantum postponit æstate.*

Frigus autem cum maximè ducat originē ab ortu et occasu solis, sicut calor à meridie augetur post occasum solis, donec desinat crepusculū in tempore æquinoctiorum: sed accedendo ad mediam noctem minuitur propter solis ad angulū ascensum, ita ut media nocte minimum sit, uerū statim augetur à media nocte usq; crepusculum matutinū, quod est frigori, ut meridies calori, augetur; ad ortum solis usq;. Sed in æstate frigus non augetur nisi ad mediā horam ante finem crepusculi uespertini, & in matutino usq; ad dimidium horæ ante ortum solis. Qui ortus solis est uelut punctum medium arcus semidiurni post meridiem: in bruma uerò augetur frigus media etiam hora post crepusculum uespertinū, & manè hora media post ortum solis. In æstate ergo erit maximus calor diei, hora uigesima cum dimidia: maximus calor nocturnus hora quarta, maximū frigus uespertinū hora media, matutinū septima cum dimidia. Bruma frigus diurnum hora sextadecima cum dimidia: calor maximus uigesima prima cum dimidia: frigus nocturnū maximum hora una & media, minimum octaua.

APHORISMVS XV.

EX anni autem cõstitutionibus, quod in totum dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

COMMENTARIVS.

¶ *Causam cur imbres plures morbos generēt, Galenus docere nititur: cur sint mortiferæ magis, non docet, sed suo more accusat Hippocratem peruersi ordinis: nec uidet sequentē Aphorismum*

*risinum esse demonstrationẽ præsentis: ita mul-
tipliciter peccat. Igitur uolens hoc demõstrare in
sequenti Aphorismo, morbos omnes qui ab imbri
bus & siccitatibus fiunt, enumerat: quod Gale-
num animaduertere decuit.* Quod ad ordinẽ at-
tinet, Hippocrates proposuit, *quæ sunt per se ma
nifesta, cum abundant hi morbi in temporũ mu-
tationibus: ideo tũ licet animaduertere, quod im-
bres plures pariunt morbos, & magis mortife-
ros siccitatibus.* Doctrina *etiam generalis cum
ex sensibus ortum habet, à proprijs ad genera-
lia procedit: utq; sæpius dixi, hic est modus Hip-
pocratis.* Sed quod ad textum attinet, Galenus
*præsupponit euacuationem excrementorum fuli
ginosorum & serosorum quadrifariàm: sponte
per cutim, balneo, medicamento, exercitatione.
Balneum solùm quæ extima sunt purgat, medica
mentum nocet plura euacuando quàm oporteat.*
3.1.D.2.c.1. Sed Auicenna *dicit, quòd etiã perturbando cor-
pus, ut suprà prauitate propria medicamenti: uel
2.Aph. 36. quia uenenosum, uel quia nimis exiccat aut ex-
37. calefacit.* Exercitatione: *sed hic non docuit cau
sam, cur non adeò in pluuia ut in siccitate satis-
faciat.* Dico, *non potest satisfacere adeò bene, cũ
tempus est humidum & aquosum, sicut quando
est siccum: ideo transmitti potest hic lapsus.* Alia
*causa principalis, cur pluuiæ sint magis morbo-
sæ, est qualitas humida, obnoxia putredini.* At
*cum illud prætermittat (Minus mortiferæ) cum
Aphor.7. superius dixerit, In siccitatibus febres acutæ fi-
unt: excusatione dignus non est. Si quis conten-
dat illum tueri, quod antea dixerit Solum mor-
bos acutos fieri, nõ tamẽ plures: fateor hac in par
te Galenum satisfecisse: sed non in illis uerbis,*
Minus *mortiferæ.* Acutæ *enim febres toto gene
re sunt magis mortiferæ cæteris morbis, ut in li-
Pag.2. bro de* Morbis *acutis.* Nullus *expositorum au-
sus est hunc locum declarare.* Solutio *colligitur
ibidem ex differẽtia inter morbos acutos, & fe-
bres acutas.* Morbi *acuti (inquit) sunt, uelut
phrenitides, morbi laterales, peripneumoniæ &
febris ardẽs, & hi magna ex parte lethales sunt:
& quoniam abscessibus maxima ex parte copu-
lantur aut constant, ideo in imbribus & ex im-
bribus maximè fiunt, non siccitatibus: siccitates
autem pariunt febres acutas. at hæ non sunt ma-
Consti.1. gna ex parte mortiferæ, ut habetur primo* Epide
*miorum, ubi dicit, quòd ex ardentibus febribus
Sec.3. nulli moriebantur: & secundo eiusdẽ, ubi osten-
dit paucos ex huiusmodi acutis febribus mor-
tuos esse.* Quod *si febres ardentes non sunt ual-
de lethales, multo minus acutæ.* Dicit *autem in
Aphorismo, acutas, nõ ardentes: ardentes autem
sunt acutarum grauior species.*

*Sed cur non dixit solum (Minus mortiferæ).
Respondeo, quòd per salubriores uoluit nos intel
ligere in siccitatibus morbos gigni plerunq; bre-
uiores: in pluuiosis autem temporibus, & longi,
plurimi & breues: in siccitatibus, breues etiam
sunt, minus mortiferi.* Potest *autem simpliciter
etiam illud salubriores referri generaliter, quòd
rariores fiant morbi, non separando genera in-
uicem.*

Hippocrates *in libro de* Humoribus *inquit;* Pag.4 & 5.
*Ad squalores sequũtur febres, itemq; ad pluuias.
Cæterùm siccitates & austrinæ sunt, & aquilo
nares. Considerare autem oportet pluuias, si con
tinuæ sint, aut alternis diebus, aut per alios cir-
cuitus, etsi magnæ uel paruæ fuerint.* Ex *primis
aquis, ubi post multam siccitatem aduenerint, de
aqua intercutem prædicere licet.* Porrò *de his
atq; alijs, scilicet nubibus & temporibus, huius-
modi dicemus suo loco: illud solùm quod obscu-
rius est docebo, scilicet pluuias efficere aerem
humidiorem, qui post longas siccitates auidius
haustus in toto corpore uelut in potantibus aquã
multam, generare aquam intercutem.*

APHORISMVS XVI.

MOrbi in pluuiarum multitudi
ne magna ex parte fiũt febres
longæ, alui profluuia, putredines,
morbi comitiales, & attoniti, & angi
næ: in siccitatibus autẽ, tabitudines,
lippitudines, articulorum morbi, u-
rinæ, stillicidia, & intestinorum diffi
cultates.

COMMENTARIVS.

¶ *Hunc Aphorismũ nec* Galenus, *nec qui eũ
secuti sunt, perfectè intellexerunt. enumerat de
lõgis morbis, ut doceat mortales magis esse eos
qui fiunt per imbres, quàm qui per siccitates. ex
siccitatibus enim sola tabes, & intestinorũ diffi
cultates perimunt, & serò: eorum autem qui fi-
unt per imbres, lethales sunt omnes, & citò etiã
quidam, præter comitiales.* Liquet *ergo, quòd hic
Aphorismus præcedentem demonstrat. sed non
omnino manifestũ est, quòd* φθινώδης *phthoen
significet. nam tria significat apud Græcos,* φθί-
σιν, ἀτροφίαν, καὶ καχεξίαν. *ut tabes apud
Latinos, phthisin, malum habitũ, & hecticã. Exi
stimandum est, potius atrophiam significari, quæ
& calida & sicca temperie hectica est, frigida
et sicca senij: hectica simplici siccitate atrophia
nominatur. Sed cur non nominauit, ut antè, fe-* Aphor.7.
bres

bres acutas hic, cum solas eas gigni eo in loco dixerit, nullius alterius morbi facta mentione: hoc certè uerè est perquirere mentem Hippocratis. Manifestum est, Hippocratem superius loqui de morbis, qui fiunt in ipsa constitutione: hic uerò, qui fiunt post ipsam constitutionem confirmatã. Siccitas cum demonstratur, facit febres acutas: cum autẽ perseuerauerit, tabitudines, ut ita dicã, & eiusmodi morbos gignit. Indicio est, quòd, ut dixi, hi duo Aphorismi præsentes quatuor superioribus coniunguntur. Siccitas enim ubi diu prædominetur, nimis absumpto humido humorum, non amplius gignit febres acutas. Et si obijcias uerba illa: Et si annus magna ex parte talis fuerit? Respondeo, loqui de constitutione dominante, quæ sæpius repetitur, non tamen ex toto confirmata est. Duplici enim modo qualitates morbos procreant, uel ut permutantes aerem, atq; ita supra siccitatis uim abunde declarauit: uel ut aerem & corpora præparat, & sic de illa in præsenti Aphorismo agit. Porrò de causa morborum ex imbribus, non est dubitandum. Per diuturnos enim imbres multi crassi, frigidi ac lenti generantur humores, ex quibus fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, attoniti'que. Solum restat ut dubitemus, quomodo ex his humoribus fiant anginæ, & quid per putredines intelligat, cum non sit uerisimile nec de febribus nec de abscessibus illum loqui. Quòd etsi Galenus multa perperàm adducat, & quater reprehendat iniustè Hippocratem, licet in tabitudine eum defendat, scilicet in articulorum morbis, urinæ stillicidijs, intestinorum difficultatibus: defessus tamen tot illius contradictionibus & impudenti accusatione, ut in fine Cõmenti etiam Dioclem & Mnesitheũ damnet præter Hippocratem, ad ipsam merã expositionem Aphorismi transire decreui.

Anginas fieri ex descensu pituitæ multæ ad fauces, certum est: ut etiam docetur tertio de
Pag. 4. Morbis, ubi curat eam suffumigio sulphuris & bituminis, & purgatione per elaterium: uoca-
Pag. 3. túrque paracynanche. Et in Secundo: Angina fit, cum pituita in capite commota, aceruatim deorsum fluxerit: & in maxillis & circa collum constiterit. Et licet hanc cynanchen uocet, alia tamen est ab ea quæ fit ex phlegmone, cum
Pag. 8. acuta febre. de qua loquitur infrà his uerbis: Febris corripit, & rigor & dolor capitis, & maxillæ intumescunt. unde paulò pòst subijcit: Si uerò tumor ipsi oboriatur, & ad pectus descendat, rubeatq; & ardeat, amplior salutis spes est.

Has duas species adeò bene distinxit in libro de Victu in acutis, his uerbis, ut nil melius: Angi- Pag. 14.
na fit, cum fluxio multa & glutinosa ex capite tempore hyberno aut uerno ad uenas iugulares influxerit: & hæ fluxionem ampliorem propter amplitudinem attraxerint. Quum autem frigida & glutinosa sit, spiritus transitus obturabit, tum etiam sanguinis, ipsumq; congelans immobilem reddit, quum natura frigida sit, & obturandi uim habeat: & propterea suffocantur lingua liuescente. Alterius autem inflammatæ paulò pòst his uerbis: Quum uerò fluxio æstiuo uel autumnali tempore calida & nitrosa ex capite descenderit, ex temporis natura calida & acris facta: talis ubi est, mordet et ulcerat, spirituq; implet, & erecta ceruicis spiratio accedit, & siccitas multa, & quæ uidentur gracilia apparent: & posteriores colli tendines distenduntur, & uelut in tetano contenti apparent, et uox abrupta, et spiritus paruus, et illius retractio densa atque uiolenta. his arteria ulceratur, et pulmo ardet, cum non possint extrinsecus spiritum inducere. Et si non sponte hæc affectio extra ad colli partes deferatur, grauior est, et ineuitabilior: et propter tempus, et quòd à calidis et acribus humoribus fiat.

Per putredines intelligit depascentes omnes
morbos, ut in quarto de Morbis. Vnde in secun- Pag. 12.
do Prædictionum: At uerò nomæ lethalissimæ Pag. 7.
sunt, quarum putredines profundissimæ, nigerrimæ ac siccissimæ sunt. Prauæ etiam sunt ac periculosæ, quæ nigram saniem remittunt: albæ uerò ac muccosæ putredines ut minus occidunt, ita magis reuertuntur, & diuturniores sunt. Palàm igitur est, de huiusmodi generibus ulcerum loqui.

Sequitur ut de stillicidio urinæ dicam, quod humores acres sua sponte inducere nati sunt. nam quod acriores humores fiant ex siccitate, nulla alia qualitate adiecta, nemini dubium esse potest. hi humores, ubi confertim ad uesicam irruentes, si non putruerint, quendam affectum generant (quem ego sæpius quàm uolui, tamen semper sine noxa expertus sum) similem tinesmo inter ani morbos, quamuis desit acritudo. Vnde conantur mingere, guttasq; etiam exprimunt: manifestum est autem, hunc affectum ad
στραγγουρίαν, ut dicimus, non δυσουρίαν per- Aphor. 31.
tinere. Similiter ex eo acri humore, qui intestina uesica teneriora erodere aptus est, fit intestinorum difficultas. Vnde pessimè atque iniustissimè accusat Hippocratem, qua in causa etiam à

Brasauolo ipse Galenus meritò damnatur.

Sed quod est ultimum, atq; Galeno paradoxum est, quod addit de articulorum doloribus: perabsurdum enim uidetur hos fieri ex siccitate, qui ex humoribus craßis & frigidis fieri solent, cum tamẽ eadem sit causa quæ in febribus, 7. Aph. 63. *inquit Hippocrates: Quibus febres longæ, his tubercula aut dolores ad articulos fiunt. Cum ad caliditatem longitudo febris nihil faciat (minus enim calidæ solẽt etiam esse longæ febres: & sint quantumuis calidæ, longitudo calorem non auget) palàm, est ob siccitatem in articulis dolores fieri: seu siccato humido, per quod facilè circumuertitur iunctura, seu aliquo tenuiore influente humore. Sensus igitur Aphorismi est: In longis febribus si materia abundauerit, fient tubercula: si defecerit, articuli laborabunt. Cuius* Pag. 4. *causam docuit in libro de Flatib. dicens: Amplius etiam & articuli ante febres exoluuntur. calefacti enim nerui diducuntur. Itaq; cum ex siccitate postmodum iusto plus contrahuntur, dolent, & non mediocriter. Est autem conuersa ratio quasi aquæ intercutis, in priore Aphorismo explicatæ. A' longa enim & non intermittente siccitate tenduntur omnes neruosæ partes, & simul siccantur ac franguntur, quasi propriam amittentes temperiem.*

APHORISMVS XVII.

QVotidianæ autem cõstitutiones aquiloniæ quidem corpora densant, & bene firma & bene mobilia, bene colorata, & melius audiẽtia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent: & si pectus dolor prius aliquis obsederit, dolorẽ augent. Austrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditũ obtundunt, capita aggrauant, & uertigines oculorum faciunt: atq; corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.

COMMENTARIVS.

Opere precium fuerat magis hunc Aphorismum quinto illi comparare (Austri, auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes) & uidere in quónam inter se differant. Videtur primum ibi noxarum solùm meminisse, hîc uerò & commodorum. sed hoc paruum est, & Hippocrate indignum: tum præsertim, quòd neq; hîc incommodorum omnium meminerit, tußis, faucium horroris: si quidem ac δυσηκοΐαι. *Mirum est autẽ, tam obliuiosum esse, fuisseq; Galenum, ut etiam Hippocratem oblitum esse huiusmodi Aphorismi fateri cogamur? absit. Cum ergo ibi planè de Ventis ipsis locutus sit, dicens (Austri:) uerum statim subijcit, Cum huiusmodi tempestas præualuerit: & rursus, Si uerò Aquilonia fuerit: at hîc etiam, austrinæ: igitur utrinq; de constitutionibus agit. Verũ Galenus, & cum eo Philotheus, Aphorismorum expositor, solo nomine Græco insignis, illius tamen plerunq; imitator compendiosus, affirmant hic de uentis ipsis Hippocratem agere, illic aũt de pluriũ dierũ diuturna constitutiõe. Quod forsan uerum esse ob id credere decet, quòd hic morbos, ut dixi, multos prætermittat, quos illic connumerauit. Etenim uentus, ut res repentina, mutare ualetudnem & habitum potest, morbos autem efficere non potest. Indicio etiam sunt uerba ipsius Aphorismi Græca:* αἱ δὲ καθημέριναι καταστάσιες. *Sed tamen cur in boreali uento plura hic adduntur, quæ ibi prætermittuntur, non itidem autem in australi? Forsan ob id, quòd uentus australis ab australi constitutione parum differt, cum uentus is leuis sit: at Boreas cum ad nos magno cum impetu ueniat, ipsa mutatione maius discrimen affert.*

Causam huius docebat Hippocrates in libro de Sacro morbo his uerbis: Cum igitur etiam his Pag. 8 *quæ adeò magna sunt, ac potẽtia, in tantũ dominetur (scilicet Auster) & corpus sentire cogat, ut ex horũ uentorũ actionibus trãsmutetur, necesse est ab austris quidẽ solui atq; humectari cerebrũ, et uenas laxiores reddi: ab aquilonijs uerò flatibus, quod suauißimũ est, in cerebro cõpingi: quod uerò morbc sißimũ ac humidißimũ est, excerni, et forinsecus circumuallare, atq; sic defluxus in horũ uentorũ mutationibus succedere. generaliter itaq; hæc. Propriè uerò hæc in tria capita distinguit Galenus, operationes naturales et animales, mistumq; quoddam: uelut inquit, Bene colorata ad naturales pertinet operationes, bene mobilia ad animales, bene firma ad utrunque. Sed tamen quod ad colorem attinet, pudet me in robur facultatis concoctricis hoc reducere: ut iecur unius diei, imò ne integræ quidem spacio ita robustum & temperatũ euadat, ut facies bene coloretur. Sed hoc contingit ob calorem intus reductum cum sanguine, deinde quadam ui ad faciem expressum.*

Quòd igitur ad omnia signa attinet, eadẽ ratio quæ in quinto, eadem quoq; in regionibus & ciuitatibus & cubiculis obseruanda. nam & uentorum & constitutionum & regionũ, in quibus huiusmodi uigent, tum urbium & domorum, pro

ratione-

ratione idem erit iudicium. Solum ergo uidentur explicandá quatuor illa quæ in ſuperiore Aphoriſmo poſita non ſunt, ſcilicet denſare corpora bene mobilia, & firma reddere, & audientia melius. non enim hoc, ut quidam putant, pro exemplo aliorum ſenſuum, ſed ſingulariter eſt intelligendũ. Obducitur enim auri omiſſa cartilagine & cute, quæ exterius annexa omnibus in cõſpicuo eſt, membrana quædam, quam tympanũ uocant, trãſuerſim deducta: & ſub ea foramen eſt, quod in cauitatem in oſſe temporis exculptã fertur. in ea autem cauitate tria ſunt oſſa, quorum duo mallei ſuper incudem iacentis, ſatis aptè effigiem præbent. habet enim incus duos pedes, ut ita dicam, & ſuperficiem non æqualem, ſuperius planam dentis molaris, duas tantum radices habentis in ſpeciem: malleo uerò manubrium, & in fine acies quædam, retrò reſpiciens prominet,

Veſal. 1. Anatomiæ cap. 8. & poſteriores.

ex qua parte infrà uergit mallei tubulus: hic in membranæ quaſi initio nerui quinti paris rami, malleum ambientes, ipſe neruus radicibus illius ſubiacet: unde etiam foramen cæcum, & tertiũ oſsiculum. quare cum ab Aquilone membrana tendatur, os illud in quo cauitas oſsiculáq; et neruus ſiccentur, rèſonant primùm in aere inter oſſicula, osq; temporis contento uoces, ac demum in neruum ſpecies transfunditur, ac in cerebrũ deducitur, ut tandem audiatur. Liquet autem, nõ eſſe huiuſmodi ſtructuram in alijs ſenſibus, unde nec generaliter dictum de illis.

Sec. 3. Denſat corpora frigidum, ut etiam ſexto Epidemiorum, & duriora reddit: ſed id præcipuè, ſi

Pag. 2. poſt calidam adhibeatur, libro de Humidorũ uſu. Vnde ortum illud problema, cur calida citius congeletur quàm frigida? Vbiq; ob id gentiũ frigidiſsimum uinum & aquam bibere licet, effoſſo altius puteo, etiam ſub laticibus, inde immiſſa ferventi aqua in ferreo uaſe puro. De firmitate di-

Pag. 12. 21 & 25.

cebat Hippocrates libro de Affectionibus: Robuſta efficiunt corpora, quæ carnem denſam & multam generant. denſitas igitur ad firmitatem facit. Porrò de frigoris uiribus loquitur in quinta

Pag. 10 & 11.

Aphoriſmorũ, & in ſecundo de Diæta. Sed illud non prætermittendum, frigida hæc non ſolùm conſiderãda ut exterius nos afficiunt, ſed etiam ut intus aer ipſe hauritur: nec ſolùm ut frigidus eſt, ſed etiam ut ſiccus: Boreas enim talis eſt. Cur uerò mobilia? & illud nõ difficile eſt, humido corpus grauante abſumpto. quæ enim leuia ſunt, uehementius & facilius agitantur atq; aguntur.

Καὶ ἰλίγγους ἐμπίπτουσι, ᾗ δὲ τοῖσι ὀφθαλμοῖσι, id eſt, Et uertigines in oculis fiunt. ſic enim uertit Theodorus Gaza, cui uni plus credendum eſt in hac cauſa, quàm uniuerſis interpretibus Latinis: ut qui Græcus natus ſit, et exquiſitiſsimam ſcripſerit Græcam grammaticã, ut rationem dicendi nemo melius callere potuerit: omitto modò, quòd opus illud omnibus intactum de Animalibus Ariſtotelis, quod nemo aggredi aut tentare auſus eſt, Latinum fecerit adeò egregiè, ut nullus pòſt quicquam mutare tentarit. Sed rei ipſius natura hoc demonſtrat, quippe quid eſt dicere, oculis difficilem motum præſtat: Solum cognoui tres, quibus oculorum motus eſſent conſpicui: Filius meus natu maior, anagnoſta meus, puer duodecim annorum: Benedictus Cataneus Papienſis: & uxor Pauli pharmacopolæ Illyrij, amici mei. in alijs quem motum oculorum uides notatu dignum, ut ei qui mouet, difficilis uideri poſsit? itáne præſtigiatricem quondã ſcientiã Hippocrati tribuemus, qui eam adeò curioſè ſemper explodit, tum maximè in libro de Morbo ſacro? Tandẽ pudeat hos, qui relictis rebus ipſis uerba ſectantur puerilia. Ob id autem adiecit Oculorum, quia alia eſt uertigo cerebri, quàm dum eo uerbo explodere uult, ut cuius materia ſit eadem quæ comitialis & ſyderationis, Galenus è directo pugnans, de illa potiſsimũ intelligi exiſtimat. at Hippocrates de hac oculari, quæ nõ ex ea materia fit, ſed ſolis uaporibus fit. Neq; enim unius diei conſtitutio materiam congregare poteſt, comitiali aut ſyderationi aptam. At Galenus putat de huiuſmodi intelligi, non animaduertens inter conſtitutionem longam auſtrinã, & unius diei uentum auſtrinum, multum intereſſe. nam cõſtitutiones auſtrinæ diuturnæ, comitiales & ſyderationem mouent: boreales his morbis aduerſantur. at ſi ad unius diei flatũ reſpicias, nunquam uidi ex Auſtri flatu quenquam ſyderatum, ex boreali plures, inter quos Patricij generis amicus noſter Ludouicus Madius, atq; id iure. Cum enim uehementes ſint, pituita redundante in cerebrum coaceruata, antequam abſumatur, exprimit in cerebri uentriculos perſæpe, & interficit.

APHORISMVS XVIII.

PEr tempora anni, uere quidem & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate, optimè degunt, & ſani ſunt maximè: æſtate uerò & autumno, uſque ad aliquid ſenes: reliquum & hyeme, qui mediam ætatẽ habent,

COMMENTARIVS.

¶ *Qui nolunt uer temperatū esse, uellem ut id mihi dicerent, non id omnibus in ætatibus prætulerit cæteris tēporibus? Sed omitto hæc, quandoquidem confundunt omnia, qui exponūt hunc Aphorismum. Tria igitur considerat Hippocrates, & ex his quartum unum quoddam efficitur. Quod ad uitæ longitudinem attinet, & corporis salubritatem, uer omnib. ex æquo prodest, ut calidum & humidum. Quod ad robur, quæcunq; caloris naturalis copiam habent, hyeme melius degūt, quòd coactus calor omnia munia melius perficiat: quòd uerò ad temperandam naturam, omnes melius degunt in contraria temporis qualitate. Ergo pueri & adolescentes uere & prima æstate, ut enim pueri uere, ita adolescentes prima æstate, id est ad æquinoctium usque, optimè degūt, tum generali ratione, tum similitudine, quia calidi sunt, & humidi. Vtraque autem harum qualitatum fouet naturalem calorem & uitam. Hoc eodem tempore etiam calor naturalis in uisceribus latet: ut prima Aphorismorum. Ex tribus ergo causis omnes concurrunt. Optimè degere, est robustos esse sine querela. ijdem etiam (dicit) sani sunt maximè. Verum ad habitum & uires, aliud ad sanitatē pertinet. Senes non fruuntur hyeme priuilegio redi‐tus caloris, adeò ut æstate omnibus partibus melius affectis temperati uideantur. unde colliquatis humoribus crudis, à multis morbis interim interquiescunt, & robustiores sibi uidentur. Idem etiam in principio autumni, ut dixi: quia ante æquinoctium olim ab Arcturi ortu incipiebat. ea autem pars calida erat, & humida propter pluuias. Qui media ætate sunt, contracto intus calore, & etiam temperato eo qui est in corde, omnia aduersa contemnunt. Est ergo temperamentum humanum simpliciter, & qui ad hominem, & caloris naturalis uigor. Hoc idem ergo in temperaturis, in regionibus & cubiculis, ac uestibus: sed & regiones ad anni tempora. In Germania æstas, in Aethiopia hyems erit saluberrima: Rhodi autem uer. Porrò hábitum bonū de‐*
Pag.3. *clarat in Parangelijs consistere in calore, spiritu, concoctione humorum, uniuersaq; uictus ratione atq; structura. Pendet autem hic Aphorismus ex tertio huius particulæ, & scribitur li‐*
Pag. 4. *bro de Humoribus, ut dictum est: sed non explicitè. Per uerba autem illa, Et qui hos sequuntur ætate: eos intelligit; qui usq; ad incrementi finem*
11.Cōtrad. Cont.20. *perueniunt: id est usq; ad annū uigesimumquintum, ut aliàs docebimus.*

APHORISMVS XIX.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiūt: quidam uerò magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur.

COMMENTARIVS.

¶ *Morbos proprios unumquodq; tempus decernit, & præcipuè secundum temperiem: duas tamē causas Galenus affert in Cōmentario suo, cur omnes morbi omnibus temporibus fiant. Vnam prorsus naturalem, scilicet temperaturā, & ætatum diuersitatem: alteram fortuitam, rationē uictus. Vnde factum est, ut Patauij aliquando soli Hebræi ægrotarent certo morbi genere: aliquando soli non ægrotarent, cum morbus popularis grassaretur in ciues. Basileæ, cum magna pars ciuium ex pestilenti morbo uno anno extincta esset, aduenarum unus uel alter tantùm ex eo morbo absumptus est. Si igitur ex temporis ratione peculiares morbi regnare deberent, ob alias duas causas omnes promiscuè, sequitur ut facta mistione partim omnes regnare debeant: sed peculiariter & magis, quædam certa genera. Sed quis credat hanc doctrinam, ei quæ de mistione temporum tradita est, succedere debere, cum hæc simplicior uideatur? Sed audi: ualidiores esse constitutiones compositas, de quibus dictum est, nemini dubium esse potest, cum ex his morbi populares oriantur, qui paucos intactos relinquunt: et tamen longè pauciora genera morborum comprehendunt, cum simplices longè plura: igitur cum à notioribus inchoandum esset, rectè fecit Hippocrates, hos post illos collocans: non antè, ut uoluisset Galenus.*

Cæterùm uideamus, postquam hic Aphorismus generalis est, quot modis tempora morbos efficiant. id enim est uerè scire, scilicet causas intelligere, & quomodo illorum sint causæ, ut Aristoteles ait. Ergo primùm tempora morbos producunt uel ratione loci solis, uel motus eius, uel comparatione ad præterita: uelut æstas ratione loci solis mouet febres ardentes & tertianas, quoniam calida & sicca generat bilem flauam multam, & eam etiam accendit. Ratione motus autem, uer generat pustulas & lepras & impetigines, natura transmittente ab intus ad extra. quod enim conceptum est, tunc protruditur, ut etiam in arboribus quæ germinant, & herbis quæ à terra erumpunt. Ratione temporis præcedentis, ut uer generat atram bilem & furorem ob humores genitos in autumno antè, qui nō potuerunt digeri per hyemem ob subsequēs frigus,

& gra‐

& grauedines & raucedines et tusses ob pituitam præcedentis hyemis. Et in autumno stillicidia urinæ, et difficultates intestinorum ob bilem flauam in æstate genitam, & melancholiæ & furores ob solis situm. Talis enim humor generatur, & aqua intercus ob imbecillitatem caloris naturalis, quæ aduenit ob recessum solis à nobis. Sic omnes hi morbi ad has tres causas reducuntur. quorum etiam causa subijcit, & in æstate uernos plurimos, & in autumno itidem æstiuos plurimos fieri. Porrò de prima causa generationis morborum, scilicet qualitate temporis, egit
Pag.4. *longa tractatione in libro de Humana natura: de*
Aphor.1. *causa autem ex solis motu, dictum est suprà.* De generatione humoris dicit in sequenti Aphorismo.

APHORISMVS XX.

VEre etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines, & uitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi.

COMMENTARIVS.

Enumerat quatuordecim morborum genera, è quibus comitiales, tusses, grauedines, raucedines, tubercula quid sint, iam declaratum est. Similiter docuimus, quõnã pacto omnes hi morbi ad hæc tria principia reducantur: singulos reducere decet, tamẽ breuiter. Nam ad materiam in hyeme genitã grauedines, raucedines & tusses: ad genitam in autumno lepræ, impetigines, uitiligines, pustulæ ulcerosæ, furores & atræ biles. omnes enim hi ex materia exusta fiunt: ad alterutrius comitiales & anginæ, ad utrunq; articulorum morbi. Ad hæc omnia facit motus solis, sicut etiam ad tubercula & profluuia sanguinis motus solis & locus. Sanguis enim & materia mista ex bile, et pituita in hominibus morbosis loco sanguinis generantur, ex quibus fiunt tubercula.

Reliquum est igitur, ut septem morborũ principaliorum essentiam atq; causas etiam explice-
23. *mus. Hippocrates sexta Aphorismorum: Si timor & tristicia longo tẽpore perseueret, tale est melancholicũ. Quod etiam ad fugiendam homonymiam. Fuchsius uertit atrã bilem, signa ergo huiusmodi morbi, sunt timor & tristicia. Cuiusmodi autem sit, declaratur in Epistola senatus & populi Abderitarũ ab Hippocratẽ, cuius tota summa est, quod aliena sentiret à communi hominũ consensu, diceret, ageret, præsertim uerò etiam in his quæ uel dictu impossibilia, uel factu damnosa essent: ut quòd uolucrum uoces attẽtus explorarent: hoc enim non potest sciri, quid ille uelit. quodq; diceret infinitos esse Democritos, cum unus tantum esset: & quòd noctu surgeret, hoc enim damnosum. His enim quinq; signis præsertim melancholia dignoscitur: de qua cum multi loquantur, pauci norunt propria signa. Est autem morbus non lethalis, ut dignoscitur ex uerbis illis in septimo Epidemiorum: Timocharis seruus* Pag. 19.
cum ex atrabiliarijs esse existimaretur à tot ac talibus uiris, mortuus est similiter circa eosdem dies. Quasi dicat: Si fuisset, non tam breui spacio perijsset. Retulerat enim antè, Canonis seruam ex dolore capitis cum clamore etiam insanientem, in quadraginta diebus mortuam esse. Differt autem furor ab atra bile, sexto de Mor- Sec.3.ult.
bis uulgaribus: Similiter & biliosum & sangui- textu.
neum corpus atrabiliarium fit, si non habet euacuationes. Sanguineum enim in melancholiam, biliosum in furorem transit. Arabes melancholiam suo nomine uocant, furorem autem maniã. Hi differunt à præcedentibus, quod minantur, uerberant, & se præcipites agunt: quod alij nõ faciunt. Si tamen in sola cogitatione maneant errores hi, nec loquantur aut agant, nondum sunt melancholici. Profluuia sanguinis quatuor sunt generũ. Aliqua non extra erumpunt. unde illud primo de Morbis: Si sanguis ex uulnere aut ue- Pag.2.
na eruperit in superiorem uentrẽ, necesse est suppurari. Secundus modus, cum foras erumpit naturaliter, sed in maiore quantitate: ut ex hæmorrhoidibus aut mensibus. uel aliena qualitate, ut primo de Morbis mulierum, cum sanguis ex u- Pag.22.
tero conturbatus, & nonnunquam ter in mense eruperit. Tertius est, cum non naturaliter, sed sponte erumpit, ut è naribus. de quibus dicebat Hippocrates: Quibus sanguis multus fluit ex na- 6.Epidem. Sec.6.
ribus, qui quidem decolores mero modo sunt, his parum prodest: quibus uerò colores rubicundi, non similiter. Est autem sanguis calidissimus natura, & bile calidior: primo de Morbis. Nec Pag.2.
meretur sanguis appellari iustè, nisi cum rubicundus ac syncerus fluxerit. secundo eiusdem. Hoc dictum sit pro intellectu dictorum Hippo- Pag.2.
cratis, cum dicit fluxisse sanguinem nisi atrum, aut aliũ addiderit, palàm est debere intelligi syncerum ac rubicũdum. Quartus modus est, cum nec naturaliter nec sponte sanguis fluit, sed uelut in uulnere et in sectione uenæ. De uulneribus

Sec.5. Hippocrates sexto de Morbis uulgaribus, in-
quit: In uulneribus sanguis concurrit, curandum
est igitur ut uacuum repleatur. quomodo intelli-
Pag.16. gendum, ibi explicabitur. Et septimo eiusdẽ: Vul
nera sanguinem fundentia, exudantia, maligna.
Pag.13. Sed in Coacis prædictionibus scribitur, Rigen-
tia loco exudantia: & subijcit, Sic affecti lo-
Const.3. quentes latenter moriuntur. Vnum non præter-
mittam, nimis necessarium circa hoc quod dici-
Pag.9. tur primo Epidemiorum, scilicet quòd sanguinis
larga eruptio è naribus, in febribus ardentibus
multos seruauit, modica uerò occidit. De anginis
faciebat Hippocrates tres ordines in Prognosti-
cis: Perniciosissima, & quæ citò interimit, non ul
tra quartam se extendens, sæpe etiam ipsa die. cu
ius sunt tria signa præcipua: recta spiratio, dolor
uehemens, & nullum ruborem nec tumorem in
faucibus aut ceruice apparere: Perniciosa ualde,
cum tumor & rubor in faucibus apparet: Et sim
pliciter perniciosa, cum non solùm fauces, sed &
ceruix rubent. Talium enim & pleriq; moriun-
tur, cum absq; decretorio signo euanuerint. De
Pag.ult. lepris, impetiginibus & uitiliginibus, hæc ha-
bentur secundo Prædictionum: Impetigines &
lepræ & uitiligines albæ, quibus quidem iuue-
nibus aut pueris aliquid horum factum est, aut
paulatim conspectum, in multo tempore auge-
scit: de his non oportet existimare eam papula-
rum eruptionem esse ex abscessu, sed esse mor-
bum. Quibus uerò horum aliquid repentè ma-
gnum contigerit, hoc sanè est ex abscessu. Nam
uitiligines albæ ex letalissimis morbis fiunt, ue-
4.Aph.74. lut & tabidus morbus: lepræ autem, & impeti-
6.Apho.9. gines, ex morbis ab atra bile factis. Liquet igi-
tur, non de huiusmodi sermonem esse, sed de his
quæ paulatim iam factæ augentur. De reliquis
duobus dicemus in sequentibus.

Aphor.9. Quòd uerò dixerit, Ver saluberrimum est:
quia ipsum generat solum sanguinem, qui sola po
test peccare quantitate.

APHORISMVS XXI.

AEstate autem nonnulli horum, & febres continuæ & ardentes, & tertianæ febres plurimę, & uomitus, alui profluuia, lippitudines, & auriũ dolores, oris ulcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.

COMMENTARIVS.

¶ Nõ ubiq; cõiunctiones Latina lingua recipit cõgruè, ubi Græca. Duas enim nonnunquã, simul, & duas negantes pro una recipit. Prima autem uerba non indigent interpretatione. primũ, morbi quicunque ex materia genita in uere, æstate rursum fieri solent, si non antea facti sint: ut profluuia sanguinis, et tubercula. Et qui etiam ex præcedentis temporis materia nondum facti fuerint, ob qualitatis defectum, ut articulorum morbi. indigent enim plerunq; maiore aeris caliditate. Enumerat autem decem morbos, ei tempori peculiares, è quibus febrium tres species primæ: uomitus, alui profluuia, & lippitudines, manifestè pendent ex materia, quæ in æstate gigni solet, scilicet bile flaua.

Sed & oris ulcera, et genitalium putredines,
& sudamina ob æstum: at de quartana ex Cel- Lib.2. ca.1.
so, quamuis Galenus octauo de Placitis Hippo-
cratis & Platonis eam addiderit, dicerem ex- Cap.6.
pungendam. Sed omnino quartanæ plures exu-
sta bile in æstatis fine fieri uidemus. Difficultas
est de aurium doloribus. quod enim comminisci-
tur Galenus de capitis repletione: Si caput æsta
te repletur, nullo tempore anni immune erit. Di-
co ergo solutionem huiusmodi longè aliam esse:
Auris meatus siccus est, & strictus, ut colligi-
tur libro de Carnibus: ideò nõ facile recipit ex- Pag.5.
crementa, nisi tenuissima. crassissima enim defe-
runtur ad palatum & nares, mediocria ad ocu-
los. ideo dicebat libro de Affectionibus, quòd pi- Pag.2.
tuita ad illas etiam intus defluere solet: intellige
attenuata, quæ per ulteriorem attenuationem a-
quæ calidæ digeritur, unde etiam in febribus au
res bile replentur, ut in Aphorismo. Ideò cum æ-
state abundent tenuissimi humores in ea, maximè 4.Par.28.
aurium dolores & phlegmones etiam excitãtur:
lippitudines eodem modo siccas oboriri diximus.

Reliquũ est, ut de octo enumeratis alijs morbis agamus. Sudamina inquam, sunt pustulæ tenues, rubræ, quæ per totum corpus oriri solent, aquea materia sudoris in illis contenta, quas uulgus Fersam appellat Mediolani: uix inter morbos dignæ adnumerari, nisi Hippocrates ad multitudinem & frequentiam respexisset: hoc ipso forsan, ut in talibus facere consueuimus, nominis additione contentus. uocantur enim ὕδρωα Græcè. Genitalium putredines. Galenus tertiũ
Epidemiorum citat: & rectè, non ita secundum.
inquit enim: Erat ex his omnium grauissimum, Const.3.
ubi circa pubem & pudenda ulcera & sacer i-
gnis ac suppurationes accidissent. Causa autem
colligitur libro de Natura fœtus: quoniam locus Pag.6. Et
ille calidus est. ad eum enim confluunt uenæ mul lib. de Go-
tæ, & propter calorem genitalium, & humidus nitura, in
etiam: & ibi fit concussio multa, & raritas cu- prin.
tis, unde etiam pilorum copia, & ortus celer, &

falsus

ſalſus humor, unde fit illa titillatio. Colligitur e-
tiam ibi ſudor, ob ſitum concauum, & membrũ
prominens. Vnde *nullibi plures cauſæ putredi-*
nis concurrunt. Oris *ulcera quæ nam ſint, dice-*
Aphor.24. *mus infrà. Febrium continuarum & ardentium*
diſcrimen eſt, (cum tamen & continuæ febres
pro genere ſumptæ, ardentes ſub ſe contineant)
Pag.4. *quod ardens eſt, ut habetur libro de Affectioni-*
bus, uehemens, & uehemens ſitis, & lingua aſpe
ra ac nigra, & color ſubbilioſus, & ſputa bilio-
ſa, & intus ardet, & exteriora frigent. In libro
Pag.13. *autem de Ratione uictus in acutis, addit laßitudi*
nem & uigilias, & aluum liquidam, demittentẽ
excremẽta bilioſa ac pallida: ponitq; aliud genus,
in quo extremitates frigent, ita ut in prima auto
ritate de harum communi genere locutus ſit. De
Sec.1. *hac dicebat ſecundo Epidemiorum: Febres ar-*
dentes in æſtiuis magnis temporibus fiunt, & in
alijs temporibus: reſiccantur autem magis æſta-
te. Qui autem continuarum & ardentium na-
turam & diſcrimen ſcire deſiderat, conſideret
Conſt.1. *præcipuè uerba illa Epidemiorum primo: Febres*
Conſt.2. Sec.3. *horridæ, continuæ, acutæ. & illa rurſus: Fe-*
bres continuæ, & quibuſdam paucis ipſorum ar
4 Aph.58. *dentes. Et in tertio: Erat autem conſtitutio fe-*
brium ardentiũ. Hæc autem inferius apertè ex-
plicabuntur. nunc ſatis fuerit adiecisſe ex libro
Pag.4. *de Coacis prædictionibus: Febres continuæ per*
tertiam diem augeſcentes, periculoſæ. Quibus
4. Aphor. 17. & 28. *febris aliquando intermittit, periculo uacãt. De*
uomitu in prima ſectione diximus, & etiam di-
cemus ſuis locis: tum de alui profluuijs, quod ma-
ximè à flaua bile fiant.

APHORISMVS XXII.

AVtumno uerò & multi æſtiui morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & ſtillicidia urinę, & difficultates inteſtinorum, & lęuitates inteſtinorum, & coxẽdicum dolores, & anginæ, & anhelationes, & ilei, & morbi comitiales, & furores, & melancholiæ.

COMMENTARIVS.

¶ *Quartanam non cõmemoraſſe inter æſti-*
uos morbos, hic locus declarat. Connumerat er
go quindecim morborum genera, quòd autum-
nus morborum ſit feracisſimus. Facilior autem
eſt explicatio hæc, cum materia non extendatur
ad tria tempora, ut in æſtate: imò uix ad duo. nã
difficultates inteſtinorum, & ſtillicidia urinæ
& anginæ, uix materiam habent quandoq; æſta
ti communem: poſſunt tamen & autumno om-
nino proprij eſſe. Porrò de erraticis febribus, lie
ne, aqua intercute, coxendicũ doloribus & ileis,
dicemus nunc. nam de cæteris dictum eſt in hac
particula antè, uel pòſt. dicetur. Febris erroneæ
meminit primo Epidemiorũ in Cleanactide: cu- Lang.6
ius etiã exacerbationes fuere erroneo modo, &
urinæ fuerunt partim tenues, partim cum multa
ſubſidẽtia rubra: ſed nõ ab initio, liberatus eſt aũt
octuageſima die. Hæ facilè in quartanam dege-
nerant. unde in Coacis prædictionibus: Vrinæ Pag.26.
nigræ in febribus erroneis quartanam indicant.
Palã tamen eſt eas à bile fieri tum flaua, & non-
nunquam æruginoſa, ut in Cleanactide: Bilem
flauam, inquit, multam uomuit pòſt æruginoſam.
Conſentaneum autem eſt, fieri talem materiam
diuerſam, cum flauam bilem æſtatis, autumnus
partim cogat. Lienes, ſupple duri ac tumidi, ut in
libro de Affectionibus. Proponit autem tres diui Pag.6.
ſiones. Quidam lienoſi ſunt à bile, qui deterius
ſe habent: quidam à pituita, qui mitius. Quidam
curantur, quidam nunquam: & horum quidam
in hydropem etiam tranſeunt. Eorum qui curan
tur, quidam per purgationes, quidam per diure-
tica, quidam per ſola emollientia, quidam ſola ra
tione uictus, quidam per uſtionem. In libro autẽ
de Internis affectionibus connumerat quinq; ge Pag.8.
nera tumorum lienis, qui fiunt à totidem humo-
ribus: bile flaua, nigra, ſanguine, pituita, crudita-
tibus. Conſtat autem illis uerbis, libro de Homi- Pag.2.
nis ſtructura (Liẽ aũt ex ſanguinis fece alitur, un
de melancholicũ ſanguinẽ fieri certũ eſt) cognitã
exactè Hippocrati lienis naturã. Aqua uerò in-
tercus, cũ quindecim maximè cauſis efficiatur a-
pud Hippocratem (lienis tumoribus non curatis,
ut dictum eſt: ſuppreſſa purgatione conſueta ſan
guinis, febribus acutis, alba pituita, & iecoris
duricie, ex aqua intercute uteri, ex potu aquæ,
ex laterum mollicie, ex ueſicis in iecore, ex pro-
fluuio ſanguinis, ex longis morbis non purgatis,
ex diuturna dyſenteria, ex uitio circa renes &
emulgentes, ex ſpirandi difficultate) plurimæq;
harum autumno ſint familiares, pates propoſitũ.
Aliter reducitur in duas hic numerus: uitiũ con-
coctionis in iecore, et impedimentũ expurgatio
nis aquæ, in autumno facilè ambæ occurrũt. Co-
xendicum dolores à quatuor cauſis fiũt, libro de
Internis affectionibus: Bile, pituita, ſanguine, & Pag.29.
ſolis calore. Et in libro de Glãdulis: Generaliter Pag.4.
fluxione, & maximè capitis p ſpinã. Libro de Lo Pag.6. Pag.14.
cis in homine. & ideo cũ autũnus & cruditatib.
et fluxionib. aptus ſit, in eo tales dolores apparẽt.

Pag.14. Vide in secundo Prædictionum plura. Ilei autem
uocantur uolui Latinè, ut Galenus in Cōmen-
to: & sunt dolores uehementissimi, ex fecum re-
tentione, plerunq; ex intestini inflamatione. De
Pag.25. eo in libro de Internis affectionibus, sed hæc om
Aphor.24. nia inferius in sexta & septima particula doce-
Aphor. 10. buntur: nunc admonuisse satis sit earum quas
superius retulimus causarum, quibus autumnus
ad unumquemq; morbum pessimum paratus est,
scilicet recessum solis, qualitates naturæ ma-
ximè contrarias, repentinam mutationem, ex-
hausta calore natiuo ob æstatem corpora: qui-
bus si praua uictus ratio accesserit, coronidem
absolueris.

APHORISMVS XXIII.

HYeme uerò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines atq; raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum atq; lumborum, capitis dolores, uertigines & apoplexiæ.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd hyems non generet morbos ex au-
tumnali materia, quæ melancholia est: nec ob fri
giditatem, quæ morbis aduersatur: nec ob humi-
dam qualitatem, à qua temperatur: neq; ob calo-
ris contractionem, qua omnia rectè administran
tur, planum est. Infestātur ergo solum membra,
quæ frigori sunt obnoxia: inde laterales morbi,
peripneumoniæ, capitis dolores, ac huiusmodi.
Pulmo enim & pectus frigori, ob multitudinem
aeris quem attrahunt, obnoxia sunt: cerebrum
uerò & ob hæc, & quia frigidissimū natura est.
Pag.2. Vnde libro de Carnibus: Cerebrū sedes est atq;
metropolis frigidi ac glutinosi humoris. Et in li-
Pag.3. 18. bro de Glandulis addit aliam causam, quòd al-
bum sit, & friabile, ut glandula: glandulamq; ma
Aphor. 10. gnam appellat. Quocirca in quinta Aphorismo-
rum ait: Frigidum cerebro inimicū. At ergo cur
frigidum dolores excitet pectoris & laterum, su
perius edocuimus. Ex decem igitur morbis, quos
enumerat, nullum superesse puto, cuius causam
non docuerimus, præterquam lumborum dolo-
ris. Sic ille uertit ὀσφυος: sed non propriè. Lum
bi enim sunt caro: ὀσφὺς, pars ea uertebrarum
quinq;, quæ proximè post costas spurias descen
dunt usq; ad os sacrum, cuius finis extenditur ad
coccygem: & in sacro osse est latitudo maior,
& in eo figuntur ossa clauium, seu annectuntur.
continet enim plerunq; ossa sex, coccyx autem
Cap.18. & 6. quatuor, ut à Vesalio in primo libro habetur.
Cæterùm ut ad ὀσφυὸς ossa redeam, illa sunt,
quæ in inani parte uentris resident, nec costis
nec ancharum innixa ossibus. Ea hyeme dolere Cap.18. & 60.
solent, ob causas fermè easdem, quas de costis &
pectore assignauimus. Locus etiam ille quem
cingere solemus, in febribus continuis atque in-
termittentibus dolore uexari solet. Primusq; est
qui fatigatur, si quis se incuruet, ob id quòd non,
ut uertebræ aliæ, ossib. utrinq; munitus sit. Hæc
igitur de Aphorismo dicta sint.

Id uerò adijcere nō pigebit, differentiam esse
inter morbos autumnales & æstiuos (exempli
gratia) & autumnales ex æstiua factos mate-
ria: ita & æstiuos uernalesq;, ac ex uerno tem-
pore materia genitos. nam omnes morbi com-
munem non solùm materiam habent, sed etiam
qualitatem unam, aut ambas: ut in prima autum
ni parte calor & siccitas, aut siccitas tantum.
Sed si qualitates permutentur, morbi non dicun-
tur esse communes. à frigore enim & siccitate
autumni, bilis flaua aliter truditur & uitiatur,
quàm à calore æstiuo. Indicio est enim, quod cū
furores & atræ biles autumni morbi uere fiant,
quia materiæ solius agitatæ morbi sint, non ta-
men autumnales morbi uerè fieri iustè dicuntur:
quoniam non ab eadem qualitate, uel qualitati-
bus. Manifestior autem est differentia effectus,
qui prouenit permutata una qualitate tātum in-
ter contigua tempora, in æstate cum uere & au
tumno, quàm aliorum: ideò meminit solùm de
morbis præcedentis temporis in æstate compa-
rata ad uer, & autumno ad æstatem compara-
to. Vtrum ergo uer hyemales morbos pariat?
Videtur quòd non: tum quia Hippocrates non
meminit eorum, tum quia ueris morbi fiunt po-
tius à uehementi mutatione, quæ in hyeme non
adest: quàm ab humida qualitate, quæ communis
est hyemi.

APHORISMVS XXIIII.

IN ætatibus autem talia contingūt paruis & nuper natis puerulis oris ulcera (quæ aphthæ uocantur) uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humidæ sordes.

COMMENTARIVS.

¶ In his sequentib. Aphorismis octo, scilicet
præsenti connumerato, cum ætates numeret se-
ptem, cōtinuato sermone, nisi quod in uigesimo-
octauo loquitur de iudicatione morborum pue-
rilium: necesse non est ut de continuatione, quæ
per se clara est, aliquid dicam. Neq; enim uide-
tur, ut

tur, ut antè dixi, liber magis ordinatus ab Hippocrate; hac ſeptima Aphoriſmorum ſectione: & in ea nil ordinatius, quàm hæc pars quæ hic incipit, & uſque ad finem extenditur, ut ſit omnino ſermo continuus de ætatum morbis ac ſymptomatibus, illas ut ſe habent connumerando. Sed & cum præcedentibus pulchrè cõiungitur: ſiquidem in illis de morbis egit, qui ex temporibus anni contingunt, quæ ſunt res nõ naturales communes: ætates autem ſunt res naturales, ſed & ipſæ communes. Non ſolùm uerò ætates morbos ſibi decernunt peculiares, ut in hos magis quàm in illos ſint procliuiores: ſed quod magis mirum eſt, extremæ etiam ætates magis ſecuræ ſunt, & quaſi prorſus à quibuſdam morbis, prout in ſingulis docebimus. Sed iam ad Hippocratis ſententiam explicandam ueniamus.

Proponit ſeptem morbos nuper natis familiares. Non per nuper natos ſanè eadem die intelligit ſolùm, ſed etiam uſque ad ſeptimum menſem: quod demõſtrabitur in ſequenti Aphoriſmo. Cauſam horum Galenus non exponit, ſed nos breuiter eam docebimus. Eſt autem duplex: Vna quidem ſecundum naturam, alia ſi quid præterea ſuperueniat. Quæ eſt ſecundum naturam, quintu-
Pag.1. plex eſt, ut docet Hippocrates libro de Octimeſtri partu. Prima, eſt labor (dicit) in ortu, ex quo tumidus & inflatus naſcitur infans: et niſi tumor ille ſubſidat intra tertium diem, aut paulo ſerius, morbi ex illo fiunt, ut inquit Hippocrates. Secunda, eſt reſpiratio noui aeris, & illius circumambientis refrigeratio. Tertia, eſt abſciſsio umbilici. Quarta, nutrimentum diuerſum, cum in utero ex ſanguine, extrà lacte nutriatur. Quinta eſt ſtratum, quod in utero molliſsimum eſt, inter humores, & tenues membranas: extrà conſtrictus, & faſcijs aſperioribus uinctus, & in cubili duro, etiam ſi plumeum ſit, reclinatus. Alia cauſa, quæ non ſemper adeſt, eſt uitium lactis, uel ſi non lactetur à matre, & excretio uitioſi ſucci in uentre matris coaceruati. Quibus intellectis, facile eſt uniuſcuiuſq; cauſam aſsignare. Oris ulcera propter lactis acrem qualitatem, non aſſueto infante nutriri in uentre matris per os, ſed per uenas & arterias umbilici, quæ & ſenſu carent, et craſsiores ſunt oris interiore cute. ob id maximè cauere debẽt nutrices, ne ſalſis aut acutis aut ſeroſis alimentis utantur: et præterea purgari debent caſsia nigra, & tamarindis, et ſyrupo uiolaceo. Sunt autem aphthæ, ulcera non profunda oris & linguæ, & palati & faucium, alba, quæ prohibent ne infans ſtringere poſsit os, & ſugere lac. ideo in hoc caſu ſolent adhiberi cinis radicum bugloſſæ, et per infundibulum ex membrana hœdina lac immitti: & ſic plures ſeruantur, alioquin morituri. Vomitus, quoniam ſeu lac ſeroſum ſit, ſeu coaguletur in uentriculo, ſeu auidius ſugatur, ſeu ſit horribile, ſeu uentriculus ipſe ſit refrigeratus ob nouitatem, cum nõ ſit aſſuetus excipere, nec contingere, nec concoquere cibum, irritatur facilè ad uomitum. Dicebat Hippocrates in libello de Dentitione: Qui multum lactis reuomunt, his aluus ſupprimitur. Tuſſes, ob aeris nouam reſpirationem, tum etiam caput ab eo affectum, proueniunt: et maximè ſi aer frigidus ſit. Vigiliæ contingunt multifariàm: uel ob malam coctionem, uel ob læſionem cerebri ab aere, uel ob ſtratum durum, ut dixi: uel ob ſordes, quas in utero non ſentiunt, circa corpus, à quibus mordentur, refrigerantur: uel ob dolores in uentre, ex excrementi ueteris ſeparatione: uel ob dolores umbilici, maximè cum præter naturam læſus etiam fuerit: uel ob morbum aliquem ex numeratis, uel alijs. Circa pauores Galenus dixit, non ſolùm in infantibus, ſed adultis obſeruaſſe pauores contingere, quando multi & uitioſi humores mordent uentriculum, præcipuè illius os. tunc enim, dicit, terribilia ſomnia incidere ſolent. Videtur autem Hippocrates de huiuſmodi pauoribus intelligere, quanquam etiam in uigilia fruſtra terreri tales ſoleant: unde tum ob cauſam, tum ob rem ipſam facilè huiuſmodi pueri conuulſionibus capiuntur. Vmbilici inflammationes accidũt propter uinculum & inciſionem generaliter: ſpecialiter, cum aliquid erratum circa id fuerit, aut ob flatum. Nam & is cauſa eſt inflammationis, & inflationis citra inflammationem, quod frequentius accidit. Aurium ὑγρότητες. aeris enim frigiditate compreſſum cerebrum, undique exprimit aquoſum excrementum, quod etiam ob eandem frigiditatem generatur copioſius, per omnia loca: ſed aurium meminit, qui reliqui exitus pro naturalibus habentur, ut nares & os.

Cæterùm quod ad aphthas pertinet, Hippocrates libro de Dentitione ait: Vlcera tonſillarum periculoſa ſunt: ſi tamen febris adſit, tutiora: ſin autem cum febre & tuſsi, periculum eſt ne in ulcera recurrentia uertantur. Si quid araneoſum apparet, adhuc deteriora ſunt, & præſertim ſi deglutire nõ poſſunt, aut multã bilẽ reuomãt, uel per aluũ deijciant. Si pituita per os defluat, bonum. æſtate etiã facta deteriora ſunt quàm alijs

temporibus,

temporibus, si fiant circa uuulã, uocẽ, si diu permaneant, uitiare solent. Vlcera, quæ in tonsillis diu manent sine incremento, nõ sunt periculosa ante sextã diem. Vlcera grauiora & acuta, circa fauces proserpentia, spirandi difficultatẽ sæpè pariũt. Tusses aũt si in sugendo instent, uuulã maiorẽ esse indicãt. Si dentientes infestent, serius dentes prodeunt. De umbilici affectu dicebat Pag.13. *septimo Epidemiorũ: Hegesipolis filiolus quatuor ferè mensibus dolorem circa umbilicum corrodentem habebat. Vnde nõ solùm puerulis, sed & maioribus incidit. nam non potuisset percipere qualitatẽ doloris, & narrare, si fuisset infans. obijt tamen. Quomodo autẽ pueri purgandi sint,* Sec.3. *docebat Hippocrates sexto Epidemiorũ, dicens: Mulier, capra, elacterium uel cucumerem syluestrem comedentes, pueris purgatio. Docet, nutricem esse purgandam, non autem infantem.*

APHORISMVS XXV.

IN progressu uerò, cum iam dentire incipiunt gingiuarum prurigines, febres, cõuulsiones, alui profluuia, & maximè cum caninos edunt dentes: & ijs præsertim pueris, qui crasſisſimi sunt, & aluos duras habent.

COMMENTARIVS.

Lib.1.c.9. Lib 4.c.9. Pag.4 & 5. ¶ *Quanquam dentes celerius & tardius diuersis puerulis oriri soleant, nihilominus plerunque, ut Paulus & Aetius docent, septimo mense nascuntur. Hippocrates tamẽ censuit, etiã in uentre matris lactẽtes procreari, libro de Carnibus: ubi primum ortum non definit, sed casum primũ dentium, & absolutionem omnium in septimum reijcit annum: dentes uerò ultimos, quos sapientiæ uocat, ad uigesimumoctauum. Sed si cadant ante septimum annum, signum est morbido ex alimento fuisse procreatos. Cæterùm constituti temporis nulla est meta in maioribus. anno enim quadragesimotertio cœpit oriri mihi dens ultimus, superior octauus, scilicet dextræ mandibulæ, qui uix quinquagesimoseptimo, cum proximi cadere iam cœpissent, absolutus est. Ergo cũ acuti pullulare cœperint, pruriginem primùm in gingiuis efficiunt, pòst stimulo non cessante dolorẽ: ex quo febres & conuulsiones, aluiq; profluuia generantur. Quomodo ergo dolor non adeò magnus febres & reliqua mala poſsit efficere, diligenter est considerandũ. Est ei proprium, ut continuus sit: quoniã inflammata particula ab initio nihilo secius perpetuò urgetur nascentis denticuli acie, unde maior dolor excitatur: itaq; uigilias adesse necesse est, cum causa permaneat, uelut si quis à spiculo perforetur, nec quiescat spiculum, sed magis intus prematur. Iam ergo habemus uigilias fermè perpetuas, & dolores qui non quiescunt, nisi tantisper, quantum obdormiscunt. obdormiscunt autem parum. Dolores autẽ, præsertim acuti, & non cessantes, inflammationes excitant, libro de Veteri medicina: & in li-* Pag.ult. *bro de tracturis: Inflammationes autem, cõuul-* Pag.21. *siones & febres, quas etiam uigiliæ excitãt. Sed & profluuia alui, nõ solùm eo quòd cibus nõ concoquatur (non enim humores, sed solus cibus deijceretur) nec si à cibo abstinerent, deijcerent. Sed & uerbum ipsum διάῤῥοια, id declarat. Fiunt igitur profluuia ob naturæ conatum, cupientis quod noxium est expellere.*

Cur uerò comitiali morbo laborent, magis cum canini nascuntur dentes, & craſsi, et qui duras habent aluos, dicebat Hippocrates libello de Dentitione: Quibus in dẽtitione aluus plus subducit, minus conuelluntur, quàm quibus parum. Et si febris acuta in dentitione accedat, minus cõuelluntur: qui uerò dentientes habitiores manent, & altiore somno utuntur, magis obnoxij sunt ad conuulsiones. Qui hyeme dentiunt, melius liberãtur. neq; tamen omnes qui cõuelluntur, moriũtur: sed plurimi euadunt. Raro ergo acutis febribus & conuulsionib. corripiuntur. Hic clarum est, non comitialem esse morbũ illum infantium, sed conuulsionem. Ergo qui craſsi pluribus abundant humoribus & sanguine, unde propter dolorẽ & uigilias materia uberior ad caput rapitur: & similiter, si dura sit aluus. nam nõ diuertuntur humores ad inferna, & caput etiã magis incalescit. De caninis aũt dentibus, bene fecisset Galenus, si, quemadmodum duriciẽ alui, et craſsiorem habitum retulit ad conuulsiones, tanquã qui tales essent, magis sint conuulsionibus obnoxij: hoc idem dixisset de caninis dentibus, an ad omnia illa, an ad cõuulsiones tantũ sit referẽdũ. Causa ergo est, q̃ cæteri q̃ inter ipsos includuntur, sunt tenuiores: qui uerò à lateribus, molares appellãtur, pluribus aciebus diuidunt gingiuam, atq; ideo minus afferunt doloris. Soli canini terreti corpore prodeunt simul unà cum acie, ideo cõuulsiones magis mouent. Etenim si uerba illa (& ijs præsertim pueris) usq; in finem ad conuulsionem sunt referenda: quanto magis antecedentia (maximè cum caninos edunt dentes) ad id solùm de conuulsione referenda erunt. Est autem conuulsio ob id familiarisſima huic ætati, quæ à septimo uel parum ante incipit men-

se, &

se, & ad septimum extenditur annum, ut habe-
Pag. ult. tur in Prognosticis. Et rursus: Cõuulsio & diffi
Pag. 3. cultas spirandi frequenter accidunt pueris; inquit libro de Aere aquis & locis: quoniam eorũ caput est imbecille, & multo humore plenum. fa
Pag. 14. cilius tamen euadũt quàm uiri, ut in Coacis prædictionibus: etiam si febri iuncta sit.

APHORISMVS XXVI.

CVm uerò magis iam adoleuerint tonsillæ & uertebræ, quæ in occipitio sunt, luxationes ad interiora, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, uerrucę, satyrię, strumę, & alia tubercula, sed pręcipuè antedicta.

COMMENTARIVS:

¶ Aetatem describit, quæ à septimo anno inchoat, & ad quartumdecimum extenditur, enumerans morbos octo ei familiares. Habent Græci duo nomina, παρίσθμια et ἀντιάδες, quæ & glandulas & locum significant. ἀντίας siquidem glandulam, quæ à latere altero est oris: παρίσθμια glandulas prope angustiam oris inter fauces, cui penè superstat pendula uuula, & morbos in eisdem locis ortos, quomodo hic intelligit Hippocrates. Per tonsillas ergo intellige & glandularum & loci medij tumores duros, ac etiam inflammationes: quamuis glandularum non meminerit propriè, quæ ut pars sunt, ut dixi, ἀντιάδες nominantur. Similiter & luxationes uertebrarum, quæ in ceruice sunt ad interiora, & difficultas spirandi, et calculi, scilicet uesicæ. raró enim in his renũ calculi generantur. & ego tantum semel uidi in puero, de Gorlis filio mercatoris pannorũ. **Et lũbrici rotũdi & ascarides.** Longi sunt & rotũdi, & in intestinis tenuibus. solent generari priores colore rubro plerunq;, qui ad uentriculum sæpè ascendunt; et per os eijciuntur: etiam non raró. quandoq;, quod mirum est, per nares. Et tunc est signũ lethale: quoniam si homo sensu ualet, uix potest eam ferre molestiam, quin manibus eos ex ore educat. generantur etiam hi in uentriculo ipso: & cõmune est, ut aliàs in Physicis demõstrauimus, omnibus non solùm animalibus, sed rebus, simile generare. Commune est etiam omnibus uermium generibus, nihil ꝓpriè generare, sed uelut halinitro proximam naturã ad generationem præparare: ob id cum omnes uermes generent, id est generationis aliorum causa sint, & nulli propriè generẽt, non uideo cur distingui inter se hac ratione debeant. Sunt aũt palmi longitudine, et uariarũ formarum, nonnunquam etiam mirabiles, temporibusq; pestis maximè frequentes. At est genus aliud latum & candidum, quod parum mouetur; unde nomen sumpsit. non enim facilè mouentur ut rotundi, quoniã forma reluctatur. Ex his uidi longos 23. cubitis, aliàs etiã 28. quidã sunt seminibus cucurbitæ similes, alij etiã minores ac rotundiores. de his paruis, nõ de longißimis illis qui in pueris nõ generantur, intelligit Hippocrates: quoniam materiã lentam ualde requirũt. In uniuersum, uelle expositionẽ ultra id quod utile est, extendere, et ad usum uenit, curiosi hominis est: ob id ergo satis sit, sub ascaridibus omnes nõ rotundos contineri, ut in hæc duo genera uermiũ omnium multitudo diuidatur, quorũ fœcunda omnium est ætas, præterquam illorũ adeò longorum. Etiam licet alibi, ut ostendemus, plura describãtur genera: hic tamen sub duobus illis tanquam contraria ratione in duo generalißima distinctis continentur. Verrucæ sunt tubercula dura in cute rotunda, sensus expertia: aspera, quæ maximè abundant in manibus, durantq; per annos. Quædam sponte abscedunt, quædam non nisi acri medicamento uel igne: quædã superstitione. Vocantur uulgo porri, propter asperitatẽ, quæ capillamenta: et rotunditatẽ, quæ capita porrorũ imitantur. Satyriæ, Græcè σατυριασμοί. Galenus libro de Linguis Hippocratis, σατυρισμοί scripsit, absq; α. sed forsan eo in libello, Error est, inquit, circa aures prolixi tumores « durarũ concretionũ carnis in seipsam cõuolutæ. « Quidam aũt pudendorũ intensiones intellexerunt. Malim ego cum Galeno errare, quàm solus rectè dicere, ubi demonstrationẽ afferre nõ possum. at in pueris etsi hæc errectio aßidua fiat, quod ego uidi in aliquibus, quibus nunquã remittebatur: non tamẽ erat satyriasmus, nec morbus. nemo enim ex hoc cõquestus est, nec incõmodũ ullum sensit, sed erat priapismus. Erunt ergo tumores illi post aures, duri, carnei, oblongi. Quòd si dicas Galenum nõ habuisse hoc uerbũ in textu, quia nõ exponit: nihilo secius octauo de Pla- Cap. 6.
citis Hippocratis & Platonis, referens hunc Aphorismum, addit: quod forsan hic defecit. Strumæ, sunt tumores in adenosis partibus, sed duræ & annexæ carni: & plures efficiuntur longè numero, quàm sint naturales glandulæ. scrophulas uocat uulgus, quod scrophis soleat simile quid, sed non omnino tale, accidere. Aliquando in collo numeratæ sunt supra triginta: adueniunt & in mammis, maximè mulierum, & per totũ corpus in quibus scaturiunt: uixq; liberantur, nisi

nisi cum omni suo nidulo eruantur. Formant enim sibi inuoluerum: cuius si uel minima pars superfit, redeunt, perficiturq; inuolucrum. fœcundus morbus, ubi cœperit, generantur & tubercula omnia cuiusq; generis, sed præcipuè hæc.

Quærenda est igitur causa omnium horum, quam prætermisit Galenus. Conantur referre in plenitudinem: sed quæ pleniora sunt corpora, quàm infantium, & usque ad septem annos? nec tamen his, sed alijs morbis subijciuntur: & nec minus tunc sunt uoraces, imò uoracissimi, cum in hac ætate soleant esse modestiores, utpote subiecti magistris. Pudeat ergo nomen expositoris suscipere, cum non sit hoc exponere, sed uerba commutare. Neq; existimandum est, obiter Hippocratẽ hos morbos collegisse, quod multi putant: fuisset enim res infinitæ curiositatis, ac incredibilis diligentiæ. sed constituta ratione ætatis, qua & ab antecedenti et à subsequenti differt, primùm ratione inuenisse, qui'nam morbi cõgruerent magis, qui non: inde obseruasse ex his iam numero definitis, qui etiam experimento correspónderent, & qui fallerent: inde ex illis artem constituisse, hos reliquisse. ita & facilè fuit tunc, paucis definitis morbis, obseruare euentũ non in infinitis. & artificiosam reddidit inuentionem, quæ ratione simul & experimento constat. atq; hic modus omnibus inuentoribus præclaris familiaris fuit: nec est alius præterea ullus. Ergo ut ad rem redeamus, uidendum est, in quo ætas hæc à septennio ad quartumdecimũ à contiguis dissideat, & in quibus conueniat. Id autem facilè inueniemus, si id consideremus, quod cum utraq; hæc ætas contiguarum conuenit: cum ergo conueniat, qua parte conuenit, cum una extremarum eadem dissidet ab utrisq;. Veluti nominemus primam, ab ortu ad septimum annum, infantiã: à quartodecimo ad uigesimum quintũ, gratia exempli, adolescentiam: à septimo anno ad quartumdecimum, pueritiam: constat pueritiam cum infantia, ob uicinitatem & continuitatem conuenire, et similiter eadem ratione cum adolescentia: ea autem ratione qua cõuenit cum infantia, dissidebit ab adolescentia: ea aũt ratione qua cùm adolescentia conuenit, dissidebit ab infantia. igitur iunctis utrisq; cõditionibus, fiet coniugatio, qua ab utraq; circumpositarũ ætatũ pueritia differet. Quæramus igitur primùm, in quo præcipuè pueritia cum infantia ipsa conueniat. & hoc docet Hippocrates, dicens: [Lib. de Genitura, Pag.2.] Puer à natiuitate usq; ad pubertatẽ plenas habet, & tenues uenas, seu angustas, & nihil ob id potest secernere: cum uerò pubescit, amplificãtur uenæ, & fit agitatio & conquassatio, & tunc secernit semen: & si puella sit, menses ac semen simul. igitur puer cum sit medius inter infantiam & adolescentiam, plenas & angustas habebit uenas: quia infantiæ adhæret, & conquassabitur in eo humor, atq; agitabitur ob uicinitatem adolescentiæ: nec secernet, quatenus infans adhuc, nec humores in eo quiescẽt, nec expers erit flatus, quatenus adolescens: sed excitabitur in eo, ut uidemus in pueris natura salacibus, præsertim erectio uirgæ, & uoluntas quædam coeundi: quam si explere conentur, primùm nihil exire uidetur, exit tamen spiritus quidam. deinde si consuescãt sæpius idem agere, exit etiam quiddam tenue & aquosum seminis loco. Nam uirgam tendi à flatu, declarat ipse in libro de Ossibus: [Pag.6.] & argumentum eius etiam est spuma in semine, ut in libro de Genitura. [Pag.1.] quare huius ætatis proprium est semen generare, sed non effundere, ob angustiam uenarum. Quòd si quis dicat: Vis'ne ut in octauo anno incipiat hæc agitatio? Respondeo, quòd sic, licet non perficiatur. Et B. Hieronymus refert, nutricem redditam prægnantem à suo alumno, qui nouem esset annorum.

His igitur constitutis, uideamus rationem singulorum. Tonsillæ fiunt calore iam ualido, copiosum humorem frustra agitante, unde & reliqua tubercula: sed circa os maximè, quia adhuc molles sunt partes illæ, & caput plenum abundanti humido: unde etiam strumæ, colliquato humido à feruescente calore. Accidit enim in hac ætate, quod etiam in uino. Vinum enim ubi expressum est, humidissimum, & dulce minimè, calidum, et comparatur infantiæ. cum uerò paululum quieuerit, incalescit & feruet atque intumescit, sed nondum effunditur: & tunc est dulce, calidum & humidum, & assimilatur pueritiæ. cum uerò iam feruet & effunditur, fit calidius, minus humidum, minus dulce & inæquale, & tunc assimilatur adolescentiæ. cum uerò efferbuerit & repurgatum fuerit, cessat immodicus ille calor, dulcedo, turbulentia, & defecatur, estq; optimũ & robustissimum, assimilaturq; iuuentuti. Demum tempore euanescit pars calidior, tenuior & humidior, fitq; amarum quasi et acidum: est'que tunc simile uiro seni iam. Ergò puer hic cum totus ferueat, totus plenus sit, & nihil iam excernatur, & tuberculis & tonsillis et satyriæ ob calorem, et cerebri abundans humidũ, et strumis et uerrucis subijcietur. Solùm restat difficultas, cur uerrucis et strumis magis obnoxius sit,

quæ

quæ ab humore fiũt, aut lento & crasso, ut strumæ: aut crasso & terreo, ut uerrucæ? Respon- Pag. 2. deo, Hippocrates in libro de Glandulis reddit rationem, dicens: Si fluxio è cerebro fuerit multa, acris & lenta, ad aures tendit, atq; ita fient satyriæ, de quibus diximus: si autem multa, pituitosa & lenta, strumæ: pessimus, inquit, morbus in collo. Conueniunt ergo hæ fluxiones in multitudine & lentore: dissident, quia in strumis est pituitosa: in satyrijs autem, acris. Ergo causa huius est caloris magnitudo, quæ reddit fluxionem multam & lentam, resoluendo quod est tenuissi- Pag. 7. mum. Ita in libro de Aere & aquis & locis dicit: Si pueri habeant calidum uentrem, & astrictam aluum, uesica erit feruens, & aduret quod intus est, diuq; ob caliditatem continebit urinam: atq; eo modo retenta parte crassiore, paulatim generabitur lapis: cuius indicio est urina aquea, ut lactis serum, & tentio uirgæ, alioqui ætati illi non conueniẽs. Atq; hæc signa fientis (ut cum Charisio loquar) lapidis quinq; alia, iam facti. quarto Pag. 16. de Morbis: Difficultas meiendi, urina subcruenta, dolor cum mingere uult, pruritus in præputio, & arena, uel etiam lapilli parui. Brasauolus inquit, expertum certissimum signum, cum meiunt, etiam aliquid egerunt, aut saltem uoluntate egerendi tenentur. Nos quoq; illud probamus, quod uel sedentes repentè, uel sedendo concusso uehementer altero pede dolorem sentiunt iuxta anum, in imo uirgæ. Nihil tam certum est, quàm cathetera: sed molesta res est, ut in pluribus, & rari sunt boni artifices. adde quod lucri causa (nisi tu ipse senseris: sentitur autem, & maximè tangendo. nec enim fidendum est, etiam si strepitum sentias illis tangentibus collisa, cum interiore ferro cathetera sonum repræsentant lapidis (sæpè affirmant lapides adesse, cum non adsint, inciduntq; miseros, atque etiam occidunt. Deprehensiq; sunt in urbe nostra: & quamuis uincti & conuicti, dimissi tamẽ. Hippocrates ob id pueris consulit dandum uinum exiguum, aqua multa dilutum, ad prohibendum lapidis generationem. hoc enim, dicit, melius est quàm lac. De uerrucis autem fiunt calore segregante, quod terreum est. dixi enim, illis tria hæc adesse, sanguinem impurissimum, humorum copiam cum uenarum angustia, & calorem efferuescentem. Sunt autem uerrucæ, ut omnes morbi fermè qui exterius per cutim uagantur, contactu contagiosæ: uelut scabies, lepra, impetigo: adeò ut ex linteo, in quo detergi manus ablutæ solent communi, homines ea uitia contrahant.

De lumbricis autem omnis generis, dicẽdum est. Hippocrates quarto de Morbis uult, lumbri- Pag. 14. cos rotundos alios gignere, quia non sunt in perpetuo augmento: uermes autem isti qui semper crescunt, absumunt alimentum; ideo non relinquitur materia pro alijs: sed si frangantur, pars decidit, aut partes, uocantq; huiusmodi uermes cucurbitinos: quod uerò in uentre manet, rursus augetur. Et tales uermes sunt lati, & generantur (ut ipse existimat) in utero matris, quoniam tunc fœtus non expurgatur à fece. Cum uerò natus est, expurgatur: igitur uermes huiusmodi tunc non possunt generari. Et sententia Hippocratis est, quòd uermium prima semina ex utero contrahantur. Cur ergo generentur in hac ætate magis, nam rarò infante solum lac sugente: quia pars serosa lactis prohibet eorum generationem. & etiam quia in generatione oportet esse duo: unum ut agens, aliud ut materia: sed qui sugunt lac, non habent nisi unam partem. ideo rarò generant uermes, tametsi aliquando contingere possit. Ergo lactatio cum cibo mala est, & obnoxia generationi calculi et uermium. Sed post lactationem uermes generantur, non tamen adeò frequenter, ut post septimum annum: quia fiunt uermes ex calido & humido, ut reliquæ generationes animalium similium: sed corpora infantium sunt iusto humidiora, & minus calida: ergo non possunt generare uermes. Augent etiam hoc ex motibus uehemẽtibus post cibum, quibus corrumpuntur coctiones, & præparant ad horum generationem. Generantur autem & in uteris mulierum, & in capite & alijs locis, ut suis locis exponendo Hippocratem uisum est: & in uesica. Ego sæpius quàm exiguos & albos genui, & per urinam emisi. Sed de difficultate spirandi, causa est defluxio, quæ, ut dixi, magna fit in huiusmodi ætate ob calorem & humidum & impuritatem. Dicebat Hippocrates in libro de Pag. 4. & 5. Locis in homine: Fluxiones fiunt ob calorem colliquantem humores ob frigus exprimens, & ob repletionem: in talibus pueris adest repletio & calor. Dicit: Facilis autem fit ad pectus, ob rectum gutturis situm, atque etiam quod detectum sit. Ego aliquot uidi pueros sic affectos, qui in pubertate sanati sunt. Luxationes ad interiora contingunt ob phlegmones, & phlegmones ob fluxiones. Fluxionum causas iam aperuimus. Exponitur secundo Epidemiorum his uer- Sec. 2. bis: Erant autem anginosorum affectiones hæ: "colli uerticula intro uergebant, quibusdam amplius, quibusdam propè. & collum forinsecus

„ conſpicuam cauitatem intrò habebat, & hac „ parte ad contactum dolebat. Erat autem & cui- „ dam infra os dentis appellatum, quod non ſimi- „ liter acutum eſt: quibuſdam uerò etiam ualde „ rotundum, maiore circumferentia. Si non cum „ dente appellato, fauces non inflammatæ, uerùm „ iacentes. Partes ſub maxilla tumidæ, non in- „ flammatis ſimiles. Subijcit autem, quod mirum uidetur, quòd omnes quos nouit, ex hoc morbo ſeruati ſunt. Verùm dilatus eſt morbus in quadrageſimum diem, quibuſdam etiam longius: & quòd ex eis multi ſunt ſyderati altera parte, ſeu

Pag. 19. & 20. reſoluti. Hippocrates in libro de Articulis proponit duos modos luxationis uertebrarum: extra, unde fit gibbus: & intrà, unde repandus: & utranque difficillimam, & uix ſanabilem. Verùm dicit, Quandoque ſpinæ capita, & ſunt fines appendicum, luxantur citra uertebræ luxationem: & hoc non eſt ualde periculoſum. Colligitur, quòd luxatio in interiora facilior eſt ex ſitu uertebrarum, quàm in exteriora: & hoc uidemus in acutis morbis, perueniunt ad ſtrangulationem, non ad gibboſitatem: quoniam uncula quæ intus procedunt, decurtata ex inflammatione, appendicem cum uertebra intrò trahunt: foris nunquã ex hac cauſa: quoniã non ſunt oſſa, neque membra, quibus firmiter alligari poſſint.

Cæterùm quia ſequens Aphoriſmus aliter eſt interpretandus, quàm Galenus exponat, ob id ſubijcere oportet, qui'nam morbi nõ eueniant his tribus primis ætatibus. Sunt autem hi, ut

Pag. 22. ſcribitur in Coacis prædictionibus: peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, uarix, fluxus ſanguineus, carcinoma non congenitum, uitiligo non natiua, defluxus medullæ ſpinalis, hæmorrhoides, neque uoluulus. hos undecim morbos, inquit, non fieri ante pubertatem, exponens pro pubertatis initio quartumdecimum annum. Diuidit enim ætates in quatuor: ante pubertatem uſque ad quartumdecimum annum: pubertatem cum iuuentute & conſiſtentia, à quartodecimo ad quadrageſimumſecundum annum, per ſeptenarios ſcilicet: inde, in ſenectutem à quadrageſimoſecundo ad ſexageſimum tertium: ultra autem exiſtimat ætatem eſſe decrepitam. Quanquam ego uiderim heri Andream Signorinum Papienſem hortulanum, qui octuageſimum quintum annum exceſſit annum, caretq; dentibus omnibus, & à ſolis exortu ſine tædio ad occaſum uſque hortum colit, nec ſuum: dicitq; non fatigari ſe, niſi ex itinere: graue illi nũc eſſe motum de loco ad locum. habetq; filium decennem, qui ei ſatis ſimilis eſt: gloriaturq; etiam ad Venerem ſe eſſe ſatis potentem. ex quo patet, non olim fuiſſe uitam hominum aut robuſtiorem, aut diuturniorem. Cæterùm cum multa ſupereſſent dicenda de morbis, qui ætati ante pubertatem non eueniũt, quoniam plura ſunt quàm quæ hic tranſigi breuiter poſſint, ne quæ alibi dicta ſunt, uidear transferre, atq; ſic augere in immenſum Commentaria, ad illius loci expoſitionem te remitto.

APHORISMVS XXVII.

Grandioribus autẽ, & iam accedentibus ad pubertatẽ, plurima ex his, & febres diuturnæ magis: & ex naribus profluuia ſanguinis.

COMMENTARIVS.

¶ Turpiſsimè lapſus eſt Galenus, ſi unquam aliàs in exponendo Hippocratem, hic de ætate, quæ eſt circiter duodecimum ac tertiũdecimum annum, quæ eſt ſub pubertate: hoc ſolo argumento, quod dixerit πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, id eſt, ad pubertatem accedentibus. quaſi non loquatur de puberibus. Sed cur eadem ratione in præcedenti illa uerba πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι, non eſt interpretatus, Senioribus autem factis? cum loquatur de pueris. Poterant uerba illa ſequentis Aphoriſmi illum docere, Hippocratem loqui de puberibus, cum ſubijciat: τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν, ὅσα δὲ ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν. id eſt, Quædam uerò ad pubertatem accedentibus: quæ uerò permanſerint, nec in pubertate finierint. Vtitur enim eodem dicendi modo, & tamen exponit ſe intellexiſſe non de accedentibus ad pubertatem, ſed de ipſis puberibus. Deinde quæ ineptia fuiſſet Hippocratis, diuidere ætatem tam breuem adeò minutim, ac ſi eſſet Geometricus angulus? Deinde ubi repoſuit adoleſcentiã tam longam & inſignem ætatem, cum ſe transferat ſtatim ad iuuenes? Vnde poſtmodum Galenus in ſequentibus admiratur de Hippocrate, cum deberet de ſeipſo admirari, qui tam ſtupidus hac in parte fuerit. Com. 29. Demum demonſtratio Hippocratis, ſuper qua Aphoriſmus præſens fundatus eſt, hoc docet. Senſus igitur clarus eſt, quia multi ex adoleſcentibus Venere non utuntur, dicit: his plurima ex dictis accedunt. nam in eis perſeuerat plenitudo, impuritas & calor. Vnde contra-

ria ratione, qui in pueritia morbillos & uariolas passi sunt, non solùm satis tuti sunt ab huiusmodi morbis in hac ætate, sed etiam in præcedenti: quia ratio periculi magna ex parte cessat. Lib. de Sacro morbo, pag. 5. *Et similiter qui crustas multas ab infantia passi sunt in capite, & ulcera, & etiam in reliquo corpore, & defluxum multæ pituitæ per os: & quicunque etiam in uentre caput & cerebrum expurgarunt, ritè his quinque in casibus tuti sunt ab huiusmodi incommodis enarratis in quatuor his ætatibus, quæ sunt ad uigesimumquintum annum, exceptis duobus illis morbis, qui sunt adolescentiæ proprij.*

Qui ergo ad pubertatem perueniunt, si non Venere utantur, quia plurimum sanguinis generatur, & incrementum non est adeò magnum, & etiam propter motus uehementes redundante & calefacto magis sanguine, ad effluxiones sanguinis perueniunt: sed si Venere utantur, multo magis. Nam sanguine ferueſcente & dilatatis uasorum osculis fiunt hæmorrhagiæ celebres, adeò ut nonnulli ad metum mortis deueniant. De febribus longis Galenus non habuit quid diceret. primùm, per longas exponit acutas expositione Anglicana, ut dici solet: & neque postmodum habet, quo uel saltem illud tueri possit. nec illum moueat experimentum, cum hoc sæpius uideamus. Causa ergo est, quòd ex Venere multum turbatur corpus, & debilitantur non assueti, & etiam quia incremento satisfacere coguntur. Cum ergo multi humores corrumpantur, & uires ratione ætatis ualidæ in radice & ratione Veneris imbecilles, ideo surgentibus uiribus sæpius ac sæpius cadentibus febres euadunt necessariò diuturnæ. Dicitur pubertas à pilorum in pube ortu. Cur autem pili in pube generentur, & eodem tempore fermè, quo menses in puellis, semen in masculis Pag. 5. *paret, docebat Hippocrates in libro de Natura fœtus, dicens: Ad pilorum generationem necessarium est humidum & dilatatio cutis. probat hoc, quia dicit: Pili non nascuntur in cicatricibus, quia cutis est àstricta: sed in pueris, quia uenæ sunt angustæ & tenues. sic enim intelligit: Tenues non prodit semen, nec in puellis menses. locus autem pubis est remotus à fonte caloris, & ei subest os: ergo frigidus. non emittet igitur pilos, donec incaluerit fluentibus mensibus aut semine, ut dilatetur cutis: igitur eo tempore apparebunt pili. Sed in mento serius, quia longius est à corde, & non adeò incaleſcit in Venere: humidũ tamen dicit, ei subministratur à capite abundans, ideo uirilitatis tempore emittitur barba.*

APHORISMVS XXVIII.

PLurimę autem affectiones puerulis iudicantur. nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus: nonnullæ uerò in annis septem, quædam uerò iam ad pubem accedentibus. Quæ uerò permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis aut fœminis cũ menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Sectantem leuia nerui deficiunt, animiq; inquit Horatius. Maximum studium Galeno fuit in hac expositione, ut uideretur diligens etiam in minimis quibuscunq;, & ut antiquos reprehenderet: quorum neutrum conuenit. Authores, inquit Hippocrates in primo de Diæta, si malè* Pag. 1. *scripserunt, non sunt reprehendendi, sed sufficit utilitatem rei explicare. innuit iacturam temporis, cum tam multa essent hic explicanda, utiliter omnibus omissis Galenus se accingit ad coarguendum Hippocratem, quod non adiecerit (diuturnæ) deinde etiam illos qui Hippocratem defendebant. Primum quidem cum dixit, iudicari in quadraginta diebus, aut pluribus mensibus uel annis: declarabat, se intelligere de diuturnis. Cur ergo in tanta breuitate illud adijcere debuit, quod iam per se erat manifestũ? Cum etiam dixit πάθεα, intellexit longos morbos:* 2. Aph. 19. *cum uerò morbos νοσήματα, sicut ibi τῶν ὀξέων νοσημάτων: & ibi, τὰ ὀξέα τῶν νο-* 2. Aph. 23. *σημάτων. πάθος enim affectio est lõga apud Hippocratem & antiquos. Quod uerò obijcit de illis duobus Aphorismis uictus tenuis atq; exquisitus, & in acutis affectionibus: nihil obstat, cum πάθος etiam de acutis dici possit, quoties nota illius adijcitur. Sic & homo de homine intelligitur: & si addatur, Pictus, etiã de picto intelligemus. Et urbs de Roma, & urbs Papiæ de Papia: & Rex noster & Rex Gallorũ de eo rege etiam intelligitur. Sed uideo, me dũ reprehendo uitium, in uitium ipsum quod uitupero, labi.*

Ergo cum Hippocrates tot morbos recensuisset, in huiusmodi ætatibus accidere docuisset, duo uoluit nos scire: Vnum, quòd omnes hi fermè morbi tum finiuntur: alterum, quòd huiusmodi ætates recipiunt mutationem maximam ad pubertatem, postquam non est speranda mutatio ex beneficio ætatis. Ideo dixit: Harum af-

fectionum quædam mutantur in quadraginta diebus, quædam in septē mensibus: aliæ in septem annis, aliæ sub pubertate: id est à quartodecimo ad uigesimumquintum, ubi pubertas finitur, & iuuentus incipit. quod intelligitur ex Aphorismo
5. Aphor. 7. *illo:* Quibuscunq; *morbi comitiales fiunt ante*
» *pubertatem, mutationem accipiunt: quibus au-*
» *tem uigesimoquinto (anno) cōmoriuntur. Præfinit pubertatis terminum ad uigesimumquintum annum: ideo etiam ut sensus sensui cohæreat, ante pubertatem debet intelligi ante finē pubertatis. atque sic non maliciosè interpretandus est* Hippocrates, *sed iuxta illius profunditatem sermonis, nostramq; & mortalium utilitatem. Verùm illud magis ad rem facit, quòd forsan etiam & acutos morbos comprehēdere posset, ut dies illi & menses & anni non à morbi initio, sed à natiuitate ipsa numerarentur: uelut, si quis infans trigesima die laboret, aphtis non quidem septuagesima die, id est quadragesima die à die initij morbi, sed quadragesima die à natiuitate finiatur. Adducit me in hanc sententiam multiplex ratio, quia cum de pubertate loquatur, illa est præfixa à natiuitate: igitur uerisimile est eodem modo locutum fuisse de alijs terminis. præterea morbos, qui accipiant mutationem in septimo mense & in septimo anno, uidemus quotidie: qui autem curentur post septimum annum uel post septimum mensem, nunquam uidi. Ipse etiam* Hippocrates *in* Epidemijs *nunquam extendit rationem dierū iudicatoriorum ultra centesimum & uigesimum diem, qui sunt quatuor menses. Parumq; abest opinio hæc à* Celsi *interpretatione, nisi quòd ille non de fine morborum, sed potius de initio et origine intelligit: quod etsi uerum esse possit, non tamen cū uerbis* Hippocratis *præsentibus cōgruit. Videmus etiam in pubertate semen & menses in puellis profluere septimo anno, dentes renouari septimo mēse, primùm nasci quadragesimo die, primùm hominem se ostendere: tunc enim primùm uigilans ridet, ut*
Pag. ult. *in libro de* Septimestri partu *docet. Illud idē per-*
Pag. 5. *suadet, quòd* Hippocrates *in libro de* Natura humana *cum dixisset, morbos sanari oppositis temporibus: subijcit, aliter annuos fieri, tum etiam quod nullibi de hoc meminit. Nam quod dicit in secundo de* Morbis, *pertinet ad reditum, non ad indicationes. Præterea quàm absurdum esset dicere, quòd multi morbi quadragesimo die seu affectiones iudicantur, cum id perspicuum sit ac generale. propterea non de tempore ab initio morbi, sed ætatis intelligendum est.*

Causa uerò uidetur esse in annis & mensibus una, numeri planetarum absolutio: quæ in mensibus cum sint dierum uigintiocto ac horarum duarum, fiēt dies 196. horæ quatuordecim: quare absoluentur in sex mensibus cōmunibus, diebusq; decemseptem: ideo in septimo mense contingit huiusmodi mutatio. Nam absoluto regimine uniuscuiusq; planetæ, res redit ad eūdem qui præfuit à natiuitate. si sol, solem: si luna, lunam. In annis autem subtilior est ratio. nam luna post dies 354. perfectis duodecim circuitibus cum sole redit ad eundem cum illo habitum, & quod mirum est ad eūdem penè locum: quoniam differentia reditus & mensis lunaris est dierum duorum, horarum quinq;. erunt igitur in duodecim mensibus lunaribus reditus lunæ duodecim, & insuper dies 26. & horæ 12. quare penè tredecim circuitus lunæ. Et hæc fuit causa quòd Iudæi & Græci adeò obseruarunt annum lunarem, qui constat ex duodecim coniunctionibus solis & lunæ, & 13. circuitibus lunæ. Septem igitur anni tales, sunt minores annis septem solaribus, diebus 74. ergo octauus annus, cū res redit ad eundem planetā, incipit in septimi anni mense decimo, die eius mēsis 16. & ita quintusdecimus in quartodecimo mense octauo, die secunda eiusdem. Annus ergo medicus est, cū ante diem natalem luna redit ad eundē locum, in quo fuit hora natiuitatis, & ad eandē distantiam cum sole. In octo autem annis sol & luna fermè ad unguem locis suis restituuntur: sed post quadraginta fermè horas à tempore initij circuitus. Ergo cū pro singulis circuitibus addiderimus quadraginta horas, fiet initium quale hora natiuitatis. Quod an sit consideratione dignū, nō est præsentis tractationis. Sed id tamen scire decet, nullū esse exquisitiorem reditū, quàm qui fit singulis decēnouem annis transactis. tunc enim eadem die sol & luna ad propria loca redeunt. Sed de quadraginta diebus, qui adeò celebrātur ab Hippocrate, *nulla ex astris alia causa reddi potest, nisi quòd sunt tertia pars tertiæ partis totius anni: et ita sol progreditur ad locum, quē respicit amico aspectu: quoniā trigona radiatio est similiū. tū ergo primū partē peragrauit integrā totius circuli, & imparē. Sic et uigesimaseptima pars, quæ in quatuordecim diebus peragratur, ad soluendos morbos idonea erit. talia igitur quæsiuisse præstitit.*

APHORISMVS XXIX.

Iuuenib. aūt sanguinis spuitiões, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij: sed precipuê antedicti.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Cur hic dixit (& alij) sed non in praece-
Pag.23. dentibus? Quoniam, ut dicebat in Coacis praedictionibus, aetas à quartodecimo anno ad quadragesimumsecundum, omnium morborum est ferax: at extremae, ut dixi, non ita. Quia ergo in iuuentute solet generari omnes morbi, & calculi uesicae cum pueris, & renum cum senibus, & huiusmodi: propterea de his quatuor praesertim, tanquam saepius euenientibus, meminit. Intelligit ergo hanc aetatem ab anno uigesimoquinto ad quadragesimumsecūdum. nam ex sequenti hoc intelligere licet, & his quae dicta sunt in Coacis praedictionibus, & quinta A-
Aph.7. phorismorum. Noluit autem definire certis annis hic aetates, quoniam pro regionibus & habitu uariatur. Voluit tamen intelligi, nullibi, nec in aliquo iuuentutis initium proferri ultra annum uigesimumquintum. Vnde quae hic dicuntur, etiam in his qui decimumoctauum excesserunt, etiam ueritatem habebunt, si tales sint Germani, aut ex familijs quae non multum senescunt.

Galenus hic quater Hippocratem accusat: deinde queruntur quidam quòd ego iustè damnem Galenum, qui iniustè & turpiter damnat Hippocratem, adeò ut subiungat, aliter debuisse scribere Aphorismum: sed & hoc perspicuum est apud illum, & de prima accusatione dictum
Com.27. est in praecedentibus Aphorismis. Ergo rationem dictorum Hippocratis reddamus. sic enim quid uelit docebimus, & illum à calumnia Galeni uindicabimus. Ergo in iuuenibus stat summa uis concoquendi, & calor maximus, & cessat incrementum: igitur iuuenes plurimum habent de sanguine calidissimo, cum plurimum generetur, nec absumatur: & sanguine calidissi-
Li. de Corde, in fine. mo, ob bilim mistam, & maximè circa pulmones: quia nutriuntur ex dextro cordis uētriculo, et sanguine biliosissimo, igitur paratissimi ad san-
4. De usu Par. cap. 15. & 15. eiusdē cap. 6. guinis sputum. Rursus, cum habeant plurimum de bile flaua & sanguine, à quibus omnes morbi, acuti generantur & sint calidissimi: igitur maximè corripientur morbis acutis, & non solis tertianis & ardentibus febribus, ut Galenus ait. Rursus de tabe, non intelligit tabem quae sequitur sanguinis sputum, ut Galenus dicit. nam Hippocrates nō solet quae notissima sunt subijcere, sed abdita. at quis non norat, sanguinis sputa plerunque tabes consequi? Sed cum calida sit ac sicca maximè temperies iuuenum, & curarum capax, omnia habet per quae facilè ex quouis morbo in tabem, id est hecticam transeant, atque haec ita se habere, etiam experimentum docet. De comitialibus tanquam recondita magis causa si dubitasset, ignosci poterat. Dixerat enim Hippocrates in lib. de Sacro morbo: Post- Pag.7.
quam uerò uiginti anni praeterierint, non amplius hic morbus corripit. Sed cum iterum dicat: Quòd si corripiantur, post uigesimumquintum annum non sanari: manifestè intelligit esse morbum, qui ei aetati non repugnet. Qui ergo ex consensu oris uentriculi, ex Veneris usu aduenit, frequens est: et ex febribus in hos morbos & conuulsionem plus alijs aetatibus incidunt, & moriuntur. Quare dictum illud in libro de Sacro morbo, de eo comitiali qui proprius est cerebro, nec perimit, est intelligendum. Liquet autem ex hoc, quòd comitialis per consensum saepè perniciosior est eò qui per essentiam.

APHORISMVS XXX.

Vltra hanc aetatem crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflāmationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluuia, cholerae, difficultates intestinorum, leuitates intestinorū, haemorrhoides.

COMMENTARIVS.

¶ Proponit undecim morbos grauissimos, qui maximè homines corripiunt ab anno trigesimoquinto ad sexagesimumtertium: noluit tamen, ut dixi, has aetates distinguere per annos, quia finis unus est alterius initium. Et quidam morbi paulò antecedunt, quidam tardant. Propterea in Coacis praedictionibus quod dixit, Pag.23.
Aetas quae est à quartodecimo anno ad quadragesimumsecundum, est omnium morborum ferax. Declaratum est ab Hippocrate in praecedenti Aphorismo per illa uerba (Et alij.) Verùm dubium est, quòd dicat in Coacis praedictionibus, à quadragesimo secundo anno ad sexagesimumtertium non fieri haemorrhoides, nisi praefuerint: cum hic dicat oppositum. Nam de alijs morbis quos ibi fieri hac aetate negat, & sunt strumae, nephritis, lapis in uesica, fluxus sanguineus, & defluxio spinalis medullae, nulla est cum dictis contradictio. Alia est difficultas, quia sexta Aphorismorum inquit: Apo- Aphor. 31.
plexiae fiunt maximè à quadragesimo anno ad sexagesimum: hic uerò praetermittitur, & inter morbos ultimi senij numeratur. Hoc uolui dixisse, quoniam Hippocrates has aetates hic ultra quartumdecimum annum per annos & differentias temporum certas nō distinguit: quia non tantum est discrimen inter illas ut inter primas.

& etiam, quia posteriores cum prolixiores sint, terminos etiam habent latiores. De hæmorrhoidibus autem cum inclinante ætate sanguis minuatur, non est uerisimile, præsertim quod uenas peculiares expostulant, aut saltem magnitudinem earum: quòd eo tempore primùm nasci debeant, nisi causam antea nactæ fuerint ut temperaturæ ex calida & sicca mutationem, suppreßionem consuetæ euacuationis, aut aliud huiusmodi. ideo ibi adiecit, Nec alium fluxum *sanguineum.*

Vt uerò quæ dicit, ritè poßimus interpretari, sciendum est, non ex alio quærendam nominum significationem, quàm ex ipsomet Hippocrate. *Tum uerò considerãdum, cum longa hæc sit ætas, tribus septenarijs scilicet conflata, nihil mirum est pluribus morbis subiacere quàm aliæ: quosdamq; magis esse proprios initio, quosdam fini, quos distinguere neglexit* Hippocrates *ob breuitatem: nempe phrenitis initio magis est propria crebri, anhelitus fini.* Præterea *morbi hi partim ex humoribus qui tum generantur accidunt, tum partim ex his qui iam præcedenti ætate geniti fuerant: sicut antea de autumno dictum est.* Propria *autem huic ætati sunt, minui calorem naturalem, sed non adeò manifestè, ut homo rationem uictus mutet: generari loco sanguinis humores crudos, partim humidos, partim siccos. His uisis, singula discutiamus. Febres ardentes & phrenitides fiunt in initio, maximè huius ætatis, usq; ad medium: quia, bilis deterior & acutior fit, & uires imbecilliores.* Crebri *anhelitus & lethargi ex pituita, & in fine huius ætatis magis.* In *libro de* Hominis *structura dicit:*
Pag.a.
Cum cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, lethargus efficitur. In secundo de Morbis ita
Pag. 13.
distinxit: „ *Tußis oboritur, & saliuam multam*
„ *spuit, & liquidam, & nugatur: & ubi nugari*
„ *desierit, dormit, & excrementa malè olentia*
Pag.20.
emittit. Et in Coacis prædictionibus: Lethargi-
„ *ci tremulis sunt manibus, somnolenti, discolores,*
„ *tumidi, pulsibus tardis, & partes sub oculis ele-*
„ *uatas habent, & sudores: insuper accedunt alui*
„ *biliosæ, intemperatæ & subtumidæ. Si uerò ob-*
„ *aridas habuerint, urinæ & egestiones alui ipsis*
„ *non aduertentibus exeunt. Vrina autem uelut*
„ *iumentorum est: potum non expetunt, neq; aliud*
„ *quicquam. Postquam uerò resipuerint, collum*
„ *dolorosum habent, & sonitibus aures infestan-*
tur. Lienteriæ fiunt uentriculo labefactato, & ob id maximè iuxta finem ætatis. at difficultates intestinorum & diarrhœæ ex hoc, & defluxu humorum corruptorum, qui in his abundant. Choleræ autem eadem ratione, cum bilis & suprà & infrà simul eijcitur. Sic enim definitur quinto Epidemiorum. Pag.10. *Est & cholera sicca, de qua in libro de Ratione uictus in acutis, cum ijdem motus manent, sed nihil excernunt.* Pag. 21. *Qui morbus fit à caseo, dicit, & bubulis carnibus, & silphij succo. Morbi uerò laterales, & pulmonis inflammationes fiunt, quod pectus senibus fit imbecille, quoniã pulmo ob aßiduum motum & raram substantiam: & quia à capite ob situs rectitudinem excrementa maximè suscipit, cum tota cauitate debilitatur. Et ob caloris etiam multitudinem ac perpetuam refrigerationem, facillimè corripitur absceßibus. Quòd si natura ab initio huius ætatis secernat purum sanguinem, & prauum expellat per hæmorrhoidas, optimè illi consultum erit. namque nulli reliquorum morborum obnoxius erit: ut* Sec.5. *sexto Epidemiorum. Adueniunt autem magis Meridionalibus uentis regionibus expositis, & ubi aquæ prauæ sunt, ut in libro de Aere & aquis & locis refert* Hippocrates. Pag. 3. *Cæterùm ridicula est excusatio Galeni, cùm uult nos remittere ad suas quas uocat demonstrationes: fucum facere uolens ueritati, cùm ex ipsa re nos docuerit, quali'nam ratione demonstrandi usus sit.*

APHORISMVS XXXI.

SEnibus spirandi difficultas, destillationes cum tussi, urinę stillicidia, urinę difficultates, articulorum dolores, renum affectiones, uertigines, apoplexię, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum & narium ὑγρότητες, uisus obtusus, glaucedines, auditus graues.

COMMENTARIVS.

Decem & septem seu quindecim morborum genera enumerat, quibus subijciuntur qui ultimam ætatem agunt. Sed cùm dixerit in priore ἄσθματα, *in hoc dicit* δύσπνοιαι. ἄσθμα, παρὰ τὸ ἄω *lædo,* καὶ τὸ πνέω *spiro: at* δύσπνοιαι *autem, difficultates spirandi. Atq; inter hæc hoc interest, quod* ἄσθμα *est qualiscunque spiritus læsio, tametsi spirans non sentiat offensionem, uelut qui anhelat quasi à cursu: at* δύσπνοια, *cùm sit difficultas spirandi, sen-*

„ di, sentitur à patiente necessariò, modò sensus „ non absit. Fateor hæc discrimina confundi, Lib.4.c.4. sed cùm hic in præcedenti unum alteri comparauerit, distinguere necesse est unũ ab altero. Aliter Celsus: Leuis difficultas spirãdi δύσπνοια, grauis, cum iam non sine sono fit, ἆσθμα: cum uerò erectus stare cogitur, ὀρθόπνοια appellatur. Horum primum diu trahi potest, duo sequentia acuta esse consueuerunt. Commune est illis sibilus, quoniam aer per angustum permeat. Com. 4. Galenus secundo in tertium de Morbis uulgaribus, comparat ἆσθμα orthopnϾ, quasi uelit esse grauiorem affectum: nihilominus dicit esse respirationem similem his qui cursu nuper agitati sunt. ea est magna, uelox ac crebra. Quod Aphor.44. magis me mouet, est quod sexta Aphorismorum uult, quod gibbi fiant ex asthmate: at si sic est, oportet asthma esse grauiorem affectum, ex quo moueri queant dorsi uertebræ. Videtur ergo ex his asthma esse magnum anhelitum sub hoc sensu, cum multum pectus attollitur, non crebrum propriè: δύσπνοιαν autem, difficultatem respirationis. Aetas enim primi senij cum adhuc calor maior est, & uires ualidiores, magis potest extendere pectus: nec est tantus morbus, licet ad sensum maior uideatur. hæc uerò grauior est, licet non uideatur: quia pectus Pag.4.& 5. minus attollitur. De tussi declarat Hippocrates in libro de Flatibus, quatuor: originem, naturam, causam cur difficulter amoueatur, & detrimenta. Origo quidem eius est, quòd caput flatu impletum primum aggrauatur, deinde circumuoluitur: & est, cum dicunt uideri sibi caput esse cucurbitam. hoc enim est signum flatus in capite: deinde repletis uenis extruditur quod tenuissimum est in eis, uel ad oculos, uel aures, uel nares, uel ad pectus. Tunc si ad pectus, occurrit illi spiritus, & lædens pulmones cum spiritu eijcitur, estq; natura tussis. at tum ex descensu, sed magis ex tussi, fauces (dicit) exasperantur, exulcerantur & inflammantur, trahuntq; humorem ob id è capite, & caput è toto corpore. atque ita fit reditus causæ ex morbo ipso, propter quem difficillimè soluitur. Cum uerò pituita acris sit, & calefacta motu atque faucium inflammatione, facilè penetrat carnes, & uenas erodit: inde effunditur sanguis, qui putrescens cum nec sursum possit prodire, quia liquidum: nec infrà ob septum transuersum, tabe laborantem perimit. His quatuor modis ratio præseruandi se docetur. nam uitare oportet aerem uehementer calidum, frigidum, uentos, capitis repletionem: purgando uictu parum nutriente, nec petente caput utendo, diuertendo. Vbi autem fluere cœperit, fauces munire oportet ad nares, & per corpus diuertere balneis crurum. Muniuntur autem tragacántho & succo glycyrhizæ, diacodione detento in ore. Conuenit & commanducatum pauer, cogens humorem ne defluat. Quòd si iam inciderit arteriam & pulmones dulcibus & frigidis, uenam secare. Sed hoc periculum rarò in senibus adest. Est & tussis sicca, de qua tertio de Morbis unum recensetur genus. hæc Pag.9. in huiusmodi senibus interficit, nisi sit à sola mala intemperie frigida. Vertigines & tusses etiam, citra aliud incommodum, inducunt apoplexiam in senibus. De hoc habetur sexto Epi- Sec.7. demiorum: Durissimæ & uiolentissimæ tusses ad leuem siderationem, & resolutionem perducebant. Per Apoplexiam hic etiam intelligite resolutionem, ex regula illa generali medica: Quæcunque causa parere potest maiorem morbum, parit etiam longè facilius minorem, qui est ex eodem genere. Vnde Hippocrates: Li. de Aere & aquis pagina 8. Valde senibus defluxiones, propter raritatem & eliquationem uenarum: ex quibus aliqui repentè pereunt, aliqui altera parte syderantur. Meminisse autem oportet eius quod di- Aphor. 55. xit sexta Aphorismorum: „ Apoplexiæ fiunt maximè à quadragesimo ad sexagesimum „ annum. causa ibidem explicabitur: nam hæc narratio per se minus longa est. Abundante humore crudo uigilis, ut etiam in textu, & imbecilli facto cerebro, ac refrigerato, nil mirum est apoplexias fieri: uertigines autem ob uentriculi prauam coctionem, ut ait Galenus. sed nihil potentius uigilijs: cum cerebrum siccatur, debilitatur, & spiritus concitantur. Pag.13. Dicebat Hippocrates secundo Prædictionum: Senibus uertigines cum dolore capitis maximè fiunt. causam esse reor, præter illam Galeni, uaporem acrem, qui etiam delatus ad cutim, generat pruritum. Vnde illud secundo de Morbis: Pag. 2. Vertigo fit delato ad faciem sanguine. humor enim ille salsus petit cutim maximè, & facit pruritum: caput, & facit uertiginem, & uigilias: uesicam, & generat stillicidia, & difficultates urinæ. Vigiliarum igitur duæ causæ sunt: Vna, uapores salsi: altera, ætatis temperies, scilicet siccitas. Porrò, ut rectè inquit Hippocrates in libro de Flatibus: Pituita acribus humoribus mista quòcunq; in insuetos locos defluxerit, eos exul-

Pag. 17. cerat. Et quarto de Morbis: Pituita descendens in uentriculum, non eum exulcerat: quoniam prædurus est, adeò ut Lybiæ populi, cum ex corijs ferarum faciant uestes, ex uentriculis earum faciunt utriculos pro potu: sed si in mollia membra descendat, ut pulmones, ea exulcerat. Quod uerò praua coctio omnium malorum causa sit, quæ in senibus ob caloris innati paruitatem, de qua antè egit Hippocrates, necessariò 2. Aph. 14. contingit, nemini obscurum est. Abundant uerò multis humidis succis, quoniam natura frigidi sunt & humidi: & humidum illud præternaturale est. quod colligitur ex Hippocrate primo de Diæta: Pag. 11. qui cum constituisset pueros humidos, iuuenes siccos, rursus senes humidos statuit. Inde fiunt & mali habitus, & alui & oculorum & narium redundantiæ succi humidioris. & plorant sine fletu, tum maximè, quòd caro quæ est in fontibus, absumitur. Ex aluo si humor ille aqueus non extrudatur, dolent, & sæpius in uentris profluuium incidunt. Eiusdem pituitæ redundantia fiunt glaucedines, & uisus obtusi, & auditus graues: articulorum etiam dolores, & renum affectiones: omnia hæc ex frigidis & crudis humoribus generãtur. στραγγουρίαι uerò & δυσουρίαι inter se differunt. στραγγουρία, seu urinæ stillicidium, fit multiplices ob causas, ut in libro de Affectionibus: Pag. 9. ut ex inflammatione recti intestini. unde libro de ulceribus: Pag. 3. „ Vrinæ stillicidium ex inflammatione intestini recti incidit. Vesica enim ab illo calefacta pituitam trahit: à pituita autem fit urinæ stillicidium. Aetius conatus est unam ab altera sic distinguere: Li. 11. c. 19. „ Dysuria dicitur, cum meiere æger cupit, & cum ui urinæ excernuntur: stranguria autem appellatur, cum paulatim & guttatim urinæ destillant, & assiduam ad mingendum irritationem faciunt. Quantas Galenus tenebras ubique offudit, ut nec ab ipso nec à posteris multa eruere liceat. I modò, & dic quid dysuria sit, quid stranguria? quinimò, quod impudentius est, Paulus in tertio libro curam Cap. 45. utriusque, tanquam idem sint, eandem ponit, cum tamen quasi è diuerso pugnent: & unaquæque, ut dixit Hippocrates, plures sub se contineat species. Ipse nihilosecius Galenus in septima Aphorismorum, Com. 44. suo more, dum rem declarat, inuoluit dicens: Quòd στραγγουρία „ significet urinæ tardè & obliquè, ac quasi expressæ (quod ille stillatim uertit) exeuntis emissionem, nomen ipsum ostendit. Mingendi uerò difficultas potest, & quæ cum dolore fit, mictio dici: potest & quæ cum difficultate aliqua, adeò ut uix uesica operetur. Vrinæ stillicidium ipsius acrimonia facit, & retinendi impotentia, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Vrinæ uerò difficultatem, si quidem cum dolore fuerit, inflammatio abscessus, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus: sin motus quidam difficilis, & potentiæ imbecillitas, uel tumor contra naturam. „ Debuit sanè declarare quid esset hoc στράγγα: sed absit tantum facinus. Rei ueritas est, quòd urina uel supprimitur, & uocatur ἰσχουρία: uel non emittitur liberè, & uocatur στραγγουρία: uel emittitur cum dolore, & uocatur δυσουρία: hoc enim est difficile emitti. unde etiam δυσεντερία, quoniam cum dolore fit, uocata difficultas intestinorum. Ergo impedimentum hoc meiendi contingit, seu guttatim emittatur, seu non: στραγγουρία, seu tenuiter, seu inæqualiter. dolor uerò ad eam nihil attinet, sicut nec impedimentum ad δυσουρίαν. Verùm, quia plerunque accidit, ut cum urina guttatim effluit, dolor etiam adsit, & cum dolor qui propriè uocatur urigo (est enim dolor quidam diuersus ab alijs natura) raró adsit sine aliquo mingendi impedimento, ideo δυσουρίαν cum στραγγουρία adeò confuderunt, ut nunc penè incertum sit, quomodo utranque distinguere liceat. Difficultas ergo urinæ semper est cum dolore, & stillicidium (si ita uolumus appellare) cum impedimento: cum uerò utrunque adest, quod plerunque contingit, mista est affectio ex stillicidio & difficultate. Indicatur & id ex uerbis Hippocratis quinta Aphorismorum: Vtero aut recto intestino inflammato, urinæ stillicidium superuenit, Aphor. 56. ut etiam superius diximus. quod si per δυσουρίαν impedimentum urinæ intelligere possemus, cum id potius quàm urina guttatim stillans superuenire soleat, non στραγγουρίαν, sed δυσουρίαν potius dicere debuit. Ita Galenus, dum nimis properat, scribendo omnia confundit: non negarim aliquando unum pro alio, sed errore positum. Hæc inquam proposui, nescius quam sim pro meritis habiturus gratiam. Sed iam ad textus expositionem redeamus. In his accidunt stillicidia propter imbecillitatem, præoccupante natura emissionem urinæ, antequam uesica plena sit, & ob id guttatim defluit: unde plures ex senibus eò deueniunt, ut non possint urinam continere, sed & lectos & caligas conspurcẽt. Laxatur enim musculus, collum

collum uesicæ continens. Quòd si uesica refrigeretur, musculus autem non lædatur, fit aliud στραγγουρίας genus: quia cum difficultate emittitur. At δυσουρίαι fiunt ob id, quòd urina lentè permeans, & guttatim erodit membrum uirile. quod longè tenerius est uesica: & plurimo salso humore ad uesicam delato, uel ob pituitam retenta urina, ac corrupta eroditur ipsa uesica, & præsertim collum eius, fitque dolor in meiendo.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, IN QVARTAM Sectionem Aphorismorum Hippocratis,

PROOEMIVM.

SAepe illud dubitatum est, cur tam pauci homines ueri amantes sint, etiam in his rebus quas scire ac nosse perquàm utile esset. Videmus medicum: is sit peritus an imperitus, studiosè non quærimus, & tamen nos nostraq; charissima pignora quasi cæcutientes illi committimus. Plurimum certè potest inueteratus error. Cum enim perspiciamus in omni artiū genere, quæ ad homines spectant, dico militia, iurisprudentia, ciuili conuersatione, aulicorum disciplina, eosdem esse sapientes, & qui tales habeantur, & qui maximè callidi sunt atq; dolosi, fraudulentiq; ipsæq; leges, ut omittā cætera, & decipere & frustrari iura ipsa doceant: falsò creditū est (quòd humanæ hæ disciplinæ obtinere uideātur principatum, quibus Reges, Duces belli, Magistratus, Senatus, Prætoresq; creantur, aut omnino constant) eandem in diuinis hominibus & naturæ opificibus rationem obseruari debere. Hoc tantillo argumento ab exemplo sumpto, omnia bona uera euertuntur: nec unquam ijdem sunt ueri opifices, & eruditi in precio. Sic querebatur Hippocrates in Epistolis, Galenus autem non semel, imperitißimos & longè ab artis noticia positos sibi præponi. Diuisus autē bifariam est hic error. nam in his disciplinis, in quibus nihil potest casus, ut Geometria & Arithmetica, cum cogantur fateri eruditos esse eruditos, ob certamen, eos qui eruditi sunt lacerant: alijs calumnijs crimina, stultitiam, aliaq; fœda, & si nihil aliud poßint, simplicitatem appingentes. At in his in quibus fortuna & casus aliquid possunt, ut in Medicis, architectis, nauiumq; gubernatoribus, eò proceßit improborum perfida audacia, ut sibi artem adiudicent: ab illis qui eas norunt, detrahant. Hæc est causa tam funesti atq; intolerandi erroris, imò non erroris, sed consultæ fallaciæ impostorum, quam questi sunt omnes celebres uiri. Sed Hippocrates ultra querelam non proceßit, credo rei indignitate motus, hanc hominum stulticiam tam rudem contemnens. Cæteri, ex quorum numero est Galenus, cum sua admirabili Dialectica morbo huic mederi non potuit, quia causam non inuenit. Causa autem ea est, quæ dicta est. Quomodo igitur huic tanto dedecori ipsorum præstantium artificum, tantæ iacturæ humani generis atque bonarum disciplinarum, tam acerbæ improbitati atque iniuriæ huiusmodi impostorum occurremus? Certè id primùm scire decet, eos qui humana calliditate adeò ualent, nec literis nec opere ipso præstare posse. nam quòd scire, & scire operari idem sint, aliàs sæpe docuimus. fallimur autem & in hoc, quòd eos qui nugari didicerunt, quosq; falsò ob humanam calliditatem eruditos putamus uidemus opere ipso aberrare, & esse inexpertos. Itaque ex hoc uno errore, quòd ignorantes artis eruditos existimemus, duo alij peßimi exoriuntur errores. Vnus, quòd eruditos imperitos esse credamus: & quòd aliud esse existimemus scire, & scire operari: quæ tamen in his qui uerè sciunt artes, nunquam in perpetuū, uel in uno disiunguntur. Quis enim est tam amens, aut quomodo fieri potest ut quis norit, aquam & oxymel conuenire febricitantibus tertiana notha, & quando, & quantum, & quomodo norit, etiam qualiter oxymel componatur, quæ sint qualitates bonæ aquæ, mellis, aceti, inde pro aqua & oxymellite dare uelit uinum ptisanamue? Ergo qui opere aberrāt, imperiti sunt aut omnino, aut non rectè totam artem callent. Itaque fieri non potest, ut dixi, ut qui callidi admodum sunt, artes ipsas, nec exercitationem artis teneant, multis de causis. Prima, quòd artes simplex & stabile ingenium

genium exigunt: at contrà illa calliditas, uafrum & inconstans. deinde, quòd tantum confidunt huic suæ calliditati, tum etiam uiolentiæ si insidiæ non ualeant, ut negligant præcepta artis haurire. Et rursus cum ars longa sit, & quæ ad artem longiora, ut Philosophia naturalis, Dialectica, Mathematica, Grammatica, supernaturalis Philosophia, ipsa quoque Medicina satis uerbosè à Galeno tractata: at calliditas illa humana & pseudopolitiæ peritia totum hominem, totam uitam uideatur exigere, cum tot salutationibus, ceremonijs, ut non pluribus sacerdotes in sacrificijs, nec etiam Hebræi utantur tot cauillationibus, consilijs, dolis, fraudibus, conspirationibus: deniq; his quæ ad hæc consequuntur conuiuijs, nuptiarum tractationibus, gratia potentiorum, aulico plagiario, & sexcentis alijs huiusmodi nequitijs: fieri non potest quin studia artis deserantur, atq; adeò ut quidam etiam libris ipsis carerẽt. Et quanquã occurrere his, non hîc spectaret, sed potius ad Commentaria in primos Hippocratis libros, ubi de huiusmodi argumento diffusè agitur etiam ab ipso Hippocrate: breuiter tamen malui docere hic, quomodo his sceleratißimis homuncionibus resistamus: ut nec qui nostra legent, utilitate iniustè fraudentur, scilicet opibus & autoritate inter sui similes, nec cogantur ob illorum iniurias & oppressiones deserere optima studia: atq; ita etiam inanis sit labor, pereatq; gloria scribentium ac docentium, quæ sunt inutilia humano generi. Demum, ut fidei nostræ satisfaciamus: scilicet ut his omnibus prosimus, qui nobis non nocuerunt. hi sunt omnes posteri, et hac ætate qui ex fide mecum egerunt, nec se de misera nece filij intromiserunt, nec facti illius ullam cepere uoluptatem: quinimò miserati nostram cõmunem fortunã, et execrati Cardianorum mores & consuetudinẽ, quam & Demosthenes inter prodigia & monstra sui seculi recensuit, acriterq; insectatus est, dolorem pro uoluptate præ se tulerunt. Ea igitur erat occasio, quòd, ut dixi, ad acquirendã artem multum temporis, ob Galeni prolixitatem consumere necesse esset: nũc Hippocratis Commentarijs seu totis plenè, seu his tantummodo super Aphorismos, breuiter uniuersam artem paruo temporis spacio perdiscere licebit. Quicquid uerò in Dialectica assequenda etiam temporis impendere necessariũ antè erat, nunc nostra Dialectica, quæ decẽ folijs continetur, duorũ mensium in spacium contrahi potest. Quod ad cæteras artes attinet, quæ necessaria erant Medico, ex Philosophia nos paucis restrinximus. Quæstiones illæ de principijs primis nec absolutæ, nec satis firmæ, nescio cui bono sint, aut auxilio ad medicinam perdiscendã. utiliores enim essent disputationes Ricardi Suisset Angli, quòd de rebus magis sint, quàm elenchi illi circa ea, quæ qualia sint nondum constat. Porrò sapientiam illã improbã, & fine & modo nos sanctè casteq; in pauciora præcepta restrinximus in libris de Vtilitate ex aduersis capiẽda. Nam illam uulgatam, qua isti adeò & gloriantur & sæuiunt, quis demiretur quinq; tantũ præceptis contineri? Ea sunt: blãdiciæ in cognitos: inflatio in leues: uis & minæ in acriter resistentes, nec cedentes his nugis: fallax prædictio: & conspiratio inter participes. Horum omnium una radix tamẽ est, Dei contẽptus: neq; enim sine eo quisquã ullum horũ aggredi, præcipuè uim, minas & conspirationẽ, potest. At nostra si sequaris in his libris præcepta, paulo maiore diligentia atq; labore cuncta hæc assequêris, haud læsa pietate: quod maximũ munus esse reor. Sed, ut dixi, paruo cõstaret disciplina illa tota, si condisci & exerceri salua pietate posset. Admiratur Plinius in Cicerone eloquentiæ uim supra conditionẽ humanæ naturæ, his fermè uerbis: Te dicẽte, legẽ Agrariã, id est alimenta sua, abdicauerunt tribus. Te suadente, Roscio theatralis autori legis ignouerunt, notatasq; se discrimine sedis æquo animo tulerũt. Te orante, proscriptorũ liberos honores petere puduit. Sed aufer C. Plini inflationẽ, uidebis leue artificium, & quàm paruum fuerit armare plebem contra sua cõmoda. Difficile est agnoscere proprium adulatorẽ, adeò ut Plutarchus integro uno libro de hoc scripto solum docuerit, posse id fieri, nõ ipse forsan hoc præstare cõfisus. At in populo quis tam acutè perspicit, ut adulatores effugere poßit, qui singulos laudant sub alterius specie? & dũ alios laudant, intelligis teipsum magis ab eis laudari. O' quàm perniciosa assentatio, quàm perditißimi illi rhetores, Demosthenes præcipuè & Cicero, captantes eos populos ad omnia facinora impulerunt: neque hoc contenti, inanis gloriæ cupiditate in suam perniciem armarunt: deinde etiam euerterunt. Demosthenis ambitio enim Athenas Alexãdro, Ciceronis Romam Augusto subdiderunt. nec puduit gloriari, decepisse hos populos: coactiq; sunt fateri, suam patriam perdidisse: ne non inficiari quis uelit, quod dicimus. Cæterùm quàm leuis sit hæc res, inflare homines, ex eo perdiscere licet, quòd Cicero, qui populum Romanum

num toties inflauit, coegitq́; ut phanaticos suam perdere libertatem, in priuatis negocijs nullus fuit. Si mihi non credis, exemplar uitæ suæ Epistolas ad Atticum lege: uidebis quàm leuis, stultus, ambitiosus, perfractus, inconstansq́; fuerit, & quolibet fabro uulgari consilio & prudentia inferior. Vnde nil mirum, se suosq́; euertisse. Quid est hoc mirum, cum tanta raperet, tot dona ex fori labore acciperet, amicorum hæreditatibus locupletaretur, adeò ut referat ex Diodoro H *centies, id est ducenta quinquaginta millia aureorum (sed mendum esse, haud dubium est: legi debet* H. C. *id est, sextertia centum, quod est aureorum bis mille & quingenti) semper tamen ære alieno opprimebatur. nec potior alia causa interitus fuit tam ipsi quàm fratri, fratrisq́; filio, quàm pecuniarum inopia, ut Plutarchus refert. quamuis toto triennio Qu. Frater Asiam proprætor ita expilarit, ut redeunte illo, magis Cicero ei, ne repetundarum accusaretur, timeret, quàm sibi qui in exilio erat. Omitto scelera reliqua illius, & inauditā crudelitatem, & stultitiā: quæ Cicero quantum poterat, reprimere conabatur. Itaque, ut ad rem redeam, parua res est Deum non timenti, falsis blanditijs notos, & in ipso confidentes, alios inflatione, impotentiores ui ac metu, tamē conspirationibus aliorum improborum euertere, & sibi uiam ad principatum sui ordinis sternere. Postquam ergo hoc facile est, perdiscere autem medicinæ artem, ut ab Hippocrate atque nobis tradita est, labor perbreuis, utrique satisfacere negocio poterimus: non tam sibi uindicando quod iniustum est, quàm retinendo quod nobis debetur. Si igitur peritus in dignoscendo, & cautus in prædicendo, & promptus & elegans in operando (quæ quatuor sunt præcipuæ medici dotes) fuerist non abs re erit, garrulos istos factis coarguere, concutere experimentis, perterrere periculis, subblandiri omnibus, quosdam alios ex amicis ægri atque coniunctis inflare, conspirare cum tonsoribus & pharmacopolis, sed probis. Nam si illi sibi licere uolunt aduersus ueritatem, iusticiam, commodaq́; ægrorum & Reipublicæ tam ciuitatis quàm literariæ: quare nobis non licere debet ad repellendum iniuriam, ad tuendam ueritatem, gloriamq́; rei literariæ sustinendam, & utilitatem eorum qui uestræ fidei se suaq́; chara pignora commiserunt? Præsertim cùm hi cum malis conspirarint, bonos euertant: tu contrà malis resistas, & cum bonis conspires. Nec difficile est superiorem euadere arte fallendi parem, bonis uerò præceptis disciplinæ adeò longè lateq́; superiorem. nam hos euertit euentus rerum, detinet conscientia sui, terret iusticia, uindictaq́; deorū, adeò ut uel sic cōcidant. Memini cū Mediolani essem nec instructus his præceptis, nec ambitionis cupidus, sed sola medendi exercitatione clarus & fœlix, quot dissiparim aliorum, nec imperitorum prorsus conspirationes, ut palàm esset, me magis timeri quàm contemni: necdum tum armatus* Hippocratis *doctrina, quam non nisi condita* Dialectica *consequi potui. Quid ergo times, ne non superior euadas? modò caueas præcipitem iram, & importunam iactantiam, aut quædam huiusmodi uitia, quæ nobis præproperam gloriam & autoritatem quærentibus falsò, tanquam utilia, & maximè iuuenibus abblandiuntur. Vnum enim ex præcipuis impedimentis ad retardandam autoritatem & gloriam, quam quærimus ex arte, est, nimia cupiditas properandi, qua præcipites ferimur non minus per dedecora nostra, quàm per iniurias aliorum. Sed quoniam hac in causa longius progressus sum, in posterum à procemijs abstinebo: ne imitando, quos damno, insectari uidear. Vnum rogo, ut quemadmodum in medicina precatus sum, ut* Galenum *inspicerent: deinde de his quæ diximus, atque illum accusamus, iudicarent: ita etiam in hac Ciceronis accusatione, prius legant illius uitam, facta rimentur, exitus inspiciant: inuenient tantum profudisse proprijs animi perturbationibus, quantum accepent beneficio naturæ, quod certè immensum fuit: nec posse quenquam duabus in rebus præclarum esse. Ei dicendi amplissima facultas data est, & immoderata, quanquam* Tacitus *illum non leuiter perstringat, dicens: Lentus est in principijs, longus in narrationibus, ociosus circa excessus, tardè commouetur, rarò incalescit, pauci sensus optimi, & cum quodam lumine terminatur: nihil ex tempore referre possis, & uelut in rudi ædificio firmus sanè paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. non tamen bello Cæsar, integritate Cato, cōsilio & prudentia Atticus, scientia Aristoteles fuit. Diuisa hæc sunt munera, diuisi & homines. Hæc igitur adijcere uolui, magis ueritus inuidiæ in* Galenum *suspicionem, quòd medicus medicum arguat, et quide ijsdem conscripserimus: quàm iram et furorem Grammaticorum, quos læsa* Ciceronis *maiestate, scio in me impetum facturos.*

cturos. Sed tamen hic suspicio omnis inuidiæ aberit. neq; enim suspicari quis potest, me adeò excordem esse, ut scribendi genere, eloquentia facundiaq; cum Cicerone ipso contendere uelim. at si rectà sapient, nec cum Galeno, & multo minus. Quæ enim causa esse debet, ut in iam tādiu sepultos manes inuidia ferri uelim? sola rei ueritas, & utilitas mortalium, me ad hoc impulit: qui seducti uitijs hominum, & autoritate nominis, laudant iustè & meritò bona in illis, uitia autem imitantur. Vide quod inuidiæ genus? ubi omnes Hippocratis libros diligenter intellexeris, etiam iubeo, non consulo solùm, ut sex Galeni libros de Locis affectis, & decem ac septem de Vsu partium, quatuordecim Methodi medendi, quinq; primos & tres ultimos de Simplicibus medicamentis, decem de Compositis secundum locos, & septem Secundum genera, qui in uniuersum sunt sexagintaduo, euoluas. A reliquis eius libris si abstinueris, non solùm id temporis lucri feceris, quod esses impensurus: sed minus perplexus hærebis in his quæ ab Hippocrate clarè tradita sunt. Non defuit Galeno ingenium, facundia, methodus, exercitatio: sed quædam, ut reor, nimis iuuenis, quædam minus diligenter, alia alijs impedimentis occupatus, negligenter satis scripsit. Sunt & extra contemptum Dioscoridis & Oribasij, qui supersunt, & Auicennæ libri: tum Vesalij Anatomia. Sed redeo unde sum digressus. Dices forsan: Hæc quæ dicis facilia factu, non tamen erunt promptа, ut uolumus, populo persuadere, ut cōtra commoda sua agat: res ardua est. falleris. Parua'ne & exigua, cū Quirites se uocari audiebāt, quasi à Romulo progeniti, cum essent descendentes latronum & Amphamiotarū, tum Volonum & Prospolitarum aut pecuariorum nobilissimi, ex pastoribus, bubulcis, subulcisq;: cum identidem illud inculcabant, En Romanos rerum dominos gentemq; togatam: cum tot bella, tot uictorias, tot triumphos, æquam, imò maiorem cum dijs ipsis potestatem decernēdi ius summum, ut quos beatos esse uellent, statim suffragijs suis efficerent: quosq; miseros, etiam repentè damnatos exilijs, uinculis, morteq; multabant. Demum hæc omnia pro nihilo habebantur, & templorum ornatus, & magnificentissima urbis species, & populi frequentia, & magistratuum potētia, & Senatus autoritas, cum gesta illa maiorum referebant: & Decios se deuouentes, & Manlij in filium sæuam & stultam animaduersionem, & Bruti in Reges odia, securimq; armatam in duos filios, & Fabricij pauperis superba responsa, & referentem signa Camillum, & Porsenæ ac Virginij Scæuolæq; miracula, Attilij Reguli constantem fidem, Horatij Coclitis robur & fortitudinem, Martij se in uoraginem præcipitantis audaciam, Scipionum uictorias, innumeraq; alia seu ficta seu uera: inde fidem, patientiam, innocentiam, religionem erga deos, & uicissim illorum anxiam de populi Romani salute curam. Quò non flexerit callidus orator istis exemplis, non minus stultam quàm imperitam plebem? Sed quorsum hæc tanta dicis? Vt intelligant studiosi, opus esse præclaris aliquibus ingenijs, atq; eruditis, ut honos bonis literis restituatur: neque enim ab imperitis, qui huic causæ aduersantur, hoc sperādum est: nec à mei similibus, qui omnem hanc gloriam omneq; nomen prorsus contemnimus: nec ab his qui quamuis sint abundè eruditi, artibus tamen his humanæ uafriciei natura simplices, et usu inexercitati, & studijs abhorrentes, destituti sunt. Sed primùm abundè in arte doctis, inde etiam natura, usu, studio, disciplina subdolæ huius seplasiariæ usq; ad aras instructi. Quòd si quintum genus illud technæ times, quo prædictionem conantur eludere. cum enim dicis, Laborat phthisi: dicūt, Non: sed tamen periculum est, ne si morbus perseueret, in phthisim delabatur. Laborat causonide: Non, respondent: sed bene in periculo est, ne in causonidem deueniat: ita improbi illi, sine scientia, sine studio laboribus tuis fruuntur: quin etiam prudentiores uideri uolunt, quasi tu fallaris in morbo: & illi, cum tu quæ sunt, non agnoscas, illi etiā antequam sint, præuideāt: demum si fortè fortuna euadat, obijciunt tibi publicè quòd deceptus sis: si pereat, ipsos præuidisse ac prædixisse putent. Malè sit his nebulonibus: multiq; fures et latrones, qui laqueo perierunt, ea nece minus digni sunt his ipsis sycophantis. Sed tamen (quanquam durum sit, et maximè si mediocriter sint eruditi) resistere debemus. Itaque cum tam malignè agunt, et tu clàm sis, insidijs resistas, perpensa igitur re integrè, et futuro fine, dicas illos non rectè agere, qui morbum pro morbo curent. Et quamuis à te admoniti periculum imminere fateantur, nihil tamen prodesse hoc ægro, cum iam occasio salutis dilabatur. præterito enim principio, nullam amplius spem salutis superesse. Tum astantes rogabunt, ut occurras: tu si speres aliquo modo euadere posse, clàm affer auxilium aliquod lene, quod ei conducat, non ex ratione suorum: præfatus differri

posse

posse, per hoc, ut principium non elabatur, nec occasio prætereat. Ita uersa rerum uice, si moriatur, culpa eorũ mortuus uideri poterit: si euadat, tua solertia & prouidentia.

APHORISMVS I.

Vtero gerentes sunt medicandę, si materia turget quarto mẽse, & usq; ad septimũ: sed hæ minus. Iuniora autem & seniora uereri oportet.

COMMENTARIVS.

¶ Cum tradidisset in prima sectione curam generalißimam morborum: in secunda uerò generaliter multa, nihil speciatim, sed quæ uel ad signa generaliter, aut ad rationem uictus uel cõ-
14.15.25. ualescentes nihil proprium (nam si excipias se-
40.42.43. ptem Aphorismos, non est qui dubitare poßit de
45. hoc) at neq; in his quicquam particulatim. Aestiuas quartanas enim dum cõmemorat, de morbis omnibus dictum intelligi uult. Sed & in illo, Vbi fauces ægrotant, nil proprium exponit: neq; enim morbum nominat, & curam etiam solum generalem: in eo uerò cuius est initium, In profluuijs alui mutationes, nec de cura quicquam, nec de quo genere profluuij loquatur docet. À quadragesimo quoq; ad quadragesimumtertium, tametsi quædam specialiter de morbis dicere uideatur, nihil quod ad curam (nisi ad curam spectare dicas, quòd curari non posse doceat) quadragesimus quintus tametsi curam doceat solus alicuius morbi, non tamen nisi generalißimè. In tertia uerò egit de his quæ ad constitutiones etiam generales pertinent ætatis, temporum & huiusmodi: in præsenti incipit tradere curationẽ speciatim morborum atq; dispositionum, tum signa magis propria: quod ut demonstrẽ nõ expedit, ne quod in alijs maximè uitium reprehendere soleo, quòd in manifestis infinita faciant commentaria, ut aliquid dicere & multa scire uideantur, difficilium locorum omnino posthabita non solũ interpretatione, sed etiam mentione. Sileant ergo, & suam fateantur posthac non solùm inscitiam, sed ignauiam, qui negant has particulas ulla ratione esse diuisas, postquam uniuscuiusq; Aphorismi ad hunc usq;, & ipsarum etiam inter se particularum & ordinem & continuationem exposuimus. Nec est quod crimini dent, intermissa in hac & subsequentibus multa generalia, cum id necessarium sit doctrinam tradenti, à generalibus ad propria: neq; uitium sit, sed esset si inter generalia quicquã membratim doceretur: quod ita uitauit Hippocrates, ut ne suspicionis quidem umbram præstiterit.

Duo igitur cõtraria maximè proponit Hippocrates: unum secundum naturam, alterum contra: quæ adinuicem comparando, ubi contrariæ sint indicationes, media inuenire docet. Quæ utero gerũt, ab omni auxilio medico maximè abhorrẽt: purgatione siquidem, in hoc Aphorismo: 5.Aph .30.
sectione uerò uenæ in illo, Mulier utero gerens "sanguine misso ex uena abortit, & eo magis, si "foetus sit maior. Vbi etiam de inedia uehementi à Galeno sermo idẽ confirmatur. Verùm in sanguinis mißione ex uena, nulla exceptio uel morbi ratione uel causæ fit: in purgatione autem excipit materiam turgentem, quòd minus uereatur purgationem quàm uenæ sectionem, non quòd magis morbi qualitatem formidet. nam in uenæ sectione nullam morbi aut causæ mentionem fecit. Quocirca melius fecisset, non hic sermonem habere de uenæ sectione, cum Hippocrates unã prorsus admittat, alteram non. Sed quoniã propositum est, Galenum tueri quantum possumus, dicamus comparãdo purgationem sectioni uenæ, in purgatione uinculum cum matre firmum respicere, in uenæ sectione abundantiã alimenti. Dicemus ergo purgandas prægnantes, cũ maximè foetus hæret matri, à quarto scilicet mẽse ad septimum, & quæ non facilè abortiunt, & medicamento non concutiente, & si foetus sit altior. Ex materia turgente triplex est indicatio: periculi scilicet magnitudo, materiæ caliditas, & facilitas purgandi ob motum. In uenæ sectione, quòd foetus sit paruus, mulier sanguinea, uenæ sectioni assueta, atq; refectio copiosa cibi. Quod uerò dixit de materia turgente, eadem ratione de ea quæ est iuxta aluum, intelligendum est: ut in uentriculo, mesaræo, intestinis etiã magis. Quid uerò sit materia turgens, suprà docuimus, & in- 1.Apho.22.
frà proprius est locus, at per medicamenta intel- Aphor. 10.
ligit elleborum utrunq;, & illo sesamoidem tutius, ac peplium ac peplum: quæ quantum differant, in libro quarto de Ratione uictus in acutis In fine.
edocebimus. Illud solũ restat indiscussum, quod addidit his uerbis, Et usq; ad septimum. Hoc, Sed has minus, Brasauolus existimat dictum, quia in septimo mense uitales aliquãdo pariuntur: atq; hic terminus, ut colligitur libro de Septimestri Pag.3.
partu, incipit à centesima octuagesimatertia die, & finitur in ducentesima: à ducentesima autem ad ducentesimamdecimam nõ sunt uitales. Verùm nimis subtilis est hæc interpretatio, cum uelit Hippocrates, magis uitandum septimum men-

o sem,

sem, quia fœtus cum magnus sit, maius est periculum in abortu. Fuchsius autem, cum uenia dictum sit, ob ueritatem, totam confundit sententiam, excludens septimum mensem à purgationis munere. non enim dixisset Hippocrates, Sed has minus: uerùm ut de aliis mensibus uereri oportet. Clarissima igitur est illius sententia, si non inuertatur, atq; huiusmodi: Vtero gerentes, si materia turgeat, à quarto mense usq; ad septimum sunt medicandæ, sed in septimo minus quàm antè: primis autem tribus mensibus ac duobus ultimis, scilicet octauo & nono, non nisi maximo cũ periculo medicamẽta dare possumus, scilicet quæ per inferna aut superna purgent. Ita ut semper medicari liceat à quarto ad sextum mensem satis tutò, in septimo non adeò tutò: à septimo ultrà, et ante quartum, maximo cum periculo.

Sed occurret aliquis dicens: Vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale est, quinta
30. Aphorismorum: quomodo ergo curabuntur peritura iam purgatione? Respondeo: Deterior est morbus acutus quietus in prægnante, quàm ex turgente materia: quoniam cum destituatur auxilio sectionis uenæ & inediæ, & longior sit etiã, & purgari non possit nisi concocta materia, ideo letalis efficitur: qui uerò ex materia turgente fit, securior est: quia breuior, & quia purgationem admittit. Quidam autem plus sapere se quàm Hippocratẽ existimãtes, multa extra propositum nugantur: cum hæc sit ueritas.

Vtrum uerò ante quartum mensem uel post septimum purgare liceat, in dubium reuocant frustra, quod concessum est ab Hippocrate, sed non sine magno metu, cum norit quantũ periculi immineat. Cum uerò non liceret regulam generalem tradere, admonuit nos incumbentis periculi: ideoq; utilitatem, necessitatem & noxam pensitanda esse. Et noxæ quidem medicamentorum purgantium superius declaratæ sunt, sed eas repetere non pigebit. Prima est, quòd agitant totũ corpus, & uomitum mouent, ex quibus in abortum facilè deuenire posset ægra. Tertium, quòd commouent dolores. Quartum, quòd accẽdunt febres, quia omnia talia excalefaciũt: sunt etiam pleraq; uenenosa & abominanda & amara, sed has ultimas noxas uitare licet, & debemus. Vnde cessat contentio de aloe & rhabarbaro. stultè enim aliquis talia propinabit, quæ fœtum interficere possint. At uerò ex aduerso sunt, si quis santala & nucem myristicam & garyophylos ac mentam, tum chærefolium, ac huiusmodi odorata, non admodum calida, neq; amara & astringentia misceat cum saccharo, tutum reddet medicamentum: idq; magis, si scammonio etiam emendato cõstet, ut in compositione uocata Diaphœnicõ, id est ex palmulis, cum iã fuerit fermẽtata. Nec ad cassiam nigram, neq; ad manna confugiendam erit. Linquamus hæc & Mesuæ & Actuario, dicentibus hæc, quibus ualidiora exhiberi tutò non possunt, ut pueris & prægnantib. commoda esse. nam talia fuci sunt, ut quod natura curat, nos curasse uideamur. Vix enim cõtinget semel in centum ægris, nec nisi sub fine morbi, ut per talia medicamenta quicquam de materia peccante expurgetur. Quòd si quid esse utile ex his potest, erunt potius tamarindi, omnis praui saporis expertes, qui purgant bilem, & etiam tenuem pituitam, ac astringũt corriguntq; detrimenta aliorum medicamentorum, maximè calidorum, cum impensè refrigerent: & myrobalani, citrini chebuliq;, & emblici ac nigri, ut magis opportunum fuerit, & quibus iucundus est odor: rosæ, rosaceus syrupus seu serapium malis multo rore plenum. quod etiam pituitam crassam expurgare potest, maximè sale gemmeo addito. hæc omnia grata sunt odore, sapore, frigida, astringentia, naturæ amica, non immodicè expurgantia: nec urinam prouocantia, quod maximè malum abortus excitat, & familiare est expurgantibus medicamentis. Licet igitur semper si morbus ualidus sit, & periculum uideatur ne materia in membrum principale decumbat, & uires ualidæ fuerint: nõ tamen sine maximo metu fiet, his temporibus scilicet ante quartum mensem & post septimum, minusq; dare ex medicamento: minimè tum conuenit, si emendatum fuerit. Nam periculum est in opere, nõ in ipso medicamento. Sed si fœtus maior fuerit, solũ magis nutriemus.

An uerò semper debeamus purgare, cum materia turget, & mensis fuerit à quarto ad septimum usq;, & maximè quintus & sextus, nõ (ut dicunt) quartus. Vbi enim est initium, ibi etiam est incrementum. Si igitur initium securioris purgationis à quarto mense incipit, in quinto erit adhuc securius, & maxima securitas, cum minimè solent abortire mulieres, scilicet sexti sub mẽsis initio. unde etiam in hoc falluntur expositores & medici ipsi artem exercentes, pernicioso nimium errore, cum (ut dixi) & minus quarto mense purgandæ sint prægnãtes quàm sexto, & leuioribus medicamentis, dubium non solùm Hippocrates, sed omnes expositores reliquerũt. Respondeo ergo, quòd si morbus primùm letalis sit, non esse purgandas, Secundò, si affulgeat

spes

ſpes ſalutis, ob id quod dixit Hippocrates ſecun- Pag.3. do & ſexto Epidemiorum: Prægnantibus ſi ni- Pag.7. hil præter naturam accidat, uitales fiunt partus. ›› Itaq; cum morbi & medicamenta res ſint cõtra ›› naturam, adeò ut etiam ab infantibus medicamenta arceantur, ut Princeps docet, §.1. De regimine infantium. ſi adhibeantur, fœtus aut abortiuntur, aut remanent inualidi, ut poſt ortum breui intereant, uel imbecillitatem quandam perpetuò retineant. Quia tamen damnaui imbecillia medicamenta, & hic agitur de uita humana, ne quis perperàm intelligat dicta noſtra, explicabo tibi meam ſententiam: & eſt, ut utaris clyſteribus, ſi aluus aſtricta, lenientibus. licet &, ſi in uentriculo & propè ſint crudi humores, & minimè lenti, tenues, uel etiam craſſi, leuibus medicamentis purgare: ſed nõ ita, ut credas materiam morbi huiuſmodi auxilijs euacuari poſſe. Pag.4. Verùm ut ad rem redeam, in quinto Epidemiorum narrat de uxore Antimachi, cui, cum eſſet prægnans ſecundi menſis, datum fuit catapotium ualidius quàm conueniebat, è genere purgantium per inferius, & non eduxit, ſed per ſuperiora tantùm bilem combuſtã propter febrem & abſtinentiam cibi. pluribus enim diebus faſtidiũ cibi paſſa erat. & mortua eſt eadẽ die (dicit) quæ forſan potuiſſet ſeruari, ſi aquam bibiſſet loco catapotij, & euomuiſſet. Igitur etiã leuia medicamenta per ſuperna purgantia conueniunt, nõ elleborus aut ſeſamoides. Ex quo conſtituemus aliam regulam: Quòd ſi materia ſit in uentriculo, leuibus medicamentis uomitum prouocantibus eſt expellenda. Rurſus in octauo menſe periculoſiſsimum eſt purgare, quoniam facilè abortiũt: & ſi abortiãt, plerunq; mater moritur, tum ob fœtus magnitudinem, tum menſis proprietatem. Septimo Epidemiorum datur exemplum u- Pag.11. xoris Olympiadæ, quæ octimeſtris erat: & cum ex caſu abortiſſet, mortua eſt. Inter menſes ergo curandi, peſsimus eſt octauus: inter priores autem, minimè periculoſus eſt tertius de abortu: ſed de uita primus medius inter utroſq;, & quo ad utranq; cõditionem ſecundus. Difficultas eſt de nono. nam cum ſit menſis partui opportunus, uidetur eſſe ſecuriſsimus. Reſpondeo: In ea parte qua poſſet parere uitalem, eſt ſecuriſsimus: ſed ſi non pariat uitalem, periculoſiſsimus eſt, propter fœtus magnitudinem. Ideo etiam cauendum eſt à medicamentis ualidis omnino. nam ſi fœtus intereat, perit etiam ſæpe mater. Sic ergo ordinabimus hos menſes:

Pro abortu ſecuriſsimi.	Pro uita matris ſi abortiat.	Generaliter pro utroq;.
1 Quintus, & Sexti initium.	1 Primus.	Quartus.
2 Quartus, & Sexti finis.	2 Secundus.	Quintus.
3 Septimus.	3 Tertius.	Sextus.
4 Tertius.	4 Quartus.	Primus.
5 Secundus.	5 Quintus.	Secundus.
6 Primus.	6 Sextus.	Tertius.
7 Nonus & octauus.	7 Septimus.	Septimus.
8 Decimus.	8 Nonus.	Decimus.
	9 Decimus.	Nonus.
	10 Octauus.	Octauus.

Habetur autem tertius ordo ex primis duobus, iunctis ſimul numeris, ubi minor euaſerit, erit ſecurior. Lang.13. In primo aũt Epidemiorum: Quamuis laboraret periculoſiſsimo morbo, non purgauit eam, quæ in littore habitabat: ſed trimeſtris ſolùm erat, & materia non turgebat, imò decubuit ſtatim ad locum non periculoſum.

Aphor.29. Hic etiam Aphoriſmus ſcribitur in quinta particula, ſed eo loco eſt prorſus ſuperfluus.

APHORISMVS II.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeũtia, utilia: quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

COMMENTARIVS.

¶ Poſtquam docuit purgare in præcedenti, utero gerentes: hic docet in morbis, in quib. aliquid excernitur de materia peccãte. Videtur autem Galenus ſuo ſolito more & accuſare ſtatim Hippocratem ab initio, & uelle Aphoriſmũ extendere ad omnem euacuationem, ac ſimul ipſum ſecundo primæ particulæ aſsimilare. Verùm non animaduertit, quòd non ſolùm hic ſpecialis eſt, ille generalis: ſed quòd hic loquitur de ꝓprio quodam genere morbi, nõ de omnibus. Ita ut hic Aphoriſmus bifariàm ſit ſpecialis, illius cõparatione. ille enim de omni morborum genere & omni euacuatione loquitur: hic peculiariter, & ſolùm de purgatione, & de morbis ſolis, in quibus iam aliquid ſponte excernitur. Doleo quòd Galenum accuſare toties cogar, ſed magis quòd in longum extendere ſermonem. Neq; enim uidit

quòd hic Aphorismus priori optimè cõtinuatur. Cum enim dixisset, expedire turgente materia purgare etiam in utero gerentibus, adiecitq; tempus, quo id facere licet: addit nunc, quòd si præter id quòd turgeat, etiã aliquid excernatur, tum maximè expedire purgationem, cognoscentibus nobis non solùm materiam purgandam, & adiuuante natura motũ medicamenti, sed iam inchoante. Quis non uidet luce clarius, Galenum non intelligere Hippocratẽ, nisi ex cortice: nec aliud maius testimonium, quàm quod illum accuset, cũ minimè ueniat accusandus. nam neq; bis repetijt idem, nec hic Aphorismus sic intellectus sub illo continetur, nec potest amplificari. Existimauit quòd Hippocrates solùm qualitatem materiæ & illius similitudinem, non motum iam inchoatum, & quod maius est, turgentem illum impetum animaduerteret. Vide ambitiosam insectationem bene meriti Hippocratis apertam (non tamen quicquã hic plus docet de purgatiõe, quàm quod de omnibus euacuationib. ipse iam dixit) Quid turpius, quid fœdius? Deinde irascuntur mihi, quòd Galenum iustè damnem, ut iniustè ab illo accusatum Hippocratẽ tuear. Quæ igitur adduntur ab illo Asiatica dicendi luxuria, tametsi uera essent, extra propositũ sunt. neq; enim omnia omnibus in locis referre expedit. hoc enim est infinitam & nugacem facere disciplinã. Illud solùm ad rem, quod connectit hunc Aphorismum sequenti, sed ibi eum exponendi locus erit. neque enim illum cur rursus ascriptus sit, cum bis in primo libro scribatur, cum tot uerbis ac sua continuatione docere potuit. Quòd, etsi adhuc dubitas de his, tantùm quæ iam prodeunt, non quæ si prodirent, utilia essent, Hippocratem sermonem facere, uerba ultima considera (Quæ uerò contrario modo prodeũt, cohibere oportet) ubi nulla esset connexio. Sed & Itali omnes uertendo aberrant, pro χρήσιμα, id est utilia, χρήσιμον utile interpretantes. nam sic secunda pars Aphorismi primæ nõ conuenit. Sensus igitur est: Cum turgente materia aliquid utiliter excernitur, totum purgare conuenit: sin autem alium humorẽ euacuauerit natura, tunc illum cohibere oportet. Malè autem fecit Fuchsius, cum emendasset cum Cornario id χρήσιμον rectè, totam peruertere Hippocratis sententiam: ut legeret, Qualia etiam si sponte prodirent: pro, sponte prodeuntia. Omitto quòd autoritas omnium refragetur. Dicam ego Hippocrati: Quî sciã ego, quæ si prodirent, profutura essent? Clarus igitur sensus est uerborum Hippocratis: Si materia turget, et aliquid iam prodeat utiliter, adiuua naturã: sin aũt inutiliter, cohibe. Tu modò cogita teaum, an hic sit sensus Hippocratis genuinus, et quid huic sententiæ affine habeat uel secundus Aphorismus primi libri, uel tam longa Galeni expositio, uel aliorum autorum. Inde etiam soluitur facilè quæstio illa uulgaris de symptomatica purgatione, an adiuuãda sit. Dicit Hippocrates: Si utiliter excernantur, iuuãda: si secus, cohibenda. At dices: Hoc nõ Hippocrates dicit, sed utilia, non utiliter. Si ergo immodica sit euacuatio noxiorum, ut aliquando accidit, adeò ut natura exsoluatur, debeó ne purgare? Dico quòd non: quia per illud uerbum ἰόντα prodeuntia, intelligit parua sub quantitate exeuntia. nam si uoluisset intelligere de magna quantitate, dixisset ἐξινούμενα: hoc enim commune est etiam purgationi copiosæ.

Cæterùm dices, Non ne hic Aphorismus saltem ad alias euacuationes traduci et ampliari poterat? Dico quòd nõ. nulla enim est euacuatio secura ratione loci, præter purgationẽ per aluum: neq; etiam cõuenit, si fluat sanguis per nares, mittere sanguinem ex brachio (nam sãguinẽ non noxiũ educeres) neq; ex naribus: periculosa enim esset eiusmodi attractio. Vides igitur Hippocrati nihil potuisse addi. Verùm dices, in famula Onesidemi, quinto Epidemiorũ, cum prodirent Pag. 4. suprà & infrà, quæ nõ conueniebant super purgata, tamen non cohibita: & neq; mortua est ob id, dicit Hippocrates. Respondeo: Erant contrariæ indicationes, uincebantq; illa quæ de purgatione indicabant, uelut bilis, sed tamen sine utilitate. Dicemus autem suo loco.

APHORISMVS III.

SI qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria uerò grauiter.

COMMENTARIVS.

¶ Sic cõstituitur ratio. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, et leuiter ferunt: cõtraria uerò grauiter. Sed si medic⁹ ea purget, quæ natura dũ purgat, iuuatur æger, qualia oportet purgari purgat. igitur si medicus talia purget, qualia spontè prodeuntia utilia sunt, conferet, & leuiter æger feret: et si supprimat, quæ dum exeũt, malè afficiũt, iuuabit. igitur in medicationib. talia educere, & reliqua, ut in præcedẽti Aphorismo. Ex quo patet demõstratio præcedẽtis Aphorismi, et cõtinuatio sine repetitione, nõ igitur eximẽdus.

APHORISMVS IIII.

MEdicari æstate superiores magis, hyeme uerò inferiores.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Cum docuisset rationem purgandi, morborum quorundam habita consideratione, hic comparat ad tempus anni diuersos purgandi modos: unde etiam connectitur generali ratione secundo. nam, ut docui, tertius pars est secundi, sed & speciali. nam dictum est in illo, quòd in medicationibus expedit talia educere è corpore, qualia sponte prodeuntia utilia: at æstate solent magis corpora per supernam partem, scilicet per uomitum, & hyeme per infernam, id est aluum expurgari. igitur & hoc facere debet medicus. At dices: Igitur ad priorem opinionem redis, ut non solùm quod iam fit utiliter, sed solet fieri utiliter, sit respiciendum? Respondeo, Quòd non: sed ibi præcipit purgandum, hîc uerò nō: sed si expedit, modū eligere docet. Itaq; est ac si diceret: Cū medicari oportet, æstate magis per uomitū, hyeme per aluū id facere expedit. At ibi cū materia utiliter excernitur, nec sufficienter, expurganda est: si inutiliter, cohibenda. Ideo clara est differētia. Cur autem æstate magis per superiorem uentrē & per uomitū, Galenus rationē adducit in Com-
Pag.5. mēto. Hippocrates enim in libro de Humana natura inquit: Per æstatem bilis augetur, hyeme uerò pituita, ob frigus, ac noctiū longitudinē. Sed et uicißim, inquit, minuuntur pituita in æstate, bilis flaua in hyeme. At bilis ob leuitatem sursum facilè fertur, & sponte eò tendit: contrà pituita infrà. igitur ratione humoris euacuandi res ita se habet. Quamuis nō semper istud uerum sit de humoribus, sed plerunq;. Addit & aliam causam Galenus, propriè sumptam à natura temporis. ambiens enim aer calidus materias sursum facilius propellit, ut frigidus deorsum. Et licet hi duo sensus ueri sint, nihilominus potius de purgatióne uentriculi in æstate qualicunq;, & uentris ac intestinorū hyeme loquitur, quàm de modo pur-
Aphor. 17. gandi, de quo inferius aget. Plurimū enim interest dicere, φαρμακεύειν τὰς ἄνω, et ἄνω φαρμακίης, omittēdo articulū τὰς, qui pronominis uicē gerit. Quod uerò grauius est, quod dicat in
Pag.2. libro de Salubri uictu: Sex hybernis mensibus
» uomendum est. hoc enim tempus pituitosius est
» æstiuo, & morbi circa caput fiūt, & eam regio-
» nem quæ est supra septū transuersum. Quum ue-
» rò æstas & calor fuerit, infusis utendum est. Ho-
» ra enim hæc æstuosa est, & corpus biliosius, &
» lumbi ac genua grauātur, & calores oboriūtur,
» & in uentre tormina fiunt. Quapropter corpus
» perfrigerare oportet, & quæ in sublime eleuan-
» tur, infernè subducere ex istis locis. Hic se contorquet mirū in modum Galenus, & qui eum sequuti sūnt, adeò ut dicant æstate totū corpus purgandum esse per uomitū, ut hic docet, at peculiariter uentriculū & intestina per inferiora: hyeme aūt uentriculum à pituita per uomitū, totum corpus aūt per aluū medicamento. Quæ uerba non sibi inuicē cohærent: imò si bilis sit æstate in uētriculo, magis uomitu educēda erit. Quòd
si dicas, hîc non loqui de modo purgandi, sed de Aphor.6.
loco: obstat illud, Graciles et facilè uomētes pur Aphor.7.
“ gare superius, cauentes hyemem. tum etiam: Vo
“ mentes uerò difficulter & mediocriter bene car
“ nosos per inferiora, cauentes æstatem. Ergo &
hunc nodū soluere oportet, ut reliqua difficilia. Hippocrates in comparatione purgandi per aluū uel uomitū principaliter quatuor obseruat: locū, humorem euacuandum, tempus anni, & habitū. Locus præponi debet omnibus. Si materia sit in uentriculo, per uomitū semper est educenda, nisi omnino quàm multa prohibeāt: quoniā si p infernanitaris, multa subsequentur detrimenta. cum labore enim id fiet, & uenæ rapient malos succos, & tardè prodibunt. Cum ergo hyeme soleant uentriculi ob frigiditatem aeris repleri pituita, licet humor ille alioqui indigeret purgatione per inferna, ratione loci per superiora purgādus est: æstate aūt, licet bilis abundet, quia imbecillior est uentriculus, non debet uomitu fatigari, ideo aluum clysteribus subducere oportet. In ægris uerò sequi oportet naturam humoris, si locus affectus peculiaris non obstet. Nam si hyeme materia in uentriculo biliosa sit, uomitu tamen educenda erit: sin aliter, postulat per aluum educi, quòd grauis sit: & etiam quoniā uentriculi cu-
ra maxima habenda sit, ut etiam primo ad Glau Cap.14. in prin.
conem. Si uerò bilis redundet per superiora, quòd adeò facilè expellatur, ut uentriculus minimè afficiatur. Hic ergo de ægris, ibi de sanis loquitur: hic cōsiderat naturā, quæ temporis qualitati assimilatur: ibi locū, qui magis tēpore afficitur. Sed nunquid præter locum & humorē aliquā indicationē peculiarē habet tempus? Dico sic: æstas enim duos facit humores tenues, qui facilè etiamsi pituita sit, aut crudus humor, per superiora educuntur. At est alia causa potior, scilicet motus facilior ad uomendū ob musculos calidiores eo tempore: quoniā cum sit motus uiolentus, indiget maximè instrumentorum robore. At frigidū inimi-
cum neruis: calidum uerò amicū, inquit Hippo- 5. Aph.18.
crates, & utile. Sic & uentriculus ipse cum exanguis sit, uehementer læsus per uomitū, ac distentus æstiuo ab aere refocillatur, ab hyemali

destruitur. Quapropter has noxas Hippocrates
hic in ægris maximè considerat: ideo etiam uo-
mituros, & eos qui uomuerunt, calido loco collo
care expedit, aliquibus enim ob frigiditatem sin-
gultus perniciosi successere: alij disrupti sunt stil-
lis sanguinis promanantibus.

APHORISMVS V.

SVb Cane, & ante Canem, diffici
les sunt medicationes.

COMMENTARIVS.

¶ Cum declarasset cõditionem sumptã ab æsta
te, nunc declarat ab ea parte æstatis, quæ maxi
mè ardet, sub cane scilicet, ab ortu illius ante so-
Apho.1.14. lem, de quo dictum est superius in Tertia particu
la, & pòst per quadraginta dies, & ante canem
per decem dies, ut sint dies quinquaginta, scilicet
à quinto idus Iulij ad pridie calendas Septẽbris,
dicens molestas esse medicationes, scilicet per su
periora uel inferiora. Cum uerò medicina sit in-
uenta experimẽto: aucta ratione, absoluta denuò
experimento, ideo in nostris regionib. manifestũ
est, nobis id animaduertẽtibus, hos quinquaginta
dies, quod regio sit frigidior, ortũ habere à uige
sima Iunij, & finiri ad decimã Augusti, tametsi
certus non possit assignari terminus. Nam nec
quinquaginta dies ubiq; habet canicula, nec ubi-
que solũ hos. Quid ergo meli⁹ quàm Hippocratẽ
sapiẽter loquentẽ, sapiẽter interpretari? Quoties
circa caniculæ ortũ, seu antè seu pòst calor ardẽs
& squalor urget intelligere medicationes mole-
stas futuras? Quæ uerò nugatur Brasauolus cir-
ca astrorũ ortũ et occasum, quãto plura, tãto ma
gis risum mouent. Quandoq; cõtigit mihi mirari,
homines alioqui doctos & prudẽtes adeò insa-
nire, ut ea scribãt quæ in publicũ prodiura sint,
nec nisi maximo cum rubore, nisi omnes artis au
ctores pereãt. Ob hæc mecũ dicere solitus sum,
omnes homines nimia ambitione & φιλαυτίᾳ
stultos fieri. Quis cogebat, quis impellebat hunc
uirum tãta in hoc dicere loco, in ea arte quã faci
le quisq; norit, cum nec à limine, ut dici solet, salu
tasset? cum liceret multa ad propositum ex arte
adducere, in qua grauis certè & eruditus auctor
est. Non hæc subieci, quòd hominẽ oderim: imò
apud nullum maior est quàm apud me, qui illius
eruditionẽ, labores ac iudiciũ omnib. qui nostra
ætate scripserint, mea sentẽtia præferã: sed ut in-
telligãt legentes, quàm facilè sit perire. Nã et se-
cundum admittit errorẽ, uolens non ad Antarcti
cum polũ hæc accidere, cum magis æstiuo tem-
pore quibusdã eorũ oriatur. est enim ultra æqui-
noctij circulũ, & alijs atq; alijs diuerso tempore
oritur. Tertius error est, quòd putat hanc stellã
nõ nisi augẽdo solis calorẽ hæc facere: quod fal-
sum est. nanq; etiãsi non multũ aer caleat, multi
tamen quandoq; morbi & perniciosi eo tẽpore
cõtingunt. Non'ne Hippocrates prohibet æqui-
noctij temporib. purgationes, cum tamen sint tẽ-
pora temperata? ut in libro de Aere, aquis & lo Pag.9.
cis habetur. Non'ne docuimus tres esse opera- Partic.3.
tiones astrorũ: lucẽ, ex qua calor & frigus: mo- Com. 9.13. & 2. Cont.
tum & influxum, qui licet per primas qualitates contrad.3.
operetur, aliud tamẽ ab illis est? Multa tamen re-
citat ex Plinio ad propositum, ex libro decimo-
octauo: Sẽtiũt caniculã maria et terræ, multæq; "
feræ, ut suis locis diximus. Neq; est ei minor ue- Cap.28.
neratio, quàm descriptis in deos stellis: accẽditq; "
solẽ, & magnã æstus obtinet causam. Et secundo "
libro: Cuius sideris effectus amplissimi in terra Cap.24.
sentiuntur, feruẽt maria exoriente eo, fluctuant "
in cellis uina, mouentur stagna. orygem appellat "
Aegyptus ferã, quam in exortu eius cõtrà stare
ac cõtueri, & uelut adorare, cũ sternuerit. Ca-
nes quidẽ eo toto spacio in rabiẽ agi, haud dubiũ
est. Et infrà: Aquilones biduo pòst flant quadra- Cap.47.
ginta diebus, quos etesias uocant, & octo antè
qui prodromi: hos moliri uapor solis geminatus
ardore sideris. Et nono etiam libro: Fluuiatiliũ si Cap.16.
lurus exortu caniculæ sideratur, & aliàs fulgo-
re sopitur. Hoc & in mari accidere Cyprino pu
tant. Et alioquin totũ mare sentit exortũ eius si-
deris: quod maximè in Bosphoro apparet. algæ
enim & pisces superferuntur, ab imò uersa om-
nia Et quartodecimo libro: Vina in apothecis ca Cap.18.
nis ortu mutantur quædã, deinde restituuntur.
Hæc ut uoluptatẽ afferrẽt ex illo intermista. Me-
minit & morborũ euenientiũ ex Canis exortu, In fine.
in quinto Epidemiorũ, & in septimo eiusdẽ. Sed In prin. & iuxta finẽ.
his omissis, quæramus duo. Primũ, quæ nam sit
stella hæc. duæ enim sunt in cœlo figuræ, Canis
maioris una, & constat decem octo stellis: qua-
rum quæ in ore est fulgẽtissima, Regina stellarũ
dici potest, ob magnitudinẽ, pulchritudinẽ, can-
dorẽ & splendorẽ: micat autẽ uehementer, ut, si
uera sint quæ Aristoteles prodit, altissimo cœlo
reconditã esse necesse sit. Hæc pulcherrima stel
larũ à Ptolemæo in Magna cõpositione appella- Lib.8.
tur, & Canis nomine cõfigurationis dicitur: quã
etiã caniculã quidã, ut stellã à cõfiguratione di-
stinguerẽt, appellarũt. sed uerè canicula est Pro-
cyon, id est stella et ipsa primæ magnitudinis, sed
nõ adeò fulgida et magna uelut Canis. et ipsa Ca
nis minoris cõfigurationis, alterius scilicet: quã
nescio quo modo Canẽ dixerint, cum solis duab.
stellis

stellis constet. Atq; id rectè à Fuchsio dictū, sed antea à nobis, & ante nos ab omnib. Astrologis. Laudo tamen diligentiam, & carmina illa Ciceronis ab eo citata non extra propositum.

Nanq; pedes subter rutilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis, stellarum luce refulgens.
Hunc tegit obscurus subter præcordia uesper,
Ver toto spirans rabido de corpore flammam
Aestiferos ualidis erumpit flatibus ignes,
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.

Cæterùm & illud bene, quòd ob id medicationes difficiles sint his temporibus, à Fuchsio dictum est: & quod natura sit imbecillis reddita à calore, & corpus siccatum & calefactū, & humores extrà ferantur: unde sudores multi eo tēpore, medicamentū intro eos trahit, calefacit & siccat corpora, et naturā quæ nostrum regit corpus debilitat. Ideo non cauendum ab ea admonet, nisi cum uel uires fuerint imbecillæ, uel cum sine illa esse possumus.

APHORISMVS VI.

GRaciles & facilè uomētes purgare superius, cauētes hyemē.

COMMENTARIVS.

¶ Tres conditiones superius purgandi docet: easq; hic ut quarto Aphorismo iungi possent, exponit. Ibi cur hyemem cauere doceat declarauimus: æstas optima est, sed licet etiā medijs purgare tēporibus. Sed cùm in omnib. operationib. optima sit facilitas, tū maximè exigitur in his quæ laboriosæ sunt, uelut uomitu. Ideo dixit, Facilè uomētes. Cur aūt graciles? Quoniā plerunq; biliosi sint, exponunt omnes cum Galeno. Et quā-
Lib.1. ca.3. uis dicat Celsus, quòd uomitus nocet exilibus, et imbecillē habentib. uentriculū: exponūt Celsum de melancholicis, nō autem biliosis. Sed uerè uidemus obæsos lædi uomitu, non autem ita omnes graciles: ob id gracilium cōditio generalis est, nō ut omnibus cōueniat, sed non alijs. Duplex enim est: generale uelut, & proprium, quod omni, ut Grāmaticæ esse scientiā: et quod nulli, ut in anima esse scientiā. non enim omne quod est in anima, est scientia: sed quod non est in anima, nō est scientia. Videamus ergo cur pinguiores non sint prōpti ad uomitū, etsi faciliter uomāt. periculū enim est in illis de fractura uenarū: omentū etiam pingue & ponderosa uentriculi substātia sursum trahitur: præterea eorum humores lenti sunt, & crassi. Itaq; in pinguib. & obœsis nihil est quod suadeat uomitum.

Porrò quibus in casibus conueniat uomitus, partim declarabo ex secūdo de Diæta. inqt enim: Pag.11. Vomitus attenuāt propter cibi euacuationē, non autem siccant, si quis postridie rectè curet, sed humectant, propter repletionem ex colliquatione carnis à labore factam. Si uerò quis sinat hāc consumi postridie, calore alimentum consumente, & uictum sensim adhibeat, siccant. Ventrem autem compactum uomitus soluit, et egerentem plus quàm oportet sistit: illum quidem humectās, hunc autem siccans. Quum igitur aluum quis sistere uolet, auidè deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infrà detrahatur: & magis acerbis atq; austeris edulijs uti. Vbi uerò soluere aluum quis uelit, plurimo tempore cibis immorari cōfert, & acribus ac salsis et pinguibus ac dulcibus tum cibis tum potionibus uti. Iam ergo utilitatem habes, quam præbet in sanis. At in ægris, inquit libro de Locis in homine: Vomitus, inquit, uomitū sedat, dum causam illius e- Pag.12.
uacuat, & fluxionibus à capite conducit. Et infrà: Si quis homini uomenti aquam multam dare Pag.14. uelit ad bibendum, eluentur ea propter quæ uomit, unà cum uomitu: & sic quidem per uomitū uomitus sedatur. Ex indicijs autem malè administrati uomitus est singultus succedens, & oculorum rubor, ut habetur septima Aphorismorū. Pag.21. Administrabatur autem antiquo tempore sesamoide, ut habetur libro de Ratione uictus in acu- Lib.1. De ueratri usu. tis: & dabatur cum aceto mulso. Differt ab oxymellite, quia sine aqua fit, & absq; igne, ut colli- Pag.1. gitur ab Hippocrate. Plurimùm autem iuuat in duobus casibus, uel in morbis diuturnis membrorum inferiorum: licet Hippocrates tantum exemplum det de coxendicum inueterato dolore, in Coacis prædictionibus. Sic enim in podagra, ar- Pag.3. thritide, si spumosa educantur, quoniam fit purgatio & reuulsio simul, et uentriculi uenæ, quod plurimū cōducit, exinaniuntur: uel si materia ibi in uētriculo præparata sit. Ordo aūt sic se habet. Primū, si cibus non utilis: secundum, si cruditas: tertium, si bilis flaua: quartum, si pituita nō hærens: quintum, si bilis assata, non nigra: sextum, si flaua bilis in atram conuersa: ultimò, si melancholia. ea enim propter pondus ægrè educitur: educitur tamen & in quartanis. Est & genus acidi humoris crudi, quod facilè educitur, & magna cum utilitate, in quibusdam hominibus. nam in eo effunditur à splene, maior tamen pars ex cruditate ob splenem eructātem generatur. Sed in repletione uētriculi ex cibis adeò necessarius est, ut Hippocrates consulat quandoq; ter repe- 3. De diæt. Pag.5. tendū. Secundū auxiliū pro uomitu Hippocratis

ualde bonum & securissimum, habetur libro de
Pag.17. Internis affectionibus: constat melle, aqua, aceto, sale, in olla tepefactis, inde origano orientali, (cum Italico ne tentaueris) quod est gingiberi sapore simile: inde penna in os iniecta, inquit, uomitũ prouocato. sed prius pannis multis integatur.
5. De diæta Est etiam Hippocratis præceptum obseruan
Pag.4. dum, ut à uomitu os uino austero colluatur, & fauces, ne uenæ ob laborem quicquã attrahant. Erat autem res adeò consueta uomitus suo tem-
Pag.3. pore, ut in libro de salubri Diæta referat, homines quosdam solitos uomere bis in mense.

APHORISMVS VII.

VOmentes uerò difficulter, & mediocriter bene carnosos: per inferiora, cauentes æstatem.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd hic Aphorismus sit deductus ex ratione contraria priori, satis perspicuum est. At non intellectam esse rationẽ illius à Galeno, neq; alio qui illum secutus sit, satis perspicuũ est. nam & causam huius repetitionis prætermittunt: & cur etiam ex hoc non sequatur maximum incõueniens, non animaduertunt, scilicet nunquã æstate purgãdum esse per inferna quenquam. nam si hos qui maximè purgationi parati sunt, & qui aliter purgari non possunt, quippe uomentes difficulter, non uult æstate per inferna purgari. quos nam alios permittit sic purgari? Ergo primùm id sciendũ, graciles purgandos esse per superna, quoniam per inferna læduntur, & ægrè purgantur ob musculorum uentris tenuitatem, ut
Aphor.35. etiam in secundo libro uisum est. Atq; hæc causa, & ea quam adduximus, potiores multo sunt, quàm dicta à Galeno, quòd biliosi sint graciles, & ob id superius purgandi: hoc igitur ut doceret, oportere esse mediocriter carnosos non solùm naturaliter, sed etiam ita relictos à morbo, nos in præsenti Aphorismo admonuit. Cæterùm qui nam possint æstate purgari, nullos habita tẽporis ratione, sed ob morbum, hos ipsos quos hic cõnumerat solos, si necessitas urgeat. at cum nihil ab Hippocrate, uel ipso Galeno teste, uulgatum dicatur, hic uerò in tanta breuitate multominus, existimare oportet, illum hic uoluisse aliquid non pertritum docere. id siquidem ergo erit, ut præcipiat purgandum per superna in priore, per inferna in præsenti: sed cauenda tempora aduersa. At si de sanis loquatur, absolutus & clarus sermo erit. ut sit sermo dignus Hippocrate hic: Graciles & facilè uomentes, quoties opportunum fuerit, uomitu purgabis, modò hyems non obstet: scilicet æstate, autumno et uere. bene carnosos autem, & difficulter uomentes, per inferna, modò non sit æstas, sed hyems uel uer aut autumnus. Si autem morbus exigat & urgeat, sic euacuabis quocunq; tempore.

APHORISMVS VIII.

TAbidos uerò, cauentes ad superiora purgationes.

COMMENTARIVS.

¶ Cum docuisset graciles per superiora esse purgandos, uidebatur etiam tabidos idem facere debere, quoniam hi graciles maximè esse consueuerunt: monet igitur nos, ne hos graciles intelligamus tabidos, sed illos excipiamus. Nam per graciles intelligi debere docuimus, circa inferiora & uentrem: tabidi autem superioribus partibus magis gracilescunt. Hic quid Hippocrates per φθινώδεας significare uoluerit, Galenus non intellexit, sed cæcutiendo diuinauit, morbũ scilicet phthoem & paratos interpretando: quòd si ad sequentem contulisset, haud dubiè sensum percepisset. Quamuis enim ad corporis constitutionem tabidam necessariò sequatur, si uerum sit in ea, multo magis etiam in iam tabidis id uereri: nõ tamen contrà. Itaq; multum hoc refert, an intelligat de constitutione, an de morbo. Siquidem de morbo sub gracilibus etiam tabidi, id est ad tabem inclinati continebuntur: purgariq; per superiora debebunt. sin autem corporis constitutionem, secus. Ego, ut uera dicam, credo potius de constitutione loqui. nam & in sequente Aphorismo melancholicos uocat, qui multo humore nigro abundant, non eo morbo laborantes. μελαγχολικοὺς enim appellat, insaniã uerò μανίαν, ut in Epistolis, & Prædictionum primo, De atra bile.
μανικὰ, id est insaniam: ἐκ μανεῖσα, ex insania. Tum etiam quòd primo Epidemiorum Ga- Pag.2. Par.1.
lenus per φθινώδεας, ex mente Hippocratis, Com.18.
eos qui sunt angusto thorace atq; restricto, ut à tergo ad instar alarum promineant, operta scoptula, & quibus caput facilè impletur, ac destillat humorem in pulmones & thoracem, uel etiam ad fauces. Verùm magis dico, si cum his humor ille acris sit, aut salsus, aut fœtidus, & si collum tenue sit. & faciei color liuidus aut fuscus citreus'ue cum maxillis rubentibus, ac quasi lucidis: & anima tristis, & quæ minimis ex causis afficiatur & irascatur: tum uerò corpus uniuersum aridũ, & non solũ pinguedine, sed carne destitutũ. Vult ergo Hippocrates nõ obæsos,

nec

nec contabefactos nimis aut angusto pectore ad uomitū esse ducendos: sed mediocriter graciles, pectore tamen lato. Praeponit ergo primùm compositionem & temperaturam, ut in sequenti Aphorismo: inde facilitatem ac tolerātiam, aut difficultatem: post, habitū corporis gracilem uel obaesum: demum tempus anni, ut haec omnia sint quatuor.

Animaduertendū est etiam, tabidorum formam pro cōstitutionibus uariari, quod Hippocrates nos docuit tertio Epidemiorum, dicens: *Forma tabidorum erat leuis, subalbida, lentis colorē referens, subrubra, raua, pituita alba referti, scapulas alarum modo eminentes habentes, & mulieres sic.* neq; enim omnes tabidi, tales sunt. Est etiam tabes dorsalis, de qua in secundo de Morbis: at de ea non est intelligendū, cum statim medicamentū sursum purgans exhiberi iubeat. Vnde etiam clarius habemus, illum de constitutione corporis potius quàm morbo intelligere.

Const.3. Pag.4. Pag.17.

APHORISMVS IX.

MElancholicos autem plenius per inferiora, eadē ratione cōtraria apponentes.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum locutus esset de constitutione tabida, quae ad compositionem potius pertinet: hic subiecit de melancholica, quae magis ad temperamentum. neq; hunc Aphorismū intellexerūt, nec uerba illius cōnectere potuerūt. Verùm explet iam quintā conditionem, in eligendo modū purgandi obseruandā, postquā illū superiori cōiunxit. In utroq; enim de cōstitutione corporis locutus est. At quinta cōditio pertinet ad humorem, hunc ex constitutione melancholica deducit, ut priori, uelut dixi, sermoni cōnecteretur. Docet nos duo, scilicet humorem non solùm, uelut reliqua quae in praecedenti cōmentario cōnumerauimus, partē per quam euacuandus sit nobis praescribere, sed etiā medicamēti robur. Vt enim bilis flaua debili, ita melancholia potenti medicamēto educenda est. Propterea subiecit illa uerba, Contraria eadem ratione apponētes: nō ut comparet ad dicta. neq; enim locutus erat antè de ulla euacuatiōe humoris specialiter: nec decebat longius referre Aphorismū, cum in praecedenti locutus sit de tabidis. Esset hic sermo, quasi tabidi melancholici aduersarentur. Sed in hac quinta obseruatione ne cogeretur, ut de tempore anni, corporis cōstitutione, habituq; plures facere Aphorismos, subiecit illa uerba: nos admonens, ut intelligeremus flauā bilem per superna, & leui medicamēto expurgandā: similiter & tenuem pituitam, uelut bilem flauā: crassam aūt, uelut melancholiā. ita & aqueum humorē semper, si in uentriculo redundet, per superna, et uomitū & leui medicamento purgabimus. Loquitur autem de uera melancholia naturali uel exusta. nam fit tertia ex cruditate, ut apud Aetium, quae non magis commodè* Lib.1.ca.9. & alibi. *quàm uomitu excernitur.*

Circa ualidorum medicamentorum exhibitionem uidetur etiā occasio ex aquis stantibus, ut in libro de Aere aquis & locis: ubi docet Hippocrates, Pag.4. *quòd qui bibunt huiusmodi aquas, non purgantur, nisi à ualidis medicamentis: ideo tales aquae efficiūt habitum melancholicū. Est etiam alia causa necessaria intellectu ad Aphorismū, et à Galeno praetermissa, atq; aliis, quòd scilicet huiusmodi homines habent omnia uiscera frigida: et ideo non solùm humorem melancholicū excernunt difficulter, sed etiā ipsas faeces, nisi adeò frigida intemperies inualuerit, ut leuitatem patiantur intestinorum, & tunc ad ascitem conuertuntur, & metam sanorum corporum excedūt. Sed dices: Medicamenta ualida non sunt nisi ualidis corporibus, & in ualidis morbis exhibenda. libro de locis in Homine. Et assignat causam u-* Pag.15. *triusq;, & sunt quatuor membra diuisionis. Si enim ualidis in morbis debilia medicamenta dederis, morbus non transmouetur. quamobrem, inquit, augetur: imò dicit, nec partiendo idem efficies: cōtra illos qui nunc exercent medicinā. nā à nulla parte morbus propulsabitur, quare morbus augebitur. Reliqua membra diuisionis, ut manifesta, reliquit: uelut, quòd natura imbecillis à ualido medicamento euertitur: morbus imbecillis in oppositum transmutatur. id tamē antea ex* Pag.11. *parte declarauerat, dicens: Medicamenta debilia debilibus, ualida ualidis sunt exhibenda. Postea uerò comparat morbum cum natura his uerbis: Si quis in morbis quid permutaturus est, ualido* Pag.12. *quidem aegroto, debili autem morbo, tum quidem confidenter fortiore quàm morbus sit, medicamento utendum est. nam etiā si quid de sano abducat unà cum debili & aegroto, nullum detrimentum est. Si uerò morbum ualidiorē, aegrotū aūt debilē acceperis, debilibus pharmacis ipsum curabis, quae morbū superent & abducat, aegrū uerò ipsum nihilo debiliorē reddant. Porrò quin-* Pag.8. *to Epidemiorum dedit exemplum de Euboeo adolescente, qui ob medicamentū imbecille, quod nō mouit, mortuus est: & de duob. aliis, q ex superflua purgatiōe etiā periere. Praecipue aūt docet*

duo

duo detrimenta medicamentorũ: calefacere ca-
put, & febres accendere, libro de Locis in Ho-
Pag.12. mine.

APHORISMVS X.

Medicari in ualde acutis, si materia turget eadem die. tardare enim in talibus, malum est.

COMMENTARIVS.

¶ Ex ualde acutorum morborum natura, et
turgente materia, elicit regulam ipsa die medican
di. Acutos morbos, dixit in secundo libro, qua-
Aphor. 23. tuordecim in diebus finiri. at in libro de Carni-
bus: Acutißimi morbi aut septenario numero
dierum, aut eorum dimidio iudicantur. Diximus
Pag.7. & suprà de his. Ergo Hippocrates noxam &
utilitatem considerat. Si quidem noxa est, quòd
medicamentũ excalefacit, quòd cũ labore edu-
cit, cum materia nõ sit præparata. Ex quo patet,
Com.24. Galenum prima Aphorismorum nouã & perni
ciosam doctrinam inuehere, dum uult humores
præparare, cum periculũ sit in mora, ne decum-
bat in aliquod membrum principale. Secundum,
ne penitus ingrediatur, nec reuelli poßit. Tertia
utilitas, quam ex celeritate consequimur, est, ut
motu illo naturali adiuuemur. sæpe enim contin-
git, ut materia mobilis breui in uno loco qescat.
Quarta, quòd uires statim ab initio sunt ualidis-
2. Aph.29. simæ. Construitur & alia ratio sic: Cum morbi
» inchoant, si quid uidetur mouendum, moue. cum
uerò initium morbi ualde acuti pertranseat, per-
sæpe in ipsa prima die: igitur si mouẽdum est, ea-
dem die statim mouere oportet: mouendũ est au-
tem, turgente materia. Id uerò primùm de uomi-
Pag.9. tu, deinde purgante medicamento intelligendum
» est, ut quinto Epidemiorum: Sursum in exacerba
» tionibus ipsis purgare oportet. tunc enim etiam
» sua sponte eleuantur, quum anxij & capite gra-
Pag.4. uati fuerint. Et suprà de Antimachi uxore: Vi-
» debatur superuictura fuisse, si aquam bibere po-
tuisset, ac statim uomere antequam deglutisset.
Porrò ex huiusmodi Aphorismo hæc exci-
piuntur. Primùm, quòd oportet medicamentum
esse uelocis purgationis.. tria autem ille præpo-
suit principalia: ad bilem flauam, scamonium: ad
nigram, elleborum: ad pituitam, colocynthidem:
oporteté illa cum odoratis miscere, quæ iuuant
medicamenti opus, humorem attenuant & dis-
secant, ac noxam quæ ex purgatione accidit, e-
mendant. Secundum, quod ubi prima die nõ con-
tigerit posse purgare, debemus considerare su-
per omnia, an materia iam decubuerit, an adhuc
sit in motu: & si est in motu, debemus adhuc pur
gare, tanquam essemus in prima die: propterea
dixit, Tardare enim in talibus, malum, non dicit, «
mortiferũ, aut prohibet nos ab instituto. Quòd
si iam decumbere cœperit, uel ad membrum prin
cipale, uel principali proximum, ut pectus, pul-
mones, uesicam: tanto ualidiore medicamento u-
ti decet augendo quantitatem, quanto longius à
uentriculo desederit humor: & quanto loco peri
culosiore & maiore quantitate, & quanto diu-
tius iam resederit. At si loco non periculoso, ut in
adenes, quod optimum est, aut in articulos, iubet
nos Hippocrates à medicamento abstinere, libro
de Affectionibus, ibi enim de eo et de regio mor Pag.10.
bo sermonem habet. Manifestũ est autem, quod
prima die prorsus abstinere à cibo debent. me-
dicamentis enim ualidis purgandos ieiunare pri-
die iubet Hippocrates. Quomodo autem digno
scantur morbi acutißimi, si cum febre fuerint, do
cuit quarto Epidemiorum dicens: In acutißimis Pag.5.
febribus pulsus maximi atq; densißimi. An uerò «
etiam intelligendum sit de morbis qui sine febre
sunt, uelut sideratione ac doloribus huiusmodi?
Respondeo: Dolores hos, si mobiles sint, & à fla
tu, non conuenire. Quidam enim imperitus me-
dicus sic peremit ægram ipsa die, cum nec flatui
nec medicamento exitus relictus esset. At si ex
humore qualiscunque morbus sit, modò spes sit
posse purgare: quanto magis facere debemus, cũ
nihil obstet eorum quæ in febre timemus incom
modorum, præcipuè calefactionis & imbecilli-
tatis uirium? At de morbo attonito cum iam inua
sit, neq; spes est posse educere, neq; materia illa
fluctuat, nec turget: sed quàm primùm ut uisum
est, superius decumbit in cerebrum, uel cor aut
uenas iugulares, uel cordi proximas: ideo clyste Pag.3.
rijs potius ac sectione uenæ, si spes aliqua super- Aphor.13.
sit, opus est, quàm medicamento deorsum pur-
gante. nam uomitu haud dubiè magis iuuarẽtur:
sed palam est, tales omnino uomere non posse. Et
qui ex eis semiattoniti uomere potuerunt, om-
nes plenè seruati sunt.

APHORISMVS XI.

Qvibus tormina & circa umbilicum dolores, & lumborũ fatigatio, quæ neq; medicamento, neque aliter soluuntur, in aquam inter cutem siccam firmantur.

COMMENTARIVS.

¶ In Coacis prædict. loco περὶ τὸν, qđ est cir Pag.12.
ca, scribitur ὑπὲρ, qđ est suprà, & ueri⁹. nã hic
morbus

morbus uitio uentriculi, ut animaduerti sæpius, uelut ascites iecoris, oriri solet. Quòd
Pag.11. ibi scribatur solùm, Neque medicamento: idem est ac hic, Neque medicamento neque aliter: quoniam medicamentum purgans, ibi medicamentum quodcunq; intelligit. Eò etiam tendit
Pag.20. quod scribitur: In hydropico sicco sui significationem præmittente tormina circa tenue intesti-
Pag.19. num incidentia mala sunt. Et antea: In hydropicis siccis urinæ stillicidia mala. Quòd uerò πόνοι pro doloribus interpretari debeant, haud absurdum: tum quod nullam possit hoc uerbum aliam interpretationem uerisimilem hic habere (quanquã per se labores potius significet) tum quod frequens experimentum his qui artem diu exercuerunt, palàm attestetur. Cum uerò uentris tunica exterior sex partibus constituatur: epidermide, cuticula'ue, & cute, pòst pinguedine, inde carnosa membrana, quam siphac Arabes uocant: inde musculis, pòst peritoneo Græcè, Latinè abdomine, Arabicè mirac: quandoque inter cutem & membranam carnosam, quandoque peritoneõ, quandoq; inter utranq; membranam aqua colligitur: huncq; morbum uocãt Græci hydropem, nos aquam intercutem. Sed nobis propriè hæc est aqua intercus, non autem communis ut hydrops: sed defectu nominis etiam eam aquam quæ in concauo & inani, quod inter peritoneon & omentũ iacet, Arabes uocant zir-
22.Tertij. Cap.1. bum, ut apud Hascen seu Principem habetur: uocamus etiam aquam intercutem, quoniam hydrops Græcè dicitur. At hydrops Græcè non eam ambiguitatem parit, quamuis de pluribus morbis dicatur, quam aqua intercus apud Latinos. Neq; enim ascites est aqua sub cute, sed sub peritoneo. Et plurimum differunt aqua inter cus uera, quæ extra peritoneum est, & secura sui natura, & similior œdemati, nisi quòd si scindatur, aqua citrei coloris profluit: in œdemate nihil, aut alba pituita & glutinosa. & hoc hydropis genus ob id leucophlegmatiam Græci uocant: & ascitem, quæ multa cum aqua est inter peritoneum & omentum, & ad intestina penetrat, & uiscera urit, & morbus est penè insanabilis. Porrò tunica illa carnosa, ut & pinguedo, penè communis est toti corpori, & quibusdam in locis crassior, & ualde conspicua, uelut collo, fronte & fa-
Lib.2. cap. 5.6.&24. ciei partibus, ut à Vesalio habetur. Ergo cum cutis impletur ea aqua, etiam ad crura penetrare solet. & ut dicebat Hippocrates quarto de Mor-
Pag.ult. bis: Cum materia penetrare potest ad inferiora, implentur crura: cum ad superiora, facies & pectus: aliter in uẽtre tota colligitur. Aer ergo collectus inter peritoneũ & omentũ, cum non possit penetrare, sæpe efficit ut in tympanite (hoc enim nomen à similitudine obtinuit, ut ait Galenus) ut corpus totum reliquum sanum uideatur, nec tumescãt crura aut pedes uel facies, ut in ascite, quæ sui grauitate & qualitate magis humida penetrat ad has & illas partes, & etiam putrefacta coctionem iecoris plus uitiat, & habitum corrumpit. Qui etiam sint lumbi, superius Par.3. Aphor.23.
docuimus: quos dicit ἄλγημα inuadere, id est ægrotare, ut in expositione de linguis Hippocratis Galenus docet. nõ dicit dolere, sed est fatigatio quædam, et morbus. Turpe enim fuisset idem significare, tam propè positis diuersis uerbis, cũ potuisset per πόνοι aut ἀλγήματα tantũ utriq; satisfacere. Quis enim apud nos ita loquatur, pes dolet, et manus laborat: ut intelligamus idem per laborare & dolere? et non potius tunc dicat, Pes & manus dolent? hoc enim uix pædagogo puerulos docente dignum esset. Quid & tormina, dicemus inferius. Ergo reliquũ est ut uideamus, Aphor.20.
cur hunc Aphorismum inter tam multos qui de purgatione loquuntur, Hippocrates posuerit? ut ex ordinis ratione sententiã, uel ex sententia ordinem intelligamus. Deinde cur hoc ex antedictis eueniat, & num aliqua arte possint seruari. Palàm est enim huiusmodi morbum esse insanabilem, qui sic fiat: quandoquidem antequam fiat, non possit prohiberi, cum factus erit, quomodo curabitur? Videtur autẽ, ut antea causam docui, maximè hic morbus fieri uitio uentriculi, cũ tabefactus ac refrigeratus, iecori calido oppositus fuerit: ob id & in hoc casu uisus est à me sæpius, & post febres acutas omnino perniciosus, dum uentriculum frigidis potionibus & medicamentis purgantibus, & maximè iecur calefaciendo consumunt: uelut cum illa sua hiera simplici Galeni, & aquis destillatis ex plumbo. Tertium genus, quod uidi, ex suppressione mensium accidere solet: cui si quis occurrat, citò sanari possunt. Vidi etiam quasdam fluxu uẽtris multis annis iam confirmato affectu sanatas: quarum unicum præsidium est assidua exercitatio, et breuis peregrinatio, sed frequens. Quòd si per medicamenta urinam ducentia, quod optimum est curationis genus, euacuetur tota aqua, inde exurat pars affecta siue iecur siue lien siue renes, aut imum uentriculi, Hippocratis more, ut suo loco diximus: spes est sanatos iri infirmos, nisi attritus sit ipse uentriculus seu tabe, seu uillorũ raritate, Semper enim cum illo flatu in imo uen-

tris

tris aliquid aquæ residet. Persæpe uerò ita iun-
guntur, ut sub quo genere sit hydrops, discerne-
re queas. Atq; hæc propè est insanabilis, ut quæ
cum aqua uix ulla est, facilius sanatur. non enim
potest flatus ille seruari semper, nisi & reclusa
sint undiq; loca, & fomes adsit. Propterea mul-
ti inflationem uentriculi diutius ferunt, & simi-
liter dolores intestinorũ ex flatu: quia his infrà, il
lis suprà flatus exitus patet. Cùm ergo hæc con
tigerint, nec medicamento soluuntur, materiam
non esse in causa ostendunt: cum autem nec fo-
mentis nec unctionibus, nec theriaca ac simili-
bus, signum est intemperiem confirmatam esse.
Genito igitur sæpe flatu ob dolores, hoc enim
signum, & successu debilitatis membris iam in
morbum deueniet, qui sibi mutuam opem affe-
Pag.3. *ret: de quo in libro de Ratione uictus in acutis*
agit, ob idq; in hydropem siccam transit: tum
Pag. 4.5.6. *maximè, quòd (ut rectè dicebat in libro de Flati-*
bus) morbi fermè omnes à flatibus fiunt. Collo-
cauit autem hunc Aphorismum hic, ut intellige-
remus, eos qui sic purgantur, lædi: ut sit unus eo-
rum, qui nos admoneat, abstinendum esse à pur-
gatione per inferiora, sicut sequens per superio-
ra. Propterea inquit:

APHORISMVS XII.

Quorum alui intestinorum leuitate laborant, hyberno tempore suprà purgari, malum.

COMMENTARIVS.

¶ *Conuenit & hic cum præcedentibus, ubi*
de purgatione per tempora anni loquitur. Fit aut
leuitas intestinorum & uentriculi uitio, quia in-
coctum chylum illa retinere nolunt, & proprio
etiam eorum. uterq; modus & ex intemperie &
ex humore acri & mordaci, & ex frigida &
crassa pituita, & ex ulcere fit: ut sint octo mo-
di. In singulis id accidit, ut cibus incoctus deijcia
tur. Tametsi enim intestina parum trahant, &
uentriculus sit incolumis, nihilo secius ex consen
su non perficitur coctio. nam ut liquet ex disse-
ctione, tunica una est. Ergo quamuis, ut superius
Pag.14. *dictum est ex libro de Locis in homine, præsta-*
ret, ubi materia in uentriculo contenta in causa
Pag.11. *esset, uomitu illam educi, ut etiam secũdo de Diæ*
ta: de spontaneo etiam clarum est primo de
Pag.4. *Morbis, & sexta Aphorismorum: nihilominus*
15. *dicit, si hoc fiat hyberno tempore, malum erit.*
Quanto deterius, si ex alia è sex quæ supersunt
dictis contingat? Diximus autem suprà causam
huius, cur adeò reformidet uomitum in hyeme.
Com.4. *Certum est, de euacuatione ab arte facienda hic*
loqui. sed de spontanea non est locus ut disserа-
mus, sed in sexto libro. At uerò leuitatem intesti
norum Arabes lienteriam uocare solent. Quòd
si dum morbo laborant, id malum est: quãto de-
terius in paratis solum? Itaq; & si hyeme uomi-
tum, æstate purgationẽ per inferna deuitet, lon-
gè tamen magis uomitum hyeme quàm purga-
tionem æstate refugit: unde & de hoc plures scri
psit Aphorismos. Porrò de intestinorum læuitate Lib.4.
quæ supersunt, in aliud tempus reijcimus. Aphor.1.

APHORISMVS XIII.

Ad elleboros qui non facilè suprà purgantur, eorum corpora ante purgationem pluri cibo atque quiete humectanda sunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Quatuor perpetuos Aphorismos de ellebo-*
ro scribit Hippocrates, hunc scilicet, & tres se-
quentes. in hoc autem loquitur de albo: nam ni-
grum propriè per inferiora purgare solet, quan-
quam & ipsum uomitum cieat. Intelligitur autem
de omnibus quæ uomitu purgare possunt, uelut
nuce uomica, & daphnoide seu laureola, ut uul-
gus uocat, & alijs huiusmodi. Vocatur autem el
leborus à Græcis, ueratrum à Latinis. De mo-
do exhibendi scripsisse referunt Philonidem Si-
culum Ennensem. Sed nobis sufficit Galeni for-
mam præscripsisse, ex libro cuius titulus est,
Quos purgare conueniat. In raphani radices, oli
uæ ligno aut arundine perforatas drachmã aut
sexquidrachmam radicum ellebori intrudes: has
in oxymelite per horas 24 infundes, inde radi-
cibus abiectis oxymel ipsum dabis. Constat aũ-
tem hoc medicamentum optimum esse, cum ra-
phani radices dissecent strenuè lentos ac cras-
sos humores, attenuentq; simul et oxymel, uimq;
medicamenti ueneficam retundant. Tria autem
necessaria sunt corpus purganti: medicamenti,
humoris, et corporis præparatio. Atq; hæc adeò
generalia ac certa, ut nunquam sint prætermit-
tenda. Hic ergo de corporis præparatione agit, 1.Apho.22.
cum de humore aliàs egerit.

Sunt autem quatuor Aphorismi continui de
elleboro: atq; in hoc primo de albo solo loquitur,
tum in sequẽtibus. nã ellebori nomine albũ intel-
ligitur. Docet igitur hic corpus præparare ad
purgationem nõ naturalem, scilicet uomitum. Sed
tamen quæ hac ratione naturalis dici poßit, qua-
tenus cuilibet mẽbro hoc naturale inest, ut ex-
pellat quod ei noxium est. Iubet igitur nos cor-
pus ipsum præparare: uerùm præparatio hæc ab
instrumẽto, scilicet uẽtriculo, sumẽda partim est:
partim

partim à totius corporis dispositione. Ab instrumento siquidem aliàs nos docuit, cum dixit: *Qui consueti solitos labores ferre.* Itaque cum uomitus ex helleboro uiolentus sit, ut suo loco uidebitur, oportet paulatim illi assuescere cum leuibus medicamentis quæ uomitū prouocant, qualia sunt ius pingue cum oleo. hoc enim est innocentissimum. Post anethum decoctum & radix peponis arida cum aqua mulsa, uel betonicæ radix & agaricus: Elaterium uerò, & succus ebuli, aut sambuci helleboro adnumerari possūt. Sed hæc mutari solent, quamuis ualde generalia sint, iuxta regiones & secula: at ratio propria manet. Ea autem est, quod pinguia leniter mouent uomitum, quia supernatant & fluctuāt: ideoq; titillant, & os uentriculi irritant. Quæ uerò uehementer irritant, sunt, quæ uim purgandi habent, sed omni astrictione uacant, & naturæ inimica sunt: ut helleborus albus, laureola, elaterium, nux uomica. Et forsan quòd inimicitia quadam naturæ id efficiunt: nam uenena omnia uomitum prouocant. In uniuersum, cum talia sint immodicè sicca & calida (nam helleborus in tertio genere calidorum est) & præterea uiolenta corporis præparatione indigent, tum per assuetudinem uomendi cum facilibus, tum cum his quæ humectant: qualia sunt pinguia & iura, maximè castratorum, & quiete. & cum dixit, Pluri cibo: non qualitatem, sed quantitatem, ut sæpè dixi, nos intelligere uoluit. Et hæc de purgandis. nam qui non sint per uomitum purgandi, antea docuit. In quibus autem talis purgatio conueniat, nunc explicandum, si cætera conueniant in omni articulorum morbo, & renum, & ubi materia frigida in uentriculo sit. Præsupponit etiam generalem corporis præparationem, scilicet ut uiæ sint apertæ. Scribitur alibi hic Aphorismus ab Hippocrate. Præparanda autem sunt corpora, tum quia uehemens est purgatio, tum quia medicamentum uiolentum est, tum quia purgandi modus præter naturam est.

2.Aph. 49.

5.Aphor.1.

APHORISMVS XIIII.

Cvm biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad somnos uerò, atq; quietem, minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

COMMENTARIVS.

¶ Quamuis, ut dixi, de solo albo helleboro sit sermo, tamen transferri potest etiam ad nigrū: nec de præparatione corporis ante sumptum helleborum, ut in priore, sed post, sermonem habet: extenditurq;, quod exemplo docuit de helleboro, ad omnia medicamenta quæ per aluum purgant, aut etiam per uomitum. Vtitur autem hellebori exemplo, quod per uomitum & aluum ducat, licet diuersis generibus. nigri enim proprium est, aluum subducere: ut albi, per uomitum, Dioscoride autore. estq; medicamentum potens. Nec existimes, ut Galenus & reliqui, qui Hippocratem faciunt nugacem, docere illum quònam pacto opus medicamenti augendum sit. hoc enim & quomodo sistere oporteat, in sequenti edocebit. Alienum enim est ab Hippocratis grauitate, non solùm bis de eadem re uerba facere, in tam breui præsertim interuallo: sed etiam in altero de purgatione augenda, scilicet in præsenti, in reliquo de cohibenda sermonem habere. Quinpotius hic dicemus, Hippocratem loqui de commoda purgatione, ac facili, & quomodo celer & minus molesta fiat: in sequenti autem, de augenda producendáq;, ac cohibenda. Neq; nobis, ut aliàs diximus, uitio uertatur, quòd Galenum iustè reprehendamus, ut Hippocratem iniustè accusatum tueamur. Lib.4.cap. 145 & 146.

Iubemur itaq; helleboro assumpto corpus mouere: sed quali motu, exemplo declarauit (non enim omni:) deambulatio enim fatigat, & quandoq; impedit: sed qualis est nauigatio, sic ut corpus moueatur, non ut se moueat, uelut gestatione & cunis. etenim cum equo haud tutum uidetur. Somnus igitur incommodam purgationem reddit: media est uigilia, quæ cum quiete fit. Somnus enim omnem cohibet euacuationē præter sudorem, teste Galeno: helleborus autem, teste Dioscoride, omnes humores purga, tam albus quàm niger, sed niger propriè nigram bilem: purgatq; peculiariter cerebrum, & sensus eo modo acuit. Cui similis est agaricus, sed aliquanto mitior, etiam si helleborus niger corrigatur. Propterea omnibus medicamentis purgantibus hæc duo longè præstant. Cum uerò ut commodam faciant euacuationem, æger & ante sumptum medicamentum, & post sit præparandus, idem de medicamento censet Hippocrates. Vtriusq; pondus est drachma: sed agaricus usq; ad duas drachmas utiliter datur. Veratrum in aqua madescit: inde abiecto ligno, cortex radicis in umbra siccatus tunditur, & cum passo datur. utrunq; horum, scilicet nigrū (nam de eo nunc est sermo) & agaricus, sanguinem purgare ab omni fece potest: & morbis grauissimis, elephantiasi, lepræ, spirandi difficultati,

comitialibus, hydropicis, morbo regio laborantibus auxiliatur. Cumq; nigri ueratri tres sint species, solùm id probatur, quod florem mittit purpureum, & in montibus nascitur: sicut ex agarico candidum admodum ac leue, quodq; solo tactu in puluerem tenuißimum soluitur, absq; lignis: dulce primo gustu, inde amarum. Non statim autem motio adhibenda est, sed postquam in uentriculo sedem fixerit: aliter nihil plus assequeris, quàm ut medicamentum, non humor euomatur. Si igitur ab aßumpto medicamento dormiat etiam usque ad secundam horam, non ultrà, haud lædes. Quo uerò medicamentum leuius est, ac imbecillius, eo motus commodiorem purgationem reddit. Quare post rhabarbarum, quod medicamentum tertio loco est, & undequaque innoxium, licet bilem nigram purgare non poßit, motus magis est necessarius. Et quamuis ita sit quies, tamen & somnus prolixus minus nocet. Rhabarbarum autem in biliosis febribus, frigidis & humidis medicamentis mistum, utilius est agarico, & multo securius ueratro nigro. nam album in talibus febribus nefas est. Omnibus his commodè flos nymphεæ, si quid aliud, admiscetur, refrigerat, humectat, cordi prodest. Quarto loco colutea est, quam senam uocant, sed uentriculo inimica: purgat sine noxa utranq; bilem. Multo autem magis ad uomitum necessarius est motus, quàm ad purgationem.

APHORISMVS XV.

CVm uolueris magis ducere hælleborum, moue corpus: cum uerò sistere, somnum facito, & non moueto.

COMMENTARIVS.

¶ Si quis prorsus non cæcutiat, intelliget Hippocratem, ex solo loquendi modo, hic demõstrare quid agere debeas, dum alterutro opus est: in præcedenti autem generali præcepto utitur. Inquit enim in præcedenti: Cum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, supple expedit. non dicit, Si uis ut purget, sed generaliter seu parũ seu multum purgare uolueris, modò commodè. In hoc uerò, dum uis augere purgationem, motum iniunge: cum uerò inhibere, quietem ac somnum. Hæc adeò clara sunt, ut pluribus uerbis opus non sit. Hoc solum diluamus oportet, quod meritò quis poßit obijcere: scilicet, quòd si commoda debet esse euacuatio, mouere corpus oportebit: igitur & magna erit. nulla igitur exigua commoda, uerùm facilè soluitur. Motus commodam & facilem facit euacuationem. si tamen breuis sit, erit quidem commoda, sed pauca. Ita si quieuerit, postquam euacuatum fuerit corpus, non incommoda erit euacuatio: sed non amplius euacuabis. Si autem ab initio dormierit, erit parua & difficilis euacuatio. Atq; ita clara est Hippocratis sententia. Somnus & quies opportuno tempore prohibent euacuationem: importuno autem difficilem, & paucam reddunt. Loquitur autem non solùm de omni ueratro, sed etiam ualido medicamento. declaratum enim est à Galeno, omnia talia facultate calida esse, & sicca. 1. Aph. 22 Galenus uerò de solo albo interpretatur, quòd hellebori nomine, sine adiectione, existimet solum album intelligi ab Hippocrate.

Censet igitur, ita adiuuandam uel comprimendam medicamenti uim. Sed uidentur septem esse quæ hoc faciũt, atq; hæc sunt: Primum est, astrorum dispositio. nam si luna fuerit in ruminantibus signis, quæ sunt Aries, Taurus, & Capricornus, medicina facilè euometur, aut nauseam magnam mouebit. Et si uomitoria sit, per uomitum melius educet. Si in signis fixis, maximè Tauro & Leone, uel Saturno & Ioui iuncta aut opposita, uel in radijs trigonis eorum, uel quadratis, uel cum Planetis stantibus, maximè siccioribus, ut sunt Saturnus, Mars, & Mercurius occidentalis, parum aut nihil educet: contrà applicata uelocibus, & maximè humidis, ut sunt Iupiter & Venus, ac stellæ ex earum natura, ac in signis mobilibus, quæ sunt Aries, Cancer, Libra & Capricornus, augebitur opus medicinæ purgantis. Et similiter Planetæ ascendentes ad absidem, & retrocedentes, si luna eis applicet, aut in angulis sint, uomitum prouocant, nauseamq; excitant. Secundũ est ex constitutionibus aeris: nam siccæ omnes opus medicamenti minuunt. Calor quoq; maximus, dum humores auocat exterius, & frigus magnum congelando opus medicamenti sistunt & minuunt. & ob id etiã uentus, quia siccat, multũ impedit mediciñarum purgantium opus. Primam causam Hippocrates, ut extra artem, omißit. Secundã attigit superius. Tertium, est præparatio corporis, de qua hîc & in secundo libro egit. Aph. 5. Quartũ, est dispositio humoris, de qua in primo actum est. nam & coctionem & præparationem humor, qui sic educendus est, exigit. Aphor. 9. Quintum, est natura humoris. Aphor. 22. & 24. atram enim bilem & melancholiam non nisi maximo labore, aut in parua quantitate educere licebit, Atq; de hoc dixit, deiectiones non multitudine 1. Aph. 23.

tudine esse æstimandas. Sextum, est corporum proprietas. nam rustici & incolæ montium non facilè purgantur, nisi à ualidißimis medicamentis: ciuiles homines, & in humidis locis habitantes, facilius soluuntur. Septimum, est medicamenti electio, aut iuxta genus, uelut helleborus candido aut uario flore nihil ferme operatur: aut si sit natus in umbra, & locis humidis, & regione frigida. unde helleborus natus apud nos, ut robore plerunque uacat, ita etiam noxa. Sed & modus colligendi, & si sit antiqua radix, aut nimis noua, aut exesa uetustate, postquam collecta fuerit, aut carie, aut in pauca quantitate, nemini dubium est quòd inualidis erit uiribus. Contrà, quæ calorem augent & attenuant, iuncta medicamentis, illorum opus iuuant, & noxã minuunt: qualia sunt aromata. Hippocrates horum meminit partim, partim nota esse existimauit. De corporum autẽ natura in libro de Aere & aquis actum est, licet non propriè ad hunc finem.

Finem facerem, nisi occurreret dubitatio non leuis. nam ex dictis nullus ueratri aut agarici usus uidetur. Cum enim omnes purgent humores, & fermè æqualiter & raro peccent omnes humores: igitur cogetur, qui dederit ueratrum, euacuare cruda, & similiter agaricum. Dico quòd medicamentum moderatũ trahit humorem concoctum primò, aut proprium. & dum trahit humorem concoctum, absq; molestia trahit: cum uerò traxerit cum molestia, melius est ut non trahat: tuncq; docet Hippocrates, sistere somno & quiete. Sunt etiam alia quæ uim medicamenti sistunt, non minus quàm somnus & quies: quæ Hippocrates prætermisit, quia non erant generalia auxilia. In Aphorismis autem docet solùm generalia auxilia. Propterea è re esse existimo, ut etiam propria subiungam. Hippocrates ipse iubet dari uinum fuluum, & substantia tenue tum ante tum post balneum, hominemq; in balneum demitti. quod & Aetius expertum se testatur. Lib.3.c.17. Vehementes uerò purgationes etiam iuribus pinguibus cohibebimus, & absinthij decocto, ubi uomitus adsit, tum cucurbitulis & frictionibus.

Non prætermittam generalem quãdam omnium medicamentorum præparationem. In mel purum, ac (ut dici solet) uirgineum, conijcito medicamẽtum in puluerem redactum, & per sexaginta dies misceto in umbra: demum mel reijciet medicamentum totũ, ut ne uestigium remaneat. auferto quod spumã referet singulis diebus donec planè purum reddatur. hoc uim & præparatam retinet, & substãtia caret medicamẽti, & gratũ gustui est, ac facile. Poteris, si libet, et odorata & gustui iucunda alia immiscere, seu cum miscentur, seu post: mel enim omne leue reijcit.

APHORISMVS XVI.

Carnes sanas habentibus helleborus periculosus. Facit enim conuulsionem.

COMMENTARIVS.

¶ Non per Iouẽ helleborus periculosus, propter uehementiam purgationis. nam scamonium non parum plus purgat quàm ueratrum, neq; tamen conuulsiones facit. neq; etiã solùm quia uomitu purget, cum oleũ, anethum, & multa huiusmodi quæ uomitu purgant, fermè innoxia sint. Sed si hæc quatuor iungantur, patebit causa, cur helleborus periculosus sit. Sanũ corpus, cui omne medicamẽtum difficile, affirmauit antea esse: medicamentum uehementer purgans, & per uomitum: et quòd qualitatẽ prauam habeat. Accidit 2. Aph. 37. enim medicamentis, quod & equis. quidã enim cum parũ itineris agant, multũ concutiunt, quos tortores appellare solemus. Atq; his similis est helleborus, præcipuè albus, cum ad scamonium comparatur, maximè emẽdatũ ac præparatum. hoc enim cum uehementius soluat, minus tamen conturbat: atq; id tribus de causis. Primùm, quia scamonium per aluũ, helleborus uomitu purgat: scamonium bilẽ flauam, helleborus cũ omnes humores & atram bilem, & maximè purgat, cuius exitus fermè semper molestus est: tũ uerò maximè, si sanũ, quod hic præsupponitur, corpus sit. Deniq; helleborus siccat admodum corpora, & concutit. Vnde scamoniũ conuulsionem non mouet, nisi eam quæ ex superflua purgatione quandoq; contingit: quæ etiã non letalis est, sed solùm mala, ut infrà docet Hippocrates. 5. Aph. 4.

Non solùm autem conuulsionem mouet helleborus, sed, ut author est Hippocrates, etiam strangulat. propterea sesamoidem adiungi iubet, quòd hanc noxã minuit. Quærẽdum est autem, postquam ita est, quomodo id faciat? neq; enim ob solum uomendi impetum hoc accidit, quoniam neq; in choleris neq; in sesamoide id cõtingit, cũ tamen uomitum egregiè prouocet. Quinimò, ut Hippocrates author est, nõ solùm non præfocat, sed helleboro mistũ noxã præfocationis aufert. Epistola de hellebori exhibitione. Cõuulsionis ergo species est hæc præfocatio, cũ nerui gulæ et arteriæ asperæ sursum ac deorsum tracti ad imaginẽ crumenæ, quæ loris constringitur, fauces cõprimunt, adeò ut hominem præfocare uideãtur. Est autẽ sesamoides, herba ui helleboro similis, ac qualis agaricus, scilicet longè mi-

tior: forma autem plurimū differt ab helleboro.

Vtrum uerò periculosus sit helleborus ob cō-uulsionem, quæ periculosa sit: an quia periculum sit ne in conuulsionem incidat, dubiū forsan esse Aphor. 2. posset, nisi Hippocrates quinto libro hoc determinasset. cum enim dixit, conuulsionem ex helleboro letalē esse, docuit, non quando faciat conuulsionem, helleborum esse periculosum (idem enim esset letale & periculosum) sed ob id helleborum esse periculosum, quia conuulsionē persæpe faciat: quæ, ut dixi, cum euenerit, letalis est: Verba igitur illa (conuulsionem enim facit) ita interpretanda sunt. persæpè enim conuulsionem mouet, aut natura sua conuulsionem excitat. ita ut Periculosum referamus ad id quod poßit excitare conuulsionem: non quia excitet conuulsionem, aut excitata conuulsione periculosus sit. Nec forsan quis admiretur aut negligat hanc tantam subtilitatem in uerbis Hippocratis, quæ ad rem plurimum facit, nec indigna sit authore: si quidem Hippocrates author fuit tetragonismi rudi illo seculo, & tamen adeò eleganti ratione, ut posteriorum nullus æquare, nedum superare potuerit.

Cur uerò dixit, non ut alibi, corpora sana, sed carnes sanas? Et quomodo talibus helleborū quis ex arte dabit, cum sit adeò uehemens medicamentum, causa uerò exhibendi nulla? Ambobus una responsio satisfaciet. Albus helleborus solebat antiquo tempore exhiberi multis affectibus, qui tamen cum sanitate corporis quadam ac temperie constabāt. Libet autē uerba Hippocratis in libro de Veratri usu adijcere. ea sunt: Purgatio sursum eis commoda est, qui absq; febre laborant cibi fastidio, uentriculi punctione, uertigine, oris amaritate, & in uniuersum doloribus supra infrá ue septum transuersum: seu etiā in lumbis sint, & genuum grauitas adsit, uel mensium suppreßio: & similiter, ubi morbus ex defluxione è cerebro oriatur. Constat igitur in his omnibus & carnes, id est humores in uenis contentos bene se habere posse, & tamen helleboro indigere.

APHORISMVS XVII.

SI quis febrem non habens abstineat à cibó, & cordis morsum & tenebricosam uertiginem patitur, & oris sentit amaritudinem, purgatione indigere per superiora significat.

COMMENTARIVS.

¶ Continuatio haud obscura est. Ex quinq; conditionibus purgationem per superiora opportunam ac necessariam docet. Opportunam dico, facilem atque utilem: necessariam autem, quam nisi magno cum detrimento uitare non possumus. Hæc enim tria in omnibus spectanda sunt. sed neceßitas primum obtinet locum; secundo utilitas, tertio facilitas. Quan- Pag. 19. doque ita sibi opponuntur, ut dicebat Hippocrates in libro de Articulis, quod oportet operationem & ægrum relinquere. Cum enim neceßitas cogit, & damnum quod sequitur mortem affert, relinquendus est æger. Et loquebatur de luxatione uertebrarum. Igitur conditiones sunt hæ: Quòd abstineat à cibo, id est adeò abominetur cibum, ut abstinere cogatur ab eo: Cordis morsum, oris scilicet uentriculi, quod ueteres cor nominare solebant, ob propinquitatem & consensum sæuitiamq; symptomatum: & Oris amaritudinem, & uertiginem tenebricosam, & ut sine febre sit. omnia hæc cum simul consenserint, purgatione illum per superiora indigere significant. Hæc sunt, ac si diceret, Bilis in uentriculo grauiter infestat, igitur per uomitum reijcienda. quoniam enim grauiter infestat, auferenda est: quoniam bilis leuis est humor, & quoniam in uētriculo, commodè per uomitum est eijcienda. Has tres conditiones probat ex quinque signis: quod à cibo abstinere cogatur, & amaritudi- Sec. 5. nem oris sentiat: hæc enim bilem in uentriculo sequuntur. nanque sexto Epidemiorum dicebat: Lingua concolor attingentibus ipsam humori- ‹‹ bus. Quapropter per hanc humores cognoscimus. ‹‹ Si salsæ carnes, gustanti redundantiæ si- ‹‹ gnum. Ex colore & sapore abundantiam humo ‹‹ rum dignoscere licet. At uerò & ἀποσιτίη, & oris amaritudo ex febre fiunt, etiam quòd humor biliosus non sit in uentriculo. nam calor præter naturam adurēdo humores qui sunt iuxta linguam, generat amaritudinem, & odium ciborum parit: ideo additur, Febrem non habens. Cordis uerò morsus & tenebricosa uertigo duo significant, & causam noxæ, scilicet bilem, sextum par neruorum à cerebro descendentium infestantem, & magnitudinē illius, cum cerebrum afficiatur, & cor affici uideatur. Palàm est autem, Hippocratis tempore per καρδιωγμὸν significari uentriculi affectum. quandoquidem, ut omnes attestantur, καρδίαι etiam os uentriculi, ut etiam cor indicet. Quod Galenus, Aetius, &, ut Brasauolus refert, Gregorius Nyssenus testatur.

Hic par erat hos expositores docuisse, an

hyemem excipere oporteret. Ignoscẽdũ est illis: non enim id poterunt facere, quoniam opportunorum principiorum scientia carebant. Velut quod uomitus in hyeme magnam parit offensam: atque ideo si non sit iactura, hæc intollerabilis, illum cauere oportet. Dixit autem tenebricosam uertiginem, quia alia fit à capitis imbecillitate, cui nec uomitus est necessarius, nec conducit: & ea maximè fit in senibus, ut superius ostendimus. Par.3.Aph. 31. *Alia, de qua secundo de Morbis, uertigo fit, cum ad faciem aceruatur sanguis.* Pag.2. *Alia, quæ habetur cum febre, ut libro de Ratione uictus in acutis,* Pag.16. *cum dixit, Quibus in febribus uertigines ab initio fiunt, & capitis pulsus; & urinæ tenues. Liquet quòd hi etiam ab hoc Aphorismo sunt excipiendi, quoniam deest id febrem non habens, cum febre laborent. ita ergo nihil frustra adiectum est, aut defecit in Aphorismo.*

APHORISMVS XVIII.

SVpra septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque uerò inferiora molestant, per inferiora.

COMMENTARIVS.

¶ *In hoc Aphorismo nihil sani sapiunt, ut nec in plerisque alijs, delyrumq; faciunt Hippocratem, ubi maximè dignus laude est. Etenim quis coniectari possit, nedum persuaderi illum uoluisse in morbo laterali aut simili morbo uomitu utendum, re absona & incommoda? Sed sermo hic ex dissectione pendet, & modo loquendi. Definit ergo generaliter materiam purgandam uomitu, ab ea quæ per secessum. Expendendumq; primò uerbum illud,* ὀδυνήματα, *quod non propriè dolores sed molestias significat, quemadmodum æstus, anxietates, dolores quidam incerti ac fastidia: sunt autem* λύπη. *Ergo quoties hæc sine febre contingunt, ex materia fiunt in uentriculo contenta. materia enim in uentriculo aut intestinis contenta, febres non solet, nisi casu aut ephemeras excitare. Quod licet coniectari ex illo adolescente,* Aphor.1. *quinta Aphorismorum in Commento primo descripto: qui cum æruginosam materiam in uentriculo contineret, non febricitabat, multo minus in intestinis. Quòd si fluxus sibi febres iungant, non ex materia illa quæ in intestinis est, & effluit, sed ex ea quæ præparata est, & quæ per uenas mouetur, febris fit. Talis igitur materia uel per aluum ducenda, si in intestinis fuerit, quoniam superius magna cum difficultate, & nunquam tota reduci potest: uel per uomitum, si in uentriculo. uix enim ad intestina tota exprimi poterit, & magno cum nixu. Horum autem locorum indicium est septum transuersum. Nam ut habetur à Vesalio libro quinto: sed libet recitare illius uerba:* Cap.3. *Statim enim ac stomachus septum (transuersum) in sinistra neruosæ ipsius partis sede penetrat, continuum cum uẽtriculo corpus efficitur, quod in sinistro latere amplam septi sedem contingens totam regionem inter iecur & lienem uacuam complectitur: in dextro autem latere uentriculus nusquam septum attingit. Constat igitur, uentriculi os quod stomachus Græcè dicitur, conterminum ipsi septo esse: atque etiam ab illo docetur idem,* Lib.5. figura 14 & 15. *os multis neruis, uenis atque arterijs quæ inferius tendunt, esse munitum. Cum ergo sine febre molestia hæc sit, non potest abscessum in partibus pectoris significare. Et cum sit superiorum partium molestia, non est dolor neque tussis nec asthma: ista enim habent proprium nomen, sed est affectus quidam ex consensu: quare cum ex dictis, si supra septum transuersum sit in uentriculo, necessariò sit, quoniam per uenas & arterias & neruos parti superiori communicatur: igitur purgatione per superiora indigebit. licet ergo affectus sit in uentriculo, sentitur in superiore parte tantùm ob naturam loci.*

Ne uerò ista uideantur uoluntaria & quasi conficta in sexta Aphorismorum, cum uoluit 5. *nos considerare dolores, non dixit, Supra septum transuersum: sed, si in latere uel pectore fiant. Constat ergo huiusmodi molestiam quæ ex uentriculo procedit, curandam euacuatione per uomitum, non per secessum: quæ uerò in partibus inferioribus, per aluum. Liquet etiam si per hyemem hæc contingant, non omnino generale esse præceptum, sed seorsum esse suam indicationem accipiendam.*

APHORISMVS XIX.

QVi in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt, priusquam sitiant.

COMMENTARIVS.

¶ *Duplicem sensum habere potest, Non quiescunt, seu* οὐ παύονται, *quod quiescere non debeant: quoniam scribitur suprà,* Aphor. 15. *Quum uolueris ueratrum magis ducere, corpus moue: cum uerò sistendum censueris; somnum conciliato & non moueto. aut quod non quiescit*

ipsa purgatio. atque sic erit prognosticus Aphorismus, ut prior, docens operari, & (ut dicunt) ad praxim pertinens: Adducitur à Brasauolo auctoritas ex libro de Veratri usu, pro secundo sensu, ubi Hippocrates inquit: Quicunque in medicamentorum potionibus non sitiunt dum purgantur, non cessant purgari priusquam sitiant. Hic sensus etsi uerus sit, potest & alius etiam esse uerus. Sed omittamus hæc, & quæramus potius, quomodo fiat sitis in medicamentis: deinde, si cum non aduenit sitis, non quiescunt, an cum aduenerit, quiescant? Rursus, an si non sitiunt neque purgantur, purgatio expectanda sit. Demum, quomodo hic Aphorismus superiori de ueratro coniungi possit. nam de continuatione ad præcedentem Aphorismum perspicua nimis est ratio, quoniam sermo perpetuus de purgatione agitur.

Igitur cum dixit, Quòd in medicamentis non sitiunt: id innuit, quod sitire deberent generali ratione. Cur autem, Galenus satis bene quatuor explicat causas. Prima, quia uentriculus calidus sit natura, uel tum primum incalescat: intelligit quòd ex motu ipso & nixu quodam incalescit & exiccatur, etiãsi talis natura non sit. multi autem uẽtriculi calidi ac sicci natura sunt. Secunda causa est ex natura medicamenti, acri, calida & sicca. Tertia ex natura humoris, qui eiusmodi sit, scilicet acris, calidus aut siccus. Hæ causæ facilè apparent ex concursu necessariorum ad purgationẽ, scilicet uentriculi, medicamenti, & humoris. Quarta est ex superflua euacuatione. nam educto humido illo quod Roridum appellant, necessariò sitis subsequitur. Nunc uerò singulas examinemus. Calida & sicca temperatura uentriculi, maximè per se sitibundos

Cap. 60. 64. facit, ut Galenus in Arte medica docebat. Porrò ad hoc spectat etiam tertia causa: purgatur enim humor ad uentriculum attractus, unde ex attractione uehemente incalescit uentriculus. laborat enim unumquodq; mẽbrum in operatione, quæ supra uires suas est: non solùm ambulando crura, continẽdo manus, sed intentè aspiciendo oculi. unde uisum est multis hac ratione, quòd uisio actio quædam esset, quoniam diutius spectando oculus fatigatur. At auris non ita. incalescunt autem omnia quæ fatigantur, manifesto experimento: quamobrem in attractione humoris par est sitim fieri. Secunda quoque causa ad hoc manifestè facit: nam humor ad uentriculum trahitur, priusquam ad intestina perueniat. indicio est primùm uomitus, qui subsequitur medicamenta quæ purgant, quamuis non sint ἐμετικὰ: deinde quod ab ipsis emeticis educitur materia per uomitum, igitur transit per uẽtriculum. Demum, quòd post purgationem remanent sitis, horridi saporis & odoris uestigia quædam satis aliena à natura medicamenti: igitur necesse est operationem hanc fieri deducta materia ad uentriculum, per mesaræi uenas. Secunda igitur causa quæ ad attractionem humoris pertinet, dupliciter sitim excitat, & fatigatione uentriculi attrahentis & exprimentis, & transitu humoris acris super membra gustui coniuncta, scilicet os uentriculi, quod linguæ tunica iungitur. demum purgatio ipsa exuberans. Omnis enim euacuatio immodica sitim facit, seu ex medicamento, seu sponte: non quoniam materia nocens expellatur, sed quòd, ut dicebatur sexta Aphoris- 26. Aphor. morum, super illa sententia Hippocratis, Quicunque suppurati, cum praua materia copiosè effusa multũ utilis etiã humoris excernitur: difficile enim est puros humores in corpore inuenire.

An uerò adueniente siti quiescat purgatio? Dico quòd non, quoniam sitis fit à calore et siccitate medicamenti: facta ergo impressione calida & sicca, aliquando purgatio augetur & inualescit: Sed si medicamentum sit humidum, non calidum, ut pruna, tamarindi, rosæ, uiolæ, myrabolani citrini, manna, & huiusmodi: tunc aduentus sitis significat instare operationis finem. transitus enim humoris biliosi cum breuis sit, non adeò excitat sitim, ut caliditas medicamenti. quia medicamentum diutius moratur in uentriculo: at humores ubi eò peruenerint, statim emittuntur per aluum, aut per os. Quæ igitur maxima est sitis, est, quæ fit à ui medicamenti: quæ autem penè inextinguibilis, est à superflua purgatione: quæ uerò à uentriculi operatione, breuis est, & non magna: quæ ab humore illac transeunte, breuis semper est, licet sit ualida: sed etiam cum abominatione iungitur.

Si uerò non sitiunt, fieri potest, si non purgati iam sint, ut non purgentur amplius: & potest etiam esse ut purgentur. Indicia igitur à tempore sumi debent: at hoc debile est. uidi enim post duodecim horas & unam diem sequi purgationem egregiam, quamuis ab initio nihil purgasset, à conturbatione, à pulsus negociatione: & quoniam medicamentum adhuc retinetur. quamdiu enim retinetur, spes est purgationem fieri posse: ubi prodierit medicamentum uel suprà uel infrà, & non purgauerit post

per duas

per duas horas, non est spes, nisi turbatio maneat: ideo est securissimum indicium.

Quòd uerò dixerit antea, Cum uolueris ducere helleborum, moue corpus: hic, Si traducatur ad operationem: est ac si dicat, Cum medicamentum non inducit sitim, bonum est mouere corpus, ne aut omnino non purget, aut parum, nec perfectè purget. Medicamenta enim quæ non purgant, si non eijciantur, quandoque interficiunt: ut de adolescente Eubæo, quin- Pag.7. to Epidemiorum. Liquet autem, quod quamuis hic sensus sit uerus, non tamen est intentus ab Hippocrate. Quæ autem hîc appellat medicamenta, sunt de quibus dixit libro de Locis in Pag.15. Homine, Et quæcunque in calidis attenuantur. nam sunt tria alia incidentia, ut cnicum: lubrica, ut cassia nigra, & olea multa: & salsuginosa, ut iura piscium multorum marinorum, & maximè quæ testa integuntur, tertio de Ali- Cap.33. mentis, & brassicæ. Quòd si quis obijciat ex Mesue, dari etiam medicamenta exprimentia, ut myrabolanos. Respondeo: Quòd si loquamur de materia quæ sit in uia, dicet Hippocrates, quod istud est per accidens, ut dicunt. & hoc Cap.22. docebat Galenus secundo de Alimentis. Porrò de purgationibus, si libet aliqua inspicere, Hippocratem iuxta finem libri de Coacis prædictionibus consule.

Illud quoque non omittendum, ualidam sitim fieri, cum medicamentum trahit humorem alium: tum quia multum succi boni educitur, cum non sit separatus: tum quia magno conatu fit. Dicebat enim Hippocrates libro de Pag.3. Natura humana: Medicamentum postquam proprium purgauerit humorem, si ualidum sit, purgat etiam alienum.

APHORISMVS XX.

NOn febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgare per inferius oportere significatur.

COMMENTARIVS.

17. ¶ Hic Aphorismus fermè superiori opponitur, in quo dicitur: Si quis febrem non habens. habet enim commune suppositum, febre scilicet carere: & contraria, ueluti genuum grauitatem, ei quæ est, tenebricosam pati uertiginem. nam duo proponit, & locum humoris cum deriuatione, & naturam humoris, scilicet prægrauantis, unde significatio purgandi per inferio- Aphor.9. ra deducitur, sicut suprà de Melancholico humore. At adijcitur lumborum dolor. Hippocrates libro de Coacis prædictionibus: In dolore Pag.12. præcordiorum submurmuranti lumborum dolor super accedens in febribus, uentres ut plurimum humectat, si non flatus eruperit, aut urinæ copia prodierit. hæc enim abundantiam humorum in mesaræo contentorum significant. Cum enim per se hic dolor purgatione à natura per aluum solui soleat, indicat etiam arte sic tollendum. At si dicas, Hoc signum si sufficiens est, quorsum addere illud de genibus? Respondeo, quòd Hippocrates habet hoc signum pro neutro, quod ad euacuationem per inferiora pertinet, inquit enim paulo pòst: Quibus ex lum- Pag.13. borum dolore recursus ad caput, & manus torpidæ, & oris uentriculi dolores, & aurium sonitus, his sanguis largè profluet, sed & alui deorsum erumpunt, & mens ut plurimum turbata est. Et rursus: In lumbis dolentibus, oris uentriculi dolores insuper accedentes, signa sanguinis fluxionis sunt, etiam prægressæ. In uniuersum, cum truncus cauæ uenæ maximus spinæ dorsi ea parte illi subijciatur, & pars illa, ut aliàs dixi, minimè munita sit uinculis ossium, cum ibi affuerit plenitudo, dolor facilè magis ibi sentitur in parte fatigata: uelut pondus aliquod plus à debiliore homine ac membro, quàm robustiore. Sed cum hoc significet uenam illam magnam humore redũdare: necesse est magnum periculum imminere uel podagræ, huiusmodi ma- teria ad inferiora reptante, ut in secundo Prædi- Pag.ult. ctionum nos admonet: Licet (dicit) minus malum sit, quàm si ad superiora uergat. Et ob id hîc docet purgationem faciendam per inferiora. At si superius tendat, morbos prauos gignit, nisi sanguinis fluxione è naribus præoccupetur æger. At si omnino erumpere non possit, uel quouis minimo signo, ut in Coacis prædictionibus docetur, ad conuulsionem terminatur, atq; ideo ad mortẽ: & ob id dolor ille lumborum minimè contemnendus est. Ego uerò id animaduerti, hæmorrhoidarum aduentum liberare homines ab huiusmodi periculis, ob loci in quo redundantia est, propinquitatem, tum etiam facilitatem purgationis. ex uenis enim ad uenas defertur humor. At dolere iam genua, ac grauari, significat materiam illam iam non solùm trudi inferius, sed etiam extra uenas, aut saltem ex magnis uenis ad paruas: unde sic facilè, aut saltem facilius medicamento obedit. Tot igitur & tanta concurrunt ad intellectum istius loci: quæ prætermittentes expositores, non iam Hippocratem exponunt, sed corticem uerborum illius.

Sicut & illud animaduertere decet, quòd dixit κάτω φαρμακίης δεῖσαι*: id est, non ut antea,* Aphor. 6. *cum dixit simpliciter,* ἄνω φαρμακεύειν, *& in sequentibus tribus, ut intelligeremus eam esse electionem purgandi, non præceptum: hic uerò dicit, purgari oportere per inferius, scilicet indicans & quod purgandum sit, ne materia decumbat in articulos: aut sursum retrocedat, quæ duo pericula in huiusmodi dispositione imminẽt,* Aphor. 4. *ut secundo Prædictionũ adducto scilicet iam loco diximus: & quòd per inferiora purgare oportet. Itaque & in illo, Medicari æstate superiores, perperàm additur (Oportet) à Fuchsio, quasi Hippocrates aliquid absolutè consulat, cum sensus sit: Si oporteat medicari superiore parte in æstate, medeberis. Quòd uerò dicitur tormina* Lib. 2. c. 6. *seu* στρόφοι *intestinorum, sunt dolores, ut Celsus docet. Sed propriè qui uelut fusi nendo, aut dum implexum aliquid contorquetur cruciant, ut sint dolores cum inuolutione & contorsione.*

APHORISMVS XXI.

DEiectiones nigræ, qualís est sanguis sponte uenientes siue cũ febre, siue sine febre pessimæ. Et quanto colores magis praui fuerint, plures peius. Cum medicamento uerò melius, & quanto colores plures, non praui.

COMMENTARIVS.

¶ *Non de atra bile illi sermo est iuxta Galenum: & etiam quoniam de illa in sequenti Aphorismo tractans, non nigram, qualis est sanguis, eam uocat, sed atram bilem nominat. Quocirca dubium est primùm, quid hîc per deiectionem nigram intelligat, Qualis est sanguis? quòd si ita legatur, Deiectiones qualis est sanguis niger sponte uenientes: sensus idem manebit, & clarior erit sententia. Agit autem in hoc & sequentibus quatuor Aphorismis de nigris deiectionibus.*

Præstat ergo primùm nigrarum deiectio- Com. 23. *num genera distinguere. Galenus infrà quatuor conditiones atræ bilis ponit præter nigredinem: quòd splendeat, quòd liquida sit, non autem concreta, quòd acris & mordax, adeò ut ab illa muscæ & uermes refugiant, quòd uelut acetum acerrimum super terram fusa ferueat. Nigra uerò bilis similis est sanguini nigro, sed relicta non concrescit ut sanguis: nec splendet, aut acris est uel feruet, ut atra bilis. Idem in Sexto libro duo genera atræ bilis facit, uelut & in libro de Atra bile.* Com. 53. *Alterum quod ex flaua bile fit, quod est tenuius & acrius: reliquum quod ex sanguinis fece, quod tanto mitius est priore, quanto crassius.*

In uniuersum infrà uidetur Hippocrates declarasse nigras deiectiones, ut sanguis & atram bilem, uel idem esse, uel idem posse, quãdo utraq; pessima sit. Apho. 23. *Quamobrem laborandum exactius non est, nisi ut quod concretum atq; nigrum est, sciamus esse sanguinem aut aliud: sanguis uerò cum per inferna deijcitur, quid significet, alijs locis declarabitur.* 4. Aph. 25. 6. Apho. 11.

Quòd uerò, Sponte uenientes adiecerit, medicamenti uim primò excludit: deinde etiam ἰόντα, *quod est, uenientes temporis spatium per quod perseuerent, indicat. Nam repentè si semel effluant, uel absque morbo, uel iam finiente cum uigore uirtutis, signa sunt eo modo exonerantis se naturæ.*

Cur autem dixit, Cum febre seu sine, nisi ut intelligamus prauitatem maximam? sed tamen constat cum febre hæc omnia esse deteriora, ut etiam quæcunq; alia fermè mala, quæ febrem non per se & necessariò comitantur. nam talium quædam minus sunt mala cum febre, uelut horror, sudor, sitis ualida: quædam ex æquo quasi, uelut dolor capitis, & lassitudo. Verùm excretiones omnes & uitia facultatum fermè omnia in febricitantibus sunt deteriora. Ergo si de nigris his quæ sanguini similes sunt, scilicet solutæ & liquidæ hoc intelligit, idem etiam de atra bile intelligere oportet: ut sit sensus, Deiectiones liquidæ nigræ seu splendeant seu non, letales sunt, seu cum febre seu absq; febre perseuerent. Verùm splendentes, & cum febre, deteriores sunt reliquis: concretæ uerò nigræ à fecibus tinctis fiunt, quæ uel tinguntur à cibis, ut in primo Prorrheticorum, & tunc nihil significant: Com. 13. *aut sponte, & tunc signum est non bonum, cum nigredo exquisita fuerit. Excretio enim liquida uires tùm iecoris, tum uentriculi imbecilles declarat: concreta ualidas: hîc quod excernitur, minus est, duplici igitur de causa: multo minus mala est, quàm quæ sanguini assimilatur. Vidimus & concretam nigram in Augustino Fornario: qui cũ cõualuisset, dũ reficeretur corpus, ab aqua intercute obijt. Nõ enim tales excretiones absq; uitio iecoris atq; insigni fiunt. Quomodo uerò dixit Pessimas, cum statim subiungat, Quæ constant ex magis prauis coloribus, deteriores esse?*

esse? nam pessimo peius nihil esse posse uidetur. Lib.2. Sec. 22. Hippocrates in Prognosticis, pro pessimis coloribus nigram & liuidam exponit. Galenus ibi inquit: Vtraque ab atra bile fit: sed nigra syncera, liuida cum modicè permista est. Tertium locum obtinebit, quæ æragini meræ similis est. Omnes hæ, sed nigra maximè, cum Com.18. syncera fuerit, ut tertio in primum de Morbis uulgaribus, letalis est. Pessima igitur hæc est, quia celeriter & omnino interficiat. Quæ au- t.23. tem ex malis coloribus constat, ut secundo Prognosticorum, exitialis est non minus, sed tamen longius procedit morbus. Quomodo ergo peior, si serius moriturum pronunciat? an serius mori, ut apud Philosophos, sic apud medicos deterius? ridiculum. Quid igitur? Serius obire mortem, qui uaria excrementa emittunt, his qui syncera & pessima, constat, quòd eo minus pessimi humoris habeant. Qui enim nigram bilem emittit solam, totus illa abundat: at qui ex nigra, liuida & æruginosa tertiã partem, tantùm ex nigra habeat necesse est, quare & ut multo serius moriatur oportet. Est tamen hæc non minus letalis quàm prima, dicebat loco adducto Hippocrates: quoniam hæc humorum uarietas certius indicat de morte quàm syncera, quia plures causas prauas adesse significat. Et etiam quia tollit omnem spem, ne sit sanguis corruptus, aut excretio iudicatoria, aut lienis se exonerantis indicium: quæ omnia cessant, cum plures mali colores, ac ualde praui fuerint. Propterea malè interpretantur, qui de coloribus multis malis dictum Hippocratis in Prognosticis exponunt: ut albo, uiridi, croceo, rubro, ferrugineo. nam tales morbum quidem longum decernunt, ob causam dictam, quia natura plures humores non nisi longo tempore potest superare: sed si uires sint robustæ, salubrem.

Cur autem nigra hæc deiectio letalis sit, & quomodo differat ab ea quæ à splene, nunc dicendum est. Altius sermo Hippocratis residet, dum dixit, Qualis est sanguis: admonens nos, ne sanguineam deiectionem ullo modo pro hac accipiamus, nam & à liene imbecilli, & obstructione uenæ aperta, & rupto abscessu, & hæmorrhoidibus nigra excretio fit, & diluta: sed omnis hæc sanguinea cum sit, nihil ualde malum: etsi quandoque malum significat. oportet igitur humorem hunc, nigram bilem, aut assatam, aut omnino saltem secretam esse. Atque iudicio meo Hippocrates duo genera atræ bilis attigisse uidetur, quandoquidem fex sanguinis, si citra exustionem eijciatur, & ipsa sanguinea sit, & nõ cum magno periculo. nec uidetur alius quartus humor niger posse assignari. Sed utcunque sit, constat non oportere has nigras deiectiones, de quibus hic loquitur Hippocrates, neque esse sanguinem, nec sanguinis fecem, nec sanguinem corruptum. nam hoc persæpe uidimus, & maximè in Petro Maria Locarno: qui cum maximam talis excrementi quantitatem, ac supra libras uiginti eiecisset, nec semel, semper tamen euasit. quamuis postmodum ex magna sanguinis eiectione debilitato iecore, in aquam intercutem inciderit. Quærere autem cur hoc sit, ad Hippocratem non pertinuit. frequenti enim experientia hoc didicisse, certum est. Nos autem ex manifestissimis id inueniemus. nam Galenus causam huius dicere non ausus est, & tamen aliquid dixit, ut infrà: Oribasius autem Com.24. multa, & quæ non sufficiunt. Rei autem series sic se habet. Omnis humor qui eijcitur, uno ex tribus modis eijcitur: uel ui musculorum & fibrarum, quas uillos uocant, cum in cauitatibus continetur, sic feces, aqua in ascite, cibus è uentriculo seu ad intestinà seu per uomitum: aut ui propria, atque ita oportet rem quæ eijcitur, calorem & humidum naturale continere, atque potentia tale existere. Cũ enim potentia actum præcedat, oportet quòd uim recipere debet, potentiam in se habere prius. Vnde si cinis in uenis sit, expelli non poterit, nisi cum alia re quæ particeps sit caloris naturalis expellatur. Actiones enim quæ in corpore non compositionis ratione proueniunt, consensu partium fiunt, quæ omnes uita participant. Tertium genus est eorum, quæ ob id expelluntur, quia attrahuntur ab alijs membris, cuiusmodi à renibus pars sanguinis aquea, & à liene nigra, biliosa à felle. At nullo modo atra bilis, nec fex illa secreta expelli possunt à natura. Generantur enim hæc, cum ad extremam exustionem humor à natura peruenerit, nihilq; penitùs in se utilis continent: ut nec cinis, quod uri possit. Quod igitur est cinis ignis comparatione, id atra bilis & humor ille niger, quem hic breuitatis causa atræ bilis nomine, ob exiguum ab ea discrimen, intelligi uolo, corporis humani & caloris eius comparatione est. Vtque diuersarum rerum cineres substantia & colore diuersi sunt, ita etiam cinis hic humani corporis. Neq; humor talis ulterius exuri potest. Vnde absurdum uideri debet, æruginosam bilem ex atra ullo pacto fieri posse. Vt enim cinis est ultimus terminus caloris

ignei,

ignei, ita ater humor eorum quæ in humano corpore uri possunt. Qua de causa humor ater nihil utile in se, nihil naturæ familiare continet: sed ut amaritas in saporibus priuatio sola quædam est utilis, ita cinis inter alimenta ignis, atra bilis inter ea quæ sunt in humano corpore. Talem autem humorem generari in aliqua corporis cauitate, ut uentriculo, utero, uesica, prorsus est impossibile: & multo minus in intestinis, quoniam superassari materia in cauitate ulla, cum calore indigeat maximo, non potest. Si quis enim edat mora, & euomat, aut sæpiæ atramentum aut defrutum euomet, certè nigra: sed ridiculè dicemus hunc atram bilem euomuisse, sed cruda. Solùm autem in iecore ob caloris magnitudinem, & uenarum angustiam, ut quæ capillis similes sint, & in liene ob easdem causas, & humorem iam nigrum, & in cordis sinibus ob incendium magnum, fit hæc generatio aut discretio nigri humoris. Et ex ea quidem, quæ in liene generatur, fiunt quartanæ, quoniam limus ille sanguinis facilè putrescit: ex ea quæ in iecore, elephantiasis, carcinoma, febresq́; continuæ ac pestilentes, ob calorem iecoris, & sanguinis corruptionem: ex ea quæ in corde mentis perturbatio & furor, ob sanguinis leuitatem: quo fit, ut & ob id & ob immensum calorem cerebrum petat, nec putrescit ob id: quamobrem tales morbi absque febre accidere solent. Cum igitur humor hic in cauitatibus non generetur, protrudi foras non potest uillis aut musculis: cum uerò omnino alienus sit à calore naturali, naturali potẽtia extrudi non potest. nam in eo caloris naturalis actio, quẽadmodum (ut dictum est) in cinere ignis, finem accepit. Videmus enim in igne, quòd ligna et humidum, quod in eis est, & fumum agitat, & eijcit cinerem, non attingit, sed relinquit: ita & de nigro humore, seu sit exustus, seu penitus separatus: multo minus membrum ullum illum trahit, cum naturæ cuiusque sit inimicissimum. Talis igitur humor naturæ opere nunquam expellitur, multo minus concoquitur: quia oportet in eo quod concoquitur, partem esse calori & naturæ nostræ familiarem: quæ cum nulla sit, non potest

6.Aph. 21. concoqui. Cum autem in insanientibus uarices aut hæmorrhoides innascuntur, soluitur ob hoc morbus: quia signum est, materiam illam iam tractari à natura, & ideo non exquisitè exustam, nec ab utili secretam: sed immistam sanguini, & ob caloris & humidi naturalis participem trahi à membris, aut saltem expelli. Cum igitur humor tam inutilis è corpore prodierit, constetq́; non naturæ actione propelli, manifestum est ipsum tanquam rebellem & inobedientem ui propria, ut uenena & uermes, moueri. Superata igitur natura, & tali humore demonstrante (nam ex se nõ mouetur, nisi multus fuerit) mortem sequi par est. Habes igitur causam ueram dicti primi Hippocratis.

Ex quo habes secundum. nam si à medicamento trahatur & exeat, non iam sponte mouetur, sed ui medicamenti: signumq́; est, adhuc utili talem humorem esse mistum. Quare duplex signum bonum est, & quod mitior sit humor natura, quare hoc melius est. Non quidem dixit simpliciter bonum, sed melius: id est aliquando minus malum, quàm quod pessimum sit: aliquando & bonum, id est utiliter excretum: nunquam tamen simpliciter bonum ut signum esse potest, cum adesse talem humorem quomodolibet, semper malum signum sit. est enim naturæ prorsus inimicus, etiamsi immistus sit. habes ergo Hippocratis sententiæ partem aliam. Nam cum dixit, Et quanto colores plures non praui, minus malum esse intellexit. neque enim ut signum, excretio uaria, bona unquam esse potest: sed ut causa bonum esse nil uetat, quando noxium absque iactura extruditur.

Dices, Cur ergo natura hunc humorem tam prauum generat? qui neque retentus nec reiectus noxa letali caret. Respondeo: Et naturaliter, & à causis non naturalibus, & præter naturam generatur. Galenus enim in Arte medica docet, quòd in temperie calida & sicca iecoris per ætatem consistentem generatur atra bilis. Quod tamen uerius intelligo, si cor cum iecore calidum sit, & siccum: & præterea aliqua accedat causa præter naturam; aut ex ratione uictus, aut alia. Raro enim ex sola naturali intemperie ad generationem tam praui humoris peruenitur, nisi aliqua alia causa superueniat, ueluti ex aere & exercitatione, aut alijs. Quamobrem dictum Galeni, licet per accidens sit uerius quàm per se: nihilominus hoc per accidens tam certum est, ut per se etiam dici possit. Medicus enim quæ frequẽter cõtingunt, tametsi non per se sint, tãquam per se sint habet: & quæ per se frequenter tamẽ impediuntur uelut per accidens, hæc tamẽ causa media est. Faciũt & atrã bilem cibi ex leguminibus, saliti, antiqui, & omnes cibi uehementer acres, ut porri, allia, cæpæ, & quæ aromata uocantur: & ex uinis nigra & crassa, & potentia. nam imbecillia non nigram Cap.41.

gram bilem, ſed nigrum potius ſuccum generant.
Quæ autem putrida ſunt, aut ſemiputrida, ta
lia propriè atrã bilem generant. Atq; hæc in ter-
tio genere ſunt. ſicut quæ calida ſunt ſimplici-
ter, in primo cauſæ genere, id eſt debiliore quàm
etiam naturalis temperies conſtitui debent. Ve-
lut & ira & triſticia & uigiliæ, labores quoque
Cap.4. uehementes, quarto de Tuenda ſanitate æſta-
te bilem flauam, autumno atram generare ſo-
lent. uerùm ſi cum hoc diuturni fuerint, ſemper
atram bilem generant: atque hæc cauſa ſatis po-
tens eſt. Sed maximæ & potentiſſimæ gene-
rationis atræ bilis cauſæ ſunt, aer & febres ar-
dentes: autumnus quidem in primo genere con-
ſtitui debet, peſtilens autem in quarto, uelut &
ardentes febres: febres autem peſtilentes in ex-
tremo potentiſſimarum cauſarum collocari de-
bent. De autumno ſiquidem dicebat Galenus
Sec.1. in primum de Vulgaribus morbis, commentario
primo: Atra bilis fit autumno ſuperaſſato ſan-
guine, & flaua bile per æſtatem. Quomodo au-
tem ex ſanguine generetur, idem docuit tertio
Com.27. Prognoſticorum, cum dixit: Quod atra bilis fit
uel ex flaua bile, uel ex ſanguine craſſiore, qui
eſt ueluti fex: & hæc eſt mitior, niſi à calore
externo irritetur, etſi diu in corpore moram
contraxerit. Quomodo autem ex febre, decla-
Com.10. rabat, & quo ordine, in Primum Prorrheitici di
cens: Per febres uehementes flaua bilis exu-
ritur, quæ primùm in æruginoſum humorem,
inde ad atram bilem tranſit. Idem dicebat quar-
Cap.7. to de Locis. inquit enim: Sed ea quam craſſæ
fæci ſimilem eſſe dixi, in terram effuſa non indu
cit bullas, niſi ex ardente febre ipſam aſſari ue-
hementer contingat, neque ulla acida etiam qua-
litate participat. Quòd etiam ex peſtilenti aere
morboq; fiat atra bilis, in hoc Commẽto docet:
nec tamen in initio aut incremento, ſed morbo
iam conſiſtente. Hæc quidem qui Galeno ni-
mium addicti ſunt, ita prætereunt, ut poſtmo-
dum in inextricabiles nodos incidant. In princi-
pio ergo rariſſimè, quia calor febrilis nondum
inualuit: & ſi contingat, ut in ſequenti Aphoriſ-
mo, pernicioſa eſt: in incremento uerò ſemper,
cum in ſtatu apparuerit. neq; enim cum fit, eijci-
tur, ſed cum facta eſt. Status etiam tempus in
acutis maximè breuiſſimum, ut non tunc ueri-
ſimile ſit atram bilem generari maiore ex par-
te. Fieri tamen potuit, ut rarò ante ſtatum eij-
ceretur: quod etiam uix credo, præſertim in
morituris. Vtcunque ſit, conſtat quinque ordi-
nes eſſe in generatione atræ bilis cauſarum ra-

tione. Primus, ut à leuiſſimis exordiar, fit à triſticia, uigilia, leguminibus, piſcibus & carnibus ſalitis, & acres & amari omnes, & uina nigra, & ira, & tempus anni calidum, & exercitatio uehemens. In ſecundo ordine eſt temperies calida & ſicca ualde, uel plura ex his quæ ſunt in primo ordine ſimul concurrentia, uel aſſiduitas eorum. In tertio ſunt, ſuppreſſio hæmorrhoidarum in calida temperie, cibi putridi, copia uini nigri potentis, labores quoque uehementes & diuturni. In quarto, aer peſtilẽs, uel febris ardens. In quinto ordine febris peſtilens, & uenenum mortiferum. Ita fit, ut in peſtilenti febre intra quatuor horas ſuperaſſetur humor, & more ebibiti letaliſſimi ueneni confeſtim occidat: cum prius bene ſe habere exiſtimaretur, & ipſe æger confideret: quod toties contigit in illa peſte anni M.D.XXIIII. ut non expediat referre.

Fit autem hæc atra bilis uel ex pingui humido, quod inſtar adipis & olei eſt in noſtro corpore: & hoc genus eſt tenue, lucidũ, & maximè nigrum. nam & ex oleo ſeminis lini ſolo typographi atramentum illud nigerrimũ conficiunt. Hocq; genus in peſtilentibus febribus maximè abundat, eſtq; letaliſſimum, & celerrimè abſoluitur, ut quod ex materia tenuiſſima fiat: ſolentq; id præcedere liquidæ excretiones, pingues, & ualde fœtidæ. Secundum fit ex ſanguinis fece, quod nigrum eſt, craſſumq;, nec multum ſplendet: atque id generare ſolet carcinomata. Ob id hoc genus morbi in mulieribus magis abundat quàm in uiris, & diuturnum eſt inſanabile propter craſſitiem, uelut quod in peſtilentibus febribus generatur, ut facillimè & ſubitò accidit: ita ſi quis primos impetus euaſerit, facillimè etiam reſoluitur. Medium eſt, quod & à cibis & exercitationibus, & per æſtatem, & in ardentibus ex bile flaua gignitur, dum in æruginem primùm, inde in atram bilem tranſit quod erodens eſt, & uehemens. atque huius minima portio carcinomatibus incluſa torquet, alioquin paruum dolorem ac tolerabilem ſenſuros. Verùm ſcio quid obijcere aliquis poſſit, dicens: Non igitur ſeruabitur aliquis ex hoc humore laborans, totúsque in corpore manebit perpetuò, poſtquam illius eiectio ſemper tam periculoſa eſt? Animum igitur animaduerte diligenter. Atra bilis rarò in corporibus, niſi per febres ardentes, aut peſtilentem conſtitutionem, aut in morboſis corporibus abſoluitur. antequam enim abſoluatur,

natura

natura multis modis, maximè per hæmorrhoidas, tum pustulas eijcit, aut medicamento expurgatur. nec retinetur præter hos tres modos: aut absoluitur, nisi natura alijs morbis, aut ualidis obstructionibus, aut animi curis fuerit impedita: alioquin cum hunc humorem in corpore senserit, protinus antequam absoluatur, antequam morbum excitet, ad expellēdum insurgit. Quo fit, ut qui diu obstructiones paßi sunt, aut cui diuturnæ hæmorrhoides sunt suppressæ, aut cuius animus grauioribus obstrictus est, aut morbus aliquis infestus, uelut lapis in uesica, ardor urinæ, Gallica lues, seu Indica, cum ægrotant, maximo in periculo uersentur. Raro autem febres generat hic humor, ob immodicam siccitatem: quam ob causam etiam raro qui melancholia & furore & elephantiasi & carcinomatibus detinentur, febre laborant, atque ob multo pauciores affligit. Superuenit tamen febrientibus iam, & plerunq; occidit. Quandoq; etiam ex illo febres accenduntur, maximè letales. In uniuersum ueneni uim habet, & illi omnino similis est. Quamobrem etiam pestilentes febres raro per uera iudicia liberantur, sed ægri sanantur absceßibus. tam prauus enim humor quôcūq; uergat, præterquam ad absceßus, lancinat & occidit. In absceßibus uero nōdum absolutus inuenitur, sed cum sanguine, & ob id concoquitur ac suppuratur.

Vapores quoq; qui ab eo resoluuntur in febribus, delyria, timores, terrores, tristitiam, mortuorumq; uisiones ac dæmonum efficiunt. Purgatur tamen & ipse in morborum statu, cum fuerit paucus, non absolutus, & bene immistus cæteris humoribus. è medicamentis autem nihil habet par ueratro nigro. è mollibus autem ac blandientibus auxilijs, cognitisq; Galeno, lactis aqua probatur, & epithymum, ab ipso: semper autem per inferiora purganda est atra bilis. Ego uero unciā epithymi exhibere cum lactis aqua soleo. Probatur & sena herba, & siliqua Inda, quam caßiam fistulam uocamus, & origanum, tum lapis Armenus diligenter lotus. Purgatur etiam, qui ex eo tenuis est, sudore: ob id sudor in ardentibus febribus saluberrimus, quod is humor citra magnam noxam expellatur.

Lib. Quos & quando purgare cōueniat.

Memineris etiam, tum in his, tum alijs letalibus excretionibus: quod si in constitutione appareant uulgarium morborum, non adeo firmiter mortem significant: pro ut suo loco docebimus.

APHORISMVS XXII.

MOrbis quibuslibet incipiētibus, si atra bilis uel suprà uel infrà exierit, letale.

COMMENTARIVS.

¶ *Nemo dubitat adhuc letaliorem esse, si suprà prodeat, utpote magis naturæ aduersum, quàm si infrà. solent autem per superiora excerni, & sanguis concretus: cuiusmodi anus, Felicis mater, quæ prope centesimum annum acceßit. Aliam quoq; uidi, quæ hoc modo ad extremam senectam peruenit. Ne igitur hūc humorem cum illo coloris similitudine confuderis. Solet & sanguis liquidus sic emitti, de quo parum infrà Hippocrates loquitur. Solent et biliosi humores, amariq;, & pituita absq; sapore, uel dulcis uel acida, raro salsa, excerni uomitu. Quandoque uero cibi ipsi qui ex substantia, tum etiam quia proprium saporem retinent, dignoscuntur. Euomitur & sæpißimè aqua quædam substantia, sapore acido & subamaro, quæ neq; exactè melancholia est. hanc enim, ut dixi, prius Galenus acidam esse negat: neq; pituita, cum non consistat, sed crudus humor melancholiæ aut atræ bili immistus. Neq; enim Galeno omnino credendum est, neganti melancholiam esse acidam. Expediebat enim hoc probare, postquam contra experimentum est. Ratio quoque id suadet, cum bilis tenuioris, & quæ caliditatem multam habet, sapor sit amarus: imò & atra bilis, & acida cum sit, subamara est: sanguis autem dulcis, ut in his qui sanguinem ex uulnere aut rupto uase expuunt, quotidie licet scire. pituita insipida, aut pro qualitate immisti humoris sapore imbuta: atra bilis & melācholicus humor, cum alijs non imbuantur, nec aliorum sapores habeant, acidum susceperunt: sed melancholicus humor minorem, & puriorem: atra bilis uehementem, & amarori immistum. Itaq; constat humorem illum aqueum, qui euomi solet, à pluribus crudum debere dici humorem, feci atri sanguinis immistum. Porrò terrea omnia, acida etiam sunt.* Aphor. 25.

Cur igitur morbus, in cuius initio non crudus humor, qui citra periculum, sed atra bilis, aut (ut dixi) humor ille niger, qualis est sanguis, euomitur, mortalis sit, haud obscurum est. cum enim in motibus naturæ præparatio, uel etiam concoctio, tum separatio ante expulsionem sint necessaria: hæc autem in principio esse non potuerunt: constat, hunc esse motum proprium materiæ, non naturæ. Atque ita uictam naturam succumbere iam, & præsertim tam

prauo

prauo humori. Apparet igitur Aphorismũ ad omnes extẽdi uomitus species, imò etiam purgationes spontaneas, quæ in principio morborũ adueniunt, maximè cũ humores ualde praui fuerint, ut liuidi uel æruginosi. Verùm caue ne cibi corrupti sint, generaliter autem in initio morborum, præterquam tertianæ aut alterius febris intermittentis uomitus malus: et quanto deterioris humoris, deterior. Excipere autem oportet primũ, si initium morbi sit, & initium accessionis. Secundò, si cum uomitu illo morbus soluatur. non enim tunc erit inchoante morbo, sed pura naturæ exoneratio. Tertiò, si iam uomitus ille ante morbũ inchoauerit. Quartò, si ab externa causa. Quid si inchoante morbo superueniant hæmorrhoides, aut fluxus sanguinis narium, aut menses, aut abscessus inguinum, aut carbunculi? Cum hæc omnia citra externam causam aduenerint, morboq́; & præsertim febri successerint, non illis febris, diuturnum morbum: & si uirtus imbecillis fuerit, lethalem pronunciant. nam talia ex materiæ prauitate aut multitudine, aut utroque proueniunt. Quouis autem horum modorum prouenerint, difficultatem morbi significant: Porrò febrem talibus superuenire, nihil absurdum, cum ex pathognomicis, signis, maximè abscessuum & carbunculorum sit. Deterius igitur multo fuerit, si tales abscessus interni febribus succedant.

Verùm iurè forsan dubitabis, cum dixerim atram bilem et nigrum illum humorem perniciosum esse: quoniam cum exit purus, motu proprio exit, atque ita naturam iam superauit. Hic uerò quoniam ante separationẽ, ideo letalis est. Constat sanè idem esse, negare Hippocratem, & ueritatem. nam Hippocrates experimentis innititur. is ergo secundo Prognosticorum inquit: Vo-
t.c.38. mitus syncerus deterior est. Et paulo pòst: Spu-
t.c.46. tum syncerum, flauum, periculosum est. Quod in multis obseruaui, præsertim consultore coniugis Principis Istonij, quem ob id moriturum ex laterali morbo prædixi. humor enim syncerus omnis malus, præter pituitam, etiam crudus, sed non admodum: reliqui ordine suo. Syncera ergo, mala, Hippocratis iudicio. Quomodo ergo natura secernit humorem noxium, ut expellat? Syncerum ergo omne malum. nam ut dicebat ibi Galenus priore loco, utrumq; crassum bilis ob calorem nimium, pituita ob frigus. frigus enim cogit, calor resoluit quod tenue est. Atq;, ut dixi, alia causa etiam manet, scilicet caloris aut frigoris immoderantia. At magis præcipua est motus materiæ, non à natura (nam natura prius concoquit, & concoctum secernit) syncera autem omnia cruda. Cur si syncera secreta sunt, & secreta cocta? Accipere primum oportet quod sensu constat: siquidem syncera cruda esse, tum ex substantia, tum ex tempore, cum plerunq; et sub initijs morborum, & in incrementis expellantur. Quæ igitur cocta sunt, non sunt syncera, sed neq; speciem unius humoris seruant: sed cum humor noxius cum utili concoquatur, inutilem partem naturalis calor agit in noxium, proprius scilicet naturali contrarius: ab utroq; operatio resultat, quæ uocatur concoctio noxij humoris. Cum igitur humor qui concoctus est secernitur, utriusq; substantiæ & immutatæ indicia manẽt. Nam si in unum coacti fuerint, ut in pure, una quidem substantia, sed non humoris, uerùm puris apparebit: quæ etiam sanguini aut pituitæ permista, si ex pectore ducatur, apparebit. Si in urina, & substantia urinæ & cõtenta nõ sub humoris specie, multiplicabuntur. Si in excrementis, substantia aut uaria, aut quæ planè permista ac concocta uidebitur. In sanguine quoq; partes diuersæ uidebuntur. In uomitibus quoq; idẽ contingit, cum quæ uomuntur, permista sint. Hæc igitur separatio non ab humorib. alijs alterius generis fit, dum secernitur, quemadmodũ in synceris excrementis, sed à parte humoris eiusdem generis, quæ uitio caret: totum autem inutile, quod ex diuersis cõstat generibus, necessariò si natura dominari debet, eijcitur. Fingamus flauam bilem febrem excitasse cõtinuam, tempore concoctionis, pars ea quæ peccat, ab alia tota flaua bile, quæ uitio caret, secernitur & expellitur. Fingamus aũt quòd per aluum excernatur: apparebunt eo tempore, cum fuerit cõcocta, excremẽta flaua quidem, sed lenia, æqualia, cõmista, multæ pituitæ: cuius causa concocta fuit colore subuiridi, nõ planè flauo: quia dum cõcoquitur præternaturalis calor, ut in æruginosam deducat, nititur: atq; ita egestio illa unius coloris erit, sed nõ exquisiti; nec uaria. sic enim non esset bene commista, sed color ille uarius dici potest. Apparebũt & quandoq; uariorum excrementorum plures colores, propter peccãtis materiæ inæqualitatẽ.

At si ab initio porracea bilis euomatur, post olerum comestionem multã, aut flaua post mellis & leguminum, nec febris subsequatur, non est metuendum: quod si humores non in iecore, sed in uentriculo geniti sint, ob imbecillitatẽ coctionis. Sin autem morbus subsequatur, metuendum. omnis autem uomitus deiectio, sputumq; humo-

ris (non dico puris) ſincerum (ſed et hoc præſtat eſſe pituitæ permiſtum) malum eſt in principio: ſed longè deterius in incremento, et peius in ſtatu, quia uictoriam humoris, ac libertatem decernit: quæ tanto deterior eſt, quanto temporis ad concoquendum minus relinquit: tum quia interim naturã nihil præfeciſſe, ſed morbi uim potius indiciũ ſit. Cum igitur in uigore morbi nullum ſit, peßimum eſt. Spectare autem decet in omnibus, an uirtus ferat, & robuſtior fiat. contingit enim nos non bene aduertentes in æſtimatione ſinceri et crudi temporumq́; morbi dignotione perſæpe falli: quare ad uirtutem diligenter aduertas.

Non ſunt audiendi, qui Aphoriſmum tanquã de cauſa loquatur mortis, interpretantur: tanquam ſcilicet atra bilis exeũdo exulceret, interficiat. nam id non ſolùm contra Galeni mentẽ, ſed etiam ueritatem eſt. Non enim quæ exit, cum tunica uice plerunq; ſolùm exeat, interficit. nam etſi gladius eſſet, diſcinderetq́; ſemel uentriculũ, ſanari poſſet, nedum atræ bilis uomitus, cuius noxa uix ſentitur: ſed ſignum eſt, talem ſuccum in corpore abundare. Nec is humor ſolùm mortem ſignificat, ſi ſincerus euomatur ut cæteri, ſed etiamſi cum alijs permiſtus, quanquam non adeò celerem mortem portendat. Quòd ſi quis obijciat, de perſeuerante uomitu Hippocratem loqui. Primùm id Hippocrates nec apertè nec tacitè, ut

Apho.24. in præcedenti Aphoriſmo expreßit, ſed in ſubſequentibus potius de hoc uerba faciet.

Animaduertendum hoc nunc eſſe rarum, nec à me in xxx annis, niſi ſemel uiſum, in Alexandro bibliopola, qui & quarto die mortuus eſt. Hippocratis autem tempore frequens hoc fuit. nam aliter non ſcripſiſſet: perpetuis enim inniti ſolet experimentis Hippocrates. Braſauolus tamen quendam ſanaſſe robuſtum equitem, & extrema paſſum, & non niſi poſt ſex menſes. Quẽ certè credo non mentiri: circa cognitionem autẽ humoris decipi poſſe, non negauerim.

Quòd uerò miſcendo praua cum bonis natura cõcoquat, Hippocrates declarat in libro de

Iuxta finẽ. Veteri medicina his uerbis: Et quos quidem acuta atque acris ac æruginoſa bilis affligit, quales mox rabies & morſus uiſcerum ac pectoris, & deſperatio. Non ſedantur autem hæc, priuſquã expurgetur & proſternatur, & alijs permiſceatur. Concoqui autem ac permutari, attenuari ac craſſeſcere in humorum ſpeciem permultos & uarios modos cõtingit. Liquet ergo prius permutandam, inde permiſcendã, demũ euacuandam.

APHORISMVS XXIII.

QVibuſcunq; ex morbis acutis aut diuturnis, uel ex uulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſiue uti ſanguis niger ſubter exierit, poſtridie moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Quod ſuprà letalius ſit quàm infrà, ſæpius diximus. Hippocrates tamen æqualia ſtatuit, dũ dixit: Poſtridie moriuntur. quoniam tanto ualidior eſt qui euomit, quanto deterius afficitur. Vomitus enim fit à maiore nixu, & muſculis epigaſtrij ſeceſſus, uel etiam ſolo ani muſculo reſoluto, quod ad imbecillitate ſola prouenire poteſt. Vnde exonerando uentrem multi mortui ſunt, uelut de Arrio hæretico ferunt: uomẽdo nullus, tametſi ſuffocari contingat. Ob id igitur æquali temporis ſpacio pereunt, qui talia uomũt & deijciunt. hi quidem, quia imbecilliores: illi, quia tãto deterius uomendo afficiuntur. Manifeſtum eſt autem, quod (ut dixi) parem aut eandem facit atram bilem cum humore ſanguini ſimili.

Dubium tamẽ eſt, etſi ad medicum pertinere non uideatur, omnia tamen ſcire, quæ ad artem reduci poſſunt, expedit, quónam pacto multi ab obitu nigra et alia euomũt, imò ſæpius quàm per aluũ deijciãt, ſi uomitus ualidiorib. uiribus indiget? Primũ quidẽ, mortuos euomere quicquã omnino tam abſurdũ eſt, quàm etiã comedere, loqui & ambulare. Omnia enim hæc ui muſculorũ neceſſariò fiunt: per os tamẽ reijciũtur quædã quæ ſponte defluunt, ut in his q proni dormiunt. Diſrupti etiã abſceſſus erumpũt, qui teſte Auenzoar, in morte diſrumpuntur, quia magna fit mutatio. Dixerim etiã quoniã cõſtrictis circumiacentibus partib. frangũtur. Multis cibus copioſè ingeſtus, & in uentriculo retentus, ubi continens uirtus ſublata eſt, nec uẽtriculus amplius cõſtringitur iuxta os, ſpõte quod cõtinetur, effluit: præſertim ſubſidẽte pectore, et mẽbris naturalibus, ut iecore, deſcẽdentibus, alijs cõtractis, ut ſepto trãſuerſo. Feces uerò cum ſæpius ſoleãt euacuari, & plerunq; ſicciores ſint, non tã facile in mortuis dilabũtur. Si tamẽ liquidæ fuerint, effluunt, ut in bobus claua ictis.

Extenuatos ad extremũ uiriũ lapſu, & carniũ cõſumptione intelligit, nõ ſimpliciter debiles aut macilẽtos. Ex quo apparet quod dixi, ſcilicet Hippocratis ætate frequentẽ fuiſſe horũ humorum eiectionẽ, tum per ſuperna tum per inferna. atramq́; bilẽ eſſe aut idẽ, aut ualde ſimilem, eiuſdemq́; penitus poteſtatis, cuius eſt niger humor, qualis

qualis est sanguis. Duos quoq; præcedentes, & hunc & eum qui sequitur Aphorismum, de utroque intelligi debere, scilicet nigro humore, qualis est sanguis, & atra bile: uideriq; Hippocratē uoluisse in his quatuor continuis Aphorismis declarare, quod ex quinque modis, quibus tales humores eijci possunt, quatuor omnino sint letales: quintū, uelut cuius regula generalis aßignari non poßit, prætermisisse. Sunt autem hi modi: aut enim hic humor ab initio eijcitur, perseueransq; causa est morbi, ut in sequenti Aphorismo: aut ab initio quidem eijcitur, sed neque perseuerat, nec reiectus ob id morbum facit, quia reijcitur, ut in præcedenti: aut in fine morbi extenuato corpore, ut in præsenti: aut nec in initio nec in fine, sed generaliter per morbi decursum perseuerans, ut in uigesimoprimo. atq; in omnib. casibus letalis est. in 21, propter multitudinem: in 22, quia significat morbū fieri ex eodē materiæ genere: in præsenti, ob motū materiæ nō à natura factum, sed sponte: in sequenti, ob morbi prauitatem, quæ ab exitu materiæ, non ab illius substantia pendet, ne cū 22 Aphorismo cōfundatur. Quòd si in fine morbi uiribus cōstantibus eijciatur, hic quintus erit modus, cuius regula generalis aßignari non potest.

Apparet autem, cum talis humor in mortuis prodeat, tum etiam alijs persæpè, non esse inuentum nostrum de materia quæ sponte mouetur, ut dici solet, chimericum. Adiuuat & hoc in uiuentibus calor ille naturæ cōtrarius, qui moriente homine cum naturali, licet quandoq; serius paulo extinguitur. Cur igitur, si à mortuis reijcitur, quia sponte exit, in morbo debilitatis atq; extenuatis reijci sponte non poterit?

Alios modos quibus corpora extenuantur, intelligit, uelut naturalem quandam tabem, in copioso defluxu sanguinis à puerperio, quamuis hic sit morbus in diu flagellatis aut uerberatis, in fame, ut solet cōtingere tempore penuriæ, cum homines solis oleribus uescentes extenuantur. In extenuatione tria sunt necessaria: cōsumptio carnium usq; ad membra solida, recessus coloris illius floridi, et uirtutis casus. nam si uirtus maneat, non uerè, sed sola specie erunt extenuati. impoßibile enim est solida colliquari, & uirtutem manere robustam: quandoquidem quomodocunq; cōtingat hoc, necesse sit antea floridum sanguinē, & omnem adipem, & carnes absumi. at floridū colorem et uirtutem excidere absq; extenuatione contingit, quoniam minora absq; maioribus, non contrario modo esse possunt. Fieri etiam potest, ut uiso tali humore æger postridie nondum extenuatus moriatur. Et præsertim in morbis pestilentibus, et si humor ille copiosus sit, qui reijcitur: aut si uirtus fuerit imbecillis, & in decrepitis. Sed Hippocrates huius non meminit, quia generaliter non sunt uera. Vidisse hoc in Prisciano, nobili uiro, affirmat Brasauolus. Sed Hippocrates nobis ex propinquitate & distātia ad extenuationem iudicium faciendum relinquit. Sicut è diuerso genere, sed tamen simili, in extenuatis si liuida aut æruginosa appareant, paulo serius moriuntur.

Tres igitur in uniuersum praui humores, atra bilis, sub qua (ut dixi) niger humor, qui apud Galenum secunda species est atræ bilis, comprehenditur. nam si is non esset niger hic humor, sed sola fex sanguinis, neq; admodū perniciosus esset, ut Hippocrates uult: nec Galenus rei species cō numerasset in libro de Atra bile, alijsq; in locis. Constat enim uerè non tres esse peßimos humores, sed tantùm duos. Quod si niger humor Hippocratis nō est species atræ bilis Galeni, necesse est & Hippocratem prærerijsse atrā bilē, quæ ex melancholia fiat: & Galenum, quod apertius est, nigrum humorē Hippocratis. Hæc igitur atra bilis, qui est humor niger, purus, siue omnino dilutus, et minus splendidus: seu splendidus admodum, non tamen dilutus, sed ut cinis aqua concretus, aut ut melius dicam, terra illa nigra splendida, qua pictores utuntur, aqua diluta est humor ille peßimus. Secundus est bilis æruginosa, quæ qualitate ab atra bile deficit. neq; enim adeò exusta est. Tertius est humor liuidus, qui quātitate deficit ab atra bile, cum fiat ex modica atra bile, alteri humori mista. Constat sanè atram bilem his ambabus esse deteriorem: horum uerò duorum humorum quis sit deterior, non adhuc cōstat. Sed Hippocratis iudicio liuidus deterior est quàm etiam æruginosus. Secundo enim Prognosticorum inquit: Si uerò uomitio fuerit porra- t.9.&41.
cea aut liuida aut nigra, transiens à minus malis ad peßimam. si quis ordinem hunc cum antecedentium ordine conferat, nigræ proximiorem liuidam constituit. Et paulò post: Ocyßimam uerò abolitionem significat uomitus materiæ liuidæ, si graue olet. Et ut in uniuersum dicam, liuida extinctionem caloris naturalis indicat, ideo deterius signum: uiridis autem deterior causa, unde plus affligit: atra bilis utroq; modo peßima est. Liuidam tamen præfert tanquā deteriorem atræ bili: non quia ita sit, sed quia circa liuidam falli non ita contingit, ut circa nigram. nam nigra quan-

doq; ex sanguine sanguinis' ue fece constat, quæ nõ mala persæpe est. atræ bilis ergo exitus licet sit deterior quàm liuidi humoris, bifariam tamen minus certum affert exitium, quàm liuidi humoris: aut quia decipimur in cognitione, uel si per uiam crisis fiat. Quamobrem nõ semper liuidus humor fit permistione atræ bilis, ut Galenus censet: sed ut plurimùm cum natura concoquendo deficit, & calor non naturalis exurit tamen. Ob id liuidus color imbecillitatem caloris naturalis semper refert: atra bilis non, sed maiorem caloris uim præternaturalis & materiæ prauitatem. Vnde neq; deiectio aut uomitus liuidus detrimenta afferunt, quæ nigra aut æruginosa: sed solùm signum natiui caloris extincti sunt. Porrò æruginosi uomitus ab initio exemplum habes tertio t.75. in tertium de Morbis uulgaribus, ubi Hippocrates phrenitici mentionem faciens, inquit, quòd prima die ἰώδεα πολλά, id est multa uirulenta. Cornarius æruginosa uertit, & bene meo iudicio, sed tamen uirulenta aliquid magis significãt, quàm æruginosa, scilicet colorem ultra uiridem quendam subobscurum, & forsan liuidum. Is igitur, ut recitat Hippocrates, breui mortuus est, tertia scilicet die: Cornarius quarta exponit. At t.23. Cleonactides, tertio in primum de Morbis uulgaribus, cum uigesimaquarta uomuisset uirulenta seu æruginosa, in octogesima seruatus est, ac liberatus. Tanto enim mitior est morbus, quanto in uomitu aut deiectione praua tempus uigori proximius est. Serius autem liberatus est, quoniam uigesimaquarta sub incrementi initio fuit. Nigri autem uomitus exemplum habes tertio in tertiũ t.29 Epidemiorum, ubi cum æger pauca biliosa & nigra in octaua uomuisset, in undecima obijt. Epicratis autem uxor, cum circa uigesimam similia t.Com.22. uomuisset, seruata est, in octogesima iudicata: quoniam prope statum id contigit. nam uigesima septima subsidentia in urina erãt, & morbus det.Com.20. cubuit ad abscessus. Herophon autem, cum in quinta nigra & pauca deiecisset, in decimaseptima iudicatus est: quoniam non erant biliosa, neque uti sanguis, sed nigra simpliciter. Verùm nullius tã admirabilis historia, quàm tertij ægri pri-t.Com. 18. mo in tertium Epidemiorum descripti, siquidem ›› inquit: Deiectiones nigræ, tenues, spumosæ, ›› quæ in retrimentis subsidebant, liuida erant. atq; ›› hæc secunda die. Pòst subijcit: Quarto uomuit ›› biliosa, flaua, pauca, postea æruginosa. Et rursus ›› quinto: Deiectiones plures nigræ, spumosæ, in ›› his nigra subsidebant, sexto die retrimenta ni›› gra, pinguia, spumosa, tenacia, fœtida: octauo etiam retrimenta nigra, pauca, compacta. Quintodecimo etiam aluus subiecta balano nigra reddidit stercora, & in decimo septimo etiam sponte nigra deiecit. in quadragesimo tamen cum his omnibus perfectè iudicatus est, quanquam per totum morbum nigra apparuissent. Quatuor uidentur hunc ægrum præter spem seruasse, quorum tria Galenus adducit: abscessus in lienem, 1.in 3.Epid. com.19.21. 23. signa fallacia, & uirtutis robur: quartum est, quòd nigra dixit, nõ autem nigram bilẽ. æruginis autẽ addidit, quia necessariò æruginosa sunt biliosa. Hæc omnia adiecisse uolui, ut intelligeres hos colores minus malum afferre in augumento quàm in initio, uel dissolutis uiribus, uel si diu perseuerauerint.

Liquet etiam cur in Prognosticis dixerit, liuidas, fœtidas, omnium celerrimam mortẽ prædicere. nam in liuidis caloris naturalis debilitas ostenditur, in fœtidis præternaturalis abundantia & uehementia. Quid igitur ad mortem properare magis faciet, quàm caloris natiui imbecillitas, & ignei seu præternaturalis magnitudo? Deinde atris caloris non naturalis abundantia, si adsit fœtor, tamen nullus magnus adesse potest, quoniam sunt uelut cinis in his quæ igni comparantur, cinis autem minimè fœtet. Sin autem locũ obtineant fecis sanguineæ, neq; sic fœtent: calidæ enim non sunt. Obijcies quòd Hippocrates dixerit tertio Epidemiorũ: Vomuit multa nigra Com.2. Sec.9. graueolentia duodecima die, ubi etiam recitat qđ subsequenti uomuit nigra uirulenta. Sed uarietas lectionum nunc non me torquet. Græca simili modo se habẽt: ἤμεσε πολλὰ μέλανα δυσώδεα, uomuit multa nigra graueolentia. hæc quidem mortem quartodecimo die prætulerunt: non tamen fœtida dixit, sed graueolentia: quoniam uomitus nõ soleant olere malè: hæc autem grauter olebant. nõ tamẽ fœtida erãt, ut in deiectionibus. Sed dices: Melidiæ pauca, ualde bilio- 1.Ep. com. 3. Tex.31. sa, mordacia, nigra, graueolentia deijciebantur, quæ etiam seruata est. Dico, non erant mera.

Reliquũ est tandẽ, ut doceamus an in alijs casibus nigra eandẽ uim obtineãt, uelut urinis, sputis, sudoribus, tuberculis & abscessibus? Sed urinarũ tractationẽ suo loco reseruamus: sudores nigros neq; uidisse, neq; audisse, nec legisse usquã memini. De tuberculis dicebat Hippocrates primo Epidemiorũ: Critoni in Thaso pustulæ nigræ Com.3. t.26. cum febre acuta & delirio, pes ad talum cum tumore subrubro et cõtentione: deiectiones multæ, meræ, biliosæ. obijt aũt in secunda die. Galenus in Cõmentoinquit, hoc fuisse signũ malignitatis

tatis materiæ, quòd pustulæ nigræ fuerint. Vidi ego puerum ætatis annorum circiter octo, filiũ sacerdotis, cui pustula nigra apparuerat in mento, & gingiuæ putruerant, & cum fœtore oris tam magno, ut nemo appropinquare illi posset, mortuusq; est in sexta: uenter ab initio intumuerat, urinæ albæ, nõ planè claræ. Erat in uilla ad secundum miliare à Saccensi oppido. Solent autem istæ nigræ deiectiones, tum pustulæ & abscessus, tum sputa ac uomitus, taliaq; ruri & in rusticis potius quàm in urbibus apparere, propter laborum & exercitiorum & æstus immoderantiam, tum ciborum prauorum usum, insolationem in aqua. Tempore uerò Hippocratis parum differebant mores ciuium, & uita à moribus, & uita nunc nostrorum rusticorum. Referebat medicus quidam mihi anno M.D.XL. uidisse in uilla quadam innumeros ægros, qui nigra ueluti sanguis deijciebant, dolebantq; præcordio dextro: neq; uel unum ex octoginta fermè seruatum. Ex quo apparet, talia gigni, indeq; deijci, ob substantiæ iecoris corruptionem.

Sputa uerò nigra, praua admodum sunt, &
c.48. cæteris coloribus deteriora: secundo Prognosti
c.45. corum. Sed illud animaduertendum diligenter, quod cum omne sputum quanto tardius aduenit, eo peius sit, ut ibi docet Hippocrates, seu flauum seu alterius coloris: ob id in sputis nigrum deterius est in successu morbi, quàm iuxta initium. cuius contrarium de deiectionibus, abscessibus, uomitibus, tuberculis, urinis est dicendum. nam hæc ut serius apparent, modò constante uirtute, eo minus timẽda. Excretiones enim omnes, præter sputum, ut dictum est, à sola naturali facultate fieri possunt, quanquam in uomendo & deijciendo exigua uirtute animali adiuuemur. at sputa non fiunt absq; magno animalis uirtutis robore aut nixu: propterea sputa nigra quanto serius apparent, eo sunt letaliora, contra ordinem aliorum signorum.

Illud non prætereã, quod ansam errandi plu-
Com.47. ribus dedit, cum Galenus secundo Prognosticorum inquit, nigra sputa posse à frigiditate fieri, et ab utraq; atra bile. nam liuidum à frigido fieri potest, nigrum autem nunquam. De fusco forsan dubium est. nam etsi subgrundijs, ubi sol non lucet, terra nigra uideatur, quia aqua plurima ac diuturna maduit, in humano corpore tanta frigiditas esse non potest, ut quicquam nigrum appareat. Fuscum non negarim, nec tamen audeo affirmare. Nigrum igitur semper ab immoderato calore, liuidum à frigore, si tota substantia tale sit: aut si secundum superficiem tantum à pauca atra bile, fuscum plerunq; à calore. Sed illud nos decipit, quod sicut cinis ab immoderato calore fit, nec tamen calidus, sed frigidus est, ita humor niger. Liuidus autem utroq; modo frigidus est. Itaq; ut cum uenia dicam, ita me superi seruent, ut uellem potius Galenũ tueri quàm accusare, quædam maxima ac difficillima satis inconsideratè protulit.

APHORISMVS XXIIII.

Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit, letalis est.

COMMENTARIVS.

¶ Vlcera ani difficillima sunt ad sanandum, 4. Artis cu. Cap. 5.
quod humidus ille locus sit admodum, nec quiescere ob situm medicamenta super eis poßint. Sanatio autem ulcerum ex siccatione prouenit, adeò ut huiuscemodi ulceribus Arcis custos nostræ, & Aloysius Siculus, & Lopes, uiri nobilißimi, tum alij multi perierint. Multo magis insanabilia sunt intestinorum ulcera, cum eis medicamenta adhiberi cõmodè non poßint, reliquaq; quæ in ani ulceribus diximus obstent. Prorsus ergo insanabilia erunt, quæ ab atra bile fiunt, simillima carcinomatibus, ob causæ facientis contumaciam & prauitatem. Sed hæc in intestinorũ difficultatibus, in quibus & ulcera sunt, & sanguis apparet.

Verùm si diarrhœa tantùm sit, nec adhuc exulcerata sint intestina, quærendum est, utrũ necessarium sit subsequi ulcera, & sanguinis exitum. Ego in nobili adolescente diarrhœam à materia nigra incipientem uidi, perseuerantemq; ultra quadraginta dies: nec tamẽ ad intestinorum difficultatem transijt, sed sanatus est, et adhuc uiuit. Neque reor quod ulcera illa carcinomatibus sint comparanda, in quibus materia intus est: sed ob uelox incrementum adiecta sanationis difficultate tales pereunt. Pereunt & quicunq; ulcus paruum & profundum contraxerint, quia mala materia intus seruatur. Sanantur hi potius, quib. ulcera lata fiunt: ea enim minus profunda sunt.

Omnes uerò fluxus uidentur medici in tria genera diuisisse: lienteriam seu intestinorum leuitatem, cum cibus nondum coctus exit per aluum: dysenteriam seu difficultatem intestinorũ, & diarrhœam, cum humores infrà effluunt, ut Com. 2. Sec. 36.
habetur primo Epidemiorum.

Atq; hæc sunt mala effluentis nigri humoris. Si autem retineatur, facit furores, melancholiã, comitialem, carcinomata: exedit corpus, habitũ corrumpit, facitq; elephantiasim.

Difficultatis intestinorum causæ sunt, uene-
na acria, & humores humorum, plerunq; flaua
bilis, pòst nigra, inde uiridis, post pituita salsa aut
Secūdo in serosus humor. Omnium leuissima est, quæ à fla-
1.Epi.c.7.1. ua bile. Raró ab alijs bilis generibus fit, nisi in pe
stilentibus constitutionibus: tum quia substantia
intestinorum dura est, tum quia acribus humo-
ribus assueta: tum quia lento humore interior su
perficies uestitur: tum quòd maximum est, quia
protinus ut acris humor inhæserit, excutitur.
Quo fit, ut facile colicā dysenteria consequatur,
non solùm ob dolorem attractis humoribus a-
cribus ad locum, sed impedita facultate expul-
trice, quæ in intestinis alioquin ualida esse solet.
Com.40. Est & aliud dysenteriæ significatum, quarto de
Articulis, cum apertis uenis intestinorum citra
erosionem sanguis profluit, iecoris imbecillis ui-
tio. atq; in hoc iecur, non intestina curanda ue-
niunt: sed & hoc genus magis letale est, quam
quod ex erosione fit. Commune utriq; est, tormi
na pati, antequam deijciāt sanguinem, & pingue
quippiam deijcere. Discrimen doloris magnitu-
dine, & humorum acrium permistione, qui in
epatica desunt. Cum uerò ad curam & prædi-
ctionem multùm prosit scire, cum ulcus adest, u-
Cap.2. bi sit, Galenus sexto de Locis docet. Nam quæ in
gracilibus intestinis per erosionem fiunt, tribus
de causis celerius perimunt, quàm in crassis. Do-
lor enim maior, & substantia tenuior & perfo-
rata maiorem noxam afferunt. Ex harum in re-
cto intestino exulceratione tinesmi fieri solent,
Com.1. secundo Epidemiorum. Contingit & dysente-
Sec.36. riam sequi lienteriam, cum lienteria ex acribus
humorib. in uentriculo contentis facta fuerit, ut
Com.1. sexta Aphorismorū. Item ex potu aquæ, quæ per
canales plūbeos fluūt, dicit Galenus ob limū, qui
Cap.2. in ea cōtinetur, septimo de Cōpositione secūdum
Sec.9. locos. Mihi uidetur qd' potius ob plumbū id eue-
niat: quoniā uis sulphurea erodit, et natura plū-
bi debilia reddit intestina, unde humores acres
influunt: & aqua ob frigiditatē grauis, tū plumbi
substantiā lentū humorē, quo intestina circūue-
stiūtur, educit, unde nudata facilè exulcerantur.

APHORISMVS XXV.

SAnguis quidem suprà qualiscun
que fuerit, malus: infrà autem ni-
gra deiecta, bonum est.

COMMENTARIVS.

¶ Memorem te esse, præsupponit Hippocra-
tes: nam quæcunq; nigra deijciuntur, modò non
sint nec atra bilis, nec uti sanguis, bona sunt, id
est utilia: nō tamen bona signi ratione, cū melius
esset naturā omnino inculpatā habere. At dices:
Quomodo cōiunxit nigra hic sanguini? Hoc est
quod nō animaduertūt expositores. oppositionē
enim proponit duorū cōtrariorum: rei naturalis
præternaturaliter emissæ, & hoc est malum, ut
sanguis suprà emissus: et rei præternaturalis na-
turaliter emissæ: nigra enim præter naturā sunt,
cum nihil nigrū exquisitè naturale sit: infrà autē
deijcere secundū naturā est, hoc igitur bonū. cō
iungitur uerò præcedēti, quia ibi ambo emittūtur.
simul & naturale & præternaturale omnino, et
in ultimo, quod dicit, letale esse. Vnde præterna
turalia secundum accidens, ut nigra cruda si eij-
ciantur, hominem leuant: at quæ ad substantiam
attinent, quia cocta esse nō possunt, ut malè olen
tia et atra bilis, mala sunt. Si tamē cōstantibus ui
ribus eijciātur, iuuāt, ut mala: nocēt, ut eximiè ma
la, in eijciendo. quare patet concordia Aphorismi.
At dices, sexta Aphorismorum: Mulieri san- 31.
guinem uomenti menstruis erumpentibus fit so- Aphor.36.
lutio. Et illud etiam magis in septima: Quicunq; "
euomūt sanguinem, si sine febre quidem, saluta- "
re: si uerò cum febre, malum. Curare autem acer "
bis & refrigerātibus. Galenus subterfugit me-
moriam huius Aphorismi. Fuchsius autem illum
totum peruertit, comparatiuè legendo: ut liqueat
uerè dictum à Christo, Si cæcus cæcum ducat,
ambo in foueam cadunt. Non curabo illorum er
rores, sed ut sententiæ concordentur, ut sensus
qui aliter elici non potest habeatur. Omittamus
ergo illorum errores, quorum non est numerus:
& quos, cum aliter dissimulare non possunt, obli
uione tegunt. Illud autem solùm ex Galeno de-
fendi potest, omissa illa inuersione lectionis, Ni
gra deiecta melius est, pro bonum: quæ exposi-
tio Anglicana est, quod ait posse de sanguine hæ
morrhoidarum hîc intelligi. at tum, etiam si ni-
ger non sit, sed flauus uel crudus & albus, utilis
persæpe esset, experientia deprehenditur, ut ad-
iectione nigri non indigeret. Dicamus ergo, sen-
sum Hippocratis esse simplicem & clarum: san-
guis niger bonus est, si deijciatur: at deiectiones,
qualis est sanguis niger, pessimæ sunt. deiectio-
nes etiam nigræ, nō qualis est sanguis, nec ut a-
tra bilis, bonæ etiam sunt: ut uterq; sensus sit ue-
rus. De sanguine uerò, qui per superiora, id est
per os eijcitur, ut rectè exponit Galenus, si qui-
dem per tussim malus. Dicente eodem, à sangui- 7.Aph.15. & 16.
nis sputo, saniei sputum, à sanie autem tabes, à ta
be mors sequitur: si uerò per uomitum aut cum
febre, & tunc nulla est contradictio, malū enim
palàm est. Sola difficultas est de sanguinis uomi-
tu atra

tu atra febrem. Clarum est autem, quod in illis Aphorismis loquitur de sanguine exeũte per circuitum. est enim tuta satis expurgatio, & paulo magis periculosa ea quæ fit per sanguinem nariũ. ut enim uidimus, à magnis morbis nos tutos reddit: adeò ut uiderim matrem Florij in Saccensi oppido, iam annis abhinc triginta sex, quæ huiusmodi uomitu nonagesimumsextum, ut aiebant, annum excesšit: alias quoq; plures fœminas, uiros paucos, omnes tuti euasere. At si unica tantũ sit euacuatio, non poterit fieri reclusis uasis ob redundantiam, sed uel concusšione uel erosione uel medicamento pernicioso, uel ob nimium dolorẽ, uel ruptura uenæ: quicquid in causa sit, malũ est, & periculosum. Propterea uerbum illud, Euomunt, cum præsens tempus significet, circuitum manifestè innuit. Velut dicimus, Dilapidant, id est quotidie ad dilapidandum redeunt. Occupat enim præsens omnia tria tempora: propriũ, præteritum & futurum: præteritum autem & futurum, suo solo contenti sunt.

APHORISMVS XXVI.

A Difficultate intestinorũ habito si ueluti carunculæ exeant, letale est.

COMMENTARIVS.

¶ Letale dicitur apud Hippocratem, quod plerunq; mortem affert, & natura sua, non necessariò, nec semper. Quòd si huiusmodi signo uel imbecillitas uirium, uel materiæ prauitas magna, uel ut portio integra intestini exeat, adiungatur, omnino æger morietur. Nihil tamen certius cùm in alijs morbis, tũ in hoc ipso præcipuè, imbecillitate uirium. Cur uerò dixerit, ὁκοῖαι ἂν σάρκες, *quòd melius uertit Fuchsius, ueluti carnes, patet quoniã tota substantia intestini iam exesa, partes mesaræi absumuntur. Vnde nec sic intellexerunt Aphorismum. Si enim de exteriore tunica intestini loqueretur, nec adeò letalis esset, nec carni simillima. Apparet autem ex Vesalio, colon mesaræo, & rectum intestinum musculis insidere. At cur non dixit, Caro: sed, Veluti caro exit? Quoniam extra intestina sunt & caro & corpus glandosum, cui colon insidet & pinguedo, quæ cõcreta est: quæ singula si exeãt, necesse est perforatũ esse totũ intestinũ & lata plaga: & tamen cum non sint carnes omnes, sed carnib. quodãmodo similia, dixit, Veluti carnes.*

Lib. 5. cap. 19. & Figura 13.

APHORISMVS XXVII.

QVibus in febrib. sanguinis fluxerit multitudo, quacunq; ex parte, cũ reficiũt, alui his humectãt.

COMMENTARIVS.

¶ Vndecunq; fluat his sanguis, ueritatẽ habet, seu ex hæmorrhoidibus, seu è naribus, seu plaga: quãdo una est ratio dicti huius, si quidẽ dum renutriuntur non posse ob imbecillitatem caloris nec cõcoqui cibos, nec distribui, neq; agglutinari: unde prægrauantes naturã ab illa expelli per secessum solent. Quoniã nõ solùm tenuis redundat humor, sed etiã crassus, ut non per solas urinas excerni posšit. Hoc uerò magis continget, si plurimo & crasso & minimè astringente utantur cibo. nam in quibusdã qui acrem retinent calorem, dum solidior pars retinetur, urinarũ profluit multitudo. Dictum igitur Hippocratis, cum generaliter uerũ sit, par erat Galenũ exponere, cur id dixerit accidere in febribus, non sine illa? Fuchsius respondet satis bene ex Galeno, tertio de Crisi, quòd febres ardẽtes plerunq; nariũ sanguinis fluxu finiantur. Ob id causam causæ adiecisse uidetur. At hoc tamen nõ satisfacit, tametsi inuento laudandus sit. nam quid attinet quod generale est, speciale facere? si enim omnis sanguinis fluxio etiã sine febre, naturam euertendo, & calorẽ naturalẽ minuẽdo hoc facere potest, quorsum adijcitur in febribus? Dicã ergo hoc solũ tũc cõtingere, quod experientia docet. Verùm causa est, quòd corpus febre siccatũ duplici modo imbecille redditur: & etiã, quoniã plus necessariò effunditur sanguinis quàm necesse sit, & à febrili calore irritato, unde maior imbecillitas necessariò succedit. Sæpè enim cõtingit, ut excretio quæ sine febre fit, ob multitudinẽ sanguinis cõtingat, haud multũ tamen debilitatis uiribus. Scribitur aũt in primo de Iudicijs, ualde dissimili sensu: Quibus sanguinis eruptiones plures, his temporis progressu alui malè afficiuntur, si non urinæ cõcoctæ fuerint. Clarũ est discrimen huius & illius. nam generaliorẽ causam generalior etiã effectus cõsequi debet, ideo illò te remitto.

APHORISMVS XXVIII.

QVibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

COMMENTARIVS.

¶ Liquet hunc Aphorismum, uelut & præcedentem, & alium ante hunc, continuam cum eo in quo dicitur (Sanguis quidem qualiscunq; suprà fuerit, malum) & cum alijs habere tractationem. nam de euacuationibus, quæ per infernas aut supernas partes fiunt, agitur in omnibus. Scribitur in libro de Iudicationibus sic: Quibus

Pag. 4.

in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre insanire necesse est. Soluit autem sanguis ex naribus erumpēs, aut aluus biliosa demittens, aut dysenteria aut dolor coxarum uel genuum accedens. Quandoquidem igitur nulla sit inter hæc contradictio: non enim uult Hippocrates quod uel ex surditate egestio biliosa succedat, aut ex biliosa egestione surditas: sed si euenerit ex unoquoq; illorum, alterum tollitur. Si enim dum biliosa sunt exerementa, surditas aduenit, necesse est materiā retineri, quæ apta est ad surditatem faciendā. Et si surditati eiusmodi superueniat egestio, euacuatio fit eorum quæ surditatem pepererant. Sic quatuor illa parem habent rationem cum deiectionibus biliosis, sed nō ex æquo, surditatem tamen soluunt. dicemus autem suo loco. Eodem modo si quis dicat generaliter: Surdi-
Pag 8. tas aluum sistit, ut Hippocrates in Coacis prædi-
Pag. 13. ctionibus. Et rursus: *Post sanguinis eruptiones, & nigrorū egestiones in acutis morbis surditas superueniens, malum. Sanguinis egestio his perniciosa: surditas autem soluit. Soluunt enim quæ ad superiora, inferiora, atque econtrà.* Sic in
5. secundo Epidemiorū: Dolorem in locis infernis surditas soluit. quod etiā scribitur in libro de Iu-
Pag. 4. dicationibus. Cæterùm illud potius uidendū, cur sic surditas soluatur, non urina potius: quanquā non repugnante Hippocrate, quidam etiam per urinam liberentur. Respōdeo, leuē oportere esse materiā, quæ eò deferatur, & lentam: talis est bilis flaua, & pituitæ cōmista. neq; enim ascendere potest facilè, nisi leuis: nec obstruere meatus, nisi lenta. Cum uerò dicat, Superueniente: intelligit, paulo pòst succedente. Quare nō indigemus ea particula, quam Galenus adijcit. Sed generale dictum est, etiamsi sine febre hæc accidant, modò paulo pòst succedāt sibi inuicem, aut surditas deiectionibus, aut deiectio surditati. Surditates aūt insanabiles ex crassis humoribus fiunt. Atq; ideo sensim, & plerunq; præeunte tinnitu aut sibilo. Huiusmodi, quanquam hic parerga, docet
Pag. 15. sanare Hippocrates septimo Epidemiorum, exemplo filij Parmenisci.

Illud non prætereundū, cuius Brasauolus meminit, hos affectus surditatis ac biliosarum deiectionū sæpius in eodem morbo recurrere, ut etiā ter ac quater: quod & ego obseruaui.

APHORISMVS XXIX.

QVibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

COMMENTARIVS.

¶ Cum duo uocabula Græci habeant, ῥῖγος & φρίκη, per quæ significantur sensus acris, tristis, quasi discurrens, maximè circa dorsum: uerum ῥῖγος est ualidus, & φρίκη imbecillis. Latini uerò habent tantum horrorem, per quem utrunq; poterat significari: maluerunt per horrorem solum φρίκην, idest leuem punctionem intelligere: per rigorem aūt grauem, & cum concussione. cum tamen apud Celsum uox ea, scilicet rigor non id significet, sed distentionem in utranq; partem, qua homines rigent, ac immobiles permanēt. Bonum fuit admonere lectores, quòd inuentum est Brasauoli, & bene etiam explicatum à Fuchsio. Sed his omissis, quid primum per difficile iudicium intelligat, deinde cur in sexto. neq; enim audiendi sunt, qui dicunt de intermittentibus non intelligendum, quòd singulis diebus rigores eis adueniant. nā etsi in continuis ut quibusdam compositis contingit, idem eueniat, non fit difficilè iudicium magis quàm in alijs, cum loquendi modus id apertè insinuet: quod intelligit nouè superuenire. Potest autem exemplum haberi multis locis ex Epidemijs: uelut in primo Epidemiorum Philini uxor, cum superriguisset octaua Lang. 4.
die, mortua est in uigesima. At Epicratis uxor, Lang. 5.
cum superriguisset quartadecima (qui dies est iudicatorius) liberata est in quadragesima. Quidam uerò ipsa die, ut Cleanactis in octogesima: Lang. 6.
Dromeade uerò uxor, cum sexta superriguisset, Lang. 11.
quanquam & antea in tertia, eadem die perijt. Melidiæ autem uxori non rigor, sed horror sex- Lang. 14.
ta die incidit cum magno labore, ideò in undecima liberata est, quoniam reliqua omnia erant mitiora: nec rigor fuit, sed (ut dixi) horror. rigor enim à potentiore causa fit, & uiribus etiam imbecillioribus, licet non sit is qui fit ab imbecillibus uiribus cum magno motu. Sic & Hermocrati Lang. 2.
tertio Epidemiorū, cum morbus regius sexta die Pag. 2.
aduenisset, perijt in uigesimaseptima. Sic Eurya- Lang. 6.
nactis filia, cum iudicata esset in sexta, & eru- Pag. 3.
pisset etiam aliquid suppuratum circa sedem, nihilominus perijt decimaseptima die. Virgini uerò Lang. 7.
quæ in Abderis habitabat, horror cœpit sexta Pag. 10.
die, sed pluribus diebus cum perseuerauerit, ægrè liberata est in uigesimaseptima: uirgo uerò quæ in Larissa, licet uideretur primùm passa horrorem in sexta, quotidie admonuit eam passam, ideo euadere facilius potuit. & quanquā sudauerit, tū et liberata sit. Refert Hippocrates causam Lang. 18.
in mēses, q primū ei eruperūt. In uniuersum, mu- Pag. 12.
tationes quæ secundum naturā fiunt, bonæ sunt:

natura enim principium est conseruationis, quæ & alimenti & nutritionis: at quæ fiunt stimulante nimis morbo, aut morbi causa in febribus, bonæ esse non possunt: quæ uero ex utraque, ancipites. At natura mouet adiuta motu siderum, & motu materiæ, qui fit per accessiones, & concocta illa. In sexta autem die nec motu siderum iuuatur. ad summum enim luna peragrauit partes octuaginta quatuor, quocirca cum tam parũ desit ad quadrantem, necesse est ut tam paruo spacio, cum nõ possit expectare, ut magna causa urgeatur, ac etiã superetur. Vnde & iucta & causa potente, & destituta cœlesti auxilio, non nisi malè cedere potest. Sed nec ab accessione, cum soleant diebus imparibus procedere, iuuari potest: neque coctione. nam solet & illa imparibus dieb. aut indicatiuis aut iudicatorijs absolui. & si iam absoluta fuit, statim si potest natura emittit. opera enim naturæ ne uel momento differũtur, ubi congruè fieri possint, modò nõ impediantur. Iam ergo habes causam, cur sexta dies adeò mala sit. Verũ quod dixit iudicationes difficiles, libro

Pag.3. *de Affectionibus inquit: Iudicari in morbis, est cum morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt. Et in pri-*

Sec.2. Const.2. Pag.3. *mo Epidemiorum: Cruda & incocta, & in malos abscessus conuersa, aut iudicationem non futuram, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Itaque ex ijs manifestum erit, difficiles fieri iudicationes, quoties morbi nõ desinunt primùm: et si desinant etiam, uel sine iudicatione, uel serò, uel cum doloribus, aut si postmodum reuertantur.*

APHORISMVS XXX.

Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

COMMENTARIVS.

¶ Hunc Aphorismum de difficili iudicio loqui, uelut & præcedentem, & eum illum qui ante ipsum est, & rursus tres sequẽtes, palàm est. Sed

28. *in tribus sequentibus, & in eo, Quibus biliosæ deiectiones: loquitur de difficilibus iudicationibus, eas per exempla abscessuum & surditatis declarans: in hoc & antecedente generaliter. Constat ergo, quod cum Aphorismus ille, Quibus biliosæ deiectiones: continuetur cum prioribus altera parte, scilicet cum de expurgationibus locutus sit, quæ à natura in morbis fieri solent: atque illi prioribus rursus, ubi de purgatione ab arte, à primo usque ad tres succedentes miro ordine continuatos esse hos omnes Aphorismos. Sed & in duobus illos sequentibus palàm est de iudicatione difficili loqui, quæ ad mortem tendit, sicut antea de salutaribus. Demum distinguit generaliter ratione à diebus sumpta, &* 34.35.
exemplo iudicij à sudore bonas iudicationes à malis, ut suo loco uidebitur. nam malæ iudicationes omnes sunt difficiles: at non omnes difficiles, malæ sunt. Hæc uolui longius tracta subiungere, non solùm ob continuationẽ, quam paucis in Aphorismis prætermiseram: sed ut intelligant lectores, quod neque uoluntariè quicquam à nobis adiectum est, & quali arte opus sit Hippocratem interpretanti. 36.

Igitur de difficili iudicio satis dictũ est in præcedenti Aphorismo, solùm illa uerba obscura uidentur (Si eadem cras occupauerit) solentque interpretari bifariã. Primùm, cum Galeno ut accessiones eadem hora singulis diebus adueniant, quomodocunque pòst finiantur: & has febres longas esse experimento frequenti dicit Galenus se animaduertisse. Quod uerum est, & à nobis cõprobatũ: nihilominus hoc idem est, ac si quis exponendo Homeri Iliadem, adducat libros de Naturali auditu Aristotelis, qui uera continent, & pulchra, sed quid ad rem? Qui uerò dicunt secundo, secundo sensum esse ut desinente prima alia occupet, rationem non habent quam afferant ullam: cum hic casus imaginarius quasi sit adeò rarus. Itaque constat, ut plerosque alios, non esse intellectum. Deinde aliud est, morbum esse diuturnum: aliud, difficile fore iudiciũ. Hoc quidẽ licèt illud contineat, non decebat tamen Hippocratem speciem per genus ipsum significare. Sensus ergo clarus est cum in febribus cõtinuis: hoc enim indicauit, cum dixit, Si eadem cras occupauerit, quasi finem & initium in eodem statuat momento, aduentus succedentis fuerit, dum febris omnino remitti uidetur, iudicium erit difficile. Hoc quidem certum iam est: quoniam cum intermissionem expecta, & quietem, tum primũ à febris insultu apprehenditur. unde id periculosissimũ est. Quomodo autem id fiat, si declarauero, dilucidior fiet sermo.

Cum materia in uenis fuerit, computrueritque, ex illius putredine, ut in libro Artis medicæ nostræ docui, alia succenditur. Sed exacerbationem, nec accessionem facere potest, quoniã quiescit materia: ubi uerò cõsumpta tota fuerit, natura illam aliam aggreditur. non secus ac uir robustus, qui plurimos habet inimicos in insidijs: unde hoc

de hoc ostendit robur uirium & materiæ multitudinem, ex quibus sequitur iudicium difficile. Nos uerò sæpius hoc obseruauimus, & claram euidentemq́; habet rationem. Verùm cum & illud quod Galenus dicit, etiã uerũ sit, nõ solũ dum singulis diebus, sed etiam cum alternis diebus & quartanis circuitibus febris redit: operæpreciũ fuerit, non ut rem intentam ab Hippocrate, sed ut appendicem examinari. Galenus ergo rationem huius refert in stabilitatem causæ, ut fixa sit. Quod probabile primo intuitu uideretur, nisi et febres quæ anticipant æqualiter, & quæ postponunt, cum idem tempus exigant, eundem effectũ facere oporteret: quod experimentum non confirmat. quæ enim postponunt, communiter finiuntur breui: & quæ anticipant, magno spacio. Vt primus ordo in breuitate sit earum quæ inæqualiter et multum postponunt: pòst, quæ æqualiter multum postponunt: inde, quæ multũ & inæqualiter anticipant: deinde quæ æqualiter, sed multum anticipant: deinde quæ parum postponunt, deinde quæ parum anticipant, longissima, quæ (ut dixi) eadẽ hora reuertitur. Quòd si quis hunc ordinem consideret, inueniet huiusmodi febres ex solis statu oriri: ille enim eadem hora & fermè momento eodem eundem signiferi locum obtinet: quapropter materia quæ mouetur, cum tam certo ordini subijciatur, solis exitum ex signis atque reditus ad loca aspectus expectat, ideóq; raro ante quadragesimam accessionem finitur: in tertianis uerò longior, ac magis in quartanis.

APHORISMVS XXXI.

LAssitudinẽ habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

COMMENTARIVS.

Pag. 3. ¶ Scribitur hic Aphorismus in libro de Humoribus sic: In febribus ad articulos et circa maxillas maximè abscessus fiunt, prope sanè dolores uniuscuiusq;, ad supernam partem magis, & in totum. Si uerò lentus fuerit morbus, & deorsum tendens, infernè etiam abscessus fiunt. Maximè autem pedes calidi infernè significant, frigidi supernè. Nescio quomodo Brasauolus interpretatur Hippocratẽ de longis febribus, cum generaliter loquatur, imò ibi generalius quàm hic. Sensus ergo talis est, si licet Hippocratẽ per Hippocratem exponere: In febribus sæpe fiunt abscessus, uel articulis, uel ad maxillas, iuxta locũ doloris seu lassitudinis. nam si dolor in toto fuerit, id est in omni corporis parte, ad articulos magis decumbunt: sin autem ad supernam partẽ, magis ad maxillas. In lentis autem febribus magis ad infernas, quoniam materia crassa est, & similiter si dolor descendat. Tertium signum sumitur à pedum caliditate: nam eò materia tendit, ac ibi concoquitur, aut saltem uapores, ideo abscessum in infernis partibus significat: sin autem frigidi, contrà. ut sint tria signa, cum abscessus fiunt, in suprema parte, in inferna, & in toto. Pro superna parte maximè obnoxia sunt loca circa maxillas, id est adenes, non, ut quidam dicunt, maxillæ ipsæ: nanq; periculosissimum esset, si propriè in earum iunctura fierẽt: alibi uerò absurdũ est, nec experimento congruit. Patet igitur, materiã quæ febrẽ facit, quandoq; in ambitu totius esse, & quandoq; etiam in partibus circumiacentibus cerebrum, nonnunquam in ipso cerebro contineri. Galenus quoq; hunc ordinem secutus uidetur, dicens: In febribus generaliter fiunt tales abscessus, quòd febris liquefacit humores, & impellit tum uapores (accidit enim uelut in pluuia, ut ex humore fiat uapor, & ex uapore rursus humor) qui ob latitudinem iuncturarum & adenum imbecillitatem facilè recipiuntur, atq; colliguntur in eis, fiuntq́; abscessus: frequentius uerò, si lassitudo adsit. nam illa & locorum horum plenitudinem, & imbecillitatem partium significat. Quòd si etiam lassitudo hæc spontanea sit, magis fiunt abscessus: ipse uerò sibi contradicit in quatuor uerbis. nam labore contractam lassitudinem uult esse magis causam abscessuum, ob caliditatem & imbecillitatem locorum: spontaneã uerò, ut significantem plenitudinem. Sed labor non indicat, quia antequam semicocta fuerit materia (tunc enim solet ad iuncturas detrudi calor ex labore acquisitus) cessare solet. In uniuersum, ex labore si fiat lassitudo, magis à morbi initio decumbunt humores in articulos: si uerò à multitudine, magis in febrium fine. Quartum igitur ordinem proponit, cum febri ac spontaneæ lassitudini plenitudo maxima coniuncta fuerit. Vix enim tales ægri abscessus hos effugere possunt.

Hic uerò Fuchsius, dum paruum emendat errorem, uertendo γνάθους buccas, non maxillas (de quo non est contentio) impingit in magnum. nã παρὰ τὰς γνάθους, id est circa buccas, uertit, In buccis: quasi nunquam febricitantes uiderit, & etiam præter sensum literæ. Quis enim non uidet, illum omnia ex Brasauoli opere transcripsisse, nec alium quenquam expositorem illi adiunxisse: sed solum fecisse compendium Brasauoli,

ſauoli, adiecto ſuo iudicio? Sed hæc mittamus. uo
lui ſolùm adijcere, quoniã hæc expoſitio falſum
redderet dictum Hippocratis, quia potiſsimũ adij
cit illi in eo morbo: qui ſi ſic intelligatur, uix in
Pag.2. mille febrientibus uni continget. Dicebat Hip-
pocrates in libro de Glandulis: Collũ ab utraq;
parte hinc atq; hinc glandulas habet, & uocan-
tur glandulæ hæ tonſillæ: in hunc uſum atq; uti-
litatem, caput ſuprà in ſuperiore parte poſitũ, eſt
rotundum & cauum, quod humidũ ex toto cor-
pore colligit. nam corpus ipſum uapores omnis
generis in illud mittit, quos caput rurſus infrà
demittit. non enim morari ac manere ibi poteſt,
quod ibi collectum eſt, non habens ſedem firmã
quò conſiſtat, niſi ſanè caput ægrotet. tunc enim
non demittit, ſed iſthic retinet. At poſtquam at-
tractionem remiſerit, in glãdulas fluxio uergit,
& nihil moleſtat, donec pauca & moderata fue
rit, & ipſæ glandulæ ualidæ ac robuſtæ. Si enim
multa & acris influxerit, manſeritq; acris &
glutinoſa, inflammatur & intumeſcit, & collũ
diſtenditur, & ad aurem progreditur. Et ſi qui-
dem ad utranq; partem progreſſa fuerit, utraque
auris ægrotabit: ſin ad alteram, una tantũ. Si au-
tem pituitoſa & multa ac lenta fluxio fuerit, etiã
ſic inflammatur: eaq; inflammatio quum ſtabilis
humor exiſtat, ſtrumas peſsimum colli morbum
generat. Hinc manifeſtus fit ſenſus totius Apho
riſmi, & quare dixerit, Non in buccis ſeu man-
dibulis, ſed circa buccas aut mandibulas. paroti-
des enim & ſtrumæ & tonſillæ apparent in fe-
bribus, non in mandibulis ſeu buccis. Hæc ſunt
quæ uerbis, rationibus atq; experimentis conſen
tiunt, ut de his non ſit dubitandum. Nunc uerò
Aphor.63. quæ de articulis dicat, uideamus. Quibus febres
longæ ſunt, his aut tubercula, aut ad articulos do
lores fiunt. ſeptima Aphoriſmorum in Hippocra-
tis uolumine: licet apud Galenum ibi nõ legatur,
Humores concoctu cõtumaces cauſam horum,
ut etiam prius, eſſe oportet. Scribitur autem ſex
Par.2. to Epidemiorum: Venæ temporum non conſiden
Pag.1. tes, & non ſplendida uiriditas, ſi ſpiritus intus
relinquatur, aut tuſsis ſicca, non ferina, ut in arti
culos decumbat expectare oportet: è directo di-
ſtentionum ſecundum uentrem utplurimùm. Ga
lenus ibi ut ſæpe in uerbis Hippocratis cæcutit,
cum clara ſit ſententia: cum pulſant uenæ tem-
porum ſignificatur. eſt ergo ac ſi dixiſſet in fe-
bribus: Et non ſplendida uiriditas, quæ humorẽ
crudum ſignificat tam in uultu quàm urinis. nam
ſplendida bilem exuſtam peccare docet, & ſpi-
ritus intus relinquatur, quod ſignum eſt abun-
dantiæ illius: uel tuſsis ſicca, quoniam in humida
tuſsi humor extruderetur, ſignificat decubitum
materiæ in articulos, utplurimùm qua diſtentus
parte fuerit uenter, id eſt ea parte qua humores
peccantes abundant. Vnde palàm eſt, quatuor
præcipuè ex ſignis decubitũ materiæ colligi, ac
locum decubitus. Primùm à febre, quia per illam
humor colliquetur, & ex colliquatione fluit: ex
cruditate, aliter cõcoctus eijceretur per urinas:
ex multitudine, aliter quamuis crudus poſſet e-
tiam concoqui, ſi ualidæ eſſent uires: demum ex
loco. nã ut ibi paulo pòſt dicebat, Omnes indica-
tiones ſecundum rationem ad eandem partẽ fiũt,
quoniam nimis operoſum eſt ad aliam tranſmit-
tere. Hæc igitur ſi ad præſentem Aphoriſmum
transferantur, illius ſententiã aperient. Nam fe-
bris cauſa eſt colliquationis, & exinde fluxio-
nis: laſsitudo, multitudinis ac cruditatis. de parte
autem hic nõ agitur. Igitur hic Aphoriſmus con-
cors eſt cum dicto in Epidemijs.

Cur autem humor colliquatus confluat faci-
lè in articulos, colligitur in libro de Articulis, di-
cens: Articulorum cõpago bifariam fit laxa: aut Pag.3.
ob uinculi humidum abundans, unde facilè luxa
tur: aut ob paucitatem carnium, unde bobus cir-
ca finem hyemis, quia tunc ſunt macilenti, exci-
dunt facilè oſſa. Cum ergo in diuturnis febribus
loca illa extenuentur, facilè in fine febrium, &
magis macilentis quàm carnoſis concauitates il-
læ humoribus implentur. Adiuuat ad hoc natura
etiam articuli exanguis, qua facilè excipit humo
res influentes. Duabus igitur cauſis natura mate
riam ad articulos ducit, quæ ex natura articulo-
rum ipſorum ambæ ſumuntur: atq; una uarietatẽ
ſuſcipit, ſcilicet cauitas: alia non, ſiquidem exan
guis natura. quatuor aliæ ex natura humoris, qđ
ſit crudus, colliquatus, pituitoſus & multus.

APHORISMVS XXXII.

Quibuſcunq; reſurgentibus ex morbis, ſi quid laborauerit, hic fiunt abſceſſus.

COMMENTARIVS.

¶ Laborare, dolere eſt. Scribitur magis di-
ſtinctè in libro de Humoribus his uerbis: Qui- Pag.3.
bus ex morbis ſe erigentibus, ſtatim in ma-
nibus aut pedibus dolores fiunt, in his abſceſ-
ſus contingunt. Sed etſi quid doluerit antea
quàm ægrotet, ad eas partes firmatur. Quem-
admodum etiam tuſsientibus & anginoſis in Pe-
rintho. faciunt enim tuſſes abſceſſus, quemadmo
dum etiam febres. Tria genera dolorũ cõſiderat
Hippo-

Hippocrates: præsentium, ut in antecedente Aphorismo: & subsequentium, ut in præsenti: & præcedentiũ, ut in sequenti. Quam differentiam Galenus & alij expositores animaduerterunt. Atq; ex utroq; laboris genere fieri abscessum docet, priore tanquam signo sumpto à causa generaliter efficiente, in hoc autem à materia seu loco, ut sit unus prorsus Aphorismus hoc modo:
" Lassitudinẽ habentibus in febribus, in articulos
" & circa maxillas potissimum abscessus fiũt. Vt autem scias quo loco, is erit, ubi dum resurgunt ex morbis, dolores sentiũtur. Sed & illud rectè, quamuis obscurè satis utrunq;, et implicatis uerbis dictum, quòd dolor duplici modo abscessum ostendit: & ut signum, et ut causa. Vt causa quidem: nam materiam ad se trahit tum calefaciendo locum, tum natura nitente temperare illum. nanq; uidemus, postquam plurimus humor ad locum influxerit, intumuerit q;, particula dolorem qui secus deberet ob tumorem ipsum augeri, minui. temperat enim calor naturalis adueniens dolorem: atq; eo exemplo mitigare solemus dolores, admotis tepidis fomentis. Vt signum autem, quoniam præsentem causam ostendit sui, quæ alia esse non potest, si quis ulnus aut contusionẽ non acceperit, quàm humor influens atq; influxus: significat igitur bifariam causam abscessus, scilicet materiam præsentem, & illius motum ad locum. Sic etiam bifariam causa est, & materiã, ut dixi, trahendo, & locum reddendo debiliorẽ. Ea uerò Galeni distinctio ad idem tẽdit, dum dolorem à labore distinguit: sed ut clarum est, con fusionẽ sic tradita potius addit, quàm iuuet: præcipuè cum Hippocrates πονέειν uerbo utatur, quo in secunda particula cum dicit, ὁκόσοι πονοῦντες τι τοῦ σώματος, id est, Quicunq; par te aliqua corporis dolent: ut palàm sit, dolorẽ intelligere. at dolor, ut dixi, & causa est fluxionis, & debilitatis loci atq; caloris. Plurima enim ex dolore etiam ante fluxionẽ, & absq; humore incalescunt: & signũ præsentis materiæ & motus ad eum locũ. Quòd uerò dixerit in libro de Humoribus, Quemadmodum tussientibus & anginosis: ad sequentẽ id totum pertinet Aphorismũ. nõ pigebit tamen hic ob cõtinuitatem illũ exponere. His uerbis ergo docet, dolorẽ nõ solũ causam esse, sed quemcunq; etiã alium laborẽ: ut tussim, quæ nõ est dolor, tamen excitat abscessus ob agitationẽ: & anginã, quæ etsi plerunq; cum dolore fiat, nihilo secius potius in ea cõsiderauit suffocationẽ quàm dolorẽ. nã & suffocatio abscessus nõ solũ fauciũ et circumiacentiũ partiũ comitatur: sed etsi nõ adsint, excitare solet. Proponit aũt exemplũ de Perintho. Qui uult historiã nosscere, legat sexto Epidemiorum, ibi: In Perintho. Par.7. Pag.3.

Aphor.6.

APHORISMVS XXXIII.

Sed etsi ante morbũ aliqua parte laborauerit, hic morbus firmat.

COMMENTARIVS.

¶ Iam in præcedẽti Aphorismo, si animaduertis, dixi, Hippocratem loqui de dolore qui accidit conualescentibus in antecedente illum, de eo qui ægrotantibus: in præsenti autem, de illo qui ante morbum ipsum. Ratio autem eadem uidetur fermè, tum à causa, tum à signo sumpta. Dictum est autem in præcedẽti Aphorismo, quòd hic ipse in libro de Humorib. describitur per ea uerba: Sed « etsi quid doluerit antea quàm ægrotet, ad eas par « tes firmatur: & quomodo id acciderit in Perin- « tho. Causa ergo est dolor, & ut locus debilior reddatur, & ut in eum cõfluant materiæ: & signum materiæ præsentis et inclinationis ad eam. Quocirca animaduertere decet, si in membro sit uitæ necessario, uel nimis prope membrũ principale, uel in loco ubi perducat ad morbũ insanabilem: si abscessus contingat, uelut in ano. fiũt enim ulcera eiusmodi, ut parum lucrifaciat qui superuixerit: quanquã aliqui igne plenè curentur, aut exquisitissimis medicamentis auertenda est materia: aliter euacuato toto corpore sinere, ut præsertim si in articulis contingat, aut adenosis partibus quæ sub mento, aut etiam post aures. Consules tamen in his expositiones Coacarum prædictionum, & primi Prædictionum: atq; interim ipsum Hippocratem in eisdem locis. Nunc sat dixisse sit, hunc & duos præcedentes Aphorismos fallere, si multa crassa urina effluat, ut infrà docebit. Et eius exemplum proponitur sexto Epidemiorum, de Archigenis familiari: & citatur à Fuchsio. Par.13. Pag.6.&7. Aphor.47. Par.4.

APHORISMVS XXXIIII.

Si à febre habito, ubi timor in faucibus non sit, strangulatio repentẽ superuenerit, letalis est.

COMMENTARIVS.

¶ Quatuor propositis, unum quod ad prædictionem attinet, concludit. Proponuntur, quòd à febre detẽtus sit, nec adsit tumor in faucibus, & superueniet strangulatio, & repentina: hoc ait esse letale. Vtrum uerò, si adhuc perseuerante febre? non ita sanè, quoniam ex febris uehementia id contingere potest. Attamen alia ratione letalis est morbus, quoniam angina omnis

quæ

quæ sine tumore est, cum acuta febre letalis est.
Pag.9. Dicebat Hippocrates in Prognosticis: Anginæ horrendissimæ sunt, & citissimè occidunt, quæ neq; in faucibus quicquam conspicuum faciunt, neq; in ceruice: uerùm plurimum dolorem exhibent, & erecta ceruice spirationem inducunt: hæ enim eodem die suffocant. secundo item, tertio ac quarto. Quæ uerò alioqui similiter dolorem exhibent, attolluntur autem & in faucibus rubores faciunt, perniciosæ quidem ualde sunt, uerùm prioribus diuturniores. Planum est hic Hippocratem doloris non meminisse, quamobrem de angina ei nullo modo sermo est. Placet tamen proponere quatuor genera anginæ, quæ Galenus nominat: Cynanchen, cum tunica & musculi gutturis inflammantur, quæ deterrima est ex quatuor: Synanchen, cum fauces ipsæ inflammantur: Iuxta cynanchen, quando extra guttur: iuxta synanchen, quando iuxta fauces. Igitur ut ad propositum redeam, de ea præfocatione agit, quæ subitò accidit. An uerò de illa quam Galenus citat ex primo Prædictionum:
Pag.4. In faucibus gracilibus dolores strangulatorij, habent quid conuulsorium, tum aliàs, tum à capite oborti. Sed & hic doloris meminit, propterea se excusat Galenus, quòd prætermiserit, quoniam etiam citra dolorem fieri strangulatio hæc potest. Videtur autem Galenus hoc ipsum supponere, quòd strangulatio hæc non possit repentè fieri, nisi per materiam defluentem ad guttur ipsum. nullus enim locus tam angustus est, ut repentè possit concludi, nisi ille: & nec ille, nisi à materia. Ideo iurè existimat de angina intelligi debere. Sed præter dolorem, de quo dictum est, qui in angina consequi solet, quis stupor fuisset Hippocratis dicere, letalem per se morbum conualescenti iam aduenientē esse letalem? Quãobrem hic loquitur de symptomate per se haud letali, nisi hoc modo superueniat, scilicet iam à febre habito. Id ergo intelligemus, si similitudinem huius Aphorismi cum sequenti intellexerimus, propterea illum prius declarabimus.

APHORISMVS XXXV.

SI à febre habito collum peruertitur, & uix potest deuorare, sine ullo tumore, letale est.

COMMENTARIVS.

¶ Liquet hunc Aphorismum persimilem esse præcedenti. In his qui iam conualescunt, contingit & strangulari repentè: & hi ualde breui moriuntur, utpote in una uel duobus diebus. neque enim perfectè, ut quidam putant, strangulantur. Similiter & qui deglutire non possunt, intereũt, sed paulò serius. neq; enim isti ex toto ab initio sic impediũtur, ut nihil deglutire omnino possint, sed tandem omnes intereunt. Nec memini uidisse quenquam liberatum, nisi unum quem ego sanaui, dum essem iuuenis, cuius memini in libro de Curis admirandis: cui iam de more uelut expiranti, accensæ erant candelæ. Ex hac dispositione multo plures corripi uidi quàm priore: atq; ideo etiam plures perire. Fiunt ergo ambæ dispositiones ex lacertorum inflammatione, nonnunquam exiccatione; & ideo attracto collo uel gula stringitur, & fit impedimentum deglutiendi potum, & magis cibum: uel guttur, & fit suffocatio. Præcedunt hæc signa incipientis dispositionis. in priore, cum bibunt, uidetur potus demitti in arundineũ tubum, & resonat descendendo, nec appetunt cibum (iam enim terrentur, ob difficultatem occultam deuorandi) in posteriore autē ualde malè se habent: & in quibusdam copia magna urinarum præcedit. At dices, Quomodo à siccitate repentè fieri possunt eiusmodi? Deinde cur in hac peruertitur collum, non in priore? Tertiò, cur non dolent, cum est ab inflammatione? Respondeo, non dolere, cum fit à siccitate: in alijs uerò, si non sunt sui compotes, non agnoscunt dolorem: & si sint, adeò timent mortem præsentem, ut non recordentur de dolore, imò cogitant solùm de respiratione. ut ego uidi in Henrico cerdone, cum essem iuuenis: qui cum doleret & strangularetur, doloris non meminerat. Et scias quòd tales non sunt conualescentes, nisi ex mēdosa morbi declinatione. Quomodo uerò possit repentè à siccitate fieri, istud à paucis est intellectum: lacertus extenditur quantum potest ob necessitatem, & operationis nobilitatem; & tunc sentiunt quandam leuem molestiam: deinde paululum siccatus cum sit res breuis, paulo magis contractus, & uiribus debilitatis fit breuior, quantum est dorsum gladij, & tunc sentiunt strangulationem repentè. Quædam enim actiones pendentes à duabus causis: quarum una operatur sensim, alia repentè, & maximè cum mutuò se adiuuant causæ, subitò effectum producunt. Cur autem peruertatur in hoc collũ, in illo nõ, causa pendet ex dissectione. Cum enim guttur à quinque musculorum paribus ducatur (ut Gabriel Fallopius docet) aliquo affecto, & maximè quinto, cuius munus iuxta illum est, qui ligulam dilatat, eo inflammato, nulla obliquitas in collo accidere potest, cum sit res tenuis: at gulæ uinculis inflam-

r matis

matis altera ex parte, cum uincula illa dorso annectantur, necesse est ea trahere collum in alteram partem. Quæ uerò referuntur ab Hippocrate secundo Epidemiorum, & citantur à Galeno in Commento, sic se habent: Sec. 2. Pag. 3. *Colli uertícula intrò uergebant quibusdam amplius, quibusdam propè, & collum foriensecus conspicuam cauitatem intrò habebat, & hac parte ad tactum dolebat. Erat autem & cuidam infrà os dentis appellatum, quod nõ similiter acutum est: quibusdam uerò etiam ualde rotundum, maiore circumferentia. Si non cum dente appellato fauces non inflammatæ, uerùm iacentes: partes sub maxilla tumidæ non inflammatis similes: neq; glandulæ ubi intumuerunt, sed magis secundum naturam. Horum igitur quære expositionem, si libet, à nobis eodem in loco, si nondum perfectè hæc assecutus es.*

APHORISMVS XXXVI.

SVdores febricitanti si incœperint, boni & tertio & quinto & septimo die, ac nono & undecimo, & quartodecimo, & decimoseptimo, & uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui uerò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

COMMENTARIVS.

¶ *Haud obscurum est, Hippocratem uelle potius dinumerare dies iudicatorios, quàm explicare uim ipsam sudoris. Quod ergo de sudoribus dicit, de omnibus intelligendum est euacuationibus. De sudoribus tamen euidentius est, propter tres causas: tum quia euacuant totũ corpus fermè æqualiter, & singulas eius partes: tum quòd non indigent peculiari aliqua uia, uelut urinæ & alui egestiones ac uomitus. Sæpè enim accidit ut natura tentet excernere per aluũ, & illa dura sit: aut per urinas, & uiæ obstruantur, & unde salus sperabatur, mors eueniat. Non sic in sudoribus: indigent enim sola cutis apertione: quæ & si non adsit, modico calore cubiculi habetur. Tertia causa etsi nõ admodũ propria sit, quòd sudor morborũ acutorũ, qui his diebus terminantur, crisis sit. Exemplum igitur more sapientum in rebus simplicißimis dedit, ut de reliquis excretionibus intelligeremus. Reuocanda est igitur in memoriã sententia in secunda Par*Aphor. 24. *ticula proposita, quæ ad unguẽ cũ præsenti concordat. nã eosdem numerat criticos dies. Quòd uerò hîc dixerit Boni, non simpliciter securos dixit, sed quantũ in illis est, bonos esse & salutares pronunciauit. bonus est potus sitientibus: in magna tamen siti, quibus bibere licuit quantũ uoluere, mortẽ attulit. Sic & calor frigori, gelidis tamen ignis mẽbra corrũpit: utiliorq; est frigida quàm tepida. Hîc igitur tria quærere oportet. Primũ, cur in libro de Iudicijs apposuerit uigesimũ* Pag. 2. *primum, et trigesimũprimũ loco uigesimi & trigesimiquarti, & hoc in sudoribus? Et in libro de Diebus iudicatorijs quartam adiecit, et loco ui*Pag. 4. *gesimæ uigesimãprimam. Secundũ est, unde ratio horum dierũ sumatur? Tertiũ, cur cũ sint boni dies, tamen aliquando perimant? Neq; enim talia quæ quotidie uidentur, hi uiri clarißimi declarauere, nec propriã rationẽ reddidere. Durum enim uidetur, quomodo natura ad rectum finem tendente, & iuxta rationẽ operante, homo poßit perire: & maximè, quòd operatio illa uidetur salutaris. Quæ enim Galenus de his narrat, non satisfaciunt: non docent rem, animã plenã dubitationibus relinquũt. Sicut & illud quod de sudoribus Hippocrates egerit, quoniam sudores sunt euacuationes propriæ acutis: cũ id proprium sit, quòd uel omni: id palàm falsum est. nã non essent aliæ euacuationes, uel non alijs: at uidemus quartanas post annũ etiam sudoribus terminari. Cleanactis, primo Epidemiorũ octogesima, per solum* Sec. 3. Languente 6. *sudorem liberata est. Et qui in Dealcis horto ha*Sec. 1. Languente 3. *bitabat, quadragesima die, ut tertio Epidemiorũ habetur. Causa ergo diuersitatis in iudicando, est locus materiæ, non morbi longitudo uel breuitas. nam si in ambitu sit totius, & nullum habeat peculiarẽ locũ, sed prope cutim sit uel tenuis, per sudorem expellitur: sin crassa & intus, per aluum. sin autem in mesaræo, per uomitum: & etiam si in cauo epatis, & biliosa, uel in uesica fellis. neque enim potest propter leuitatẽ per aluum excerni. Quòd si sit in uenis magnis, per fluxum sanguinis narium: si uerò paruis, per urinas. at si collecta uno iam in loco, & contumax, per abscessum aut transmutationẽ: unde parotides materiam in capite esse denunciant. Quæ autem in pectore, & concoquuntur per screatum: quæ in cerebro ipso, per nares. Præter locum & naturam materiæ est, anni tempus humidum ac calidum, quod sudores prolicit.*

Verùm ut ad id unde digressus sum redeam, illud maximè conueniebat Galenum in tam prolixis disputationibus quærere, cur sit quòd dies non iudicatorij nunquam bene iudicant, iudicatorij non semper bene. nam ex hoc quæsito solo plus doctrinæ haberi posset, quàm ex illis sex

libris

libris de Crisi, in quibus cum multa præclara dicat, nihil dicit de diebus istis sanum, aut uiro uel mediocriter exercitato dignum. Oportet autem supponere, quæ ab Hippocrate sunt enarrata de his. Primùm, ut cũ isti dies sint ab illo experientia
Const. 3. Lãgués II. comprobati (nam in Thaso mulier tertio Epidemiorum, è sexdecim illis in tertia die liberata est:
Lãgués 7. & Meto primo Epidemiorum in quinta seruatus est) mortui autem sunt eadem die Erasinus, qui illũ sequitur: & Philistes, qui est ex his qui in tertio describuntur. At in septima tres mortuos con
Lãgués 4. 2. Const. numera, adolescentẽ in tertio Epidemiorũ, et mulierem apud Pantimedẽ, & aliam ex abortu: qui sunt omnes ex prioribus ægris in eo libro adnu
8.10.11. Lãguentes. meratis. Mirum quòd neq; in primo nec in tertio ullius fecerit mentionẽ, qui in ea die seruatus sit inter eos quos ordine describit. Nonam aũt diem prætermisit. Causam utriusq; ibi exponẽdo diximus. Porrò quod undecimus sit celebris, ex primo Epidemiorum habetur, ubi tres dinumerat ea die indicatos, quorũ duo mortui sunt, scilicet undecimus & duodecimus: ultimus uerò Melidias seruatus est. Quartidecimi meminit, dum de muliere agit, quæ in litore habitabat, & seruata est
Lãgués 13. Constit. 2. Lãgués 12. in eodem primo. Et in tertio, eadẽ die quæ in Mẽdacium foro habitabat, perijt. In decimaseptima seruatus est Herophon: mortua est quæ in Cizico habitabat, & est quartusdecimus lãguens ex
1. Epi. Languens 3. sexdecim, qui in tertio Epidemiorũ in fine scribũtur. In uigesima tres posuit, quorũ Chærion tantum seruatus est, qui quintus est languens eorum qui in initio tertij Epidemiorum connumerantur: Euryanactis autem filia quæ illum sequitur, & Philini uxor quæ in primo libro describitur, pe-
Lang. 4. riere. In uigesimaquarta Nicodemus seruatus est, adolescens autem mortuus: qui ambo sunt
Constit. 3. Lang. 10. & 16. tertij Epidemiorum. At in uigesimaseptima Hermocrates, qui secundo scribitur, perijt. Virgo autem in Abderis, quæ inter ultimos languentes numeratur, seruata est. Sic & in trigesimaquar-
Languentes 8. & 13. ta duo numerantur. Anaxion qui sanatus est, & Apollonius qui obijt, ambo ex tertio libro, & inter ultimò descriptos languentes. In diebus autem non indicatorijs nemo seruatus est, nisi per magnam sanguinis effusionem, maximè uerò in sexta: atque hi quidem ministrorum malorum uicem referunt, qui damnare possunt, liberare non possunt. Videamus ergo, cur in his diebus mors contingere posit.

Constituta ratione dierum qui ad pugnam idonei sunt, seu ex astris, seu alia quauis ratione, ne infinitam faciamus tractationem, sciendum est, naturam perpetuò à morbo & causa morbi ad pugnam propter molestiam iritari. Si igitur adeò potens sit morbus & causa, ut natura inducias dare non queat, pugnatur & die non indicatorio, & materia non concocta: ideo nisi ex nimio sensu naturæ hæc pugna anticipauerit, homo necessariò perit. Fit autem hic sensus nimis acer uel ob teneritudinem temperaturæ, uel materiæ motum aut acredinem. Sin autem tam potentes sint uires, ut prorsus morbo & materiæ morbi dominentur, fit pugna concocta materia, & in die indicatorio uno ex dictis, & æger necessariò euadit. Quòd si adeò urgeat, ut concoctionem anteuertat, non tamen quin electionem diei indicatoriæ naturæ permittat: tunc fit pugna anceps, & quandoque homo perit, quandoque commutatur morbus, & seruatur, aut ægrè tunc seruatur. Cum autem materia concocta fuerit, in potestate naturæ est, quare fit crisis in die indicatoria semper, nisi ex intempestiua cibatione, aut alia causa præuertatur, aut differatur.

Hoc cognito, uideamus de ratione horum dierum, quæ (ut aliàs dixi) ex ultimo termino febrium, & est centesimus uigesimus dies accipienda, hoc tempore sol peragrat tertiam partem totius circuli. Et si dicas, quòd essent dies centumuiginti unus cum dodrante: Respondeo, quòd ille excessus causa est, ut uigesimusprimus dies quandoq; pro uigesimo ad pugnam à natura eligatur ac præferatur. Atq; sic patet concordia inter dicta Hippocratis. Galenus uerò nimis refugit uigesimumprimum, cum non animaduertat cæteros dies, scilicet septimum & quartumdecimum communicare cum uigesimoprimo, & non uigesimo: nec sequitur, quem maximè sequi se putat, Hippocratem. nam ille etiam uigesimũprimũ obseruauit non solùm in his, sed etiam ubi exempla eorum connumerat. Vt de Dealcidis uxore, quæ ea die mortua est, tertio Epidemio- Const. 3. Lang. 15.
rum. Solùm ergo Hippocrates ad hos numeros deduxit ob numerandi facilitatẽ, & naturæ anticipationem. In omnibus enim natura uidetur in his inferioribus anticipare cœlestes motus, quod & in æquinoctijs & plenilunijs ac nouilunijs palàm uidemus, adeò ut negare non possimus.

Habes igitur totam rationem deductam ex loco solis. nam ut centesimusuigesimus dies est tertia pars totius anni, ita quadragesimus centesimæuigesimæ, & uigesimus dimidium quadraginta, & quatuordecim tertia pars, & septem dimidium quatuordecim. Quæ omnia cum igno-

rauerit Galenus, longè petitis auxilijs à luna hanc doctrinam dierum criticorum totam confudit, nec sibi nec Hippocrati concors. Constat ergo, Hippocratem à circuitu solis hanc rationem deducere: unde fit, ut circa uigesimum coactus sit nutare propter excessum quadraginta duarum horarum supra uiginti dies. nam cum diuiduntur per sex, exeunt dies uiginti, & horæ septem. Si ergo materia sit tenuis, & in æstate, fit crisis in uigesima, in alijs in uigesimaprima.

D.	D.	H.
CXX.	CXX.	
XL.	XL.	
XX.	XX.	
XIIII.	XIII.	VIII.
VII.	VI.	XVI.
IIII.	III.	VIII.
XVII.	XVI.	XVI.
XXIIII.	XXIII.	VIII.
XXVII.	XXVI.	XVI.
XI.	X.	
XXX.	XXX.	
XXXIIII.	XXXIII.	VIII.

Sed de quartadecima non est dubitatio. quomodocũq; enim tertia pars quadraginta, aut quadraginta unius in quartumdecimum diem incidit. atque ita de septima, & quarta, & undecima, & uigesimaquarta. Proposuimus autem ad facilitatem, in Tabula, numeros dierum & horarum: in qua constant omnia, præter undecima dies, quæ uidetur solùm habere decem dies: sed hoc contingit, quòd cum necesse sit absolui tempus propositum abiectis horis, ideo absolutis decem diebus, fit undecima per terminorum connumerationem. Exemplum: Aegrotauerit aliquis die Dominico iam proximè præterito, cum connumeraueris decem dies integros, incidet in diem Mercurij, non Martis: & hic est undecimus à die Dominica præterita.

Languẽtes 4. 5 & 6. Restat ut uideamus, quare non numerauerit quartam: quam, ut dixi, alio in loco connumerat. Et tertio Epidemiorum, continua serie in ultimis languentibus sexdecim, connumerat tres perpetuos ægros: Phreniticum Caluum in Larissa, & Periclem, qui omnes in quarta iudicati sunt: & duo primi periere, tertius autem seruatus est. Galenus adducit rationem, quoniam in acutis fiunt exacerbationes per dies impares, iudicia autem fiunt in exacerbationibus: igitur iudicia non fient in quarta. Quid si exacerbentur per dies pares, ut in exemplis illis, maximè Periclis? Dico ergo, quòd nec hic satisfacit Galenus menti Hippocratis, qui uult tractare solùm de diebus Decretorijs bonis, nõ autem omnibus simpliciter: sunt autem boni, ut sint uerè decretorij: & ita quartus non est decretorius, sed indicatiuus. aut impar, dicente illo primo Epidemiorum: Morbi qui diebus paribus exacerbantur, difficiliores sunt. Et pòst enumerat dies iudicatorios, ab exacerbationibus paribus sumptos: ut sit Hippocratis responsio, non nostra. Constituatur igitur sic ratio in secunda figura: Hippocrates hic enumerat bonos dies iudicatorios: sed quartus est malus: igitur non est ex hoc numero. Est autem malus, quia dicit Hippocrates ibi: Febres, iudicantur in diebus, in quibus exacerbantur: sed quæ exacerbantur in quarta die, malæ sunt: igitur quæ iudicantur in quarta die, malè iudicantur. At dices: Quomodo ergo Pericles seruatus est? Respondeo: Sicut dixi, quòd etiam in septima multi moriuntur, quantum ad genus iudicationis perire debuit: quia tamen & multus sanguis fluxit, & urinæ concoctæ satis fuere, ac crassæ, & uires robustæ, euasit. Discrimen igitur solutionis nostræ à Galeni & aliorum solutione est, quòd nos animaduertimus illud boni: non enim enumerat iudicatorios omnes, sed solùm bonos. Dicebat in hanc sententiam in libro Prognosticorum: Sudores optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus iudicatorijs fiunt, & febrem perfectè submouent. Ex quo planum est, quòd hoc est signum per se bonum, ut diebus iudicatorijs fiant, & maximè ualidioribus. ob quæ non connumerauit nec uigesimumquartum, nec trigesimum, nec trigesimumseptimum.

Conft. 3. Pag. 2. Sec. 3. circa finem. Pag. 2.

Cum uerò dixit, Qui uerò non ita fiunt (intelligit iudicatorio modo) labores significant, scilicet pericula & molestias. & hoc est pessimum è tribus his, quoniam includitur mors: aut longitudinem morbi, hoc est mediocre: aut recidiuas, & hoc est minimum ex omnibus malis. Atque hic est quasi modus loquendi primo Epidemiorum, cum inquit: Cruda & incocta, & in malos abscessus conuersa, dolores, aut morbi diuturnitatem, aut recidiuas. Sed ibi alia addit: Quia cruditas deterior est sudore in die non iudicatoria. Sec. 2. Pag. 3.

APHORISMVS XXXVII.

Sudores frigidi, cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem, morbi longitudinem significant.

In sudoribus præcipuè consideranda sunt nouem: Dies, de qua dictum est: concoctio materiæ, uel cruditas: odor, color, sapor, frigidus sit an calidus: quantitas unde proueniat, & alleuiatio. Hic igitur de qualitate sudoris agit: quæ res multis simplex uidetur, at mihi difficillima. Certè uidi Hispanum, qui cum in tertiana sudaret frigidissimo corpore, tamen intra quatuor dies à me curatus est: & parum abfuit, ne gloriam, quam multis laboribus magnaq; diligentia cum ea gente consecutus eram, hoc Aphorismo sauciarem, præsertim quod esset nobilis, & in magistratu. abstinui tamen à prædictione, quod uideretur robustarum uirium, nec lædi ab eo sudore. Primum igitur uidendum est, ne ex loco & tempore decipiaris. nam si æger frigido fuerit in loco, paulopòst sudor omnis frigidus tibi uidebitur. Considerandum est igitur, an si calidum sit corpus, sudor autem frigidus: aut frigidum corpus, sudor autem calidus, quod nam horum uelit Hippocrates. Absurdum enim est, dubitare de corpore & sudore frigido an intelligat: uel de corpore & sudore calido. nam palàm est de hoc non intelligere, de illo autem omnino. Mihi autem uidetur, quòd si corpus calidum sit, sudor autem frigidus, ut uerbis hoc conueniat: at nihil certius ad mortem, quàm si calidus sudor è frigido corpore emanet: quis enim dubitare potest, quin hæc sit naturalis caloris extinctio? itaque uni uerba Hippocratis subscribunt, non reluctante ratione: al-
Pag. 3. terum ratio manifesta docet. Scribitur hic Aphorismus ex uerbo in libro de Iudicationibus, nec quid habet iunctum, quod ad rem faciat.
Pag. 2. Sed & in Prognosticis habet hæc: Pessimi su-
» dores sunt frigidi, & circa caput ac faciem ob-
» orientes, & circa ceruicem. hi enim cum acuta
» quidem febre mortem prædicunt: cum mitiore
» uerò, morbi longitudinem. Et qui per totum cor-
» pus fiunt, similiter his qui circa caput, signifi-
» cant. at uerò milio similes, & circa collum eue-
» nientes, mali sunt. Qui uerò cum guttis fiunt,
» & euaporant, boni sunt. Considerare ob id su-
» dores decet in summa: quoniam quidam fiunt
» ob corporum exolutionem, aliqui uerò propter
» inflammationis uigorem. Iam ex his duo lucramur recondita. Primum, quòd dictum hoc de sudoribus uerum non est, nisi fiant in facie & capite, tum etiam circa collum, uel per totum corpus. si enim crura uel brachia, & minus pedes aut manus sudore frigido madescant, non est plurimùm timendum. Secundum, quòd sudores huiusmodi quidam fiunt ob resolutionem innati caloris, quidam ob inflammationis uim: hic uerò primum occurrit illud, an etiam sudores frigidi fiant ex inflammatione constantibus uiribus, cum calida sit tota inflammatio. Deinde, quomodo resolutis uiribus & naturali calore emanet sudor frigidus, cum nihilominus causa calida sit. Et ego uidi quosdam, qui tribus aut quatuor pòst horis obiere, sudasse calido sudore, & cum guttis magnis, sed non euaporabant: in quibus uerisimile fuit calorē naturalem eo sudore dissolutum, postquam tam celeriter, ac (ut ita dicam) continuato cursu peribant. Certè calorem naturalem dissolui contingit etiam per sudores, citra magnum mortis periculum, in uehemētibus laboribus, & coacta Venere: nec tamen tuti sunt hi omnino à periculo. nam si interim, antequam restaurentur, aliquid accederet quod uires euerteret, interirent: ut, magnus metus, alia Venus repetita, lætitia, febricula, aer pestilens. ob id non tutum est huic periculo se exponere. Non ergo moriuntur ob resolutionem calidi innati in febribus: sed quoniam uel causa urget, ut calor immensus circa cor, aut febris pestilens: aut quoties hic sudor & hæc resolutio ob iam factam malam in corde intemperiem generatur. Cæterùm ut ad rem redeam, illud inquirere oportet, quomodo ex resolutione uirium calidus sudor emanare possit? Iam ergo sudor frigidus tribus ex causis in acuta febre contingere potest: uel cum inflammatio in profundo corporis fuerit, iuxta quod alibi dicitur infrà: In febribus non inter- Aphor. 48.
mittentibus si partes exteriores frigent, inte- ‹‹
riores urantur, & sitim habeat, letale est. Quid ‹‹
ergo mirum est, si frigidis partibus exterioribus sudor diffluat frigidus? Alius modus est, cum ex multitudine humorum calor suffocatus, tenuiorem partem dissoluit, ueruntamen non potest illam calefacere: ut niui & glaciei, quæ uerno tempore à sole dissoluitur: aqua tamen liquefacta uehementer frigida est. Atque in hoc non adeò frigidam cutim esse, est necessarium. Tertius modus est, cum ex prauitate materiæ calor naturalis, naturaleq; humidum dissoluitur: idq; bifariam, uel prius resolutis spiritibus, & calore febrili, sola praua intemperie manente, præsertim astrictis meatibus cutis, tuncq; sudor manat frigidus. at si calor febrilis adhuc manet ualidus, aut cutis rara est, & tempus calidum, aut spiritus non extinguuntur, nisi ob dissolutionem subiecti humidi, tunc destillat sudor ca-

 lidus:

lidus: qui tamen si ex primo genere sit letalissimus, ut aperte liquet. Manifestum est igitur, quot modis letalis sudor fiat, & quando calidus, quandoq; frigidus.

At illud nondum declaratum, cur in toto corpore uel superioribus partibus? quanquam hoc aliunde petendum esset. Nam si toto corpore talis emanet, necesse ut etiam ex superioribus partibus: ergo si superiorum partium rationem reddamus, satisfactum fuerit utrique. Constat ergo, in superiore parte esse cor & cerebrum, & arterias magnas, & sanguinem feruentiorem ac tenuiorem ad illas ferri: si ergo ibi refrigerentur partes, necesse est causam frigidi sudoris esse potentissimam. nam in sene exangui non esset mirum refrigerari partes pedum, uel etiam in abundè bilioso, & tamen facilè seruari. propterea declaratur hoc in partibus illis.

Similiter aliquis dicet, ac facilè dubitabit, Quomodo calore naturali resoluto, & etiā præternaturali, contingant sudores? Dicimus calidos sic non posse contingere, frigidos autem multis de causis, quarum aliquæ à Galeno referuntur. Prima, quæ dicta est, quoniam calor poterit dissoluere, non tamen calefacere. Secunda, quia resoluitur pars tenuior ab exili illo calore: non fons morbi, nec quantitas magna pro ratione. rarò copiosus fluit sudor frigidus, ut calidus. Tertia, quoniam calor ille magis colliquat ob tenuitatem & siccitatem, quam ob magnitudinem: ut de calore fulminis, qui dissoluit metalla, licet sint paucæ tantùm scintillæ. Ideo prope mortem contingūt sæpe isti sudores, cum antea non apparuissent, & tamen humidum est minus, & etiam uterque calor est minor, dico tam febrilis quàm naturalis. Quòd uerò adijcitur, in mitiore significare morbi longitudinem, cum hic sudor in miti febre non possit significare nec inflammationem in uisceribus, quam necessariò consequeretur acuta ualde febris: nec uirium resolutionem, cum illa sequatur morbum, non causam morbi, nisi quatenus alium morbum progignit, ut multitudo materiæ obstructionem, uel frigiditatem: & iam morbus supponatur mitis: igitur frigiditas sudoris non potest prouenire à resolutione uirium. Cum ergo nec à prima nec à secunda causa possit prouenire sudor frigidus, & sint tantum tres, reliquum est ut à tertia necessariò fiat: hæc autem est multitudo materiæ, igitur ab hac procedet. Cum ergo materia sit multa, & non multum tenuis (sic enim uel non excitaret sudorem frigidum, aut febrem uehementem accenderet) & uires suffecturæ sint diu propter morbum mitem, ut diximus, sequitur necessariò quod ab Hippocrate ultimò proponitur, morbum futurum diuturnum. Ex quo patet, commenta de humoribus frigidis abundantibus, esse extra propositum: cum etsi id accidere posit, rarissimè tamen contingat, in corpore abundante humoribus frigidis accendi febrem acutam. Et si contingeret (omnia enim contingere possunt, quæ non repugnāt) nihil absurdi sequeretur. Sudorem autem frigidum æstimare oportet, non qui ægro frigidus uidetur, sed astantibus, & dum fluit. nam copiosus ualde ubi fluxerit, statim refrigeratur: est enim substantia aquea, & præsertim in continente frigidiore. Dicemus & reliqua inferius, ne nimis hic extendam hanc expositionem. Coment. Aphor.42.

APHORISMVS XXXVIII.

Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

COMMENTARIVS.

¶ Dixi in sudore illa nouē considerari oportere, è quibus hoc etiam unum est, scilicet locus. Hic Galenus suo more, dum pro morbo causam explicat, absurdum facit Hippocratem. Etenim in abscessibus iecoris & pleuræ membranæ sæpe dum moriuntur, sudat facies & caput: non tamen ibi materia morbi residet. Possemus subterfugere, quòd loquatur de morbis tantum sanabilibus: sed non conuenit ut generale præceptum contrahamus, tametsi uerè hi Aphorismi de sanandis solùm scribantur: nisi malum aut letale adijciat, ut in præcedenti. Porrò quod ad continuationem attinet, cum suprà docuerimus Aphor.30. illorum continuitatem usque ad illum Sudores febricitanti, hic & in præcedenti perpetuo ser- Aphor.36. mone de sudoribus agit. In succedentibus autem duobus de loco & lōgitudine morbi: duos post- Aphor.30, 40. modum sequentes coniungit de sudore tractantes, ut in uniuersum sint quinque Aphorismi de sudore tractantes. In hoc igitur dicemus, quòd sudor necessariò fit colliquata materia: ac rursus refrigerata, ut à Galeno colligitur primo de Aph.41.42. Tuenda sanitate, & in octauo Artis curandi, ubi docet per balnea curare diarias: & ubi bal- Cap.12. in fine. neorum uim indicat, quòd calefacta corpora re- Cap.4. frigerent, educendo per sudorem halitus illos fumosos. quàobrem contingit ut homines ab exercitatione & in umbra magis sudent, quàm dum exercitantur & in sole. Eam uerò sententiam sumpsit Galenus ex libro de Flatibus, cum dicit Pag.4. Hippocrates: Liquefit sanguinis ipsius quicquid igneū

igneauis attigit, fitq; inde spiritus, qui cum ad meatus corporis irruerit, fiunt inde sudores. Si quidem spiritus compactus in aquam transmutatur, meatusq; transit, atq; extrà prorumpit: eodem fermè modo quo à feruentibus aquis uapor eleuatus, si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pinguefit ac condensatur, guttæq; destillant ab his corporibus, quibus uapor ipse fuerit impactus. Hæc apertè satis: quæ uerò in primo de Morbis, sunt obscuriora, sed tamen ad [Pag. 12.] idem tendunt, & magis faciunt ad præsentis loci interpretationem. Sunt autem hæc. Sudor fit hac de causa: Quicunque morbi in indicatorijs diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita & bile, quod tenuißimum est eliquatur & secernitur, & partim extra corpus secedit, partim intus: & isthic in corpore relinquitur, partim præ caliditate attenuatur, & uapor fit, & cum spiritu extra procedit. Atque hæc quidem huiusmodi sunt, & ab his sudor generatur. Hîc ergo de sudore morboso agit, proprieq; huic loco tractatio conuenit, & ex ipso loco rationem Aphorismi desumere expedit. Si ex uentriculo uapor deferatur in cerebrum, ibi, non in uentriculo morbum excitat: prodit autem ex loco in quem fertur. morbus igitur fit eo in loco, unde uapor foras exit. Nam si ibi exit, seu ibidem generetur, seu alibi, necesse est ut eodem in loco noceat homini, partiq; illi. neq; enim fieri potest, ut ex loco illo in quo nocuit, ad alium transmittatur, atque ibi prodeat. Causa ergo erroris Galeni est, quòd non animaduer- [Pag. 2.] tit sententiam Hippocratis in libro de Flatibus huiusmodi: Mortalibus uitæ, & morborum ægrotis, solus spiritus auctor est. Si igitur sudor ex spiritu fit, ut demonstratum est, uel ipso Galeno, nedum Hippocrate auctore: necesse est perpetuam esse hāc orationē, Vbi sudor, ibi morbus. at si de sede intellexeris, dupliciter aberrabis: & quod nō erit Hippocratis dictū uerū, et quod morbi materiā alio loco, quàm sit, esse existimabis.

APHORISMVS XXXIX.

ET qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus.

COMMENTARIVS.

¶ Et ex sudoribus & ex primis qualitatibus docet locum morbi, id est sedem affectam dignoscere. indicio est cōiungi præcedenti, quod dixit, Et. Cum enim prior Aphorismus per materiam iungatur, illum præcedenti, scilicet quia in utroq; tractat de sudore, præsenti per formam annectitur, quia tractat de loco patiente in morbis dignoscendo. Proponitur autem in libro de [Pag. 3] Iudicationibus, nec quicquam additur. Est enim caliditas, ut inquit in septo Epidemiorum, acri- [Par. 6.] moniæ signum: frigiditas autem, extinctionis caloris naturalis. cum ergo exuperauerint, morbum adesse significabunt. Sunt etiam calor & frigus morbi ipsi, & ab eis signa sumuntur secundum essentiam, iuxta Galenum in libro de [Cap. 4. 12. Cap. 8.] Differentijs morborum, tum in Arte medica.

APHORISMVS XL.

ET ubi in toto corpore mutationes. Et si corpus refrigeretur, uel rursus calefiat, uel color alter ex altero fiat, morbi longitudinem significat.

COMMENTARIVS.

¶ Aliter legitur in libro de Iudicijs, hoc mo- [Par. 3.] do: Et ubi in toto corpore mutationes repentinæ fiunt, adeò ut repentinas esse uelit, hîc uerò intelligitur. nam repentinas mutationes pariunt omnes febres intermittentes, nec tamen omnes intermittentes febres longæ sunt. Brasauolus tamen expungit particulam Repentinæ. Græcus codex meus Aldinus tamen habet, μεταβολαὶ ὀξεῖαι γίνονται. Vnde nescio cur omittatur: nam dicit, Mutationes repentinæ fiunt. Hic apparet Fuchsium satis obiter trāsegisse hanc expositionem. nam si codicē consuluisset Græcum, habebat quo iustius Brasauolū damnaret, quàm alibi usquā. Sed omittamus hæc, causamq; potius dicti Hippocratis quæramus. Ergo talis mutatio tam in qualitatibus primis, quàm secundis aut tertijs, quales sunt colores, cum repentinæ fuerint, non ordinatæ (nam ordinatæ fermè in omnibus febribus sunt, scilicet ex accessionibus aut exacerbationibus pendentes) significant uarios humores peccantes. at uarij humores non simul misti, longius tempus ad coctiones postulant: igitur tales mutationes ostendunt morbi longitudinem. Quomodo uerò colores mutentur, docebat Hippocrates in libro de Ossibus: Laxatis [In fine.] enim uenis ex corde fiunt rubicundi colores, ac lucidi: astrictis, inquit, uirides cum pallore, & liuidi. Ergo hæc magis pugnam uariam ac luctum naturæ significant, quàm humorum uarietatem. Atque ita est. nam & ob eam causam, ubi pugna est inter pares, consentaneum est magis quàm ob aliam causam, quamuis morbum fieri diuturnum. Sed dices: Cur Hippocrates in Coacis prædictionibus inquit, Color qui sæpe [Pag. 5.] in calore transmutatur, utilis est? Respondeo, Materia quæ facilè permutatur, facilè etiā euin-

citur,

citur. Ideo sic intelligere oportet Hippocratem, cum sæpè refrigeratur & calescit & mutat calorem corpus eadem die, manentq́ hæc, morbi longitudinem significant. fiunt enim, ut dixi, istiusmodi ex pertinaci pugna uirium cum causa morbi. Sed si leui ex causa calor mutatur, fit ex àscensu uaporum à materia tenui: & significat breuitatem morbi, non sine periculo. Contingit autem hoc maximè in uariolis, morbillis, ephemeris, & huiusmodi. Quod uerò dicit, In toto corpore: intelligitur etiam indifferenter modò una in parte, modò in alia. nam sic in toto corpore duplex habet significatum.

APHORISMVS XLI.

SVdor multus ex somno factus absq; causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat: si uerò non accipienti cibum hoc accidat, scire oportet quod euacuatione corpus indiget.

COMMENTARIVS.

Pag. 3. ¶ Scribitur in libro de Iudicatione: Sudor multus intemperatè oboriens, sano morbum significat: æstate minorẽ, hyeme maiorem. Cum enim multus fuerit, & absq; causa externa, uelut balneo, exercitatione, nec posit esse ex sola raritate meatuum & cutis, nec imbecillitate uirium, neq; continuare posset (nam cum dixit, Ex somno factus: intelligit, ut repetat) necesse est ut sit ex plenitudine aquosi humoris. nam pluribus qui corpus habent plenum humoribus, non prodit hic sudor, ob illorum crassitiem. Cum ergo plenitudo hæc uel contingere posit ex additione quotidiana, & tunc fiet ob nimium cibum seu potum (τροφὴ enim utrunq; significat, quia significat alimentum) uisum est autem superius, quòd facilius est impleri potu quàm cibo: quare oportebit illum subtrahere. Sed si non

Par. 2. Aphor. 11. accipiat hunc cibum, repletio iam facta est. Et cum ex seroso, ut dixi, humore sanguini admisto sit, oportet euacuare corpus. facit enim retentum hoc excrementum aut febres; uelut dicebat Galenus secundo de Alimentis, aut hydro-

Cap. 1. & 6. simul collatis. pem aquosam, aut urinæ fluxum: aut si retineatur, ex hoc obstructis urinæ meatibus supra uesicam, moriuntur. Mihi autem contigit, ut ab initio octaui anni, dum in fine septimi ad mortem laborassem, ut multitudo sudoris per totum corpus singulis noctibus post somnum flueret. Et perseuerauit ad annum usque trigesimum quartum: & tunc transmutata est copia hæc sudoris in copiam urinæ, citra noxam, aut habitus deprauationem, cum iam sint anni uiginti sex. Et causa huius mutationis fuit exercitatio aßidua, cum iam in patria mea, quæ urbs magna est ualde, munus medendi profiterer. Quomodo autem multus dici posit hoc modo in curandis morbis, maximè Indica lue, sic excogitaui: interulas mundas siccasq́; permutando, ac pondere examinando scies, quantum sudore accreuerint. plerunque bene plena sudore uncias duodecim æquare solet, adeò ut nonnunquam ex quatuor interulis singulis diebus colligerem in curando Indicam luen, supra quadraginta uncias sudoris. Huic numero debes semper addere tertiam partem, quæ dum reliquum defluit, extruditur. Altera etiam uice, licet non tantùm, sudare cogebam, ut cum eo qui nocte defluebat ad centum uncias, singulis diebus sudoris æger remitteret. terminus autem est, quantum bene & commodè ferre potest: nec uigilias patitur, nec appetentia cibi minuitur, nec febris accenditur, nec uertigo eum inuadit. Quæ quatuor mala indicant, si unum eorum adsit, nimiam & importunam esse eam euacuationem. Similiter & de colore, illum ex siccis interulis deprehendes: sed caue ne calce dealbentur. Est autem sudor, si naturalis sit, ut Galenus testatur, similis colori urinæ. Est enim modicè pallidus, ut 14. Methodi cap. 1.

etiã decimo de Simplicibus medicamentis habetur. Cap. proprio.

Quomodo uerò tantus sudor ex me profluere potuerit, indicabat hoc tertiam quandam causam? Non, sed eandem: scilicet me, licet non sumerem simpliciter plusquam liceret alimenti, plus tamen comparatione habita ad naturalem iecoris temperiem, quæ ægra erat. Liquet ergo, quod his medicamentum non congruit: sed si collectus iam sit serosus humor, qualis est braßica marina, quæ aquam ducit: per urinam autem prolicere multitudinem urinarum repentè, haud tutum est. Cur autem, Ex somno, adiecerit, palàm est, quoniam ille propriè secundum naturam eijcitur: non ex imbecillitate, uel labore, uel aeris calore, sed tanquam excrementum con coctionis secundæ aut tertiæ.

APHORISMVS XLII.

SVdor multus, calidus uel frigidus, superfluens: frigidus magis, calidus minus, significat morbum.

COMMENTARIVS.

¶ Demiror Galeni hic expositionẽ, cũ uelit calidum sudorẽ significare calidorum humorum multitudinẽ: frigidum aũt, frigidorum. nam frigi-

di & calidi sudoris causas suprà retulimus. sed Aphor. 37. & ex primo de Morbis, quæ desunt non pi- Pag. 12. gebit adijcere. inquit enim: Quare quandoque calidus sit sudor, quandoque frigidus, hæc est causa. Calidus nanque de percalefacto malo & exusto & attenuato & debili, & non ualde multo secernitur. & necesse est calidiorē ipsum ex corpore excerni. Frigidus autem de ampliore malo secernitur, & de eo quod reliquum est, & adhuc ualidum, et nondum putrefactum, neque attenuatum, neque exustum: & frigidior ac craßior, ac graueolens magis prodit. Manifestum autem hoc ex hac re fit. Qui frigidum sudorem exudant, è longis morbis plerunque ægrotant, inualescente malo eo quod in corpore relinquitur: qui uerò calidum sudorem excludunt, citius à morbis liberantur. Sententia igitur Hippocratis est manifesta, sudor frigidus significat semper paruum dominium caloris supra materiam morbi, seu id contingat ob materiæ frigiditatem, quod rarißimè contingit. nanque eiusmodi febres non sunt sudorificæ, ut amphimerina & continua quartana, nisi post coctiones, & tunc iam materia est superata: uel ob multitudinem materiæ peccantis, quæ non potest uinci à calore nec febris nec naturali: & ideo si morbus acutus sit, materia calida erit: & cum adeò uincatur natura, ut sudores prodeant frigidi, igitur hoc est maximè letale. Quòd si non sit acutus, non est adeò mirum, & ideo significat tantum morbi longitudinem. At si calidus sit, tunc multitudini humorum dominatur calor. Si igitur naturalis, salutis est signum: si autem preternaturalis, mortis: uterque modus significat longitudinem, quia multam materiam indicat, licet certum sit quòd à calore uincatur. propterea frigidi & periculosiorem semper, & plerunque longiorem morbum significant. Ob id scriptum est sexto Epi- Par. 1. demiorum: In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes uerò calidi. Clarum est autem ex his, quàm parum accuratè Galenus hos exposuerit Aphorismos, cum ex clarißima re obscurißimam fecerit: & ad frigiditatem materiæ, & ad materiam non morbo coniunctam se transferendo, quod ei primum errorem admittenti fuit necessarium. Quòd uerò dixit, Superfluens: melius (indicio meo) à Fuchsio uertitur, Aßiduè fluens, ἀεὶ ῥέον, quasi semper fluens: quod per morbi decursum fieri solet, intelligit magis significare morbum, id est (ut dixi) periculo- Aphor. 37. siorem & pertinaciorem. Sed uidetur Hippocrates sermonem generalem cõtrahere frustra, & maximè quia dictum superius est: Sudores frigidi cum acuta quidem febre. & ideo uideretur hic, quòd si sudor non esset multus, nec aßiduè flueret: quod etiamsi frigidus esset, posset non esse deterior calido. Respondeo, quòd intentio Hippocratis seu sensus est talis: Multitudo sudoris aßiduè fluentis, id est per multos dies, magnum semper significat morbum. nam significat materiæ multitudinem, cum non poßit esse decretorius, cum per multos dies fluat. Si tamen frigidus sit, maiorem etiam morbum indicabit, quàm si calidus sit. Timuit enim, quoniam dixerat significare morbum magnum, ne non distingueremus maiorem à magno. At dices: Meritò non dicit hoc Hippocrates, quòd uterq; significet magnum morbum. Dico, quòd siluit tanquam manifestum. Vel ex hoc intelligitur, quòd scriptum est secundo Epidemiorum: Sec. 2. Signa decretoria, quæ non decernunt, mortem aut difficilem indicationem significant.

APHORISMVS XLIII.

FEbres quæcunq; non intermittentes, tertia die maiores fiũt, magis periculosæ: quocunq; autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

COMMENTARIVS.

¶ Cum declarasset signa prognostica à sudore sumpta, transit ad signum sumptum à natura morbi. Omnis enim morbus aut intermittit, aut continuus est. Dicit ergo, Febres omnes quæ intermittunt, periculo mortis uacant: at earum quæ non intermittunt, maius est periculum, licet non sit necesse ut sint letales. Dubium autem est, an uelit omnes intermittentes periculo uacare, an solas tertianas. nam si omnes intermittentes intelligat, & quotidianæ, & duplices tertianæ, & tres ac quatuor quartanæ, sub periculo uacantibus continebuntur: si non, non uacabunt à periculo. Præterea solet adduci oppositio de quartana, cum scirrho lienis: quæ mortalis plerunq; est, maximè in senibus. sed hoc est ratione alterius morbi, illi iuncti, non solius febris. Esset & tertius sensus, absurdus omnino, ut Intermittere referatur ad Maiores fieri, uel solum Declinare: qui repugnat omnino his quæ uidentur. Melius autem est, ex primis duobus, propter emphasim orationis, in secundo sensu intelligere. Atq; hæc est causa, febres quæ tertia die exacerbantur, biliosæ sunt: atque ex humore biliosæ sunt, si intermittant,

necesse

necesse est ut materia tota singulis accessionibus extrudatur. Quare neq; admodū lenta erit, neq; admodum crassa: sic enim nō posset tota expelli. Itaq; cum talis sit, non poterit esse admodum diuturna: sed febris quæ diuturna non est, & intermittit aliquod, cum relinquat tempus restaurationi, quippe cum liber calor naturalis prorsus perfectè possit concoquere & assimilare: secundo de Facultatibus naturalibus. At si morbus Cap. 8. post medium, ubi de casu agit & bubone. *breuis sit, & ex natura febris & corpus possit restaurari, non poterit homo mori: quare patet demonstratio secundæ partis.* Et si obijcias ex Cap. 8. primo ad Glauconem, de Adolescente, *cuius tertiana post æquinoctium autumnale inceperat, & ante occasum Pleiadum, & liberatus est sub æquinoctio uerno, ut fuerit longissima: Respondeo, quòd illa tertiana, ut ibi testatur, non fuit intermittens, sed continua.*

Quas uerò uocet tertianas non intermittentes, Fuchsius quidem uidetur confundere continentem cum continua proportionem habente, de qua hic sermo principaliter est. Galenus inquam Cap. 2. secundo de Differentijs febrium inquit: *Continuarum, quæ ex flaua bile proueniunt, febrium duplex est species. Altera earum quæ Synochæ appellantur, quarum uniuersum tempus in una accessione cōsumitur, quæ à principio usq; ad finē pertingit: altera, quæ idem cū genere nomen sortitur, & cōtinua appellatur, quæ in pluribus proprijs ac particulatim factis accessionibus cōtinetur.* Inde paulo pòst habito sermone de prima specie, scilicet synocha (quasi continuò feruens) inquit: *Continuarum autem duæ sunt primæ differentiæ. nōnullæ enim sunt, quæ singulis tertijs diebus inualescūt: aliæ uerò, quæ intermedio die alteram faciunt accessionē, hæq; nullum propriè obtinent peculiare nomen. Cum quæ tertio die inualescant, ego tritæophyes quasi tertianæ naturā referentes, appellare cōsueuerim. Quæ uerò media die accessionē facit, nō uoco hemitritæū: nec tamen ueto, quin si quis ita uelit, nominare possit: modò tamen ut nullā febriū speciem, ut nunc ego facio, prætermittant. Deinde subijcit: Hæ igitur ex bilioso genere magis: quæ uerò singulo die accessionem faciunt, ex pituitoso. Est & tertia species febrium continuarum, quæ perrarò tamen eueniunt, quæ cum continuæ sint, accessiones habent quartanarum instar. Et sicut duplex fit aliquando, nonnunquam triplex: ita & huiusmodi quartanarum genus duplex triplex ue.* Inde etiam pòst docet, quòd sanguineæ febres, cum sanguis putrescit de generante sanguine uel in flauā bilem uel atram, Cap. 9. *fiunt putridarum duo genera.* Meminit & huius secundo de Morbis Hippocrates, in secunda spe- Pag. 13. cie febris biliosæ: & in libro de Ratione uictus Pag. 13. in acutis, licet periodum non apposuerit. Proponit & exempla huiusmodi languentium continua febre, quæ alternis diebus exacerbabantur. Ignoscendum illi esset, si res hæc rara foret: nunc pro continente una, uiginti liceat uidere huiusmodi febres. nescio qua ratione tam longè, rei quæ quotidie præ oculis habetur, exemplum petierit, nisi quòd adactus uerbis solis sensa auctorum non percipit, expersq; exercitationis sit. Sed si quæras, an etiam de hemitritæo intelligatur: Respondeo, posse etiam intelligi, & uerum esse quod dicitur ab Hippocrate. quare dictum generaliter erit intelligendum de omnibus continuis, quæ tertio die inualescunt, seu per exacerbationem. & de his propriè & primò intelligit, & uocantur continuæ proportionem seruantes à uulgo medicorum, seu per nouas accessiones, dicunturque à Galeno hemitritæi.

APHORISMVS XLIIII.

Quibus febres longæ, his tubercula uel labores in articulis fiunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Potest continuari præcedenti. Cum enim finem proposuisset acutarum, hic proponit longarum, uel cum illo lassitudinem habentibus in febribus, ut sit sensus: Seu præcedat lassitudo in febribus, seu febris longa sit, tubercula contingent, uel in articulis labores. Differunt tamen tubercula ab abscessibus, & abscessus etiam à laboribus: propterea præcedenti melius cohæret.* Habet Græca lingua φῦμα, id est tuberculum: πόνος, labor: & ἀπόστασις, abscessus: re autem differunt, *quoniam abscessus generalior est tuberculo. nam propriè de exterioribus tuberculū dicitur, quāuis etiam in pulmone tubercula oborta dicamus. Sunt etiam tubercula minora, quàm generaliter abscessus: labores autem, molestiæ quæcunque dici possunt. Et est, cum materia spargitur in concauis articulorū partibus, fit labor: cum colligitur, abscessus: uterq; cū dolore. Cum uerò in carnosa parte, & eminet, dicitur tuberculum, à similitudine tuberis, quod in terra nascitur: & exinde dicimus extuberata, quasi in similitudinē tuberis prominere. à φύομαι, quod est nascor,* dicitur

dicitur φῦμα. Est & alia dubitatio, an tubercula ad articulos referri debeant, ut sic legatur: Quibus febres longæ, in articulis tubercula aut labores fiunt. Hoc autem palàm est, non debere sic legi: quoniam, ut dixi, tubercula in adenibus aut carne, non articulis fieri solent. Valde mirabile est autem, quod cum alij expositores soleant etiam errantem excusare auctorem, Galenus non errantem accusat suo more Hippocratem, dicens: Non esse hoc generale, sed ut plurimum contingere: cum neque speciale sit, nec generale, sed coniunctum sequenti. Vt sic debeat legi: Quibus febres longæ, si pluribus utãtur cibis, tubercula uel in articulis labores fiunt. At dices: Cur non sic scripsit, sed primùm tanquam absolutè, Quibus febres longæ, his tubercula? Respondeo: Vt magis nos redderet attentos non ex ui morbi fieri, sed errore ægri uel suorum: propterea subijcitur,

APHORISMVS XLV.

QVibus tubercula uel in articulis dolores post diuturnas febres fiunt, ij pluribus utuntur cibis.

COMMENTARIVS.

¶ ἐκ πυρετῶν μακρῶν, adest in Aldino codice, cum Galeni expositione: in alio autem non adest μακρῶν. ut trifariã legatur. uel simpliciter, ut Gadaldinus legit, nescio ex quo codice: uel post febres, uel post diuturnas febres, quod etiã est iuxta Galeni mentem. Potest autem hic
Par.2.Aph. Aphorismus iungi illi, Non pura corpora quanto
10. magis nutries, tanto magis lædes, alijsq; duobus
8.15. ei proximis. Ex tuberculis aũt incolumiora sunt, ac minus uerẽda, quæ extrà extuberant, & acuta sunt fastigiata, & æqualiter maturescunt: non dura neq; bifida, sed deorsum uergentia, sexto
Sec.1. Epidemiorum. Nascuntur autẽ à pituita & sanguine, cũ uulnere aut casu collecta fuerint, libro
Pag.10. de Affectionibus. Alibi uerò repetitur Aphorismus. Causa autẽ huius est, quoniam cum morbus longus sit, & sanabilis, nõ cogitur natura eò detrudere materias, nisi ob malũ regimen: secus in acutis, cum materia eò sponte obrepat.

APHORISMVS XLVI.

SI rigor incidat febre nõ deficiente, ægro iam debili, letale est.

COMMENTARIVS.

Com.29. ¶ Suprà uidimus, quid hoc nomine Rigor significetur: nunc uidendum est quomodo fiat, nec simpliciter, sed apud Hippocratem ipsum. In
Pag.12. primo igitur de Morbis inquit: Rigor quidem in morbis fit, & ab externis causis, uentis, aqua, serenitate sub dio degentibus, & alijs huiusmodi. Fit & ab ingestis cibis & potibus: maximè uerò & uehementior fit, quum bilis & pituita sanguini permista fuerint, aut altera ex his, aut utraq;, magis autem, si pituita sola permista fuerit. Est enim pituita natura frigidissima, calidissimus autem sanguis: frigidior etiam est aliquanto bilis sanguine. Quũ igitur hi humores ambo, aut alter solùm permisti cum sanguine fuerint, ipsum congelant, non tamẽ omnino. Neq; enim uiuere posset homo, si sanguis frigidior ac densior seipso multis modis fieret. Frigescente igitur sanguine, necesse est totum reliquum corpus perfrigerari: & ubi huiusmodi quid factũ fuerit, Rigor appellatur. Et si quidem uehementior fiat rigor, fit etiam uehementior tremor. Nam dum contrahuntur uenæ sanguine & coacto & congelato, corpus etiã contrahunt, & tremere faciũt: si uerò minus aliquanto coactio fiat sanguinis, hoc rigor appellatur. Horror autem, est debilissimus rigor. Quòd autem post rigorem necessariò febris corripiat seu maior seu minor, sic habet. Hic uides ignauiam omnium expositorum, à Galeno usque ad hæc tempora: cum fieri non possit, ut Aphorismus iste ullo modo absque illis uerbis intelligatur. Si enim per rigorem intelligamus uehementem illum motum, qui à Galeno describitur, quomodo poterit æger esse debilis? ualidi enim motus à ualida facultate fiũt, & motus secundum locum nõ potest fieri à causa morbi. Placet autem quod dicit Galenus, atque animaduertit, si rigor incidat, id est perseueret. nam
infrà scribitur: A' febre ardente habito, rigore Aphor.58.
superueniente, solutio. Est igitur ac si diceret: Si rigor perseueret in febre, ut qui sit motus quidam à congelatione sanguinis factus nec febris deficiat, id est, nec tollatur nec aboleatur, letale est. Quod sic demonstratur (sed malè à Galeno, quia assumit falsum, ut dixi, scilicet agitationem uehementem aut ualidam: nos autem loco agitationis contractionem ac refrigerationem subijciamus. Si rigor assiduè, scilicet quotidie, aut etiam sæpius febrientem inuadat, nec febris minuatur, aut aliquid èxcernat æger, sicq; letalis erit morbus trifariàm: & propter motum illum contractionis sanguinis ad cor, ac refrigerationem eius: & propter excretionem ipsam, quæ uires debilitat, tum ratione motus ipsius & conatus naturæ, sicut in tenesmone uidemus: tum ratione eius quod educitur, ut sexta Aphorismorum uidere potes: Et demũ, quia
signa decretoria, quæ non decernunt, ostendunt 27. Com.

urium imbecillitatem. Quòd si nihil ex rigore excernatur, dupliciter erit malum: tum quia refrigerabitur sanguis, ut dixi, & contrahetur ad interiora: tum signi ratione, quia cum natura tentet, extrudere non potest. Accedit quod proponitur ab Hippocrate, scilicet febrem sequi rigorem. est enim initium alterius febris. Sic uides quanta manca sint in hac expositione Galeni, & aliorum eum sequentium: tam frustraq; rigorem Galeni expectant uidere in morituris, quàm Iudæi suum seruatorem.

APHORISMVS XLVII.

EXcreationes in febribus nõ intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, omnes malæ. Et si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per urinas, bonæ: si uerò non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Tria in præsenti Aphorismo docet, ad prædictionem opportuna. Signum, ab eo quod excernitur à facilitate & à iuuamento, & ideo est memorabilis inter reliquos: et coniungitur priori, quoniam ibi docuit de actione, quòd inutilis sit fermè semper: hic autem de excretione. Verùm prior ei continuatur.
43. Febres quæcunq; non intermittentes. interposuit autem illos duos, propter id quod diximus in Aphorismo illum proximè sequente, Tum magis decuit: quia, ut dixi, duo præcedentes hunc quem nuper exposuimus, sunt unus, non duo Aphorismi. Proponit autem quatuor genera, à quibus sumenda sit ratio eorum quæ excernuntur: color, & proponit liuidum pro exemplo: substantia cruenta: odor, ut sit fœtidus: & permistio, ut sit biliosa. Vnde patet Hippocratẽ genera, non species, nec ea properàm enumerasse. Hic uerò impudentem errorem Galenus admittit, legens coniunctim secundam partem cum prima. ac si dicat, Excreationes liuidæ, cruentæ, &c. tametsi malæ sint, si tamen bene exeant, bonæ. Quis hoc audiat sana mente, cum tales omnes etiam sic prodeuntes, aut saltem aliquæ, scilicet fœtidæ & liuidæ, letales sint: Atq; sic experientia semper didicimus. Præterea fuisset dictũ speciale, cum Hippocrates generalem efficiat doctrinam, hoc modo: Quæ excernuntur, an bona sint, trifariàm expendes ex illorum natura: mala enim semper mala, siue sint mala à colore seu substantia, seu odore, seu mistione. Ex modo quo educuntur: nam quæ facilè educuntur, ea ratione semper bona sunt, contrà mala: & ex successu, si ex his iuuatur æger, aut detrimentum recipit. Eodem modo exemplum de sputo ad urinas & excrementa amplificando traducit, quod generaliter in prima & tertia parte intelligendum est: ueluti si dicamus, Excretiones alui fœtidæ, cruentæ, biliosæ, puræ seu syncerae, liuidæ, malæ. Et ita etiam in tertia parte eam amplificationem declarat. Præterea animaduertendum est, in prima parte sic scripsisse Hippocratem, ut tam singillatim quàm simul posset intelligi. neq; ob id posuit duos colores aut duas substantias, ne existimaremus singillatim intelligendum. Vt sententia Aphorismi hæc sit: Excreationes in febribus intermittentibus qualitercunq; malæ fuerint seu colore, seu odore, seu substantia, seu permistione, seu etiam aliæ excretiones, malum significant. Eædem excretiones si facilè educantur, ea ratione bonæ sunt omnes. Et si iuuant, rursus bonæ: si non iuuant autem, malæ.

Consideranda sunt hîc alia quædam, quare dederit exemplum de excreationibus peculiare, nec dixerit euacuationes quæcunq;. Quis dubitat quòd non intellexerit etiam, cum peculiaris particula afficitur, ut in excreatione pectus, & partes in eo contentæ. nam euacuatio, quæ fit ex pectore, ad particulam unam attinet: urina autem & egestio ad totum corpus pertineat, & super febris materiam significant. Aliud quod in excreationibus, non poterat dicere nisi malum: quoniam bonæ excreationes in febre non sunt bonum signum, sicut nec urina in morbo laterali, sed impertinentia. Specialia enim signa in morbis uniuersalibus, & uniuersalia in morbis specialibus, non significant bonum, neque salutem: sed si mala sint, significare possunt mortem. Tertium est, quod quæ excernuntur, si non iuuant, malum significant, dicit Hippocrates: non obiter, sed profunda illa mente nos docens, quod non est necessarium ut noceant, ad hoc ut sint mala, sed sufficit ut non iuuent: quoniam interim & natura fatigatur, & non excernitur quod excerni debet, aberrante natura. Ex his patet, Galenum frustra in Commenti initio accusare Hippocratem, unde summam laudem merebatur: ipsum uerò uix quartam partem sententiæ illius intellexisse. Sed causa fuit nimia conscribendi celeritas, & confidentia in propria auctoritate, quæ persæpè facit aberrare claros uiros, & ut decipiantur in successibus rerum.

Porrò ut breuiter trãsigam modò per exemplum quæ dicta sunt de excreatione, deducendo in

do in species adducam ea quæ in Prognosticis
Pag. 5. scripta sunt: Sputum in omnibus doloribus, qui circa costas fiunt, & pulmonem, citò & facilè expui conuenit (hoc ad modum pertinet.) Et flauum sputo ualde mistum apparere (hoc peculiare est morbo pectoris, quia bonum, & ideo huc non pertinet.) Si enim lōgè postea post principium doloris expuerit quod flauum est, aut fuluum, aut quod multam tussim inducit, & non ualde permistum est, deterius est (hoc partim ad primam partem, partim ad secundam Aphorismi pertinet.) Nam et flauum meracum periculosum est, & album ac tenax, rotundumq; inutile est (hoc ad colorem & substantiam attinet.) Malum quoq; est, & quod uiride est ualde, & quod pallidum uel spumosum (hæc à colore rursus & substantia, non enim per spumosum saliuæ admistum intelligit: hoc enim salutis signum.) Si uerò ita fuerit meracum, ut etiam nigrum appareat, hoc ipsum deterius est quàm illa (& illud ad colorem.) Porrò quod addit, Omnia sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant: quæ uerò sedant, omnium optima sunt: ad tertiam partem Aphorismi pertinet illud, docens per hanc repetitionem contrariorum, præter solitum signum id esse constantissimum.

Verùm cur dixit, In febribus non intermittentibus: non ut credamus loqui de abscessu pectoris solùm, aut partium eius, ut quidā credunt. dixisset enim: Sed de qualicunq; materia ibidem collecta, seu abscessum faciente, seu non: ne fortè ex grauedine, quæ febrem continuam associare non solet, decipiamur. In his enim quandoq; & difficilis screatio, & fœtida, & mali coloris ac substantiæ, & quæ non iuuat nisi sub fine, contingit citra ullum uitæ periculum.

APHORISMVS XLVIII.

IN febribus nō intermittētibus, si partes exteriores frigidæ, interiores urūtur, & sitim habeat, letale est.

COMMENTARIVS.

¶ Scribitur hic Aphorismus alio modo, sed
1. non est omnino idem, septima Aphorismorum: In acutis morbis frigiditas extremarū partium, malum. loco intermittentium acutæ ponuntur: at cum ad non intermittentes seu continuas ponantur tres conditiones, in acutis tantùm una frigiditas extremitatum: manifestū est, si sermo congruus esse debet, oportere ut frigiditas extremitatū in acutis febribus tantū sit, quantum in alijs continuis febribus, si interiora urātur, & sitim habeat, at cū hæc adfuerint, febris continua acuta erit: igitur utroq; modo in febre acuta & non acuta hæc tria adesse supponuntur. Verùm non est hoc necessarium forsan. quia hic dicit, Letale: ibi, Solum malum. Et in Prognosticis: Caput Pag. 3.
& manus & pedes si frigida sunt, malum est: ubi & uēter & latera calida sint. hoc idem est, quod in septima Aphorismorū dicitur. Sed multum interest, dicere partes exteriores & extremas. ideo exteriores significant mortē, quia ubique calor retrocedit intus: non tamen in his, quibus extrema refrigerantur, quoniam senibus, et maximè longis hoc accidit, & tamen nonnunquam seruantur. Ex paucitate enim caloris naturalis, calor ad medium retrahitur, non ob solam uim inflāmationis. Hic ergo Aphorismus de morte est, illæ auctoritates de periculo: hic de omnibus partibus exterioribus, illæ de extremitatibus solis: hic de continuis omnibus, illæ de acutis solùm. hic supponit quod partes interiores urantur, & quòd sitim habeat: in illis neutrum. Verùm cum hæc adfuerint, ut iam dixi, plerunq; aut semper morbus acutus erit: ut prorsus sint similes, nullo modo eædem sententiæ.

μὴ διαλείποσι, ex sermonis ratione uidetur omnes continuas, non solùm simpliciter continuas complecti. nam quæ coagmentatis accessionibus non dimittunt hominē, sub hoc nomine, μὴ διαλείποσι, dicuntur: tum ratione differentiæ nominis. Cōtinuæ enim appellantur ab Hippocrate ξυνεχέες. aliud ergo synochæ, aliud non intermittētes. Vnde apparet, Galenum non rectè synochas definisse, seruata scilicet usus proprietate Hippocratis: qui (ut dictum est) sub his etiam puras continuas, quas proportionē habere diximus, comprehendit. Itaq; & in his, & in alijs quæ plurium coniunctione unam febrem efficiunt, uerum est quod in Aphorismo dicitur.

Dubitat autem Galenus, cur addiderit, Non intermittentes, cum in nulla intermittētium hæc accidant. nanq; dicit, Solum in pernicioso causone & lipyrijs hæc ista cōtingere uidentur: quasi uelit lipyrias toto genere esse letales. Lipyria enim, ut ipsemet refert secūdo Prognosticorum, Com. 4.
febris est acuta, quæ internas inflāmationes uiscerum subsequi solet: Aetius uerò magis propriè eas distinguit. Lib. 5. cap. 80. Cum enim erysipelas est in uentriculo, lipyria dicitur: cum in iecore, typhodes: cum in pulmone, crymodes, ut etiā Fuchsius recitat. Sed lipyria Principis est huiusmodi, l. 4. Trac. 2. cap. 50.
quod ad symptomata attinet, nec tamen fit ab abscessu interiore: sed est duplex. Vna à pituita, in hac non urūtur interiora: alia à bile crassa,

pauca, profunda difficultas est in nomine. Miratur Galenus, quare adiecerit, Non intermittentes, cum hoc includatur: quasi esset immemor, in omnibus tertianis in initio accessionis, & nonnunquam per plures horas interiora uri, exteriora frigere uehementer, & sitire clamosa siti, adeò ut querantur admodum tum de medicis: nec tamen febres illę letales sunt, imò à uitæ periculo uacant, si quæ aliæ. Ideo dixit, Non intermittentibus: ut intelligeremus, materiam non contineri in ulla cauitate, præcipuè in uentriculo, ubi hæc facere potest. Propterea melius fuisset quærere, quare cum dixisset, Interiora urantur: adiecerit, Et sitim habeat? uidetur hoc enim ex præcedenti sequi. Ob id respondeo, Hippocratem uoluisse excludere febres, quæ fiunt ex materia biliosa tenui, in profundo sita. nam in his non fit sitis, cum sitis fiat à terreo, ut etiam salsus sapor. Indicat igitur hæc signorum coniunctio, quam Galenus & alij medici uocant συνδρομὴν signorum, phlegmonem in uisceribus, & ualde magnum & acrem.

De Medico Cap. 8.

APHORISMVS XLIX.

IN febre non intermittente, si labrum, uel palpebra, uel superciliũ, uel oculus, uel nasus peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, iam debili corpore, quicquid horum euenerit, iam mors proxima est.

COMMENTARIVS.

¶ Et in hoc & sequente continuat sermonem de febribus non intermittentibus, quem etiam in tribus præcedentibus prosequutus est, ut frustra aliam cõtinuitatis rationem quærere sit. Hæc sententia habetur libro Prognosticorum his uerbis: Si retorta, aut contracta, aut liuida, aut pallida palpebra, aut labium aut nasus cum aliquo ex alijs signis, morti proximus est. hic uerò explicat, de imbecillitate uirium propriè. Nam si hæc accidant cum febre intermittente, ex genere resolutionis esse poterunt: hæc autem parum solet uires prosternere. Si igitur cum febre non intermittente huiusmodi accidant, conuulsoria sunt. At si uires imbecilles, tum ex natura febris, quam prauam esse necesse est, quæ & uires prosternat, & cõuellat partes anteriores, atque ideo neruos ex cerebro orientes, tum quia conuulsio adueniens imbecillibus uiribus breui occidit, necesse est utrisque causis signisq; iunctis mortem proximam esse. Atque hæc de primis quatuor signis. At si non audiat, nec uideat, hoc ad summam imbecillitatem facultatis animæ, quæ in cerebro est, pertinet: quæ non nisi sublata iam febre hominem superuiuere sinit. priora autem signa quandoque cum robore uirium, ad decretorium significandum pertinẽt. Vnde illud de Iudicationibus: Quibus in febribus coxarum dolor, & oculorum distortio, aut cæcitas, aut testium tumores, aut mammarum eleuatio, febrem ardentem soluit: aut etiam sanguinis ex naribus fluxus. Nam & illud in Coacis prædictionibus: Labium contractum alui biliosæ eruptionem significat. Surditas quoque, ut superius uisum est, biliosarum egestionum retentionem nullo malo signo consequitur.

Pag. 2. — Pag. 4. — Pag. 10. — Aphor. 28.

APHORISMVS L.

VBi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, letale.

COMMENTARIVS.

¶ Cum in præcedenti signa connumerasset à facultate cerebri sumpta, hic etiam de eisdem agit: sed seorsum in illo, in hoc simul duo signa complectens. Est autem quæsitu dignum illud, & à qua facultate spiratio fiat, & unde sumpserit Hippocrates signa imbecillium uirium? hoc quidem usq; nunc dilatum est, quod ad præcedentem pertinebat Aphorismum, quia sine priore dubio dissolui planè uix poterat. Ergo motum omnem tribuit Hippocrates cerebro medio spiritus, libro de Sacro morbo: igitur etiam pectori. Et quod per neruos docet in Mochlico his uerbis: Ossa corpori stabilitatem & rectitudinem ac speciem exhibent, nerui flexionem ac distentionem & contractionem. hoc idem in quarto Epidemiorum docet, & in libris de Fracturis atque articulis, dum illos cauere docet, & præcisorum damna refert. Neruos quoq; à cerebro oriri affirmat secundo Epidemiorum. At ibidem & in Mochlico seu de Ossibus, eisdemq; locis uolens hæc definire, docet quòd ad septum transuersum nerui è cerebro ueniant. par enim illud neruorum maximorum, quod sextum est cerebri, quodq; ad uentriculum, septum, iecur, pulmones, cor, renesq; uenit: Hippocrates tũ etiam aliud dignouit, & quòd motus esset à neruis, & nerui à cerebro orirentur. Similiter & singulare illud, quòd læsi conuulsaq; spinali medulla, omnia quæ inferius sunt membra læduntur. Iuuat autem uerba adducere ipsius Hippocratis, ne quid additum uel diminutum uideatur, ex secundo libro Prædictionum: Medulla spinæ si ægrotarit, siue ex lapsu, siue ex alia quauis causa,

Pag. 5. ibi, Qui uero ad uenas. — Pag. 5. In fine. — Par. 4. — Pag. 9.

,, causa, siue sua sponte, homo & cruribus impo-
,, tens fit, ut neq; si tangatur percipiat: & uentre
,, ac uesica, ut circa prima tempora neq; stercus
,, neq; urinam egerat, nisi ad necessitatem. Quum
,, autem uetustior factus fuerit morbus, non ur-
,, gente homine, & stercus prodit, & urina. Itaq;
constat pectus ipsum moueri à septo transuerso,
tum etiam à neruis, à medulla spinali exorienti-
bus. quod etiam apparet ex his quæ in libro de
Pag.22. Articulis, & in libro de Morbis scripsit. nimis
Pag.2. longum esset describere singula. Quod uerò ne-
cessarium cognitu est, motus necessitatem longè
aliam esse quàm facultatem ipsam. Si quidem in
Pag. 2. libro de Corde inquit: Cum enim considerasset
,, figuram solidam futuram ipsius uisceris propter
,, sanguinis effusi collectionem ac concretionem,
,, deinde attractorium ipsum totum uidisset: folles
,, ipsi apposuit, quemadmodum & fabri ferrarij
,, fornacibus solent, quo per ipsos spiritum appre-
,, henderet. Cuius rei signum est hoc, quod uideas
cor ex toto uentilari, aures autem illius priuatim
tum inflari, tum considere ac contrahi. Neces-
sitas igitur motus pectoris est à corde, facultas
autem à cerebro: quocirca Hippocrates usus
est hoc signo à respiratione sumpto, in digno-
scendo an facultates illæ uitalis atque animalis
afficiantur. Dico autem respirationem utranq;
amplecti facultatem animalem, & rationis &
motricem. Vnde cum de motrice dictum sit, de
ratione illud clarum est etiam, cum dixerit in
Pag.2. Prognosticis: Spiritus densus dolorem aut in-
,, flammationem significat in locis qui sunt supra
,, septum transuersum (hoc ad motricem uim ce-
,, rebri & neruorum pertinet.) Qui uerò magnus
,, expiratur & per multum temporis interuallum,
,, delirium indicat. (hoc igitur ad rationem.) Si
,, uerò frigidus è naso & ore expiretur (supple in
,, acutis) ualde iam perniciosus est. (hic propo-
,, nit causam illius esse cor.) Bonam autem spira-
,, tionem ualde magnam uim ad salutem habere in
,, omnibus acutis morbis existimare conuenit, qui
,, cum febribus sunt, & in quadraginta diebus fi-
niuntur. Nam si uel læsa facultate motrice uel ra
tionali ualde in cerebro, uel uitali in corde, ne-
cesse est spirationem non esse bonam: igitur si
bona sit, è diuerso necesse est omnes has facul-
tates illæsas esse omnino, aut parum. hoc est
quod tantum tribuit Hippocrates spirationi bo-
næ atque malæ, in prædicendo de morbis. Era-
sistratus autem, abnepos ex Aristotelis filia,
Hippocratis, pulsus rationem inuenit satis perfe
ctè: sed eam Archigenes, Agatinus ac Philoti-
mus mirum in modum exornarunt: in quo nihil
habet facultas animalis imperij, sed sola uitalis.
At Hippocrati sufficit, ut dixi, respiratio: illud
nos admonens, quod quæ in ea ad qualitatem
spiritus frigidi aut calidi, aut multi aut pauci uel
densi, omnia quidem ad uitalem pertinent facul-
tatem: quæ uerò ad raritatem & ordinem, ad ra
tionalem: quæ autem ad frequentiam cum par-
uitate coniunctam, & ad labores, ut cum omo-
platæ mouentur, cum pinnæ narium, cum totum
pectus mouetur, laborãtq; lacerti inferiores, ad
imbecillitatem facultatis motricis.

Hippocrates igitur signa debilis corporis ac ualidi cum quærit, ut in præcedenti Aphorismo, à solo motu corporis, & capitis præcipuè, accipit. Vnde Aphorismus ille non de imbecillitate uirium, sed corporis loquitur: quæ in illo casu sufficit ad mortem significandam. Est igitur imbecillitas corporis eadem, quæ uirtutis motricis, seu animalis. At cum de imbecillitate uirium loquitur, omnes tres facultates considerat: atq; in uitali respirationem, ut dixi, etsi totum corpus persrigeretur, nec recalescat: palàm enim est calorem omnem nostri corporis à corde proficisci. nam qui à iecore prodit, non tantus est, ut exterius sentiri queat. Atque hic duobus signis uitalem explorat. Animalem rursus à spiratione, ut dixi, & quod relinquitur à constantia rationis, motibus corporis & sensibus, ut sint quatuor iam, & cum signis uitalis sex. At naturalem facultatem nil aliud uult esse quàm calorem naturalem, cuius cum sint quinq; facultates seruiẽtes, & tres principales, scilicet nutrire, augere, generare: seruientes autem, appetere, attrahere, retinere, concoquere & expellere: omnes considerat operationes has. Sed principaliter eam quæ concoquit, pòst eam quæ appetit, inde quæ expellit. nam quæ attrahit, non est necessaria, nisi ratione operis, & rarò uitiatur: est igitur principalis ratione operis. si enim non trahat, non potest concoqui, & hac ratione est consideratione digna, sed rarò eò deuenitur, quia hoc fit per uillos, & uilli sunt communes omnibus operationibus, ut etiam Fallopius credit: & si non ita sit, parum refert hoc ad rem. Quæ uerò continet, facilè redit, facilè aboletur, ut in una die bis ac ter abeat & redeat in eodem membro uelut uentriculo. Igitur concoctricem maximè considerat, & eam ab excrementis primum materiæ morbi, ut in urinis & alui excrementis, pro morbis uniuersalibus, ut sunt febres: & pro morbis earum partium, ut excremento-

rum alui, pro uentriculo, iecore, mesaræo, eiusq; uenis, splene & intestinis: in urinis pro iecoris gibba, uenis omnibus quæ sunt ultra iecur, renes atq; uesicam: in sputis, pro his quæ in partibus sunt pectoris, affectibus. Secundũ signum sumit ab appetendi facultate, ut etiam in Aphorismo illo secundæ Particulæ:
33. In quouis morbo mente constare, ac bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrariũ uerò, malum. Vbi geminatio illa ab Hippocrate facta (ut dixi) semper uehemẽtiam signi indicat. Et est ac si diceret, Valde bonum & ualde malũ. Ideo dici potest meritò quadruplicatio. nam si dixisset solũ Bonum, non intelligeretur de contrario, quod esset malũ. Et similiter si dixisset, ualde bonum: duplicasset uim significati. Modus hic loquendi significat, & quod hoc ualde bonum sit, & contrarium ualde malum. Et in morbis perniciosis ac pestilentibus maximè idẽ obseruat, ut in tertio Epidemiorum, libet autem uerba nimis congruentia proposito adducere. inquit enim ibi: Magnum autem malum & hos & alios comitabatur, cibi fastidium, uelut præscriptum est. nam neq; potum cum cibo libenter sumebant, sed ualde sine siti degebant.

Pag. 8. parùm ante ægros ultimos.

Itaq; auersari cibos in morbis per se, ob humores prauos contingere potest, atq; sic malum est: sed tamen non ualde, cum plerisq; id contingat. at si sine siti sint, hoc est deterrimum, cum indicet appetẽdi facultatem prorsus extinctam. Et humor enim & febris sitim augere solent. Abhorrere ergo cibos, & ualde sitire, non potest esse indicium extinctionis facultatis appetendi, quandoquidem una sit radix appetẽdi cibum & potum. si igitur potum appetunt purgato corpore, spes est posse appetere cibum: at extincta siti, ostendit facultatem esse sublatam. Est autem id, cum nec appetunt cibum nec potum, nec oblatos recipere uolunt: & si cogantur, potum tandem assumunt: cibum autem adeò fastidiunt, ut omnino auersentur. Quòd si oblatos assumunt, delectanturq; ex assumptione aliquorum ciborum, quos sibi deligunt, quamuis antea non appetant, indicium est hoc solum impedimenti facultatis, non autem abolitæ seu defectæ. Hæc autem in pueris & infantibus, quæ ad cruditatem & appetendi defectum pertinent, pessima sunt: minus mala in senibus, quia pueri & infantes melius, imò optimè concoquere & appetere solent.
14. Prima Aphorismorum, & in Prognosticis, cum dixit, Aquosæ autem urinæ in pueris pessimæ sunt. Sic & excerni aliqua sub coctionis fine, & uim expultricem ualidam esse, bonum: in totum conquiescere, uel nimis fatigari, malum est, præsertim in iuuenibus, in quibus hæc facultas solet esse robustissima. Hæc igitur sunt tria signa, quæ sumuntur à naturali facultate ab Hippocrate, quæ cum alijs sex iuncta sunt nouem. Quo demiror ualde de Galeno, qui has facultates seruientes statuat tantum quatuor, cum sint quinq;, & omittat secundam in ordine nobilitatis, cum uideat tanti æstimari ab Hippocrate.

Pag. 5.

Quòd si quis dicat uolẽs illũ tueri, quòd eadẽ sit cum attractice: nihil minus. uidemus enim quosdam, qui optimè appetunt, & glutire non possunt, sicut ipsemet Galenus in Methodo narrat, de eo qui post multam sitim ac magnam, confertim hausit quantitatem aquæ frigidæ multam. alij rursus bibere possunt, & glutire, sed auersantur cibos omnes ac potus. Adeò uerò est manifesta distinctio inter unam & aliam, ut non sit dubitandum. Et si dicat, quod non sit facultas, quia nõ habet opus. Imò habet, & est ipsum appetere. Et si dicat, quod non sit operatio, sed sensus, fateor quod est sensus: & uitium illius est symptoma, & causa eius morbus, sicut etiam uitium in concoctione uel retentione. Et si dicat, quòd illæ facultates sunt communes toti corpori, hæc soli uentriculo: & ideo descripsit facultates solum communes toti corpori, & hæ sunt tantum quatuor: Dico quòd hæc facultas, licet sit euidentior in uentriculo, est etiam in toto corpore: nec minus communis aut necessaria, quàm attrahendi uel retinendi. Et hoc ipsemet fatetur primo de Symptomatum causis. Ex quo sæpe adducor in opinionem, quod hic uir non tantus esset, quantum illum existimauit posteritas, & quod integras paginas ex alijs auctoribus transcripserit in suos libros sine aliqua examinatione, sine aliquo iudicio. imò nec ipse id fecerit, sed per anagnostas fieri curauerit. quod palàm est fecisse in libris illis de Dogmate Hippocratis & Platonis, in libris de Pulsibus, in Anatomia: in quibus sanè longè plura corrupit, quàm utiliter addiderit. Nanq; quomodo potuisset eum latere hæc facultas, si Hippocratis dicta toties, si rationem ipsam pensitasset? Hæc non dixi, illius inuidens gloriæ: sed ut quorundam pertinaciæ obstem, qui malunt res ipsas periclitari, quàm unius auctoris, quem sæpe etiam non intelligunt, paucula uerba, forsitan etiam uitio uetustatis, uel alia causa deprauata. Nam quod etiam de ui discernente ac separante additur ab Auerroe, ut sic essent sex, non probo: & fuit ambitio potius quædam

Lib. 7. c. 1.

Cap. 7.

dam Auerrois, quàm utile inuentum. est enim quæstio de solo nomine. nam trahendo solùm quod utile est, separatur utile ab inutili, & ita concoquendo semper fit maior separatio. nam naturalis calor partem utilem concoquit, inutilem autem præternaturalis: ideo quanto diutius in coctione proceditur, tanto partes illæ substantia fiunt dißimiliores. quæ autem dißimilia sunt, sponte separantur: sicut quæ similia, in unum coguntur, ut non sit opus hac uirtute discernente, cuius neq; signa languentis neq; causæ neq; cura apponuntur ab Hippocrate. at uirtutis istius appetendi ubiq; sunt manifesta opera, signa causæq;, si uitietur & cura non solùm ab Hippocrate, sed etiam ab ipso Galeno, cæterisq; omnibus medicis.

Nunc ergo his uisis, sententiam Aphorismi, quæ iam perspicua erit, breuiter exponamus. neq; enim quæ diximus, declarando operam inutilem præstitisse opinamur. Dicit igitur, δύσπνοια cum habeat duo significata, generale & proprium: generale est, cum aliqua spirandi non naturalis differentia supponitur, quæ est

Par.2. multiplex, ut habetur sexto Epidemiorum: Spiritus parui, densi, magni rari, parui rari, magni densi: extrà magni, intus parui: intus magni, extrà parui: alius extendens, alius urgens: dupla intro reuocatio, uelut super inspirantibus calidus, frigidus. Et sunt decem. Galenus uerò, ut

3. de Diff. spirandi, capite 3. solet, multis uerbis non rem expedit. Dictum est autem de his suo loco. Dupla reuocatio est, ut in flentibus. bis enim aut sæpius intrò reuocant spiritum: qui uerò extrà magni sunt, intus parui, sunt morientium. magna enim extensione pectoris paruum hauriũt spiritum. At quæ propriè difficultas spirandi dicitur, adhuc duo habet significata: proprium, & est cùm quis uidetur non posse trahere spiritum: generalior est, quæ δύσπνοια & ἆσθμα, id est anhelitus creber (qualis his qui cum labore montem celeriter ascenderunt. coguntur enim anhelare multùm, etsi non patiantur in respirãdo difficultatẽ) & ὀρθόπνοια, cum quis non potest nisi recta ceruice spirare. atq; hæc similiter duplex est: alia è genere crebræ spirationis, alia impeditæ. Differunt crebra & impedita, quòd in crebra homo non timet ita statim mori: sed in impedita uidetur sibi mors impendere, quia non in operatione, sed in defectu sentit noxam: in asthmate autẽ, in operatione. Videndũ est igitur de qua difficultate spirandi intelligat Hippocrates. & palàm est quòd non de illa intelligit, quæ solùm ab ægro dignoscitur, cũ iam delirare ipsum præsupponat, sed ea quæ à medico. At cum dixit, in febre non intermittente, & in delyrio: uult difficultatem spirandi uel in causa esse delyrij, ut in abscessu septi transuersi: uel saltem iunctam, & uocatur Birsen ab Arabibus: aut delyrium difficultatis spirandi ob obliuionẽ, cum sit motus uoluntarius, ut in omnibus cerebri absceßibus: quare res ad abscessus cerebri et septi transuersi deducitur. Et tertiò, cum in pestilentibus febribus plerunq; post longas uigilias iam adeò uitiatũ est cerebrum uel membra spiritus, & maximè pulmo, ut æger suffocari uideatur. Liquet aũt, quòd hæc omnia letalia sunt. hoc autẽ ultimũ non solùm letale est, sed etiã letalißimum. Sufficeret autem spirandi difficultas, si non ex destillatione prouenire posset: quare delyrium addidit.

APHORISMVS LI.

IN febribus abscessus qui ad primas iudicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.

COMMENTARIVS.

¶ Cum scripsisset signa letalia, adortus signa mala, ut longitudinis, magnitudinis, ac taliũ: & signa etiã bona, ut salutis: aut quod in melius mutari debeat morbus, et perseuerat usq; in finẽ: neq; enim est ullus Aphorismus uel de morbo letali, uel de curatione, sed solùm de signis bonis aut malis, aut pathognomicis. Quare non est ut laborem de continuatione in singulis, quamuis etiam singuli propriam habeant ad præcedentem continuationem: sed ut etiam aliquid lectori relinquam, omissurus sum eas, tum præsertim, ne nimis extendam hæc Cõmentaria: & quod in Galeno & Brasauolo damno, id etiã uitiũ ego alios accusando subeam. Ergo ut ad rem redeam, hunc Aphorismũ Galenus cum dixit adeò esse facilẽ, ut interpretatione nõ indigeat, & nec Hippocrate dignus uideatur: clarum est omnino nõ intellexisse. Ideo isti adeò Galeno addicti considerẽt, quàm frequẽter, & in minimis cæcutiat: et quod deterius est, Hippocratẽ perperàm accuset. Sententia igitur ardua est, sensusq; illius est: Cũ in febribus abscessus fiunt in prima iudicatione, nec soluunt, significant longitudinem morbi. Potest enim habere tria significata. Primum, ut superueniens abscessus primæ indicationi non soluat febrem. Secundum, ut sit abscessus cum febre iam, & disrumpatur, nec soluat febrem: & hoc est minus uerisimile. Tertium, ut liberetur ab ascessu: & hoc etiã ualde minus uerisimile. Rationes non adduco, ob longitudinem nimiam uitandam:

*quomagis demiror, quomodo cum tot interpre-
tationibus Galenus potuerit dicere, esse per se
clarum, quod est obscurissimum. Ratio igitur est,
si in febre superueniat abscessus, qui non iudicet
ad primam iudicationem, cum dies iudicatorij fi-*
Sec.3. ante aegros. *ant processu temporis rariores, ut in primo Epi-
demiorũ habetur, dum sic connumerat illos: Est*
„ *autem primus iudicatorius ex circuitibus diebus*
„ *paribus iudicãtibus, quartus dies, deinde sextus-*
„ *decimus, decimusquartus, decimusoctauus, uige-*
„ *simus, uigesimusquartus, uigesimus octauus, tri-*
„ *gesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexa*
„ *gesimus, octuagesimus & centesimusuigesimus.*
36. *Et suprà etiã in Aphorismo. Alia causa est, quod
cum fiunt iudicationes per abscessus, signum est
contumaciae materiae, ut ipse Galenus testatur*
Cap.2.3. *secundo de Crisi. Si ergo non finitur febris, non
tota materia in abscessum detrudi potuit: relicta
est ergo pars contumacior. si igitur materia quae
in abscessu est, non poterat aliter euinci, quan-
to minus illa quae non potuit ob contuma-
ciam eò detrudi: atque ita morbus erit longissi-
mus. Huiusmodi exempla plura habes in primo*
In fine. *Praedictionum.*

APHORISMVS LII.

QVicunque in febribus uel alijs morbis ex uoluntate illachrymant, nihil absurdum: qui uerò non ex uoluntate, absurdius.

COMMENTARIVS.

¶ *Hic rursus Galenus uult emendare Hippocratem, quòd dixerit absurdius comparatiuè, sine positiuo: deinde corrigit excusando, nõ fuisse errorem Hippocratis, sed librarij mendum, & ita uult ut legatur Absurdũ. Quae lectio et emendatio & modus loquendi est absurdus & inusitatus: sed debet legi, ut iacet. comparatiuũ enim positiuo succedẽs auget: sed negationi positiui est minus quàm positiuum, & significat leuem affectionem. ut, Ille non est eruditus, alter est eruditior: id est, Non eruditus, sed aliquanto magis eruditus, quàm si nihil prorsus sciret. Erubesco uices Galeni, qui cum de Grammatica libros conscripserit, grammaticique insignis filius fuerit, in his friuolis adeò hallucinetur. Quid hoc est aliud, quàm ut uoluerit declarare lachrymas esse signum, uel neutrum & indifferens, cum sunt cum causa & sine causa, etiam non multum malum. Habet & aliud comparatiuum sine positiuo, quo à positiuo differt, ut possit significare & comprehendere superlatiuum, adeò ut multis sine causa lachrymae profluentes exiguum malum significẽt: quibusdam etiam mortem praesentem. Vxori enim meae Luciae Bandarenae, cum ex fluxu obierit seu diarrhoea, fluxere ubertim lachrymae per tres horas ante obitum. In quarto E-*
Pag.9.
pidemiorum scribitur sic: Qui quidem uolentes «
lachrymantur, non malum est: quibus autem in- «
uitis lachrymae profluunt, malum. Et rursus in Par.1.
sexto: Lachrymae in acutis malè habentibus, «
ultroneae bonae: inuoluntariae uerò defluentes, «
malae. Hic uoluntarias bonas esse dicit, quia signum sunt metus & cognitionis, & cerebrum purgant, indicantque non ualde esse exsiccatum: et in hoc Aphorismo & quarto Epidemiorum, sufficit ei non malas dixisse: quia haec quae significantur ac praestantur, parua sunt. At dices: In libro Prognosticorum uult, quòd in- Pag.1.
uoluntariae lachrymae sint etiam exitiales. Dico quòd in acutis ibi loquitur, hic generaliter. propterea dixit Absurdius, ut posset extendi usque ad letale. Ita tamen intelligendum est, ut non sit ante iudicium in ardente febre. nam tunc si nullum sit prauum signum decretorij, & per fluxum sanguinis narium indicia sunt: ut primo Epidemiorum habetur. Porrò cur Pag. 7. seu
lachrymae inuoluntariae profluant, nec illud const.3. pa
ab imbecillitate continentis facultatis, bene gina 3.
dictum, si quidem ibi eas esse oporteret iam prius. Verùm cum celebrum non sit uerisimile esse humidum, indicium est ardentis uaporis ad illud transmissi, & colliquantis cerebri humidum: cum uerò facta est lachryma, uix contineri potest. ut apparet in pueris uerberatis, flere erubescentibus. nam & in illis prae dolore calidus uapor è corde ascendit, qui in humido cerebro facilè excutit lachrymas: ita ex corde & ad lachrymas, & ad Venerem, & ad impetum irae, & pudoris & timoris principium & substantia emanat.

APHORISMVS LIII.

QVibus in febribus circa dentes quidam lentores nascuntur, his uehementes fiunt febres.

COMMENTARIVS.

¶ *Scribitur & hic Aphorismus post praecedentem, quarto Epidemiorum, ut hic. sed à Gale-* Pag.9.
no redditur causa, non tamen clara. Si enim hoc est propter caloris uehementiã, cur nõ omnes febres uehemẽtes hoc faciũt? neque distinxit, an futuras tales praeiudicaret: non igitur ob caliditatẽ hoc signum apparet, cum nondum caliditas tan-

ta in

ta in illo fuerit, aut iam præteritas: atq; ita erit ſignum, ut aliàs dixi, ἀναμνηστικὸν. Itaq; hoc ſignum & ob uehementiam caloris febrilis &, materiæ lentorem eximium, & redundantibus uaporibus ad ſuperiora, ut cum ſoleant afficere linguam, maius eſt, etiam ſi dentes attigerint. itaque & præteritarum & futurarum exacerbationum huiuſmodi ſignum uehementiæ eſt, ſed diuerſa ratione. In his autem ſeceſſu temporis dentes ſicci fieri ſolent. Sed & quod addidit in quarto Epidemiorum: Et hiare fixis oculis, malum. Quaſi indicet, dentes, quod uerum eſt, contrahere eum lentorem ob hiatum. qui enim aperto ore dormiunt, hos contrahunt: febres autem ualidæ cogunt hiare ob uehementem calorem, qui efflatur. ita triplici cauſa fient hi lentores: & calore febrili ualido, & uaporibus feruentibus per os delatis, & ab aere exteriore hiante ore.

APHORISMVS LIIII.

QVibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter iritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum ſiti infeſtantur.

COMMENTARIVS.

Par.2. ¶ Hic Aphoriſmus recitatur ſexto Epidemiorum, hoc modo: Tuſſes ſiccæ parùm iritantes à febre ardente, non pro ratione ſiticuloſæ: neq; linguæ torrefactæ, non feritate, ſed ſpiritu. In hoc loco docet id plus, quod neq; linguæ ſiccæ ſunt. ea enim ratione qua humectantur ut non ſitiant, etiam non torrentur linguæ. Sed cur dixit, Leuiter iritantes? quia ualidæ tuſſes poſſunt accendere febres, & concalefacere pectus ob uehementem motum. Sed cur adijcit, Non feritate, ſed ſpiritu? Quia, ut bene ibi Galenus exponit (qui utinam hos Aphoriſmos tam appoſitè declaraſſet, ut Epidemia, nos excuſaſſet ab hoc labore) quoniam ſunt quædam tuſſes ſiccæ malignæ ſeu ferinæ, quæ ſitim non extinguunt, ut in tabidis & eryſipelate pulmonis: ſiue ex empyemate, ſiue ex aliquo ulcere ſeu praua deſtillatione: ſed oportet ut ſit tuſsis, quæ ſolùm à ſpiritu excitatur, non ſit autẽ ferina. Vt autem ſciamus eam dignoſcere, ſubijcit: Conſtat id inde. cum enim loquuntur aut hiant, tunc tuſsiunt: cum uerò non, minimè. hoc autem in febribus ex laſsitudinibus obortis maximè contingit. Declarat quæ ſint tuſſes à ſpiritu excitatæ, & dicit: Illæ ſunt, quæ cum quis loquitur aut ore hiat, excitantur: aliter, ſi homo clauſum teneat os, non infeſtant. Et dicit quòd tales febres plerunque è laſsitudinibus ſunt excitatæ, quod Galenus experientia deprehendiſſe affirmat. Cauſa uerò huius eſt, quod ex tali tuſsi trahitur aliquid pituitæ ad locum, ex quo humectatur lingua & os uentriculi. Sed hæc reſponſio Galeni eſt ualde languida. nam primùm, cur ex modico potu id non magis fit? Deinde cur accipit Hippocrates tuſsim ſiccam, non humidam potius? Demùm cur adiecit: Hoc autem in febribus ex laſsitudinibus obortis maximè? Propterea dico, quòd hoc eſt ex natura febris, & attractione etiam aeris frigidi frequenti, quæ fit ex tuſsi. Tales enim febres obortæ ex laſsitudinibus, iunctæ ſunt cuidam leui deſtillationi, quæ uenas ingrediens, magna ex parte cohibet tuſsim. Cæterùm hoc dictum eſt ab Hippocrate, quoniam meminerat ſcripſiſſe ſe in libro de Ratione uictus in acutis, Pag.13. quòd febris ardens primi generis uehementem habet ſitim: non ita ſecundi generis, cum qua plerunque tuſsicula illa aſſociari ſolet. Memineris autem, quòd in ſexto Epidemiorum ſcribitur: Quòd tales febres plerunque ad articulos decumbunt, ſi cum leui tuſsi iunctæ ſint. Par.7.

APHORISMVS LV.

EX bubonibus febres omnes malæ, præter diarias.

COMMENTARIVS.

¶ Hac in parte Fuchſius adeò appoſitè exponit, ut nihil melius: utinam ſemper ſic, & nos ab hoc labore, & ſeipſum uindicaſſet. Sed rara apud illum auis, & melior tamen rara quàm nulla. Ex ſexto igitur Epidemiorum hic Par.2. Aphoriſmus declaratur, dum Hippocrates hæc dicit: Abſceſſus, uelut glandularum tumores, ſignum quidem ſunt earum partium, quæ germina habent: ſed & aliarum, maximè uerò circa uiſcera. maligni autem hi ſunt. Sed & ſuo more addidit, quæ ab Hippocrate non dicuntur: credo ut quis dicere poſsit ſecurè, nihil in tota Aphoriſmorum expoſitione ſani dixiſſe. nam ſi nihil addidiſſet, hoc dici non poterat uerè. In ſumma, demonſtratio eſt hæc, & non qualem proponit Galenus. Externi bubones non poſſunt ob diſtantiam à corde febres producere alias, quàm diarias. Ergo ſi producunt, non ſunt puri abſceſſus externi, ſed germina internorum: at interni abſceſſus ſi in uiſceribus ſint, letales ſunt: ſi non, ſunt profundi, & periculum eſt ne antequam matureſcant, penetrent intus, & oc-

cidant. Sicut perijt frater egregij Iurisconsulti, amici nostri, Angeli Crucei, ex medicorum imperitia, & inscitia interpretationis huius Apho- Par.3. *rismi. Nam ut iubet Albucasis, debent tales abscessus scindi ante maturitatem: quia cum febris esset continua, erat profundus, dicit Albucasis: Si abscessus sit profundus, & excideris ante maturitatem, non poterit intus penetrare: & licet sanatio sit difficilior, maior tamen est utilitas iactura. Quòd si abscessus sit externus omnino, nec profundus, & febris ad eum putrida, erit pestilens, aut ex lue Indica, ideo malignus.*

Quod docet Galenus loqui Hippocratem de succedenti febre, aut simul adueniente, uerum est, necessariumq; scitu. Atq; utinam tam etiam admonuisset de hoc, quòd febres istiusmodi diariæ dicuntur, non ob hoc quòd una tantùm die durent (hoc enim raró accidit) sed durant pluribus diebus una alteri succedente. Verùm à natura febris, cuius proprium est habere urinas coctas, pulsum æqualem, sine rigore ac tremore, uehementiq; agitatione ulla incipere, sine dolore capitis ac siti ualida, & sine oris amaritudine: finiri cum rorida humectatione, laßitudine carere. Calor quoq; suauis est, & contractio pulsus non celer neq; crebritas, adest sola magnitudo, & distentionis celeritas, ascenditq; continuè ad suum statum sine anfractibus ac re- Cap.7. *ciprocationibus, ut ex Galeno primo de Diffe-* Cap.5. *rentijs febrium habetur. Docet autem differentiam febris Ephemeræ ex bubonibus à febre putrida. nam in utroque putredo est origo febris: sed in Ephemera solus calor ad cor peruenit, non uapor, in putrida autem etiam uapor.*

APHORISMVS LVI.

FEbricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malũ. prorogatur enim morbus, & multam significat humidam substantiam.

COMMENTARIVS.

¶ *Dictum est in superioribus generaliter, quòd signa decretoria quæ non decernunt, mortem aut difficilem indicationem significant, ex* Par.1. *secundo Epidemiorum. Et suprà, sudor multus, „ calidus aut frigidus: frigidus magis, calidus mi-* Aphor. 41. *nus significat morbum. Sed liberemus prius Hippocratem à Galeni accusatione, qui cum dicat oportuisse sequi illum Aphorismum, non adducit differentiã inter hunc & illũ. nam hic loquitur de sudore in comparatione ad morbum, ibi autem ut distinctionem multi frigidi à multo calido declaret. At hic, cum, ut dictum est, intendat docere, signa quæ mediocria sunt, aut bona aut pathognomica: ibi uerò cum egisset de sudore frigido, qui ut plurimùm perniciosus est: manifestum est nec hunc Aphorismum illum sequi potuisse, nec Galenum ordinem procedendi Hippocratis animaduertisse. Videamus igitur in quo hic Aphorismus differat ab illo suprà adducto, quantum ad eam partem in qua loquitur de sudore calido. Et clarum est, quod ibi loquitur solùm de substantia sudoris copiosa, hîc uerò de natura temporis in quo superuenit. Et construitur ratio sic (aliter enim plenè illius interpretationem docere non liceret:) Sudor qui non soluit morbum, non est criticus: & decretoria quæ non decernunt, mortem aut difficilem ostendunt iudicationem: igitur sudor qui aduenit non deficiente febre, aut mortem, aut difficilem ostendit iudicationem. At cum loquatur in morbis sanabilibus, significabit solùm morbi difficilem iudicationem, non mortem. Non præsupponit ergo, esse multum, quia primò id dictum est superius in alio Aphorismo: & quia significaret magnum morbum. hoc autem non præsupponit, & ita patet qualiter à superiore Aphorismo differat.*

Relinquũtur modò tres dubitationes. Prima, cur specialiter repetat, quod generaliter alibi scriptum est. Secunda est de sudore indicatiuo: tertia, quare addiderit, illud significare multam humidam substantiam. Dico ergo ad primam, quòd propter duo id addit: quia tametsi omnia signa decretoria cum non decernunt, difficilem ostendant iudicationem, illud tamen magis in sudore contingit. quodsi particulatim effluat, malus sit: si per totum corpus, debilitat ægrum. Nam in sudore duo sunt necessaria, quod generetur & emittatur: in alijs, utpote uomitu, secessu, sanguine narium, ut emittatur solùm. Præterea ob id quod addiderit significare multã substantiam, quod non conuenit alijs purgationibus. Quòd hoc non sit commenticium, apparet. nam alia signa decretoria, quæ non decernunt per se, non significant nisi morbi longitudinem, hoc autem illam etiam abundantiam humidæ materiæ: & ideo dicit malum, cum in alijs solùm difficilẽ iudicationem. Quare uerò significetur copia multæ materiæ humidæ, est causa: quia quæ expelluntur, aut concocta sunt, & hoc non (nam febris deficeret) uel ob consuetudinem naturalem, ut urina & egestio: id non contingit de sudore, cum sit res præter naturam, aut quia irritat acuitate: nec hoc in sudore, cum sit

in uenis

in uenis, & uictus à natura: ergo relinquitur, ut expellatur ob multitudinem. Et quia fit ex substantia tenui, ideo significat abundantiam humidæ materiæ, id est liquidæ non potẽtia, nam plerunque biliosa erit. Ad reliquam dubitationem respondeo, quòd illa doctrina Galeni de signis indicatiuis, posita tertio de Crisi, quã adeò
Cap. 3. & 4. in princ. extollit, non est ad mentem Hippocratis: qui cum numerauerit quadraginta duos ægros in
8. Languẽs tertio Epidem. ex ul. primo & tertio Epidemiorum, ne unum quidem inuenies, cui fuerit crisis per sudorem indicata, & pòst morbus finitus per sudorem. nam Anaxion etsi sudauit in uigesima, & liberatus est in trigesimaquarta per eundem, non fuit tamen prior sudor indicatiuus secundi, sed crisis imperfecta, ex qua cessauit etiam febris prorsus.
10. Lãguẽs, ibidem. Et similiter Nicodemus, etsi sudauit in uigesima, & liberatus est in uigesimaquarta per eundem: non tamen prior fuit indicatiuus, sed criticus imperfectus. subijcit enim Hippocrates: Visus est sibi liber à febre esse. Et etiam esset contra Hippocratem hic, quia non significasset morbi longitudinem, cum sit sanatus quatuor
Vide 7. cõtrad. 1. pòst dies. Ideo doctrina illa Galeni de indicata crisi, quòd ad euacuationis similitudinem tota falsa. Imò ex omnibus illis ægris, qui ibi numerantur, omnes fermè alio modo iudicati sunt, quàm fuerit signum in die indicatiua. Vt si in die iudicatiua fluxit sanguis è naribus, liberatus est languens per fluxum alui: & si in die indicatiua fluxit aluus, liberatus est per sudorem, & ita de alijs. sed plerisque nihil effluxit in die indicatiua. Memento etiam quod in morituris hic Aphorismus de longitudine morbi ueritatem non habet, nec loquitur de his Hippocrates. nam, si morituri sint, abundantia multæ humidæ materiæ, quã dicit significare, facit ut citò pereant.
1. Lang. Sic primo Epidemiorum non solùm Philiscus, qui frigidum sudauit in sexta sudorem, ipsa die
2. Lang. mortuus est: & Silenus, qui in sexta & octaua, & ipse frigidum sudauit sudorem, in unde-
8. Lang. cima mortuus est: sed etiam Erasinus, qui calido sudore sudauit, in quinta tamen obijt.

APHORISMVS LVII.

QVi à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente, liberatur.

COMMENTARIVS.

¶ Quomodo intelligenda sint uerba conuulsionis atque distentionis, & in quo differant apud Hippocratem, & quantum in eis Galenus interpretando deliquerit, in sexto libro docebimus. Superius quoq; declarauimus, febrem Aphor. 37.
conuulsioni melius esse ut superueniat, quàm conuulsionem febri, & cur. In libro de Decre- 2. Aph. 26.
torio hic idem Aphorismus describitur, & cum In fine.
conuerso, scilicet quod conuulsio adueniens febri, illam soluit intra tertium diem. Sed hoc non tam generale est: sed intelligitur solùm de febre, quæ nuper hominem inuaserit: hic uerò Aphorismus generalis est. etenim si febris conuulsioni aut distentioni superuenit, & signum est protrusam esse materiam extra cerebrum in conuulsione, & extra neruos in distentione, & ob febrem incalescunt hæc eadem membra, & materia cruda cõcoquitur, & eius pars tenuior digeritur: quamobrem tot modis necessarium est conuulsionem illam seu distentionem finiri. Apparet autem, quòd cum uterque morbus per se letalis sit ualde, & ualde acutus, cum excitet febrem, mutationem facere in melius. neque enim minores morbos excitare solent, qui maximi sunt, præcipuè contrarios, nisi natura duce. Quæ uerò Galenus dubitat de distentione, an sub conuulsione contineatur, & Brasauolus ac Fuchsius, & inaniter, distorquentur: omnia proueniunt ex ignoratione eorum quæ à nobis dicta sunt in Aphorismo illo sextæ Particulæ: quæ repetere non decet, ne bis eadem dicamus, præsertim hìc.

APHORISMVS LVIII.

A febre ardente habito, rigore superueniente, fit solutio.

COMMENTARIVS.

¶ Rigor, est perfrictio dolorifica, cum quadam totius corporis agitatione atque concussione. hæc, inquam, de Rigore morboso, libro Cap. 6.
de Rigore habet Galenus. quòd si magnus sit, non solùm concutitur homo, sed etiam uibratio fit. Et in secundo de Symptomatum causis in- Cap. 2.
quit: Qualis motus palpitatio est, paucus, tardus, rarus: talis est rigor, numerosus, celer, & creber: sed non omnino præter naturam totus est rigor, uerùm ut tremor, imò si uera fateri uolumus, est motus expultricis facultatis totus. Nam principium, ex quo oritur causa, est præter naturam. Dij boni quæ uerba, tanto uiro indigna? quamuis imperitis magna, qui quod non intelligunt, magis admirantur, forsan uidebuntur. Quomodo expultrix facultas lacertos mouet? non ne hoc opus animalis? At alibi dicit: Subsequuntur excretiones, uomitus, sudores. Pulchra Dialectica: Sudores & uomi-

tus

tus sunt excretiones, quæ sequuntur rigorem: ergo rigor fit ab ea ui quæ eas mouet excretiones. An uigintiquatuor scripsit libros de Demonstratione, ut sic argumentaretur? Indignor sanè, cum lego librum de Rigore, ubi dum quæro unde fiat rigor? mihi obijcit Attaleum, Praxagoram, Asclepiadem, Philotimum, Erasistratum, quos persequitur. Non illud ego quæro, siue delyrarint, siue rectè dixerint: requiro quid sit rigor? quomodoúe fiat? An timuisti ne haberes quod scriberes, si non nugas illorum & argumenta, quibus illas confutares adijceres? Nimis est rerum explicandarum, adeò ut timeam, ne si his quæ mihi in mentem ueniunt, non aliàs dictis uelim satisfacere, ex quacunq; re liber ingens consurgat. Quid plura? tandem unde fieret rigor, non ausus est docere, quippe qui non posset. nolebat enim tremorem uehementis rigoris partem esse: quoniam tremorem dixerat iam non fieri, nisi ob imbecillitatem uirium: rigor autem fit etiam ualidissimis cum uiribus. Sed si tantum horrebat fateri tremorem (quod tamen falsum

6.Aph. 25. *esse docebimus) fieri à ualidis etiam uiribus, quid prohibebat, ne tremorem non esse rigoris partem negaret, sed tamen à rigore oriri? At dicetis: In idem tu uitium incidis, reprehendendo Galenum. Non: nam ego id ago, ne seducti lectores autoritate uiri, quod nunc uitium maximè regnat, ueritatem inquirere negligant. Neq; enim ego, quot errores admiserit Auicenna, quibus in rebus Paulus defecerit, quæ Aetius absurda dixerit, quæ Rasis, Celsus, aut si quid peccauerint Manardus, Brasauola, Fuchsius, prosequor: sed potius, si quid bene ab illis inuentum est, ut eorum, his nostris lucubrationibus ascribo. Satis gnarus, si Galeni autoritas homines non segnes ad inquisitionem ueritatis reddiderit, omnia quæ dixerimus lecturos, & an uera sint consideraturos: ego autẽ nil plus postulo quàm audiri et legi. legi etiam Galeni scripta, deinde seu ad rationem seu ad mentem Hippocratis, seu ad experimentum examen reducatur (quæ tria sunt, quibus Aristoteles dixit posse confirmari opinionẽ) iudicium non refugio. At dicent: Aristoteles opiniones antiquorum refellit, Galenus illum secutus est. Si id eo exemplo egit, satis pulchrè Aristotelem intellexit. nam Aristoteles solùm de principijs maximarum rerum hoc egit, non in specialibus singulorum tractationibus. Veluti quot Mundi? an unum & immobile? quot principia? quid anima? At cum de sensu, & de memoria, de terra, aqua, de equis, de ossibus tractat, uix unum uerbum tangit, persæpe nullum. At ut primum erat maximè necessarium & decens, ita hoc fuisset turpe atq; ridiculum. Opiniones enim de rerum principijs abditæ & multæ, & quod maius est, probabiles omnes, adeò ut & nunc, quanquam ab Aristotele iugulatæ, & amissi libri, nihilominus reuiuiscant. Sed iam ad propositum redeamus. Vnde fiat rigor, Galenus non nisi obscurè dixit, scilicet fieri caloris naturalis impetuosa latione. Sed quid hoc melius erat, ut dixisset, quod fit in febriente, quod in initio febris, atque huiusmodi: quæ etiam geruli dicere sciunt. Quæro ego, quomodo ex his fiat? non enim musculi sic mouentur. Sed neq; uerum est, ab impetuosa latione fieri hunc motum. nam nec cum expanditur calor, nec cum sudor eijcitur, cum tamen tunc maximo impetu calor se foras exerat. Inquit: Tremor unius partis, est rigor totius. Ne hoc quidem semper uerum est: uidi enim etiam tremulos toto corpore. At dicit: Rigor est cum frigore, & totius corporis: tremor sine frigore, & partibus etiam aliquando conuenit. attamen & præ frigore quidam tremunt. Sed uocet illum rigorem, quãdo hoc satis sit, quod tremor conueniat partibus, rigor nunquã, ad distinguendum. Hoc quæro ego, cur rigeant à frigore & in febribus, sic ut concutiantur atq; uibrentur? Nam & illud quod rigor semper cũ frigore sit, forsan non omnino uerũ. Tandem cõcludit, quod rigor fit accedente calore ad externa, ac quasi erũpente è carceribus, inde resiliente, ac rursus denuò extra cũ uapore & ad mẽbra sensilia, ut fiat dolorifica illa affectio, & inæqualis perfractio. Verba certè tanto indigna, ut dixi, non philosopho, sed medico. Sed timuit, ne si uera fateretur, ipsis suis præceptis comprehenderetur. nam uapor ille, quod dicere nunquam uoluit, pungit ipsos musculos, atq; neruulos uexat, cogitq; illos se contrahere inuitos, ut in his qui acu punguntur, concutereq; corpus. Sed omittamus Galenum. Nunc Hippocrates quarto de Morbis inquit: Aquosus humor crasso commistus, dum uolutatur circa ossa & neruos, rigorem creat. incalescens enim crassus humor, tenui affligẽti miscetur. Porrò uideamus quid dicat in primo de Morbis: Frigescente sanguine, necesse est & reliquum totum corpus perfrigerari. Et ubi huiusmodi quid factum fuerit, rigor appellatur. Et siquidem uehemens fiat rigor, uehementior etiam fiet tremor. nam dum contrahuntur uenæ, sanguine coacto & congelato, corpus etiã contrahunt, & tremere faciunt. Si uerò minus ali-* Pag.13. Pag.12.

quanto

quanto sanguinis coactio fiat, hic rigor appellatur. Horror aũt dicitur, debilissimus rigor. Hunc Com. 18. librum ipse Galenus tertio de Articulis, & in initio primi libri de Natura humana, Hippocrati tribuit: cum palàm fateatur Hippocrates, tremorẽ rigoris uehementis esse partẽ & affectionẽ. Iam ergo ad Aphorismi expositionẽ ueniamus: Rigores fiunt, inquit Galenus, flaua bile sparsa super membra sensus: unde bile eiecta è uenis, soluitur febris. Atq; id uerũ est: sed quippiam amplius uoluit Hippocrates, crisim scilicet significari. Nam 6.Lang. Cleanactidi, primo Epidemiorum, rigor superueniens octuagesima die sudore cũ multo, soluit febrem erroneam, non ardentẽ. Grauida quoq; illa Lang.13. trium mensium, & ipsa in primo Epidemiorum, soluta est à febre uehementi per crisim in quartadecima, licet rigor apparuerit in undecima: nec tamen tunc solutus est morbus, sed, ut dixi, Pag.4. triduo pòst. Et rursus in quarto: Qui in sutrina decumbebat, iudicatus est in septima cũ rigore. Pag.7. Quæ etiam in Bullagore, nõ iudicata est ante rigorem. Sed nec rigor solùm, sed horror signũ est, sed non adeò certũ, iudicationis, ut in Nicodemo in Abderis: qui cũ horruisset in uigesima, solutus est à febre in uigesimaquarta per sudorem, ut ter Cõst.3.10. & 12.Lang. tio Epidemiorũ. Et uirgo in Larissa, quæ cum inhorruisset in sexta, iudicata est eadem die per sudorem, ex ardente febre libera facta. Hoc est quod dixit in libro de Iudicatione: In febre ardente si insuper adueniat rigor, exudare solet: In febre ardente, rigore superueniente fit solutio. Hæc enim una est causa generalis in rigore & horrore, quod cum fiant ex biliosa & acuta materia sparsa super membra sensus ac motus, significant iudicationem futurã, ex qua soluitur febris ardens: nõ quòd soluatur ex pauca illa materia, quæ fecit rigorem, ut credit Galenus, sed quoniam signum est iudicationis. Est aũt signum iudicationis, quoniã cum in uenis antea contineretur, & iam incipiat expelli: igitur iam separata est tota, quia non expellitur ante separationem: & ideo concocta, quia non separatur ante concoctionem: quare cum sit cõcocta & separata, & iam incipiat expelli, igitur subsequetur crisis, per quam desinet febris ardens. Et hic est modus familiaris demonstrandi Hippocratis, & sua Dialectica. Cum uerò repetierit rigor, & febris est ardens, separatio facta non est, & ideo exitiale est: ut in muliere, quæ decumbebat in 12. Languẽte, ex primis. Mendacium foro, tertio Epidemiorum, quæ bis in undecima riguit, & semel in tertiadecima, & mortua est die sequenti. Vnde etiam illud: In oculorum distortione cũ febre & lassitudine rigor perniciosus. primo Prædictionum. Rigor enim hic fit ex læsione neruorum, non secretione. Si ergo esset, quia spargeretur humor faciens morbum extra uenas, esset semper & statim & sine alia iudicatione, salutis & causa & signum certum: at non est: non est igitur euacuatio humoris, facientis morbum extra uenas, sed indicium futuræ euacuationis. Pag.3.

APHORISMVS LIX.

TErtiana exquisita septenis circuitibus, quod lõgissimum est, iudicatur.

COMMENTARIVS.

¶ Tria nos uoluit scire ex hoc Aphorismo Hippocrates: Primùm, dies intermittentium penes circuitum debere numerari, seu accessiones. Sicut enim continuarum, quæ à flaua bile pura pendent, ultimus terminus est septimus dies, ita & intermittentium. Quam sententiam etiam in Pag.8. Prognosticis secutus est, dum dixit: Fit autem & quartanarum febriũ constitutio ex eiusmodi ordine. Secũdum est, quòd febres quæcunq; possunt citra suũ ultimum terminum finiri, ut tertiana, in quatuor aut quinq; accessionibus, non autẽ octo, nouẽ, nisi error in cura acciderit. Tertium, quòd sicut humores habent in febribus suos circuitus, ita etiam habent in numero eorũdem terminum: ut tertiana, si ex pura bile fit, redit de tertio in tertium diem, & terminatur in septem circuitibus. Quotidiana, si ex pura fiat pituita, redit singulo die, & terminatur sexaginta diebus. Quartana autem, si ex pura fiat melancholia, redit singulo quarto die, & finitur in centum uiginti circuitibus. Et ideo rectè dixit Princeps Trac.2. Cap.61. Prima quarti, quòd durat per annum. ductis enim centum uiginti circuitibus per tria, & est numerus dierũ circuitus, scilicet qui continet accessionem, & interuallũ fiunt dies trecenti & sexaginta, qui penè annum implent. Est enim annus dierum trecentorum sexaginta quinque, cum quadrante non integro: ut in Supplemento Ephemeridum docuimus. Est etiam tertium, quod consequitur ad hæc: & est, quòd accessio tertianæ puræ durat per horas duodecim, quotidianæ autem decemocto, & quartanæ uigintiquatuor, cuius causa tabellam à latere descripsi.

	Tert.	Quot.	Quar.
Acces.hor.	12.	18.	24.
Period.die.	7.	60.	120.
Circ. altern.		Quotid.	Quart.

Nec est ut exigas alium sensum,

tanquam

tamq; etiam de tertianis, quæ in eo termino non finiuntur, loquatur Hippocrates. quantumcunque enim uera essent, de his non agit Hippocrates hic: nec omnia uera omni loco conueniũt. Porrò exquisitæ tertianæ signa sunt, ut habe-
Cap.3. tur secundo de Differentijs febrium, & primo
Cap.5. ad Glauconem: Rigor, qualis si ab acubus pungeretur, citra sensum frigoris uehementem, pulsus minimè inæqualis inter putridas, maior tamen ac celerior, maximè iuxta statum: calor acris ualde. Sitis, amaritudo oris, uomitus bilis, dolor capitis, hoc quartum signum in plerisque, non omnibus: accessio non ultra duodecim horas, sæpe minor: sudor in fine: pura tranquillitas magis quàm in alijs omnibus putridis, urinæ tenues, & magis coloratæ. Nonum est ex circunstantibus iuuentus, biliosa temperatura, æstas & calida, & multarum tertianarum euentus, & causæ bilem augentes, quæ præcesserunt. Non tamen ille omnia connumerat, quod uix unquam facit. Causam ergo quod in his circuitibus finiatur, aliam Galenus, aliam alij: nulli quicquam ad propositum sanè, sed ut aliquid dicere uiderentur. Nam Galenus ait, quoniã continua ex bile exquisita eodẽ numero accessionũ finitur. Ridiculum, ignotum per ignotius. nec est causa hæc, sed exemplũ. Recentiores, quoniam est tenuis. Sit sanè, hoc potest esse causa manifesta breuitatis accessionũ, nõ totius circuitus morbi. Propterea, ô amice, arduum est docere quæ nescias. Dico ergo, quod materia tota cuiusuis morbi, qui sanari possit, & rectè curetur in omnibus, est tota præparata ab initio (& in hoc
Cap.ult. aberrat Galenus secũdo de Differentijs febriũ, qui scribit, singulis diebus uniuscuiusq; febris materiam generari exẽplo abscessuum: sed non est locus hic demonstrandi tantã absurditatem, cum præter cætera, si quis non comederet, necesse esset febres omnes finiri statim.) cũ ergo bilis sic præparata sit, non potest propter continuitatem putredinis, quæ fit, & tenuitatẽ substantiæ differri succẽsio plusquàm per dies illos: aliter oporteret eam esse crassam. nã unius accessionis materia ab alia præcedẽtis accẽditur: quare necesse est ut uel transmutetur, uel expellatur, uel succendatur in eo tempore, cum actio naturalis caloris nunquam cesset. Et ideo omnes intermittentes uerè sunt continuæ. Calor enim semper putridus aut factus est, aut succeditur. Ideo hoc bene dixit Galenus, in omnibus his quandam sordiciem relinqui in pulsibus interualli tempore: sed hæc est minima, ut dixi, in tertianis exquisitis.

APHORISMVS LX.

QVibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.

COMMENTARIVS.

¶ Visum est Galeno, quòd superior Apho- 28.
rismus, cuius est initium, Quibus biliosæ deiectiones: sit pars huius. nam ibi proponit, quòd surditas soluitur deiectionibus biliosis: hic iisdẽ, tum sanguine è naribus fluente. quod si ita est, uidetur Hippocrates fuisse immemor eorũ quæ antè scripserat. sed non est ita, ibi enim recursum docet scilicet, quòd biliosis deiectionibus cessantibus, surditas aduenit: aduenientibus illis, soluitur. Et ita ostendit uicissitudinem causarum: propterea neq; addit, In febribus, ut hic. At uerò hic docet modos quibus surditas, quæ cum febre aduenit, soluatur. Nam cum surditas ex obstructione & frigiditate adueniat, ut in senibus & crapulæ deditis: febris uerò morbus sit calidus & siccus: surditas quæ ex ea prouenit, fit à causa cum febre coniuncta, non à febre. Igitur cum causæ febrium continuarum plerunq; sint bilis aut sanguis, ut Galenus docet secundo de
Differẽtijs febrium: par est, ut uel turbata aluo, Cap.2.
& bile eiecta, aut sanguinis effluxione per na- Pag.4.
res, morbus soluatur. Sed obijcies, quia in Decretorio plures adducit causas dicens: Quibus in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre insanire necesse est. soluit autem sanguis ex naribus erumpens, aut aluus biliosa egerens, aut dysenteria accedens, aut genuum dolor. Dicemus itaq;, per aluum turbatam & dysenteriam & diarrhœam comprehendi. At coxarum dolor imperfectam iudicationem facit: non ignorantibus nobis, quod quæcũq; ex optima iudicatione soluuntur, etiam per huiusmodi possunt. at non contrà. Manifestum erat, si surditas per sanguinis è naribus fluxum, aut alui turbationem solui poterat, posse etiam per decubitum ad infernas partes seu in contrariam finiri. quod ergo ille locus explicatum habet, hic ob breuitatem implicitè docuit.

APHORISMVS LXI.

FEbricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

COMMENTARIVS.

¶ Scribitur hic Aphorismus & in secundo
Epidemiorum, & maiore cum emphasi hoc mo- Pag.5.
do: Si non die impari febris dimittat, recidiuare necesse

necesse est. Obid nescio cur Galenus audeat ne-
gare illum esse Hippocratis. Durum hoc illi ui-
Pag.9. sum est, quoniã in Pronogsticis hæc habet: Qui
,, bus febres cessant sine signis solutionis, neque in
diebus indicatorijs, his expectandum est eas re-
Pag.8. uersuras esse: cum antea iam declarasset inter iu
dicatorios plures pares numerari, inter quos de-
cimumquartum, uigesimum & trigesimumquar
tum, quadragesimum, sexagesimum. eadem sen-
Pag.5. tentia repetitur in Coacis prædictionibus, et cla
Pag.3. rius ibidem, sed antè: Quibuscunq; desinunt fe-
,, bres non in dieb. iudicatorijs, his recidiuæ fiunt.
Atq; sic mallet Galenus legi Aphorismũ, ut pro
Imparibus, Iudicatorijs substitueretur. Addunt
exempla ex ipso Hippocrate ægrorũ, qui in quar
ta, in quartadecima, uigesima, uigesimaquarta, et
36. alijs diebus paribus, de quibus etiam suprà par-
tim egimus, perfectè sunt iudicati, & experimen
ta quæ quotidie uidentur. Propterea quibusdam
applausit Philothei expositio, quòd cum hic lo-
quatur de acutis ualde, qui intra septimam diem
finiuntur, & neq; septimus neq; quintus aut ter-
tius, quos suprà laudauit, pares sint, constat im-
pares omnes dies ad septimum usq; criticos esse.
igitur quod de imparibus dixit, de criticis dictũ
esse quisq; credat. Sed neque hic, neq; in Coacis
prædictionibus acutorum meminit: nedum ut de
ualde acutis, qui soli intra septimam diem termi-
nari solent, uerbum habuit. Præterea nec id ue-
Lang.6. ex ultimis Tertij Epi. rũ erit semper, cum, ut diximus, Pericles in quar
ta sit liberatus: subiecitq; Hippocrates, Nec re-
uersus est morbus. Respondeo ergo, quòd Hippo
crates hîc loquitur de febribus, quæ relinquunt
absque iudicatione. cui enim dubium esse potest,
quin si uoluisset scribere de iudicatione, Quæ
paribus in diebus iudicantur, solent recidiuare.
Vel dicas, quòd cum docuerit iudicationes fieri
in accessionum diebus, & accessiones pares sunt
letalium morborum, ut uisum est, oportet iudi-
cationes in paribus diebus nõ esse bonas: sed spe
ctare ad reuersionem. Et si obijcias de quartade
cima et uigesimà, quòd Hippocrates uult hos dies
esse impares ratione accessionum: ita quòd quar
tusdecimus dies est tertiadecima accessio, & ui-
gesimus decimanona. Sed usq; ad septimam diem
accessionis, & diei idem est numerus. Et hæc est
causa quod dies iudicatorij usq; ad quartumdeci-
mum diem numerantur per integras septenarias,
& pòst non: quoniam in secunda septenaria sunt
sex accessiones tantũ, & septem dies: & in ter-
tia septenaria sex accessiones, et sex dies. Et hæc
fuit ratio Hippocratis profundissima.

APHORISMVS LXII.

QVibus in febribus morbus regius ante septimum diem accidit, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Regius morbus, seu auriginosus, uel icterus, uel arquatus à Latinis, duplex est: flauus seu niger, cum totum corpus eo colore inficitur. Atq; primus à fellis uesica flauáq; bile, secundus à liene & nigra bile fit. Manifestum est autem, quòd ut diximus in libro de Gemmis & coloribus, uel horum mistione, uel flaua aliquantulum exusta, uel nigra non exquisitè exusta medij multi colores generantur, medij uiridis, cæruleus, amethystinus, alijq; illis proximi. Verùm ut flauus frequentissimus est, & rarus niger: ita medij colores exquisiti, rarissimi propter raritatem mistionis ubiq;: at medij inæquales, frequentiores ipso nigro. Causa raritatis nigri, est paucitas illius humoris in cõparationem ad flauam bilem: magnitudo uisceris, scilicet lienis, & uiarum quæ à iecore ad illum tendunt, & earum quæ à liene in uentriculum. Fit uterq; morbus una ex tribus causis: uel quoniam nimis iusto plus generatur de huiusmodi humore: uel quia genitus non separatur: uel quia separatus non potest emitti, ideo retinetur in sanguine ipso, & transmittitur ad cutim quasi membrũ debilius, illamq; inficit. Primumq; ac magis oculos, & maximè interiores angulos, quòd ad eam partem uenæ satis magnæ et in exteriore parte ueniant: inde quòd pars illa candida sit ac nitens, in qua maximè quisq; color deprehẽditur: ijsdem fermè rationibus ungues, inde totus uultus, & circa oculos, magis prope nasum & in fronte, ubi cutis tenuior est, unde etiã in pectore: minimè autem in malis ipsis, quoniam uenæ magis eminent, & nulla caro subiecta impedit sanguinem. Sed malè agitur, cum malæ etiam aurigine detinentur. Causæ igitur quòd copiosior bilis generetur, duæ sunt: internæ et externæ. Internæ duæ sunt, inflammatio pro abscessu calido: tuncq; est perniciosissimum signũ, quia causa perniciosa est per se abscessus iecoris: & inflammatio pro intemperie calida & sicca, & fit morbus tunc quasi familiaris aliquãdo. Et huiusmodi uiri sunt crudeles, iracũdi, perfidi. Et plerunq; coniungitur eis dispositio flatuosa, & sunt acres & impigri. Et color tyrannorum plerunq; talis est. nam ipsi etsi natura non sint tales, tales euadunt ob cogitationes. nam cogitatio exurit humores, & humores exusti ferinas generãt cogitationes. Et sunt similes leonibus ac serpenti

bus. Externæ tres sunt, uenenatorum ictus, ut echidnarum, et sunt uiperæ toto genere exitiales. Et mirũ est, quod persæpe in ictu oculi, icti ab his cõtrahunt talem colorem, adeò celeriter sanguis immutatur. Et ideo etiam quòd euadant, integrè non sanantur. Alij uerò ex potu ueneni mortiferi: sed in his non totum corpus æqualiter afficitur, sed diuersis maculis inficitur, luteis plerisq́, sed & nigris & cæruleis ac fuscis, maximè in dorso: quod etiam contingit in pestilentibus febribus. Cumq́; alicui post cibum morsus in uentriculo sentitur, & aluus uel uomitus mouetur, & color intra sex horas fit auriginosus, et (ut di xi) maculosus, scias quod ebibit uenenum letiferum. Et si statim hoc accidat, & frigent extrema, morietur omnino. Si uerò appareat color postquam incaluerit, iam habet rationem iudicij, & superest spes salutis, si bene regatur. Et hæc est secunda causa. Tertia est, ex potu malarum aquarum, ut Hippocrates de phasianis ait libro de Aere, aquis ac locis: & cibi corrupti, & satietas, et uigiliæ ac curæ. Corrũpitur enim habitus bifariam: & ad calidum & siccum, & fiunt arquati: & ad frigidum & humidum, & fiunt cacechici. et est deterior corruptio: et pessima est, cum utroq; modo afficiuntur, et est habitus mortuorum. habent enim fermè omnes colorem illũ flauum, & carnem tumidam, & corpus inflatũ, maximè uentrem. Sunt ergo quinq; modi. Cum uerò non separatur bilis à sanguine, contingit tribus modis: uel quia non coquitur, & ideo nõ separatur & transmittitur celeriter ad cutim, ut natura se exoneret. uel quia uesica fellis est nimis imbecillis, & non trahit: uel quia est nimis plena, aut parua. Si uerò separetur, & non transmittatur, cõtingit duobus modis: uel ut nõ trãsmittatur ex iecore ad uesicã fellis, uel ut ex uesica fellis non transmittatur ad intestina. Et utercq; horum modorũ est duplex, ut à duplici causa, uel ab obstructione, uel à duricie locorum, maximè iecoris: ut sint quatuor modi, & in uniuersum duodecim, quorum magnam partem Galenus quinto de Locis describit.

Pag.11. (margin, beside "aquarum")

Cap.7. (margin, beside "nus quinto de Locis")

His uisis, afferamus demõstrationẽ dicti Hippocratis, ut illũ planè intelligamus. Morbus regius aut fit per crisim, aut per inflammationẽ: in febribus, per crisim bonam ante septimã diem fieri nõ potest, nec ex inflammatione unquam, hoc enim per se notũ est: igitur ante septimam semper malus erit. Quòd ante septimã diem non possit esse per bonam crisim, patet, quia est transmutatio: & uisum est in omni transmutatione materiã esse contumacem, tertio de Crisi. Sunt enim abscessus et decubitus propria morbis lõgis ac difficilibus: sed materia huiusmodi intra septimum diem concoqui nõ potest: igitur talia fiunt ex oppressione naturæ: & ideo mala sunt, si ante septimum diem fiant. Cap.3.

Ex his patet solutio primæ obiectionis. Hippocrates enim quarto de Victu in acutis inquit: Pag.20. In febre biliosa ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens, febrẽ soluit: uerùm sine rigore si accedat extra temporis occasiones, exitialis est. Ibi Galenus negat esse hoc uerum: sed quomodo, nõ intelligo. nam Hippocrates ibi intelligit ardentes febres, quibus rigor superueniens, ut antea dictum est, soluit morbum: & cum subsequatur arquatus, signum est materiam morbi ea accessione depulsam ad cutim. Igitur duplici modo causa est solutionis febris, & duplex est signum in idem coincidens. Quòd si dicas, ergo non malũ, ut hic in Aphorismo. Respondeo, quòd ex dictis apparet conciliatio. nam hoc modo est malum, quia significat materiam esse multam aut acrem, quæ naturã irritauit: in comparatione tamen ad præcedentem febrem est bonum, quia febris materia ad cutim protrusa est, & febris cessauit. In Aphorismo igitur hoc loquitur de signo: at in libro de Victu in acutis, de effectu. Aphor.58.

Auerroes quoq; Quarto suorũ collectaneorum sugillat Hippocratẽ, sed certè modestissimè, dicens: quòd in sua regione sæpe euenit icterus in quinta die, & cessat febris. & quod hæc est sententia etiã medicorũ Persarũ, & maioris Indiæ, & Entalis. Et quod illud Hippocratis est uerum in regione sua, quæ est frigidior: sed quod nõ est absurdum, ut id quod accidit in septima, in regione temperata cõtingat, eodẽ modo in quinta in regiõe calida. Et Brasauolus dicit uidisse morbos regios, qui finiebãt febrem ante septimã diẽ: sed quòd nõ erant uerè regij morbi. Dico ut prius, quòd Hippocrates nõ dicit hoc, sed solũ quod est malũ: quia melius fuisset expectari coctionẽ. non tamen negat quin febris possit hoc modo finiri, aut alleuiari. Sed dices: Quid ergo lucrabor ex hoc dicto ab Hippocrate sic interpretato, ut tu interpretaris? Multum equidẽ. nam si febris non minuitur, erit in maximo uitæ discrimine: sin etiam minuatur & abscedat, diu manebit cum illo malo habitu morbi regij. Ex quo si non omnino diligenter se custodiat, in tabem uel hydropem trãsire posset, quia materia est cõtumax ac cruda. Quòd si post coctiones aduenisset, ab utroq; periculo essemus immunes. Cap.43.

Plinius

Lib.16. cap.12. Plinius quoque carpit Hippocratem dicens, multos uisos esse, quibus morbus hic ante septimum aduenit diem, & tamen sanati sunt. Cui, ut Auerroi, respondendum est, non enim hoc negat Hippocrates. Et si negare uoluisset, dixisset letale, ut saltem ualde malum, dixit malum, quia malum ex se est signum hoc, licet per accidens soluí possit febris. Ob hæc igitur scripsit Hippocra-

Pag.4. tes in libro de Iudicijs: In febribus ardentibus si » accedat morbus regius, & singultus quinto die, » letale est. Hic enim cum admittatur error à natura in maiore morbo, scilicet febre ardente, & consequatur prauum symptoma, significatur læsio maxima iecoris, & inflammatio, & mors.

Pag.20. Ipse uerò in libro de Internis affectionib. meminit quatuor generum morbi regij. Primũ, quod fit ex pura bile flaua tempore æstatis, maximè in quo caput præcipuè affligitur, & urina tingitur, & fiunt quasi escaræ sub capillis, seu squamæ: & fit cum febre, rigore, dolore capitis: & ieiunus magis torquetur, & color est ut corticis mali punici, flauus, uirescẽs. Et interficit in quatuordecim diebus. Secundum fit à melancholia cruda plerunq; in hyeme, & fit ex ebrietate & frigore, & corpus est subdurum ac liuidum, febris cum rigore illum detinet, pruritum patitur, & uenarum tumorẽ: letalis est non minus præcedenti, sed serius occidit. Tertius est popularis; qui fit à repletione: & fit cũ febre lenta & exigua, paruoq; rigore, colos cutis ut in primo, sed pallidior, dolor adest capitis, minus letalis est: prioribus longe, imò satis facilè sanatur. Quartũ fit à pituita planè: plerunq; hyemis tempore, omnia pituita abundant, estq; omnium mitissimum. Hic Hippocrates de primo ac secũdo genere intelligit: sed non ut per se oboriuntur. Dicemus e-

Aphor.64. tiam de his paulo post.

APHORISMVS LXIII.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.

COMMENTARIVS.

Pag.4. ¶ In Decretorio inquit: Quibus febribus ri- » gor accedit, febris soluitur. nec possumus dicere quòd intelligat de ardente, paulo antea. scripse- » rat enim, A febre ardente habito rigore super- » ueniente fit solutio. Hoc igitur idem intelligit ibi, quod hic: & nõ de frigore, ut Brasauolus transtulit, repugnante litera Græca. Quid autem sit

Aphor.46. rigor, & quomodo fiat, superius uisum est. Galenus & pleriq; expositores hic toto cœlo aberrant. Vnde torquentur & circa quotidianas & circa hemitritæos & duplices tertianas extensas, & generaliter omnes febres quæ non peruenire finiunt hominẽ ad interuallum. Et caligãt in clarissima luce, parumq; abest ut suo more non damnent Hippocratem. Afferamus demõstrationem, & facilè omnia discutietur. Quibuscunq; febricitantibus rigores quotidie fiunt, ijs quotidie materia extra uenas detruditur: sed materia detrusa extra uenas, cum nõ habeat cum qua iuncta sit, necessariò absumitur: ea absumpta finitur illa febris. non enim potest accidens esse sine suo subiecto. igitur ubi rigor fiat quotidie, quotidie soluitur illa febris, non omnis febris: utpote in hemitritæo remanebit sua continua, in duplici tertiana quæ proæoccupauit tempus.

Sed dubitaret aliquis, in extensa tertiana, etsi soluatur febris, nõ tamen quotidie, sed altera die. quædam enim usq; ad tertiam producuntur. Respondeo, quòd Hippocrates obuiam it huic dubitationi, dicẽdo Rigores. hi enim, ut declaratũ est, cum sint motus ualidi, non fiunt nisi ex materia leui, igitur in una die finitur accessio. Quartana enim quæ longissimam habet accessionem, parũ habet rigoris, & potius frigus, & tamen fermè semper finitur in una die.

Iterum dices: Quædam continuæ ab initio incipiunt cum rigore, ut de Philini uxore primo Epidemiorum. perseuerauit enim febris eadem Lang.4. usq; ad uigesimam diem, in qua mortua est. Huic obuiam it Hippocrates, dicens Quotidie: quod enim quotidie contingit, non contingit semel tantum, ideo clara est responsio.

At dices: Quid superlucror ex hac doctrina? Respondeo, duo docet nos Hippocrates. primũ, quod quamuis uideantur permanere illæ febres, tum quæ aduenit cum rigore, finitur. Secundum, quod ubi affuerit febris cũ rigore, et non finitur, necesse est unam continuam esse coniunctam. nã tametsi duæ essent tertianæ, aliquantulũ intermitterent: & forsan etiam tres. Est autem è genere præcedentis, si quis bene animaduertat. in illo non malum simpliciter, sed malum ut eo modo fit pronunciauit: ita in hoc non febre uacare ægrum dixit, sed febrem illam finiri.

Ex his concidit conuersio Fuchsij, per ῥίγεα frigora interpretantis. Sic enim uerus non esset Aphorismus, ut quotidie febres soluerentur. Admonet tamen Galenus, & bene, quod in omnib. febribus, tametsi febres ipsæ soluantur, remanet tamen quædam dispositio in ægro, qua non potest dici perfectè sanus, in pulsibus, urinis, coctionibus, appetentia, somnis, uiribus.

APHORISMVS LXIIII.

QVibus in febrib. ſeptimo uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo morbus regius ſuperuenerir, bonũ, niſi dextrũ hypochondriũ obduruerit: ſi uerò nõ, non bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Haud ſui immemor Galenus, ſtatim ad accuſandum Hippocratem deſcendit de interpoſito præcedenti Aphoriſmo: nos aũt neceßitatẽ huius facti oſtendimus. nam hunc clarũ erat illi eſſe cõiunctum, ut cõtinuatio huius perire nõ poſſet. At niſi interpoſuiſſet præcedẽtem, nemo poterat intelligere cur appoſitus eſſet. Declaraui enim, ꝙ in eo docet Hippocrates bonum non ſimpliciter, ſed in eo quòd aduenit rigor quotidie: ſicut nec in illo malũ ſimpliciter, ſed in eo quòd ante ſeptimum diẽ fit. Melius utiq; feciſſet, ſi modò ea ultima uerba, Si uerò nõ, nõ bonũ, in textu, quod ſuſpicor non habuiſſe, declaraſſet. Senſus igitur unus erit: Si in febribus morbus regius ſuperueniat dieb. enumeratis, bonũ erit, niſi dextrũ hypochondriũ obduruerit. Sed ſi alijs diebus nõ hic enumeratis aduenerit, quãuis hypochondriũ non obdureſcat, nõ erit bonũ. Quia, ut diximus, decubitus omnis per ſe malus eſt: cum ergo fiat natura nõ dominãte, malũ prædicit. Vnde tertio de* Com. 5. in fine. *Morbis uulgaribus, ſegmento primo, omnes abſceſſus (nõ ſolùm æruginoſum) factos ante coctionẽ malos eſſe, poſt coctionẽ aũt bonos. Igitur ſeu ante ſeptimũ quacunq; die, ſeu poſt ſeptimũ in die nõ iudicatoria, ſemper fit ante coctionem: igitur malũ. Oportet igitur in duabus propoſitionib. hoc ſundari. quarũ prima eſt, quod ſtatim facta coctiõe natura mouet: aliter quid prohiberet, ne facta coctione in undecima expelleretur humor in duodecima, uel tertiadecima? Et ita eſſet bonũ, & nõ in illis diebus. Secũda eſt, qđ coctio nõ perficitur niſi in diebus criticis enumeratis: aliter poſſet cõcoqui in duodecima, & expelli & ſanari, & non eſſet uerus Aphoriſmus.*

Multa hic prætermittit Galenus, quæ eſſent utiliora accuſatione Hippocratis. Primùm, quid uoluerit dicere per illud, Non bonũ. Sed forſan, ut dixi, nõ habuit in textu: uult ergo dicere non bonũ, quoniã uix ſanantur, & ægrè: perſæpe etiam in hydropẽ deueniunt. quidã tandẽ moriuntur, ut Hermocrates, qui fuit factus auriginoſus in ſexta die, & mortuus eſt in uigeſimaſeptima. Aliud eſt, qđ ex errore poteſt differri hæc trãſmutatio: & hoc modo adhuc bona nõ eſt, nõ tamen adeò mala ut ſi fiat à natura. Hippocratis tamen omnes regulæ intelliguntur, in his qui bene reguntur & in uictu & in medicamentis. Dubitabit etiã aliquis, ſi ultra quartumdecimũ morbi huius trãſmutatio differatur, an erit bona. Dico quod Hippocrates uult, quod ſit in die critica, aut indicatiua ſaltẽ: licet undecima poſſet laudari magis, ut dies impar quàm indicatiua. Nihilo minus declarat ſe uelle ſequi regulã de ſudore datã ſuperius, Aphor. 63. *niſi quod morbus regius nõ eſt bonus ante ſeptimũ, quamuis in die impari: ſudor aũt, modò ſit in impari, eſt bonus etiã ante ſeptimum. Similiter quæret aliquis, an deterior ſit ante ſeptimũ, an poſt ſeptimũ, nõ in diebus enumeratis? Reſpondeo, quòd deterior eſt ante ſeptimũ: quia dicit malum, hic aũt nõ bonũ. Rurſus dubiũ eſt, an in morbo regio ſplenis, & nigro, cuius meminit ſecundo de Morbis,* Pag. 12. *ſoleat dextrum hypochondriũ inflari? Dicit ibi Hippocrates, ꝙ ſplen: & ideo nõ intelligitur hic Aphoriſmus de eo genere morbi regij, ſed cõmuni, de quo tertio de Morbis. Et dicit,* Pag. 4. *ꝙ refert colorẽ malicorij, q eſt pallidus cum uirore. Quòd autem morbus regius niger fiat à ſplene, dicebat Hippocrates ſecundo de Morbis uulgaribus (nolo aũt omnia referre, quãuis hic non omnino neceſſaria.) Quibus id quod mediũ* Partic. 1. in fine. *eſt inter abdomen & cutẽ, inflatur, & nõ ſedatur, color eſt uelut qui multũ pallidus eſt, & ex candicante pallet: quoniã omne huiuſmodi ab hepate eſt, & ex hoc ſunt hepatici in his morbi: Et morbi regij ab hepate ad ſubalbidum colorẽ uergunt, & qui ex aqua intercutem, & ex pituita alba laborant. qui uerò à ſplene ſunt tum hydropes tum morbi regij, nigriores ſunt. Experientia etiam hoc confirmat, quod lien prius dureſcit in his: et ſi modò epar, etiã fit pòſt. Porrò ut ad rem reuertar, hic Aphoriſmus cum alio magis clarè ſcribitur libro de Coacis prædictionibus, ut ſit* Pag. 4. *ſenſus clarior: Morbus regius ante ſeptimũ diem accedens, malũ: ſeptimo uerò ac nouo & undecimo & decimoquarto, iudicatorius eſt, ſi nõ præcordia induret: ſin min⁹, ambigua res eſt. Quaſi dicat: Si præcordia induret, tũc res eſt ambigua: quia ratione diei bonũ eſt, ratione tamẽ illius duriciei eſt periculoſum. ideo ex hoc lucramur, qđ huiuſmodi duricies nõ ſunt omnino pernicioſæ, ut quidam exiſtimant. Non eſt autẽ hoc idem, quod inferius dicet: Morbo regio laborantibus, ſi fiat* 6. Aph. 40. *epar durum, malum. Hic enim dicimus, quòd duricies ſimul cũ morbo regio adueniat: in Aphoriſmo illo, quod duricies adueniat poſt morbum regium. hoc enim longe deterius eſt, propterea locum illum conſules.*

Scien-

Pag.8. Sciendũ quòd ut habetur in Coacis prædictio-
nibus, licet in febrib. morb. regius quãdoq; ut hic
salutaris sit, si tamẽ febres sint cũ delyrio, semper
morb. regius est malus. Et illud quoq; nõ præter-
Const.3. mittendũ, qđ dicitur primo Epidemiorũ: Si mor-
Pag.1. bus regius adueniat sexta die (intelligendum est
etiã eo magis in alijs diebus nõ indicatorijs) &
fluat copiosus sanguis è naribus, aut fluat aluus,
aut multitudo urinæ erumpat, liberantur & eua
dunt: & eo magis, si hæc omnia. Sed si nihil ho-
rum, solent perire.

APHORISMVS LXV.

**IN febribus circa uentriculũ & for
tis æstus, & cordis morsus, malũ.**

COMMENTARIVS.

¶ Hic Aphorismus uix potest bene explicari
ob sermonis homonymiã. nã duo sunt uerba, κοι-
λίαν & καρδιωγμός. quorũ primũ significat
propriè uentrẽ, sed nõ pro uẽtriculo accipitur: se-
cundũ aũt oris uẽtriculi morsum, et cordis palpi-
tationẽ, hocq; propriè. Et de his ambobus ut par
est, admonemur à Galeno in Cõmento. Verùm
ego, quãquã uerterim ut reliq, magis tamẽ in p-
prio significato legẽdũ puto hoc modo: In febri-
bus circa uentrẽ uehemẽs æstus & cordis palpi
tatio, malũ. Vehemens enim æstus uẽtris signifi-
cat feruorẽ ebulliẽtis bilis, ut etiã morsus acris: at
cordis palpitatio uel ob humorẽ prauũ, ut in pesti
lenti febre: aut malã intẽperiẽ, ut in fine ardentiũ
febriũ: aut imbecillitatẽ magnã uitalis facultatis,
quodcunq; horũ pessimũ est. Ergo feruor ille si-
gnificat ardẽtes febres, qa in his bilis est in ieco-
re & uentre, ut Galenus testatur secũdo in pri
Com.10. mũ de Morbis uulgarib. Palpitatio uerò maligni
tatẽ, aut cordis imbecillitatẽ. Cum uerò possint
hæc signa simul & singillatim intelligi, singilla-
tim intelligẽda sunt. sic enim frequẽter uidentur.

APHORISMVS LXVI.

**IN acutis febribus cõuulsiones, &
circa uiscera dolores uehemen-
tes, malum.**

COMMENTARIVS.

¶ Eadẽ difficultas quæ in priore. nã singillatim
possunt intelligi: rarò enim cõiuncta hæc uidẽ-
tur. doctrina aũt Hippocratis, est de his quæ fre-
quẽter apparẽt. Sed cur cõiunxit ergo illa? Bre-
uitatis causa, dicet quispiã. Absit, solũ hac causa:
sed cũ iũgit, uel simul uult intelligẽda, uel habere
uult parẽ fermè uim. hoc enim malũ latiùs exten
ditur. At cum dico, Cõuulsiones, in febrib. acutis
periculosissimũ dico casum, ita ergo de uehemen
tib. circa uiscera dolorib. est intelligendũ. Cũ er-
go dixerit Malũ, nõ letale: palàm est, q. nõ intelli-
git de cõuulsione, quæ fit à siccitate, à qua forsan
nemo euadit. Turpe enim esset Hippocrati, tan-
quã nos derideret, dicere malũ de eo quod leta-
lissimũ est, & præsentẽ affert mortẽ. Itaq; Gale
nus nõ est omnino assecut⁹ illius sentẽtiã. Quin In fine.
potius dicamus, ut in Decretorio, Si à febre detẽ-
tũ cõuulsio corripuerit, soluitur febris eadẽ die,
uel postridie, uel 3. die. Sed qa trãsmutatur in mor
bũ deteriorẽ, ideo cõmutatio ista mala est. Cum
uerò dixit de dolorib. idẽ: fiũt enim ex mordaci-
bus humoribus. Vnde in Coacis prædictionibus: Pag.12.
Duricies circa uentrẽ cũ dolore in febriẽtibus, cũ
horrore cibũ auersantibus, si aluo insup parũ hu
mectata purgationẽ non faciãt, ad suppurationẽ
perueniẽt. at hic de tumore nihil agitur. Propte-
rea nõ de abscessu, sed humorib. est intelligendũ:
melius ergo esset ut illud adderemus ex 6. parti- Aphor.7.
cula, quod tales dolores minimè sublimes sunt. di
cemus aũt suo loco. nã sublimes, ait, ibi uehemẽ-
tes nõ sunt. Manifestũ est igitur, quod neq; de ab
scessib. hic agit, neq; de cõuulsione, quæ in febriũ
acutarũ fine accidit: sed ea quæ febriũ initia se-
quitur, qualis in infantiũ febrib. freqũẽs cõtinge-
re solet, à qua tamẽ plures liberãtur: ideo malũ di
xit, non letale. nec tamen putes speciale esse di-
ctum. Sed conuulsiones cõplectitur, quæ sunt à
siccitate: & dolores, qui sunt ab inflammatione.

APHORISMVS LXVII.

**IN febribus ex somnis timores uel
conuulsiones, malum.**

COMMENTARIVS.

¶ Et hic pariter nõ animaduertit cur hoc dixe
rit, cũ in 2. Aphorismorũ generaliter pronũcia- Aphor.1.
uerit: In quo morbo somnus laborẽ facit, letale.
hic uerò cũ multo deteriora laborib. scribat, nẽ-
pe timores et cõuulsiones, quæ p se sunt pniciosæ,
& eo magis in febribus: hic adijciẽs etiã à som-
no, postmodũ subiũgit, Malũ: cũ debuerit adiun-
gere, Letalissimũ. Has quæstiones par erat Ga-
lenũ attigisse, sed absit ut duri quicquã arrodere
uelit. Intacta enim erãt hæc à priorib. exposito-
ribus, intacta etiã ab illo. Sed uideamus quæ su-
prà diximus, ibi: In quo morbo somnus etiã sta-
tus tempore, & declinationis laborẽ facit, letale
est: hic uerò generaliter quouis tẽpore somno suc
cedat timor aut cõuulsio, malũ. Sed si in statu uel
declinatione, erit letale non solũ, sed letalissimum.
Vides igitur quomodo apertè differãt hi duo A-
phorismi. Timores ergo, melancholiæ dominium
significãt: etsi cum perturbatione sint atræ bilis.
Ostensum est aũt à nobis in Arte medẽdi parua,

neminē posse ex febre interire, nisi humores ad naturā alterius horū sint transmutati. At cōuulsiones nō ob causam, sed morbū occidunt. Apparet aūt, Galenū & omnes expositores aberrare toto cœlo: quandoquidē maximè excipiūt, quod præcipuè intēdit Hippocrates, scilicet tēpora initij et incremēti. Nā q Galenū & hos tueri uult, frustra oportet ut absurdū ostēdat Hippocratē.

APHORISMVS LXVIII.

IN febribus spiritus offendens, malum: cōuulsionem enim significat.

COMMENTARIVS.

¶ Habet hic spiritus offendens interruptionē & repetitā attractionē in inspiratione, quod frequētius accidit, tū etiā expiratione, musculis septi trāsuersi iam cōuelli incipientibus: quamobrē nil mirū si cōuulsionē significare prædicit, ut potè iā cœptā, & eo in loco qui uitæ maximè necessarius est. Est aūt simile hoc fermè illi 6. Aphorismorū: Aphor.12. In acutis febrib. luctuosa suspiria, malū. Quod uerò & in inspiratione hoc cōingat, Pag.3. Par.2. 2. Epidemiorū docuit Hippocrates, dicens: Dupla intrò reuocatio ueluti superinspirātibus. Quæ uerba etiā in sexto repetit, & in expiratiōe Pag.23. in Coacis prædictionibus: Spiritus qui cū suspirijs extrà feruntur. Meminit horū Galenus Cap.9. tum in Cōmento hic, tum in tertio de Difficultate spirādi, et maximè ubi agit de Lycia, & citat Par.2. locū ex 2. Epidemiorū. Spiritus intrà duplicabatur. post medium. Vult ergo nos docere Hippocrates, quō ex leui cōiectura, quō ad sensum, deueniamus in cognitionē futuræ cōuulsionis, ex qua mors subseq solet, maximè cū sub morbi fine hæc acciderint.

APHORISMVS LXIX.

QVibus urinæ crassæ, grumosę, paucæ, nō sine febre, multitudo ueniens ex his tenuis, iuuat: præcipuè uerò tales ueniūt, quibus ab initio uel breui, sedimen est.

COMMENTARIVS.

¶ Vix effugere poterat Galeni increpationē Hippocrates. taxat illū quòd dixerit Tenuis, dicēs: Tenuioris dicere debuit, quippe quæ ad crassam cōparata, solū tenuis sit: p se uerò mediocris & cōcocta. adijciēs, hūc Aphorismū etiā sic intellectū esse de his quæ rarò accidūt. Itaq; quis ferat iurè hūc hominē? et tamen nō deerūt q me iniustè calūniabūtur, haud memores me iustè tueri cū ueritate utiliter Hippocratē, Galenū eū iniustè magna cū iactura medicorū & humani generis accusare. Vter nostrûm delinquat, apparet: nisi adeò in Galeni uerba iurassent, ut iā nō Galeni cōmētaria in Hippocratē, sed Galenū ipsum appellēt, omissoq; textu legāt solùm cōmentaria. Sed mittamus hæc, & ostendamus, Galeni interpretationē præter id quod damnet Hippocratem, falsam esse, & inutilē. Et quanquā de urinis quatuor libros conscripserim satis magnos, non possum tamē hac in parte deesse Hippocrati, & quod magnifaciendū est, magis ipsi ueritati. Putat primùm Galenus, eam esse rationem urinæ, quæ per crisim eijciatur, & quæ significet. Ipse cum dicat, rarum esse quod scribit Hippocrates: imò illi addo, uix unquā accidere non solùm, sed posse, si interpretationē suam sequamur. At si (ut uerba iacent) ego sæpius uidi, ac frequēter & in dies cōtingit, medicinā legitimè exercēti. & ne res testimonijs agatur, ratione desumpta ex hismet quæ ipse supponit in Cōmento, edocebo. Inquit enim: Par est multas effundi urinas, quoniā multa fuit retēta urina. nam pauca effluxerat ob craßiciē. Et rursus ait: Cum magna pars humorū illorum crassorū eiecta sit, reliqua cōcoquatur, tunc excernūtur multo prioribus tenuiores. Demū adijcit, quod sedimen illud haud bonū est, ac cōcoctum. Quibus suppositis, si iam conceditur multā retineri urinā, igitur nō poterit esse concocta: quoniā natura nō potest tantā multitudinem superare, ut nec in cibis. Præterea cū sit iam diu retēta, igitur corrupta, ergo nō cōcocta. Addo, quòd cum materiæ crassæ illæ dissolutæ sint, igitur & urina ab igneo calore, et ita perueniet ad subtilitatē maiorem. Ideo dico quòd Aphorismus est per se clarus, et illius exemplū sæpe uidimus.

Superest modò ut exponamus uerba illa difficiliora, (Præcipuè uerò tales ueniūt, &c.) nā Galenus inter reliqua quod erat exponēdū, omittit, Hippocratē aūt in manifestè ueris accusat. Igitur sensus horū uerborū est, quod hæc multitudo urinæ tenuis, si ab initio morbi, uel statim pòst crassa et grumosa, & pauca uenerit, expectāda erit: quod certè experimento cōprobatur fermè in omnibus. Sed dices, Vbi coctio? Dico quòd nō est necessariū ut præcedat coctio illa exquisita in urinis semper, sed sufficit ut sint bene coloratæ, & nō tenues, ut in Herophōte, Cleanactide, Lang.3.4.7.10.11. Metone Clazomenio, muliere quæ decūbebat in littore, 1. Epidemiorū: cū in qbusdā etiā tenues fuerint. Multo uerò mir⁹, ubi crisis per urinā fit. Vix enim unquā antè urina concocta apparet.

Verùm obijci solet illud ex Decretorio: Si u- Pag.3. rinæ ab initio similes nō fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitùs tenues, tales ægrè indicāt, ac incōstantes sunt. Vult Hippocrates, q mu

tatio

tatio magna in urinis ad utrũq; extremũ, scilicet mala sit ex medio: at de extremo in extremũ sem p ad crassam, mala: ad tenuẽ etiã, si cũ paucitate fuerit. Repetamus ergo sensum Aphorismi: Cũ in urina prĩcipaliter cõsiderẽtur substãtia, quãtitas, qualitas, et cõtẽta: in Aphorismi initio accipit tria, In 72. 74 & 81. omissa qualitate, cũ de hac sit inferius uerba facturus: scilicet quantitatẽ, substantiã et cõtenta. Grumosas appellat, in quib. cõtenta crassa sunt inæqualiter. nã crassicies æqualis quandoq; inuicta est: & tam diu supprimit, quãdiu ad mortẽ p uenıãt. Cumq; urina hæc multa profluxerit, nõnunquã moriũtur, et si melius se habere uideãtur: ideo iuuat p se, nõ simpliciter. Iam enim corrupto sanguine, & debilitatis uiribus, etsi materia morbi educatur, & morbus etiã cesset, ex alio tamen morbo ex priore genito pereũt. Ero aũt breuior ob id, q, usq; in finẽ libri de nulla alia re cõtinuato sermone, quam de urinis, sermonem facit.

APHORISMVS LXX.

QVibus urinę perturbatę, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis uel adest, uel aderit.

COMMENTARIVS.

¶ Non est cur meminerim hac in parte Galeni, qui doctrinã de urinis totã confudit, ut in libris de Vrinis docuimus. Neq; enim in quo differãt cõcreta, turbida & cõfusa cognouit. nanq; urinæ semper cõcrescunt à frigore, & turbãtur à calore, & cõfunduntur ab imbecillitate. Ignoscãt ergo lectores, si parcè usq; in finẽ de eo uerba habuero, cũ nullius partis medicinæ q̃ huius expers magis fuerit. neq; enim ubi & quomodo fieret dignouit: sed potius cõsulamus Hippocratẽ, qui nihil ignorare in arte uisus est. Is igitur in Pag.21. septimo Epidemiorũ inquit: Eualcidæ famula cũ „ multo tẽpore densæ urinæ prodijssent, et capitis „ dolores adessent, phrenitica facta est, et mortua est. Eodem modo ex uehementibus doloribus. Nam urinæ densæ & conturbatæ certum signũ sunt doloris capitis, & cõuulsionis, ac mor„ tis. Et rursus parum antè: Polyphãto in Abderis „ prodijt urina rubicũda, cõturbata, uelut iumenti: „ mente motus est phenitico modo, mortuus est in „ uehemẽtibus cõuulsionib. Quidã cauillãtur Hippocratẽ, uolẽtes ut adijceret In febribus: qa dicũt, citra febres nõ est uerũ, ut in equitantib. incõmodè. dico etiã, Ex esu peponum urinæ mihi prouenıunt ualde turbidæ, sine dolore capitis. omnia hæc ex ignorãtia adueniũt uerborũ. ad quid adiecisset Hippocrates, Quales sunt iumentorum, si quod sint turbidæ sufficit? Vrinæ iumentorũ duo alia habẽt, quod ad substãtiã attinet: omitto modò de odore tetro, & etiam colore: scilicet quòd sunt uehemẽter turbidæ, scilicet mistis materiebus crassis: deinde quod nõ clarescũt, aut residẽt. Cum igitur hæc inueneris in urinis turbidis, scies nõ renũ uitio tales esse: etenim in illis turbulentum ab urina intra aliquot horas separari solet. Sed neq; materia est adeò crassa.

Demonstratio igitur talis est: Si urina fuerit huiusmodi, necesse est materiã crassam ob substãtiam contentorũ à magno calore præter naturã agitari, aliter nõ posset misceri substãtiæ urinæ: & naturã esse imbecillẽ, aliter nõ esset confusa: igitur oportebit propter calorẽ cum sit attenuata, ferri sursum, & à capite recipi ob imbecillitatem, quare fiet dolor. Quòd uerò pluribus caput doleat citra urinas, clarũ est: quandoquidẽ execrabilis esset morbus capitis dolor, si semper cum huiusmodi urinis accideret. nanq; hæ urinæ si sint quales dixi, ne decipiaris omnino, fermè semper occidunt hominẽ. Apparent aũt in morbis pestilentibus, & plerunq; fœtent, et tunc pestilentiæ quasi certum signũ sunt. Porrò totam hanc tractationem breuiter percurrã, propter ea quæ de illa in eis libris scripsi. Non omittam tamen illud Adest, uel aderit. quasi dicat: Vrina huiusmodi „ præsentem quandoq; significat dispositionẽ, etsi tum deterior est: quoniã semper futurũ indicat, et ob id perseuerantiã: quia tamẽ uulgus nõ id nouit, quòd futurũ nõ excludit præsens, propterea nos de hoc admonuit. Memento quòd in Coacis Pag.20. prædictionibus etiam de alba intelligitur. inquit „ enim: Alba, uelut iumentorum, capitis dolorem.

APHORISMVS LXXI.

QVibus septima iudicatur, his nubeculã habet quarta die rubeam: & alia ex ratione.

COMMENTARIVS.

¶ Tot mihi occurrunt, quæ confusionem in dictis Hippocratis pariũt, ut nisi ad demõstrationes recurrerẽ, impossibile esset eius mentẽ explicare: quorũ omniũ causa est, facũdia nimia Gale Com.64. ni, et tractatio postmodũ parũ diligẽs. Dixi tamẽ superius, quòd natura ubi coxerit materiã, statim mouet illã. igitur fieri nõ potest, quod dicit Galenus, ut sit cocta in quarta, & fiat crisis in septima, nisi in malo curãdi modo. Si ergo crisim expectare oportet, etiã perfectã coctionẽ expectare ea die: igitur in die indicatiua mediã, scilicet in medio itinere. Sed quarta est indicatiua septimæ, secunda Aphorismorum: igitur in quarta appa- 24. rebit signũ mediæ coctionis. Est autẽ media co-

ctio rubra nubecula, igitur illa expectãda erit in Quarta. Sed quia uidebat Hippocrates, quod nõ est necessariũ semper ut urina in crisi sit perfectè cocta, ideo subiecit illa uerba, Et alia ex ratione. tria innuẽs. Primum, quod erit dimidia coctio in quarta non perfectæ semper, sed eius quæ futura est in septima: uelut si in septima erit multa, & crassa erit: in quarta multa tenuis, bene colorata. Secundũ, ut intelligeremus eadẽ signa debere intelligi in alijs generibus sputi, tum accidentiũ. Tertium, ut in alijs diebus, ut in uigesimaseptima pro trigesimaquarta, in quadragesima pro sexagesima aut octuagesima. atque ita de alijs. At uerò rectè subiũgit Galenus, quòd exemplũ Hippocratis de quarto et septimo firmius est quàm in reliquis. Quibusdã enim signũ mediæ coctionis apparuit in undecima die, & facta est crisis in quartadecima: alijs in decimaseptima, alijs in uigesima. Et rursus dicit uidisse hoc signũ in septima, et iudicatus fuit in quartadecima. Quia ergo determinare hoc longũ fuisset, ob id Hippocrates paucis regulã generalẽ tradidit: uelut si dicamus, quod in undecima appareat multa urina mediocris substantiæ, coloris boni cum sedimento rubro, iudicabitur in quartadecima: & si cum sedimento rubro fuerit, urina tenuis & boni coloris in decimaseptima, & si sit tenuis & rubra cũ sedimento seu nubecula rubra (nam nunc nõ distinguo) iudicabitur in uigesima. Sed dices, quod etiam obijcit Galenus in expositione, Hippocrates in Prognostico inqt: Si uerò fuerit urina subrubra, & subsidentia eius similis & leuis, diuturniorem quidẽ hæc morbũ quàm prior significat, sed ualde salutarẽ. Vbi Galenus exponẽdo dicit, quòd talis urina significat nõ separari sanguineã partẽ, nec planè euinci ipsius urinæ. Itaq; hoc nõ repugnat dictis Hippocratis: quia si alba fuerit, significat statim solutionẽ morbi. Sed raro accidit, nisi in ipsa die crisis, ut sit omnib. naturis absoluta urina. At dices: Si est iudicãdus morbus ipso die in cõcocta urina, quare Hippocrates non id dixit: sed solũ securitatẽ morbi, et breuitatẽ significare dixit? Et maximè cũ præsupponat, per totum morbum perseuerare? igitur non significat crisim statim. Respondeo, quòd aliud est de mutatione, aliud de ea quæ perseuerat, quæ non potest significare morbi materiam. Dictum est aũt suo loco, quãdo morbus sit crudus, & urina cocta, de mente Hippocratis.

Pag.4.

2.Prog. Com.27.

APHORISMVS LXXII.

QVibus urinæ albæ & perspicuæ, malæ: præsertim si in phreniticis appareant.

COMMENTARIVS.

¶ Vt in primo de Vrinis uisum est, hoc genus perfectæ est cruditatis signũ, ac primũ, qđ semp malũ est et in ægris, et cũ pseuerat: magis uerò si utrunq; adsit. et in acutis mortẽ breui, in diuturnis morbũ significat insanabilẽ: in morbis aũt capitis, præcipuè phrenitide, deterior. atq; eo magis si permutetur ex mala, & ad contrariũ, uelut ex uinosa uel fusca uel nigra, uel cærulea uel uiridi, craßis. tunc enim intra tertiã diẽ mortẽ prædicit. Percurramus uerò causas omnes aquosæ urinæ, sic enim uocatur alba & perspicua. Prima est, potus aquæ maximè copiosæ. cũ enim nõ possit euinci, prodit qualis bibitur, magis aũt tẽpore hyemis: & senib. ac mulieribus, nõ solũ quod frigidiores sint, sed quia ob situ minus in uesica retinetur. Propterea dicebat Hippocrates sexto Epidemiorũ: urina cõcolor cibo & potui, et qualis fuerit intus colliquatio. Et hic modus sol⁹ est innoxius aliquãdo in sanis. Vidi enim matrẽ meã, etiã cum biberet uinũ, quandoq; permultos dies in hyeme talẽ mingere urinã. Secũda, est obstructio in renib. atq; locis uicinis, et maximè cũ ibi abscessus durus fuerit: et si nõ adsit, dolores tãdẽ prænunciat cõgregata sordicie, atq; retẽta: unde lapilli, arenulæ ac talia. Tertia est hectica renũ, & extenuatio locorũ huiusmodi, in quib. solet cõcoqui urina. Quarta, est caliditas renũ ac iecoris, trahentiũ potũ, & nõ cõcoquentiũ, ut in Diabete. profluit enim aqua, ut bibitur. Quinta est, cum nõ cõtinetur ob imbecillitatẽ membrorum urinæ à causa frigida, uel ob multitudinẽ potus: ut in his qui bibũt copiã aquæ, præsertim Thermarũ Villæ atq; Lucẽsiũ, uel aliarũ. prodit enim, qualis bibitur. Sexta est sicca & frigida intẽperies iecoris, cõfirmata præsertim. à frigiditate enĩ alba, id est aquei coloris: sic enim album intelligi debet, cũ omnia perspicua talia sint, aqua, uitrũ, crystallus, adamas, ut in libro de Coloribus & gẽmis docuimus: à siccitate tenuis, atq; ideo perspicua efficitur. Atq; hæc tandem mortẽ affert ex doloribus, plerunq; ob retentionẽ eorũ quæ excerni debent. Vitant periculum diu, si natura protrudat salsum humorem ad cutim, perpetiaturq; homo quandam scabiem quasi perpetuam: ut ego patior, & passus sum. Sed intemperies est lenis, & ætatis beneficio etiã rationis uictus potius imminuta quàm aucta. Septima est, quæ maximè huius Aphorismi extremæ parti conuenit, cum bilis aliò fertur, præsertim ad caput, ut in phreniticis: fitq; urina alba, & sæpe etiam, ut uidi,

Sec.5.

uidi, egestio, quæ statim quasi perimit. Sed generaliter alba urina noxia est in morbis capitis. Vn
Pag.27. de illud Coacarū prædictionū: Comitiali morbo
,, laborantibus, urinæ tenues & crudæ, præter
,, morē sine repletione, morbi inuasionē significāt:
,, tum aliàs, tum si quis dolor aut cōuulsio in sum-
,, mum humerū aut dorsum aut collū incidat, aut
,, torpor corporis fiat, aut somniū turbulentum ui-
Pag.3. derit. Sic illud eiusdē: Vrina aquosa quandoq; si-
,, gnificat affectiones statim turbulentas, uigilias
,, inducentes & delyriū, quæ sanguinē largū fundunt, & sic soluuntur. Octaua, est lapis in uesica uel renibus, etiam si non obstruat, & reducitur ad Quintā. Vnde illud in libro de Aere, aqs
Pag.7. & locis: Vrinā splendidissimā calculosi mingunt ad modū seri. & loquitur de lapide uesicæ. Cum enim ob iritationē cōtineri urina nō possit, cruda mingitur. Fieri enim nō potest, ut nō cōtenta concoquatur: ex quo apparet, nō solùm in iecore & renibus, sed etiā in uesica urinas cōcoqui. Nona causa ad exitū potius reduci potest, ueluti il-
Pag.13. lud in Coacis prædictionibus: Vrina aquosa al-
,, uos temporis progressu malè afficiendas signifi-
Pag.5. cat. Et in Prognostico: Quicunq; tenues & cru
,, das urinas mingūt, multo tēpore, si alia uelut su-
,, perstitib. futuris signa fuerint, his expectare ab-
,, scessum oportet in locis infrà septū trāsuersum.
,, Et rursus in Coacis prædictionibus: Vrina aquo
Pag.26. sa aut turbata friabili asperitate aluū liquidā esse
,, significat. Cōparatur aūt urina quādoq; ad cōditionē status huiusmodi: In quib. febris cessauit, si
,, urinæ crudæ sint, et alia signa nō secundū ratio-
,, nem euenerint, morbus in die iudicatoria recidi-
,, uat, in Decretorio ait Hippocrates. Quandoque
Pag.4.
Pag.26. ad mutationē referūtur, uelut rursus in Coacis
,, prædictionibus: Tenuis ualde urina, si dēsa fiat,
,, num sudorē futurū indicat? Quandoq; ad opera-
,, tionem: Quibus ab initio urinæ tenues, tales ne
Pag.16. purgato. de Ratione uictus in acutis. Neq; omit-
Pag.4. tere oportet, quod dicebat secundo Prædictio-
,, num: Vrinā iuxta potionis copiā mingere opor-
,, tet, & semper æqualē, & aceruatim, & momē-
,, to paulo crassiorē quàm id quod in potu acceptū
,, est. Si uerò fuerit aquosa et copiosior quàm id qđ
,, in potu imperatū est, significat hominē non obe-
,, dire, sed copiosiore uti potu, aut nō posse nutriri.

APHORISMVS LXXIII.

QVibus hypochōdria suspēsa, murmurātia, lumborū dolore superueniente, his alui humectātur: nisi flatus erūpāt, aut urinæ multitudo proueniat. Hæc uerò in febribus.

COMMENTARIVS.

¶ In febribus si tumeant hypochondria, & murmurent, humores cum flatu cōtineri in uentre decernitur. nā si humores soli, nec dissoluti, murmur nō aderit: sin flatus, etiā soli nō murmurabunt, uerùm à febre soluentur. Si ergo lūbi doleant, materia descendit: quoniā dolent infrà trahentib. mesaræo atq; intestinis, unde alui humectantur, si materia crassior fuerit: aut si tenuior, cōuersa à calore febrili in aqueā substantiā per urinas educatur, nō p sudores, cū nimis in profundo decūbat: aut si tenuissima sit, p flatus erūpat. Causa igitur diuersitatis est quadruplex: agens, et est calor febrilis: materia tenuis, crassa, uel tenuissima: locus, & est tensio hypochondriorum cum murmure in eisdē, et motus ad inferiora, sci
licet ad lūbos. Quid lumbi, quid hypochōdria, di 2. Aph.35.
ctū est superius. Illud nō ferēdū, quod dicat in febrib. quasi ab abscessib. distinguat. hoc enim ope
rosum esset. sed et causa clara est. Etsi enim hæc 4. Aph.11.
sequi possint febre nō adiūcta, sæpe tamē nō eueniūt, quia non dissoluuntur materiæ illæ: uel serius, ut ex eo uenisse nō credas. Murmura aūt fiūt,
ut Galenus refert libro de Differētijs symptoma Cap.5.
tū, uel ob angustias meatuū, uel ob flatus, uel u- in fine.
trunq;. nā qđ additur de motu, ad trismos ptinet.

APHORISMVS LXXIIII.

QVibus sperat̄ ad articulos futurum abscessum, liberat et ab abscessu urina multa, crassa & alba facta, qualis in lassitudinarijs febribus quarto die quibusdam incipit fieri: si uerò etiā ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

COMMENTARIVS.

¶ Superius dixerat, lassitudinem habentibus Aphor. 31.
in febribus, in articulos & circa maxillas potis- „
simum abscessus fiunt. Et rursus: Quibus febres „
longæ, his tubercula uel labores in articulis fiūt. Aph.44.
Si igitur in huiusmodi febribus contingat urina, qualis dicitur euacuata, abscessus materia liberatur æger, absq; illius aduētu. Quòd uerò dicat, in quarto die tales urinas aduenire in febrib. lassitudinarijs: scire primū decet, quæ nā sint eiusmodi
febres, an illæ quarū meminit primo Prædictio- Pag.6.
num, dicēs: Quibus ex rigore febres ex lassitudi „
ne, his menses muliebres decurrūt. at collū in his „
dolorosum est, sanguinis eruptionis è naribus si- „
gnū. Clarius in Coacis prædictionibus: Quibus Pag.24.
ex rigore febris lassatoria, mēses decurrūt, collū in his dolorosū sanguinis eruptionē inducit. Vel
ut in 3. de Diæta: Dolet corp⁹ totū, aliquib. pars, Pag.5.

,, & dolor est sicut laßitudo, & delassati sibi ui-
,, dentur, segnitieq́; ac repletione curantur, donec
,, ad febrem perueniant, & adhuc nondum hoc co
,, gnoscant. Inde subijcit aliud genus: Caput ipsis
,, dolet, & grauantur, ac palpebræ ipsis à cœna cõ
,, cidunt, et in somnis turbantur, & calor ipsis in-
Lang.2. esse uidetur. Sed nullibi melius quàm in primo E-
pidemiorũ: Silenum ex laßitudinibus et potatio-
nibus atq; exercitijs intempestiuis febris corri-
Lang. 8 ex primis. Pag.3. puit. Et tertio Epidemiorũ de adolescẽte in Men
daciũ foro, & primo de Prædictione: Febres so-
porosæ, lassatoriæ, caliginosæ, uigilias inducen-
tes, exudantes, malignæ. Videtur autem mihi nõ
de his ultimis intellexisse Hippocrates: quando-
quidẽ & Silenus & adolescens ille interierit: ser
mo aũt est hîc de superfuturis. Vt sint duo earum
genera, et in primo quoties acciderit, hoc in quar
to. rarò enim serius differt ob abundantiam ca-
loris acquisiti humidum dissoluentis, fiunt etiam
multo securiores ac breuiores. Sunt qui loco las-
satoriarum, uel laßitudinum, legant laboriosarũ,
magis Latinè, sed idem.

Declaratur hic Aphorismus satis pulchrè, ac
quasi exemplo doctrinæ admisto, sexto Epide-
Sec.4. miorum, his uerbis: Vrina crassa, alba, qualis Ar
,, chigenis familiari erat, in laßitudinis febribus
,, quarta die aliquando prodit, et liberat ab absces-
,, su: si uerò ultra hoc sanguis etiam eruperit è na-
,, ribus largè, etiã ualde. Et citatur à Fuchsio appo
sitè, declaratq́; nobis mentem Hippocratis, quo-
modo intelligendus sit Aphorismus, maximè cir
ca eam partem profluuij sanguinis narium: quia
præsupponit, ut sit urina illa dicta nõ per se. Ergo
per laßitudinẽ febres intelligere oportet eas, quæ
in tertio de Diæta scribũtur, nõ laboriosas, id est
periculosas: sed neq; quas multus labor præceßit,
sed mitiores, in quibus adest laßitudinis sensus.

APHORISMVS LXXV.

SI sanguinem aut pus mingat, renum aut uesicæ exulcerationem significat.

COMMENTARIVS.

¶ Ex duobus sub diuisione sumptis, de duo-
bus iudicium etiam sub diuisione facit. Seu ergo
sanguinẽ mingat, exulceratione in rebus uel ue-
sica significat, seu pus. Ideo quòd cum dixerit in
Pag.ult. libro de Humana natura, Quibuscunque urinæ
cruentæ sunt, his uenæ laborant. neq; enim alibi
sanguis inuenitur, præterquam in cordis uentri-
culis, quàm in uenis. qui enim in lacuna capitis
sub craneo est, ex uenis se inuicem collidentibus
est. At ergo si οὐρῇ, id est mingat, sanguinem diu
mingere & perpetuò significat. laborantibus i-
gitur sic uenis, ut perpetuò sanguis cum urina
prodeat, fieri necesse est ut in renibus causa sit
perpetua mictus, aut in uesica. Quare neq; in pe
ne ipso, sine urina etiam aliquando prodibit: neq;
in iecore. nam non sanguis, sed urina sanguinea
meijtur: igitur in uesica uel renibus ulcus erit. nã
it qui prodit per circuitus, quemadmodũ ait Pau
lus & Aetius, quiq; suppressus ex toto solet hy- Lib.3.c.45.
dropem parere: non perpetuus est, ut in Apho- Sec.3.
rismo dicitur. Laude dignus est ergo hac in par- Lib.11.c.2.
te Galenus, qui hoc animaduertit, uelut & reli- &3.
qua omnia optimè. neq; enim in tota serie Apho-
rismorum tam breuiter & perfectè quicquam
exposuit. Nam & illud optimè consideratum, si
non in uenis effatu dignis ulcus sit, apparere
solum pus.

Supersunt tantùm duo cõsideratione digna.
Primùm, cum ex imbecillitate expurgantur re-
nes, nec per circuitum, ut ijdem auctores docẽt,
uidebuntur sanguinem mingere sine ulcere ea-
rum partium. Mihi sanè non sanguinẽ excludere
posse uidentur, sed sanguineũ cruorem: uerùm si
ob caliditatem fiat apertis uenis, sanguinem qui-
dem minget, sed non perpetuò. Duo enim illud
Mingat continet, & ut longo tẽpore, & ut bre-
uibus interuallis solùm mingere desinat. Alterũ
est de ureteris, putat Galenus cõprehendi, cum
inter duo nominata mẽbra contineantur. At for
san melius est dicere, cum tam angusti sint, non
diu perseuerare ulcus in ijs posse meatibus, quin
ad hydropem intercepta urina perducãt. Iisdem
rationibus etiam quicunq; sanguis aut pus quod-
uis per crisim eiecta, uel ex pulmone uel ex al-
tioribus locis, exploduntur per uerbũ illud Min-
gat. At uerò si quis Et pro Aut in prima parte A-
phorismi legere uelit, nimis in angustum, & fru-
stra (meo iudicio) contrahet illius sententiam.
Multi sunt & de hoc Aphorismi infrà paulo pòst 78.80.81.
explicandi. Sed illud non est omittendum, libri
de Vlceribus: defluxionem sanguinis ex omni-
bus ulceribus recentibus utilẽ esse, modò in uen-
tre non sint, quod pus nõ generatur, neq; sanies,
& quod ulcus siccatur. In his aũt ob uiarũ angu
stiam nõ est irritãdus, ut ibi præcipit fieri: sed ut
defluat sinere, statimq; exiccãtia adhibere. nã il
lic cum ulcus oculis subiacere supponat, spongiã
alligat siccam. Scribitur aũt in huius Aphorismi
sententiã secũdo Prædictionũ: Sanguinem min- Pag.4.
gere rarò quidẽ, & sine febre ac dolore, nihil ma
li significat: sed laßitudinum solutio fit. Si uerò
sæpius

ſæpius mingat, & aliquid ex his acceſſerit, ma-
lum eſt. Verùm prædicere oportet, ſiue cum fe-
bre ſiue cum dolore mingatur, futurum ut inſu-
per pus mingat, & dolores cum his & afflictio-
nes quieſcant.

APHORISMVS LXXVI.

QVibus dum urina craſſa, carũculæ paruæ, aut ueluti capilli unà exeunt, ĳs à renibus excernitur.

COMMENTARIVS.

Pag. 4. ¶ Scribitur hic Aphoriſmus libro de Natu-
ra humana, hoc modo: Quibuſcunq; dum urina
craſſa eſt, carunculæ paruæ capillorum inſtar
prodeunt ſimul, ĳs à renibus excerni ſcire opor
tet, & ab arthriticis. & eodem modo Aphoriſ-
Lib. 2. mus à Celſo exponitur. at Galenus legit ſeor-
Cap. 7. ſum, Capillamenta & carunculas. Nihil mirum
eſt in hoc genere, quod non uideatur: capillos pri
mum flauos ad palmi maioris longitudinem uidi-
mus, quandoq; cum doloribus renum uehemen-
tiſsimis, & ſuppreßione urinæ: quandoq; abſque
morbo uidimus, & aliorum colorum, uelut etiã
arenula, lapillos. At in nobis duo magis admiran
da præter hæc, & quæ pluribus annis, licet non
perpetuò perſeuerarunt, grummos atramento ſi-
millimos, & in magna copia, omnes eiuſdem for-
mæ & magnitudinis lentis minoris quaſi, & cir
citer ſexaginta coni rotundi, ſed nõ acuti: emitte-
bam una uice modò plures, modò pauciores, ſine
ulla prorſus læſione. Occiſo filio (nam ego de-
terrebar, quaſi ominoſum eſſet) nihil tale uidi.
Aliud fuit, mictus uermiculorũ plurium alborũ,
breuium, tenuiſsimorũ, qui nec pediculi dimidiũ
æquabant, diuq; uiuebant. Aliàs dixi de quodam
nobili Hiſpano, qui in omnibus excrementis &
ſanguine pilos emittebat: & me conſuluit, nõ pau
cis datis aureis coronatis. Carunculas an uide-
rim, non memini. Differt aũt hæc excretio. quæ
caruncularum fit, ulcera renum ſignificant: pilo-
rum aũt nequaquã. Generantur pili hi prælongi
in renibus, ex materia tenui, lẽta, terrea, à calo-
re immodico, ut reliqua omnia quæ conſiſtentiã
habent. Vnde curatur patiens hæc, humectanti-
bus, attenuantibus ac diſſecantibus. quamuis te-
nuis enim ſit materia, magis attenuata, non poſt-
modum coire poteſt. Ait autem Galenus, uidiſſe
ſemper in huiuſmodi urinam craſſam ac pituito-
ſa ſubſtantia, imò potius cruda materia. Pituitæ
enim calor dominatur, ut ipſemet ait in octauo
Cap. 7. de Decretis Hippocratis & Plato-
nis: humori crudo mi-
nimè.

APHORISMVS LXXVII.

QVibus in urina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, ĳs ueſica ſcabie laborat.

COMMENTARIVS.

¶ Videtur mihi altius quiddã inſinuaſſe Hip
pocrates, quàm ab expoſitorib. plenè explicetur.
eſt aũt huiuſmodi: Si urina craſſa eſt, nõ eſt ueri-
ſimile, neq; fieri poteſt ut furfuracea altius quàm
à ueſica deducãtur, anguſtis meatibus tũ renũ tũ
ureterarũ. Præterea quòd quæ deciderentur à
membris, uelut fieri cõſueuit in morbis acutis, ca
lore uiolẽto adurente, urinã cõiungerent tenuẽ,
nõ craſſam. Si igitur & ſaluũ eſt uenenoſum ge-
nus, & urina liberè ꝑdit uſq; ad ueſicã per mea-
tus anguſtos, neceſſe eſt materiã illã furfureã nõ
ueniſſe longius quàm à ueſica. Sed cũ nec ex pi-
tuita alioq; humore in ipſa ueſica generari poßit
(quoniã locus ille nõ adeò calidus eſt, nec ſiccus,
ut quotidie poſit talẽ materiã cogere) neceſſe eſt
igitur ut ab ipſa ueſica prodeat, quæ humore ex-
uſto laborãs, eas ſquãmulas (uelut in pſora, lepra,
ſcabie, impetigineq;) reſecat: quo fit ut huiuſmodi
morb. ſit inſanabilis, q nec à ſalſedine urinæ pro-
hiberi potuerit, nec ab illius acredine ueſica poſ-
ſit liberari. Memento aũt ut furfuracea à ſquam-
mulis, de quib. infrà aget, diſtinguere ſcias. nam Aphor. 81.
illa ulcus, non ſcabiem ueſicæ ſignificant: quam-
uis ex ſcabie perſæpe in ulcera deueniant, quem-
admodum etiam in cõmuni ſcabie. quomodo ue-
rò furfuracea à ſquammis differant & tenuita-
te & paruitate & colore magis obſcuro (ob te-
nuitatẽ enim magis aduruntur: & quia non eum
reddunt tetrum odorem quem ſquammulæ, neq;
urina purulenta eſt) perſpicuum eſt naturam u-
triuſq; contemplanti, & ſubſtantiæ ueſicæ non
oblito. Videtur autem mihi opportunũ, ut addam
quod ſcripſit Hippocrates quinto Epidemiorum: Pag. 4.
In Lariſſa Theophorbi filius ueſicã ſcabioſam ha
bebat, & urinã tenacem ac lentã mingebat, do-
lebatq; dum mingere inciperet ac deſineret, &
pudendũ confricabat. Hic cũ bibiſſet pharmacũ,
urinã ciens acre, in ueſicã quidẽ nihil proceßit,
uerùm multum purulentũ cum bile euomuit, &
deorſum alia huiuſcemodi egerebat, & uentrem
dolebat, ardebatq; intrinſecus: reliquũ uerò cor
pus frigidum erat, & totus reſolutus eſt, & ni-
hil aſſumere uolebat. Huic ex ui medicamẽti ex-
ulceratus eſt uehemẽter ualde uẽter, & mortu*
eſt tertia poſt potionẽ die. Quibus ſignificatur,
nõ utendũ acribus, neq; deducendã materiam ad
locum arctum iam læſum, & tã uitæ neceſſariũ.

Est autem glutinosa urina finis scabiosæ uesicæ, & propria iam ulcere laboranti. Porrò quæ mala prodeãt ex uesica affecta, ex tribus dignoscere oportet: operationis impedimento, si urina supprimatur aut ardeat, aut tinesmonẽ patiatur, aut nimis fluat: & ex ijs quæ perpetuò eijciuntur, de quib. diximus in his Aphorismis & sequentibus, tum maximè in septima particula Aphorismo illo, Qualia etiam sint uesicæ & alui excrementa. & ex adiacentibus, ueluti tumore, duricie, febre, ut in Coacis prædictionibus. Scribitur autẽ & hic Aphorismus in libro de Natura humana hoc modo: Quibus pura est urina, & aliàs atq; aliàs uelut furfures in urina innatãt, horum uesica scabiosa existit. Itaq; furfuracea in imo sæpe uidimus innatare, suprà nunquam: sed bene dum minguntur, circumuoluuntur in ipsa urina, nec statim descendũt, ut capillamẽta, arenulæ, squãmæ: & quod carunculis simile est, & à nobis nõ semel uisa: hæc uerò, ut in urinis turbidis, diuluctantur ne descendant.

79. in editione ult. Hippoc. fine cómento.
Pag. 20.
Pag. ult.

APHORISMVS LXXVIII.

QVicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus uenulam ruptam significat.

COMMENTARIVS.

¶ Ἀπὸ ταὐτομάτου, & sine causa manifesta, & repẽtè significare potest: cum uerò absq; causa manifesta, ex ulcere uesicæ etiam contingat sanguinem mingere, non autem repentè, sed paulatim ex erosione soleat accrescere, repentè prodire non potest ex illa: at ex renibus potest fracto uase, quippe uenæ renum oppletæ sunt sanguine, cum membrum sit carnosum: ad uesicã uerò non prodeunt uenæ, quæ sanguinem deferant (cum urina iam à sanguine expurgata, ad illam ueniat) nisi quantum sufficit nutrimenti gratia. Atq; hæc optimè (ut mihi uidetur) à Galeno explicata sunt. Sicut & illud, Quod si ex apertione uenæ renum contingat prodire sangineã urinam, quia non consertim prodit, non aũt sanguinem: quare relinquitur, ut repentè per urinã prodeunte sanguine, necessarium sit uenulam aliquam ruptam esse in renibus. Quòd et si sponte intelligamus, id est absq; causa manifesta, etiam defendi fermẽ eodem modo potest Hippocrates. nam ulcera uesicæ cum adsunt, declarantur: & maximè si magna sint, tũ ex dolore tũ ex squãmis, ut infrà uidebitur, indicantur: ideóq; si tum sanguis fluat per urinam, non erit absque causa manifesta. Quamobrẽ dictum Hippocratis quomodocunq; exponatur, uerũ est, atq; etiã euidẽs.

Aphor. 81.

Illud forsan è re magis fuisset inuestigare, quare Hippocrates scripserit, φλεβίου, id est uenulæ: non φλεβὸς aut φλεβῶν, id est uenæ. Inquit enim in Mochlico: Principalis uena quæ iuxta spinam est, etiam in renes radices agit tenuibus ac fibrosis uenulis iuxta spuriam constam. Et rursus in libro de Locis in homine: Duæ quidem uenæ iuxta tendines colli feruntur, & iuxta uerticula, & desinunt in renes, hæ autem in testes etiam penetrãt: quæ cum affectæ fuerint, homo sanguinem mingit. Et rursus in Mochlico: At uerò ren cauam sui partem ad uenas magnas situs est. Vnde ex ipso in uesicam uenæ enascuntur, qua parte potus trahitur per intestina ac uenas, per quas procedit in renes, ubi ueluti p qualum aqua percolatur. Cum enim spongiæ simile sit eius corpus, qua ad uesicã conuersum est, ideo hìc percolatur urina à sanguine, secerniturq;: quapropter etiam rubra (supple antea) existit. Neq; enim in renes aliæ procedunt uenæ, quàm quæ dictæ sunt: neque est alius locus, ubi potus colliquescat, quantum ego noui. Et rursus secundo Epidemiorum: Arteriæ ex ipso rene hinc atq; hinc oriuntur, neruum secum cõiunctum habentes. Ergo ut ex Vesalio Libro quinto habetur, Dexter ren altior paulo est sinistro: in utrunque uena arteriaq; prodit ex uasis magnis, quæ sub spina posita sunt. inde ex utroq; rursus ureteræ prodeunt in uesicam: peculiariter autem ex sinistro, scilicet ex emulgente, antequam in renẽ ingrediatur, uasis seminarij portio defertur in testẽ sinistrum. nam cætera uasa huiusmodi ex trunco uenæ & arteriæ, qua spinæ subtenduntur, infra ipsos renes oriuntur. Inde infrà ait: Antequã uenæ & arteriæ truncus insignis ille in renem ingrediatur, in duos ramos singulæ diuiduntur: unum superiori, alterum inferiori sinus parti offerentes. Moneo (inquam) ne ob id duos sinus interseptos membrana esse credas (superiorem alterum, alterum inferiorem) quæ urinam colet.


Pag. 6.
Pag. 2.
Pag. 1.
Par. 4.
Fig. 23.
Cap. 10.

Verùm ut omnia ad amussim intelligantur uerba, ex Fallopio de hac re subijcere decreui, tum maximè quòd Aphorismi huius causam pulcherrimè aperiunt. In hominis renibus non reperio ego sinum illum exteriorem perforatum, à Vesalio proditum, per quem ferantur uenæ & arteriæ: sed uideo manifesta ipsa uasa per totam horũ uiscerum carnem diducta: idq; in arterijs ac uenis obseruaui, quòd in renibus ita earum substantia attenuatur, uelut in uasis illis quæ per cerebrum feruntur. Hæc tenuitas, fortasse cum sit aptissima ad lacerationem, efficiatq; ne uasa tam

In obseruationibus. Pag. 179.

facilè

facilè à sensu ipso dignoscantur, in causa etiã fuit, ne hoc ab Anatomicis animaduersum sit. Sinũ etiam illum secundum & interiorem ab eodem Vesalio traditum non reperio, sed alium huius loco positum. Nam inter uenas & arterias, quæ in duas partes diuersæ disseminantur: aliæ per substantiam renis posteriorem, aliæ per anteriorem prope renis portas (portas appello simam illam partem, per quam ingrediuntur uasa, et egrediuntur meatus urinarij) uel parum intra substantiã ipsius; sinus quidem est factus ex neruea membrana, qui plures possidet ductus uel fistulas, ueluti si digitos perforatos haberet, in quibus fistulis extremis singulis operculum est carneum, ueluti uerruca quædam acutum, quod aliquantisper in fistulã ingreditur, illamq́; obturat, & lotij stillicidium constituit. Nam operculum hoc ex substantia renis cõstat, quæ ad illud foramen, uel fistulam pertingit, ut in cauitatem lotium percolet. Et aliquando in unoquoq; renis sinu reperiuntur octo uel decem foramina, aut fistulæ dictæ, quibus huiusmodi carunculæ aptantur, quæ ipsas operculi ingredientis modò obstruũt. A' uenis igitus ac arterijs trãsfunditur omnis sanguis aquosus ad renes: huic similitudine substantiæ consequitur serum. Sanguis postea retinetur pro nutritione: qui quia parum ob tenuitatem alit, multus subinde attrahitur, atq; ideo multum seri continuò subsequitur, quod retento sanguine tanquã noxium per carunculas dictas expellitur, & instillatur in sinũ, ibiq; collectũ in latiore sinus parte fluit ad meatum, qui oritur ab eodem sinu, & urinarius uocatur, deorsumq; latus desinit utroq; in latere in uesicam. Vera hæc est renis humani constructio, non aũt canini aut caprini. Nam in capris aut canibus ista minimè sunt explicanda: quod utinã animaduertisset præceptor meus Vesalius. Quoniam neq; in larynge, neq; in lingua, neq; in oculo ita facilè lapsus esset, deceptus potius à bouinis uel aliorũ animaliũ partibus, quas humanarum loco aliquando secuit ac delineauit: quam aut negligentia, aut ingenij crassicie, cum in minutissimis quibusdam rebus ipsum oculatissimum, maximeq; diligentem ac perspicacissimũ fuisse uideamus. Nimis enim in renum hominis anatome pinguedinem, nõ ita tamen timendam, timuit: atq; inde manauit describendi renes brutorum occasio. Ergo cum hæ sint uenulæ, exclusit emulgentes: quæ si frangantur, non mingitur sanguis, sed homo in hydropem asciticam transit: sicut etiam ex seminarijs uasis. apposui autem figuram simplicem. Hæc uolui diffusius docere, ut paucis ad hanc usq; diem cognita: & sub obscuris uerbis, ne ignorasse deprehenderentur ab omnibus, præterquam Fallopio descripta.



Demùm est animaduertendum, tria esse genera emissionis sanguinis ex uenis, iuxta Alexandrum Trallianum: rupturam seu ῥῆξιν, erosionẽ ἀνάβρωσιν, & apertionem seu ἀναστόμωσιν. Lib.7. cap. 1.Sec.1. Hic Hippocrates intelligit rupturam. sed hæc ruptura etiam accidit sensim aliquando: & tunc etiam dicitur sponte secundum expositionem nostram, licet non Galeni, ita quòd omnino & hic uerus erit Aphorismus: & nõ erũt nisi duo genera emissionis sanguinis ex uenis, scilicet ruptura et apertio. nã erosio est causa diuersa, nõ species morbi. est enim ruptura primũ leuis, inde fit magna: aptio aũt oris uenæ aliud est omnino, et differt genere à ruptura ipsa. Vnde sciẽdũ, in finib. uenarũ esse ora uelut sanguisugarũ, & maximè narium, hæmorrhoidarũ, pulmonis & uteri: sed hæc manifestiora cum aperiãtur singulo mense, & iuxta etiã rationem structuræ hominũ, ideo homo naturaliter potest sanguinem sudare propter hoc.

Est forsan difficultas ex dictis Hippocratis libro de Internis affectionibus, cũ inquit: Fit aũt morbus à labore, cum ruptæ fuerint uenulæ ad renem tendentes, & ex hoc ren ipse sanguine rẽpletus fuerit. Hic ubi hæc patitur, cum urina sanguinem mingit in principio morbi, deinde processu temporis pus. Pag.10. Dico, quòd uerba illa corrupta, Venulæ ad renẽ tendentes: sunt etiã in Græco codice, scilicet τὰ ἐς τὸν νεφρὸν τείνοντα: melius, τὰ ἐν τὸν νεφρὸν τείνοντα, id est, quæ in renem tendunt: quod apparet ex subsequentibus uerbis, cum dicat, repleri renem sanguine: tum his quæ dicta sunt. Nam inguis uenæ ad renes tendunt, sed in eis distribuuntur.

APHORISMVS LXXIX.

QVibus in urinis arenosa subsistũt, his uesica laborat calculo.

COMMENTARIVS.

¶ *Maxima & grauissima dubia relinquentes, exigua animaduertimus. nam quòd etiam laborantibus renibus subsidant arenosa, uerum est: sed maius est, quod citra calculum plurimis arenulæ prodeunt. Mihi quidem iam ab annis hinc triginta rufæ prodeunt, & nunc etiam albæ, & quotidie & copiosè, atq; omnino citra omnẽ calculi suspicionem, tam renum quàm etiam uesicæ. Quinetiam, quod longè maius est, iam toto decennio exacto, tantum albæ arenæ adhæret matulæ parietibus, adeoq; concretæ, ut intra quindecim dies si non abluatur, tota lapidescat intus: nec nisi magno labore et corticibus ouorum, atque sic nec perfectè elui ac detergi queat. Vnde mirum, cur non in uesica idem contigerit iamdudum. Et si non contigit, ut certum est (nam nullo usq; nunc uesicæ, imò nec renum uitio laboraui) cur concrescat tam celeriter hæc materia, et in cementum in matula, à uesica autem perfectè quotidie eluatur. Item, quando indicia lapidis ex arenulis sumi licebit, cum nos frustula ad magnitudinem dimidiæ lentis arenulæ albæ sæpius, & maximè per æstatem emiserimus. Neq; hoc solùm in nobis, sed in multis alijs animaduertimus. Leo monachus B. Augustini, qui annum excedit lxxx, sæpe mihi ostendit tantum pituitæ lentæ in matula simul concretæ, ut ouum anseris magnitudine superaret: & tamen lapidem nunquã genuit. Cur uerò arenulæ & calculi renum ex uesica protinus excludantur: uesicæ autem proprij, & in ea geniti maneant. Si enim protinus excluderentur, nemo calculo uesicæ laboraret. Videmus etiam arenulas frequentes, ut uix in lotijs è decem unum ab hoc uitio immunem esse uideam: attamen rari sunt admodũ qui renum calculo laborent, longè rariores qui uesicæ. Oportet autem eorum quæ sunt, causas esse. non enim hæc dicuntur solùm, sed ita se habent. Ob id Galenum imitati, rem ipsam, quomodo se habet, spectare decet: inde illi uerba sententiamq; Hippocratis accommodare, non autem uerbis ipsis sententiam atq; sententiæ rem. Vulgaris codex ita se habet: ὁκόσοισι ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσαται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Brasauolus autem refert, codicem inuenisse, in quo ita Aphorismus hic sic legeretur; ὁκόσοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ, τουτέοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσαται. id est: Quibus uesica calculo laborat, his arenosa in urinis subsistunt. Quæ lectio proculdubiò uerior est: sed tria obstant. Primum, quòd ipse non affirmat, quo ex codice tantam lectionis uarietatem sumpserit. decebat autem docere, in re tanti momenti. Secundum, quòd nec sic exquisitè uera est sententia Aphorismi: cum multi sint qui calculo laborant, quorũ urinæ ut aqua sunt, & absq; ullo sedimento non solùm arenæ, sed neq; alterius rei. Tertium, quod maius est, quoniam hic Aphorismus inter multos scribitur, in quibus ex his quæ in urina sunt, docet morbos renum & uesicæ dignoscere. At sic scriptus Aphorismus inutilis fermè esset, nisi ut intelligeremus, ubi non essent arenulæ in urina, calculum nõ adesse in uesica. Quod si nunquam, hoc raro contingit, paucíq; essent ab hac suspicione liberi. Si non semper: falsum prorsus est. multis enim calculo in uesica laborantibus, urinæ, ut dixi, claræ, & sæpe absq; ullo sedimento exeunt. Non tamen industriam Brasauoli reprehendo, neq; prohibeo quin quisq; utatur hac lectione: quamuis mirum ualde sit, Galeno adeò in harum uarietate exquirenda sedulò nunquam obuenisse.*

Verùm res ita se habet: Materia multa crassa ac terrea cogitur in unũ in uesica. primùm quidem ad quantitatem ciceris aut fabæ, cuius pars intima concrescit: & quoniam eijci non potest, tandem calore ac frigore parte tenui consumpta in lapillum coalescit. Postmodum pars ea circundans, & quæ ei denuò adijcitur, in lapidem transit, atq; ita sensim augetur. Hinc fit, ut hi lapides margaritarum more corticibus constent, & ut intima pars durior sit. Cum uerò iam concreuerit, ut magnitudine limum exuat, uesicam atterit, ob id in ualde se exercentibus nunquam multùm magnus fit. Vtrum uerò à calore, an à frigore potius generentur: dicam, calorem cum crassa materia & frigus fermè idem posse. Vnde in pueris & senib. tales lapilli maximè, non aũt in iuuenibus generantur. Hippocrates ipse in libro de Aere & aquis hæc habet: Quorũ quidem aluus Pag. 6. *satis fluida est, ac sana, & uesica aut uesicæ os non ardet, his facilè urina effluit, & in uesica nihil congregatur: quorum uerò aluus ardens ac feruida fuerit, in his etiam necesse est uesicam idem perpeti. Quum enim magis quàm pro natura fuerit calefacta, stomachus eius inflammatur: ubi uerò hæc perpetitur, urinam non demittit, sed in seipsa concoquit & adurit: & quod quidem tenuissimũ in ipsa est, excernitur:*

& quod

& quod purissimum est, transit ac emingitur: quod uerò crassissimum ac turbidissimũ est, coaceruatur & cõcrescit, primũ quidẽ parũ, deinde maius fit. Dum enim uoluitur ab urina quicquid crassum cõpactum fuerit, sibi ipsi adiungit, atq; sic augetur, in tophumq; euadit. Et cum urinã emittit, ad uesicæ collũ lapis impellitur in uesicæ stomachũ, & urinæ emissionẽ impedit, grauesq; dolores excitat: quare pueri calculosi trahũt fricántq; pudenda. Videtur enim ipsis causa mictus ex loco esse. Signũ aũt huius, quod hæc ita se habent, hoc est: Vrinã splendidissimã mingunt calculosi ad similitudinẽ seri, eo quòd id quod crassimum est ac biliosissimũ, isthic manet et coaceruatur ac concrescit. Et pleriq; sanè lapidem hoc modo contrahunt. Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit, sed ualde calidum ac biliosum: uentrem enim percalefacit, ac uesicam. Quare urina dũ aduritur, hæc patitur. ob id magis pueris uinum minimè meracum confert: minus enim uenas adurit ac resiccat. Mulieribus autem cum urinæ meatus breuior sit, & latior, minus contingit calculi generatio, quoniã urina facilè impellitur. ob id etiam plus bibunt hæ, quàm pueri. Atq; hæc est uera calculi generatio, & iuxta Hippocratis sententiam.

Aliam Brasauolus ex quarto libro de Morbis, quem Hippocrati tribuit, affert: scilicet ut ex arenis fiat, sedimento ueluti glutine copulante: atque tunc in urinis arenosa subsident. Hic modus Hippocrati posset ascribi, si non iam ex genuino illius libro ueram illius sententiam de hoc edocuissemus. neq; enim uerisimile est Hippocratem in uno loco unum, in alio aliud sentire: nec liber ille grauitatem Hippocratis seruat, nec sententiam. Neq; enim Hippocratis mos est numerare signa, quemadmodum ibi facit. Quæcunque autem ex eo ad rem faciunt, utiliáq; fuerint, suo loco addã. Nõ propria ergo est hæc calculi generatio, etiãsi quandoq; contingat: quia natura ut statim arenam senserit, protinus eijcit. Atq; hæc causa est cur rarò ex arena renum, & calculis eorum, calculus uesicæ generetur. nam tales calculi & multo facilius arenæ, cũ è loco arctiore prodierint, quàm sit uesicæ collum, statim eijciuntur è uesica à natura, quæ sensum illorum, tanquam rei ualde abhorrentis, pati diu non potest. Quanquam aliquibus ob situm ac formam, & quia ualde immundat siue sica, differatur: uelut contigit sacerdoti ex ordine B. Augustini, quos uocãt Canonicos. erat autem, ut dicunt, prior, id est præfectus illi congregationi: & Hieronymo Gorlæ mercatori pannorum. hi enim cum aliquandiu renũ dolore discruciati essent, sacerdoti uinum gramineum, mercatori Alexandri medicamentũ è sanguine hyrcino ac myrrha dedi: ambobusq; statim quieuit dolor, ita ut surgerent. Verumtamen molestiam quandam patiebantur, ut nec sani essent, nec ægri dici possent. nam quid sentirẽt, nescire se affirmabant. Tertio pòst die sacerdos lapillum ossi dactyli similem, sed breuiorem eiecit, sanusq; in posterum mansit: mercator autem nõ nisi post dies quindecim, eiecit autem forma & magnitudine dimidij fabæ. Augusto tum statuario, cum per medici incuriam mansisset in uesica, in tantũ auctus est, ut eo morbo cum maximis cruciatibus, ut hi solent, obierit. Atq; hoc cur rarò contingat, dictum est. Cum enim renum calculus nudus sit, adeò uesicam uexat, ut diu non possit retineri, quare nec augeri: qui uerò in uesica oritur, tum quia simul gignatur, tum quia circumuestiatur glutine illo, retinetur. Sensim autem gignitur, ob idq; ex corticibus constare uidetur: moles tamen simul quodammodo antequam perficiatur, adeò magna euadit, ut eijci nequeat. Atque hic tertius est modus generationis calculi uesicæ.

Parum quoq; author quarti libri de Morbis (quanquam Hippocratem illum non esse existimem) ab hac sententia differt. Sic enim inquit: Pag.15.
Sic profectò etiam fex in uesica, dum pituita glutinum fit, emingitur id quod ab urina liquescit. Fex autem subsidet & densatur, ac solida fit uelut ferrũ: ubi uerò subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in uesica uolutatur, & feriens uesicam, dolorem inducit: et si uehementer feriat ac ulceret, aliquid de ipsa aufert. Verùm id quod insuper affertur, adhuc magis quàm id quod arenosum decessit, concretionem efficit. Atque tali modo fit lapis de lacte in uesica: & si puero anxietas aliqua ob hoc oboriatur, àliàs atq; àliàs ubi meiere uult, urinæ meatum apprehendit. At si puero iam adulto lapis gignatur ex terræ esu, dolor non adest ipsi, priusquam ipse sibi ipsi cibum deligat. Et hæc à me de hoc relata sunt.

Cæterùm morbus signa quinq; habet. Nam ubi meiere uult, dolore affligitur, & urina paulatim fluit, uelut in urinæ stillicidio: et est subcruẽta, nimirùm uesica à lapide exulcerata, & uesica inflammata est. Verùm hoc signum inconspicuum est, indicat tamen summa pars præputij. Quandoq; mingit arenosa: uerùm à talibus, qualia ego dicam. Eijcit autem aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos, generatos eodem

modo, uelut de uno dixi. Fiunt etiam tali modo· Quum lapis fuerit concretus, & profundè subsederit in uesicam in arena separata, ita ut ipsam aduenientem lapis nõ assumat in seipsum, sed grauior ac copiosior fiat, ut tamen ipsa ad seipsam nõ concrescat, etiam sic duo lapides fiunt. Fiunt etiam plures eodem modo· Sed & collisis inter se in agitatione aliquid disparatur, & arenosum per urinam eijcitur. Quod etiam aliquando contingit, ubi arena ad uesicam descendit, & non coaluit.

Refert Brasauolus, dissecto Alberto Sauonarola, qui ex huiusmodi morbo obijt, uiro eruditione ac moribus præstante, inuentos decem calculos pondere simul unciarum sex ac semis, forma simili inter se. Verùm, ut dixi, ex arenulis nõ fiunt, ob ea quæ dicta sunt: tum etiam quòd si simul coalescant, in tophos euadunt, nõ lapides, attritúq; franguntur. cùm illi de quibus nuper diximus, necessariò duri essent: quoniam facilè collisi, atq; inter se attriti, dissoluti essent. Ex arena igitur raro aut nunquam lapides fiunt aut in renibus aut uesica, sed in hac multo minus. Et si fiãt, non manent, facileq; in frusta diuiduntur.

Omitto nunc, quibus in locis præter renes et uesicam lapides generentur. nam longa satis per se narratio hæc est. Primùm igitur in intestinis, ut Brasauolus recitat, Gallam mulierem quinq; lapillos mespillorum seminibus magnitudine & colore similes eiecisse. E' pulmone unũ uidi grandini similem, magnitudine grani maizi. In iuncturis gipsum generatur. idem refert, cõtusum ad unciæ pondus eadem præstitisse, quæ uerum gipsum. Non mirum uideri debet illi, qui ea quæ de mistorum uiuentium proprietatibus scripsimus in libris de Subtilitate, legit. Generantur in uesica fellis certè, atq; in uentriculo: rarius in utero, ob pronum situm. Sed color & substantia uaria est. rubri enim sunt renum, quia renes tales sunt: uesicæ albi, molles, nigri, rufi, ferruginei, uarij. Et nisi duri sint, in arenas resoluti exeunt, ob id qui relinquuntur, duriores existimantur: leuiores etiam sunt renũ calculi, quam uesicæ plerunq;, non semper.

Vt autem causam generationis illorum diligentius perquiramus, sciendum quibus communiter generentur, & sunt tria maximè: uinum nigrum, crassum, potens: casei copia & lactis: tum quæ in mari gignuntur salsa & crassa, ut mææ: & quæ arenis plena sunt, ut solenes & chamæ. alia uerò est generatio salis, alia tophi, alia lapidis. Sal nunquã lapidescit, quoniã humidũ potentia est, ut etiam glacies: tophus inter sal & lapidem media est substantia. Generationis igitur lapidis principium est siccitas. Siccitas autem fit, uel quia materia crassa exuritur, uel cogitur. Siccitas igitur causa est cũ materia crassa. crassicies in pueris ob ingluuiẽ & cibos crassos, in senibus ob imbecillicatem innati caloris, in utrisq; autem cruditas est causa propinquissima crassiciei: siccitatis uerò in senibus qualitas ipsa, in pueris autẽ caloris efficacia. Iuuenes sicci quidem sunt, & calidi uehementer, sed ob robur caloris & exercitationem, humorem crassum non gignunt. Ob id Galenus dicebat, turpe esse homini bonam temperiem nacto calculo laborare, scilicet quoniam non citra culpam suam id contingere possit. Verùm in pueris lactantibus calculum fieri, existimat author quarti libri de Morbis, quod nobis uidere nondum contigit: sed triennes & quadriennes pueros, postquã cibum accepissent, hoc morbo tum uermibus primùm tentari uidi, et liberari execto lapide. Quod etiam in uermibus obseruauimus. non enim ante cibi usum uermes in pueris uidi. Cum uerò, quæ de natura & compositione eorum qui ad calculorum generationẽ sunt apti, dicit, in rem faciãt, ante ea quæ recitauimus nuper, etiam hæc habet.

5. De tuen. San. cap. 1.

Lib. 4. de Morbis. Pag. 14.

Cæterùm calculi morbo principium oboritur à lacte, ubi puer lac impurum sugit. Lac autem in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis ac potibus et alimentis impuris nutrix utatur. Conferunt enim omnia in uentriculum illabentia in ipsa ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix nõ sana fuerit, sed biliosa aut aquosa aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malũ puero generatur. Consentiunt enim corpus & uentriculus. Plurimum uerò ipsi ad lac cedit, de eo quod ipsa plurimum in seipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac non purum suxerit, sed biliosum, uelut dixi, morbosus fit ac debilis: & in præsens maximè affligitur, quandiu lac prauum ac morbosum suxerit. At ubi suxerit lac non purum, sed terreum ac pituitosum, et habuerit puer uenas de uentriculo ad uesicam tendentes, amplas ac attrahentes: procedit autem & quod bibit nutrix, & lac in uentriculum pueri, tale quale trahit à uentriculo de lacte in totum similiter, prout uenæ ad uentriculũ detrudere possunt: si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quo uesica fruitur, lapis fit tali modo, uelut in aqua non pura, in calice aut uase æneo turbata, & rursus sedata, fex aceruata fit in medio: sic sanè & in uesica de urina non pura existente. Et non per urinam

,, nam eijcitur, ut quæ in cauo sit loco, & maximè
,, aceruata, dum fit præ dolore per mictionem non
,, pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glu-
,, tinum enim fit pituita ad fecem admista. Et pri-
,, mùm parua lanugo superstat, deinde quod acce-
,, dit, arenosum fit: gluten, dum fit pituita, quæ est
,, in uesica de lacte, & augetur: & quicquid humo
,, ris in glutinatione accesserit, emingitur. Rursus autem fex solida fit, & lapidis speciem accipit.

Hæc quàm turpiter uerterit hic uir, non est ut dicam: quia tamen non Hippocratis est hæc sententia, nec nos uerbis authorum, sed rebus fidimus, duobus tantùm uerbis omnino barbaris commutatis, reliquum, ut iacebat, trãscripsimus. Satis autem constat ex his, tum etiam antea demõstratis, lapidẽ ex fece terrestri exustáq; fieri. Sed hæc mittamus, quoniam neq; nostris principijs repugnant: nec adeò absoluta sunt, ut clarè quod uerum est ostendãt, remq; ut se habet, perspicuè doceamus.

Fit lapis ex materia crassa, semper exiccata, uel ob siccitatẽ loci, uel ob uehementiã caloris, humidũ resoluẽtis. Atq; ob id tã in senibus quàm pueris generatur. In pueris quidẽ nunquã fermè in renibus, sed in uesica semp: quoniã calor adeò uehemens est in his, & materia tenuis, ut in renib. liquescant omnia, uelut quæ parua sunt, dum in paruis clibanis exuruntur. In senibus uerò latiores sunt meatus in renibus, materia crassior, & calor sictior: cum in pueris materia crassa solùm ob id sit, quia multa: multa autem in renum meatibus esse non potest. Pueris igitur in uesica, senibus utrobiq; lapis generatur. Generatur aũt trifariam: uel ex arena, idq; raRò, fitq; tophus, nõ lapis: aut lapide iam in renibus concreto, idq; rarissimè: quoniam uesica illum, si licet, statim expellit: aut ex fece urinæ, cum membra naturalia, quæ ui tamẽ uillorũ expellũt, imbecillia fuerint, uelut in infantibus: uel materiæ crassicie ac lentore, ut in senibus, tuncq; simul materia cogitur lapidis, paulatim tum concrescit limo eum ambiente. Adiuuant, latitudo meatuũ, cruditas & calor non naturalis. Prohibent, quæ diuidunt, ut cappares, balsami succus: & quæ humectant, ut oleum, cuius usu ob id, tum alia multa, delector. Arena renum hæret matulæ, & rubra est: uesicæ retrimenta candida sunt, plerunq; leuia, arenosa, nõ arenæ. nam lapillorũ partes potius sunt, & puluis, quàm arenæ: ob idq; arenosa uocãtur. Quæ autem salis naturã habent, siccantur cum abest humor, & in formam tophi duri transeũt, si humor adsit, non concrescunt. In matula igitur eiecta urina aut sal concrescunt, dum uesica plena est, non concrescunt ob humorem: eiecta urina etiam non concrescunt, quoniã statim humor adest, et locus calidus est. Et quod maius est, ob uim uesicæ expultricem, dum uesica urinam exprimendo tota inuertitur, cauamq; partẽ gibbã efficit: quod in matula dum purgatur, nec fit, nec fieri potest. Calor autem actu dissoluit, quod est in urina, nec in sedimentum transire permittit. Calor autem potestate, seu urina calida & acris, ad lapidis generationem facit. Iuuat ergo, dum mingitur, ad prohibendam lapidis generationem, comprimere bene uesicam, & expurgare perfectè, idq; quasi subsultim mingendo, nõ cõtinuè, quod ego mihi à lapide metuens obseruaui, nunquam in pluma cubans, nec uinum nisi album leueq; bibendo: sed & loco plumæ stupam sericeam mihi subieci. Hæc igitur sex maximè prohibent lapidis generationem, utrobiq; scilicet tam in renibus quàm uesica: tomentum minimè potestate calidum: expreßio diligens sedimenti dum mingitur, quæ fit subsultim mingẽdo: usúsq; olei: abstinere à caseo, tum his quæ ex lacte fiũt, tum à terreis ac salsis: tũ quod multa ac ferè omnia complectitur, à cruditate cauere.

Hæc igitur sunt quæ oportuit declarare: etenim iam proposita ab initio fuerant. Nunc solùm restat declarare, cur urinæ habentium calculum aqueæ sint: affecta enim calculi frigiditate, uesica urinam neque concoquit, neq; renes trahendo expurgat, unde aquosæ urinæ prodeũt. Quibus intellectis, quæ quam oscitanter ab omnibus tractata sint quisq; intelligit, neq; aliter tractari potuerant ueris deficientibus principijs, ad Hippocratis sententiam exponendam accedo. Inquit ille: Quibus in urinis arenosa subsistunt, his uesica laborat calculo. Si arenosa, inquit, subsistunt: hoc aßiduè intelligendum est, nõ aliquando. uerbum enim Subsistunt, cum sit præsentis temporis, per omnem temporis successum extenditur: unde nõ de arena renũ intelligi potest, quæ neq; subsistit, sed adhæret: nec arenosa, sed arena dici potest: nec ꝑpetuo apparet, sed quandoq;. Quòd uerò arenosa hæc, id est lapidũ frustula & puluis, lapidẽ significent, patet: quoniã qđ molle est, quotidie atteritur, maximè in se exercentibus: aut si plures sint lapilli. itaq; cum non poßint singulo die generari, necesse est ut ex lapidibus resecentur. Sed si materia hæc arenosa singulis diebus excerneretur atq; generaretur, nõ iam subsideret, sed salis naturam haberet, essetq; tenuis, & superficiei matulæ intrinsecus adhærẽs. Cum

ergo uolueris scire certius an aliquis calculo uesicæ laboret, iube eum equitare, saltare, exercerique uehementius, exhibe lapidem comminuentia, inde subsidentia in urina inspice, in qua si tribus aut quatuor diebus puluis appareat, lapis est durus: si lapidum frusta & quasi arenæ, non autem arenæ, tophus est: si nihil horũ appareat, lapis procul dubiò non est. Atque hæc sunt quæ duobus millibus annorum latuere expositores. Caue tamen ne exercendo magnum ardorẽ urinæ, ut dicunt, seu uriginem intolerabilem efficias. Improbi enim & ignari medici maledicendi ansam, postquam benefacere non norunt, undique arripiunt. Nos ergo nec extorsimus Hippocratem, nec redarguimus, ut neque Ptolemæum: at qui nõ profundius quærũt, coguntur multa ut superflua aut imperfecta damnare.

APHORISMVS LXXX.

SI sanguinem & grumos mingãt, & stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum uentrem, & pectinẽ, & fœmen incidat, circa uesicam labor est.

COMMENTARIVS.

¶ *Superius dixerat: Quicunque sanguinem*
Aphor. 78. *sponte mingunt, his á renibus uenulam ruptam significat: ne quis crederet semper in mictu sanguinis renes laborare, subiecit unam rationẽ quæ uesicam laborare ostenderet, scilicet quoties uel sanguinem & grumos mingendo & stillicidium patiendo, dolor in imum uentrem & pectinẽ & fœmen incidat. Hic quam oscitanter, ex tot difficultatibus ne unam quidem attingendo, Galenus præter hãc unam, an uesicam pati dixerit, in qua palàm aberrat: alij uerò alteram addentes, scilicet (an quæ coniuncta sunt, disiungi debeant? quæ per se satis manifesta est) non est ut dicam. Attingam autem primũ difficultatem illam à Brasauolo motã, scilicet an singillatim illa intelligenda sint, scilicet sanguinem mingat, aut grumos, aut stillicidium urinæ patiatur? Dico uerum esse solùm de omnibus simul, tum primò quia in illis coniunctione non minus quàm in sequentibus utitur: & grumos mingant, & stillicidium urinæ*
» *habeant. Non dixit Aut, tum etiam quia semper fermè in hoc casu omnia illa tria simul coniunguntur. Tametsi enim nõ eadem die semper hæc omnia contingant, semper tamen se consequuntur. Quod uerò partes illæ, Et dolor in imum*
» *uentrem & pectinem & fœmen incidat, con-*
» *iunctim etiã legendæ sint, ex ratione notæ coniungentis καὶ, uel & palàm est, & ijsdem rationibus conuinci potest: ut demirer audaciã Leoniceni, qui cum non intelligeret Hippocratem in hoc loco, contrà uerterit quàm in textu Græco omni iaceret, existimans esse plures cõditiones, cum sint tantùm duæ, scilicet quòd si sanguis ex uesica fluat, conuertitur in grumos aliquãdo, ob id quod paucus est: nec adeò proritat ad meiendum, cum sit illi familiaris: nec etiã tam bene urinæ miscetur, ut qui ex renibus prodit, ideò in grumos uertitur. Secunda, quòd si morbus est in uesica eiusmodi, & accidat dolor in pectine, apparebit & in imo uentre & interfœmineo. Melius enim legitur sic, quàm Fœmine.*

Videndũ est igitur quid sit fœmen, imus uenter, & pecten primum. Græcè autem sic: ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸν κτένα, καὶ τὸν περίναιον: *uertitur* ὑπογάστριον, *imus uenter, id est sub uentre. Pars ergo est in imo uentris super pubem in medio, ubi cum urina retinetur in uesica, prominet rotũditas: ut in Arte medica etiam testatur Galenus, & nos quandoque uidimus in re-* Cap. 78.
tentione urinæ. Situs enim uesicæ fundi ibi eregionè est supra uterum in mulieribus, in uiris autem supra rectum intestinum: collum autem & prima pars uesicæ ossi pubis subtenditur: pars autem inferior residet inter uirgam & anum. Vnde qui lapidem uesicæ patiuntur, ibi pondus & molestiam sentiunt, præsertim si repentè sedeãt. Et pueris tangitur immisso in anum digito medio lapis, non quidem uersus dorsum, sed in anteriore parte, scilicet ad fœmẽ, seu interfœmen, ut Fuchsius uult. Nam fœmina, inquit, partes sunt interiores coxarum à pudendis ad genua. Liquet igitur, quod laborante uesica tria hæc loca maximè afficiuntur, quoniam omnia sunt circum uesicam, & prope cutim: nisi quod & in pube & interfœmineo iacet os tenue. Dicitur autem interfœmineum, quoniam eo in loco uulua sita est, scilicet inter anum & pudendum paulo magis utrinque diductis ossibus quàm in masculo. Vbi Nero nixus est transformare Sporũ, exciso toto inguine, puero & loco illo perforato, in fœminam. At pecten uocamus partem superiacentem ossi pubis, quod super uirgam adiacet, ubi pili nasci solent tam masculis quam fœminis. Et quamdiu carent pilis ea in parte, uocari solent ephœbi. Est autẽ, ut etiam Vesalius docet, oblongior uesica quàm Lib. 5. c. 11
latior, id est secundum longitudinẽ corporis magis extensa: & fundus amplior est, ut sensim ad illius ceruicem contrahatur. leuis est illius tunica, intus & extra prædura: ualida membrana enim est, triplici genere uillorum contexta, inæ-

qualis

qualis crassiciei, maximè tamen ad collum crassior est, & in hominibus adnascitur peritonæo in imo uentris. Et ob id nimirùm Hippocrates docuit, eam partem affici, in Aphorismo: non sic in canibus, quoniam situs illis magis fauet: homini, quòd erectus esset, ne pondere urinæ nimis grauaretur, hoc fuit necessarium, imminet (ut dixi) intestino recto è posteriore parte: unde fit, ut et mingentes compresso intestino illo facilè pedãt: & egerentes dum inflant intestinum illud, ad mictum incitentur: & qui lapidẽ patiuntur, & hæmorrhoidas excitent, & tinesmonem patiantur. Musculo comprimitur imum ceruicis, qua parte uentri uesicæ iunctum est supra glandulas, ne coeundo necesse esset urinam cum semine ipso fundi: & est quasi ex ipsa uesicæ substantia musculus, ideoq; parum profundus. Constat enim uesica tribus tunicis: exteriore carnea, sed non rubra, uerùm subrubra ex peritoneo nata, tenuiore altera et splẽdida, ac tertia crassiore nerueaq;. collũ aũt uesicæ sitũ mutat: cum penis tenditur, e Græcum: cum non, s Latinum imitatur.

Hæc uolui necessaria non præter propositũ subtexuisse, tum ad sequentium intellectum: tum ut ostẽderemus Galenũ longè aberrasse, qui credat per ea uerba, τὰ περὶ τὴν κύστιν, intelligi debere quæ circa uesicam laborare, id est partes quæ illi annectuntur, etiam cum ipsa uesica. manifestum est enim ex dictis, non posse hæc cõtingere nisi laborante uesica: & quotiescunq; uesica laborauerit, hæc necessariò contingere. Dico laborauerit, ulcere magno, uel uasis maioris sui (nam omnia parua sunt) fractura. Obstat tamẽ litera, dicit Galenus, τὰ περὶ τὴν, quæ sunt circa. Sed & illud, q. in sequenti uesicam ulcere laborare dicit: igitur Hippocrates inter uesicã & quæ sunt circa uesicã distinguit. Sed si sermonis efficaciã, & ut ita dicam, exquisitã energiã exigamus, nõ poterit intelligi de uesica ullo modo, cum non dicat, Vesicam & quæ circa uesicam, sed solùm, quæ circa uesicam. Sermo igitur Hippocratis est huiusmodi, quod tota uesica laborat, adeò ut etiam circumiacentes partes afficiantur, quasi omnibus noxa illa participantibus. Magnum ergo uesicæ affectum & cum consensu declarare uoluit, cuiusmodi si febris adsit, cum uesica phlegmone laborat: uel magno, id est lato ulcere, si febre caruerit. nam de profundo statim subsequetur. Hoc ergo uoluit docere, laborare omnino uesicã, sed nõ necessariò ex se, sed cõsensu alterius: licet quandoq; consensus hic ex ipsamet ortum habeat.

APHORISMVS LXXXI.

SI sanguinem & pus minxerit, & squãmulas, & grauis odor adsit, uesicæ ulcerationem significat.

COMMENTARIVS.

¶ Cum declarasset morbum uesicæ ex cõsensu, quantũ est ex merito signorum: docet morbũ per essentiam, ita ut signa in præcedenti Aphorismo sint signa uesicæ per cõsensum laborantis: hæc uerò per essentiã. Nec inconuenit signa per cõsensum morbi posse iungi morbo per essentiã: at bene inconuenit signa morbo per essentiã esse morbi per cõsensum. Sic enim morbi per essentiã distingui nõ possent à morbis per consensum. Dico igitur, quod si omnia hæc adsint, nõ aũt alternatim, ut Leonicenus (qui temeraria audacia omnino Hippocratẽ nõ intelligens, illũ delirare facit) uertit, quod ulcus adesse in uesica significatur. Et demiror de illis qui hanc ultimam editionem emendarũt, cum iam haberent Cõmentaria Brasauoli emendata, tum etiã Fuchsij, quare plus tribuere uoluerint Leoniceno erranti, & cõtra fidem Græcorum exemplariũ exponenti, quàm ipsi Hippocrati. nam quòd Leonicenus aberrauerit, senex primùm, minus est mirũ: deinde tot opera Hippocratis uertẽti, licet dicere cũ Flacco, Verùm opere in longo fas est obrepere somnũ.

At de illis qui castigasse profitentur, nõ habeo quod dicã. nanq; nec dici potest illos suspicatos meliorẽ codicẽ habuisse Leonicenũ, ut librarius pro ἢ scripserit καὶ, quia similia sunt ualde: quoniam ignoscendũ esset, si semel hic error admissus esset in textu. sed cum ter καὶ ponatur in hoc contextu, semper aberrasse librarium existimare, est perinde monstro simile, & omnino fidem codicibus omnibus abrogare. Itaq; mihi uidentur uiri persimiles his qui malos pannos texunt: nam initia uariegata & pulchra faciunt, reliquum autem nulla diligentia conficiunt, nulliusq; precij. Nam de Leoniceno plurimũ illi debet tota doctorum caterua, & ut ad Flaccũ rursus redeamus, de illo dici potest,

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit.—

Facile ignoscere debemus magnis uiris etiam mediocria errata, nedum parua, quandoquidem tot laboribus & incommodis propter posterorum utilitatem insudarunt. Atq; ego illum Galeno sine dubio præposuerim, qui ætatem quàm longissimã cum uixerit, totã in purganda medici-

na consumpsit: Galenus, cum ne ad triginta annos propè accesserit, immodica ambitione plura confudit quàm addiderit. Debemus illi plurimũ tanquam in eo negocio feliciter uersato, ut ei cõtigerit genius illustris. Ergo ut ad rem redeam, si per disiunctionem legatur, in quo differet à superiore illo: Si sanguinem aut pus mingat, renum ,, aut uesicæ exulcerationem significat? Palàm enim est, alterum falsum esse, aut superfluum. Si enim mictus sanguinis aut puris significat uesicæ ulcus, frustra illi additur Renum: si autem alterum horum tantum falsum est, quod hîc dicitur Vesicæ exulcerationem significari: coniunctim igitur, ut rectè Hippocrates, legi debet.

Nec uerò tametsi omnia ista signa ostendant ulcus, in uesica semp omnia necessaria sunt. Mala enim nõ solùm, sed insulsa Dialectica utetur, si quis dicat: Publico monumento & decẽ testibus & tua cõfeßione cõstat, te mihi debere centũ coronatos: igitur nemo alteri debere conuictus dici potest, nisi testes decẽ proponãt, monumentũ publicũ doceat, & ipse debitor fateatur. quòd autẽ hæc uera sint, ostendamus. nam si mingat sanguinem et pus, necesse est altero eorũ uas esse apertum uel ruptũ: sed pus ostendit putredinẽ & ulcus, igitur non potest esse uasis apertio: at cum squammæ affuerint, nõ possunt esse ex colliquatione, quia cum pure non essent, igitur ex uesica sunt. renes enim squammas parere non possunt, nec quæ supra renes, cum substantia eorũ sit carnea. Sed quare addidit: Et grauis odor adsit? nõne omne pus malè olet? certè dum dixit hoc, aliquid plus uoluit significare quàm cõsuetum puris Pag.3. odorem. sicut in Prognosticis, Pus optimum est, ,, quod est minimũ graueolens. Omne pus ergo malè olet: sed quod ex uesica resecatur, trifariã magis olet, etiã si minimè malũ sit, quod in alijs partibus nõ contingit. Primũ ob substantiæ quæ corrumpitur, scilicet ipsius uesicæ, naturam, quæ nõ est carnea, maximè in interiore parte: ideo cum longiore tempore ad putredinem egeat, aut uiolentiore causa, magis putrefacit. Secundũ, ob admistionem partiũ aquearũ urinæ, quæ corrũpunt & corrumpuntur: demùm ob morã, quam ibi ob urinæ retentionem naturalem contrahit.

Quid si appareant omnia præter hoc signũ, odoris ualde fœtidi? Dicet Hippocrates, uix fieri posse: & si fiat, erit morb. cõpositus: uelut si renes laborarent ulcere, squammulæ autem illæ aliunde procederent.

Consequuntur aũt se hæc. nam à sanguine rupto quomodocunq; uase, seu per erosionẽ seu aliter, sequitur sanies, & ex sanie erodente squammulæ illæ ex uesicæ substantia excidunt: demũ profundo facto ulcere fit odor ille teterrimus, cum etiã antea incipiat. Similiter si pus adsit, fœtor ibi adest, et necesse est etiam præsiisse exitũ sanguinis, tum etiã squammulas succedente tempore excidere. Et ita squammulæ si ex uesica decidant, non aũt aliunde proueniãt, per putredinẽ decidunt, & malũ odorẽ & pus præceßisse indicant: ac etiam exitum sanguinis, atq; ita à fœtore argumentum de alijs tribus sumitur.

Λεπίδας aliqui squammas interpretantur, sed oportet in cõmuni significato intelligere, sic ut plerunq; squammulæ, id est paruæ squammæ sint: nonnunquam etiam ad magnitudinem grani ciceris, cum ulcus magnum est: & crassæ profunditatem illius declarant.

APHORISMVS LXXXII.

QVibus in urinaria fistula tubercula nascũtur, ijs suppuratione facta, & eruptione, solutio.

COMMENTARIVS.

¶ Cum declarasset modos plures, quib. significantur morbi uesicæ et renũ: hoc Aphorismo docet, quandoq; morbos aduenire in fistula urinæ, qui similes uidentur morbis uesicæ: et huiusmodi planè, nõ sicut alij, ex parte liberantur. Est ergo ac si dixisset, si quis stillicidiũ urinæ patiatur, & sanguinẽ cum pure mingat, ut superius dixit, & Aphor.80. hoc cõtigerit ex tuberculo in meatu urinæ: tunc dignoscitur, quia suppuratione facta et eruptiõe, soluitur plenè morbus. Et in alijs casibus si perseueret, nõ erit ex tuberculo in uirgæ meatu. adeò quod docet hoc Aphorismo distinguere morbos ueretri ab alijs morbis uiarũ urinæ: hi enim suppuratione facta soluuntur, antea aũt sunt ualde periculosi morbi illi uesicæ & renũ: antea nõ adeò uidẽtur periculosi, cũ nõ impediãt urinã: successu tamẽ tẽporis cũ nõ soluãtur plenè, deteriores euadũt. Hic ergo duæ dubitationes cõtingũt.

Prima est, an tubercula in meatu ueretri possint absque suppuratione solui, ut Galenus censet? & uidetur quod Hippocrates hoc uelit in textu. Nihilominus apparet, quòd caro etiã excrescens facit impedimentũ in urina, & sponte decidit, ac etiã mollientibus medicamentis. Per tuberculum ergo intelligo in hoc loco; illud idem quod ab Hippocrate intelligitur in Coacis præ- Pag.20. dictionibus, dũ inquit. Quib. tuberculũ est circa " uesicã, quod mingendi difficultatẽ facit, ad omnis " generis figuras uexantur: huius aũt solutio fit pu " re erumpente, illud idem quod docuit in primo de Mor-

Pag.9. de Morbis: Tubercula fiunt disrupta aliqua uena
intus, aut nō prorsus disrupta à laboribus, uel e-
tiam ex pituita aut bile, ut in lateribus: uultq; om
Pag.10. nia suppurari. Idem sentit in libro de Affectioni-
bus: & etiam id postularet longius tempus, ut dis
soluerentur. Impedimentum enim meiendi dolo-
rem auget, ut cogatur natura morbo crescente
moliri suppurationem. Neq; ego uidi quenquam
cui ex tuberculo suppressa sit urina, cui non fue-
rit suppuratum. Hic idem Aphorismus scribitur
Aphor. 57. in septima particula, & additur in fine dolor, id
est quòd soluitur dolor, cum hîc nihil apponatur.
Verùm, ut dixi, causa est hic, quòd uoluit distin-
guere morbos in urinaria fistula, ab alijs qui in
uesica & supra uesicam fiunt.

Secunda dubitatio est, quare ulcera uirgæ
sponte sanentur, nō aūt in alijs locis adeò facilè?
Et habet aliud caput hæc difficultas, quoniā ge-
neraliter suppurationes sunt maioris spei quàm
reliqua ulcera. Quod deprehenditur, cum dicat
16 & 17. Hippocrates septima Aphorismorū: A sanguinis
sputo, puris sputum: à puris sputo, phthisis & flu
xus. Cum uerò sputū retinetur, moriuntur. Et ta
Pag.7. men dicit in Prognosticis, Ex his autem maxi-
mè superstites manent. Causa ergo est, quoniam
ulcus quod ex suppuratione aduenit, non est con-
iunctum cum materia erodente aut destillatio-
ne, & etiam est accidens ipsius abscessus suppu-
rati: at aliud est morbus. Præterea nō omnis sup
puratio est cum ulcere, sed solùm ea quæ cum e-
ruptione est. Quæ autem in meatu urinæ fit ul-
ceratio, adhuc facilius sanatur: quoniam sanatio
ulcerum est exiccatio. hæc aūt fit ab urina, quæ
sicca natura est: & etiam propter motum & im
pulsum, ideo talia ulcera sponte sanantur. In ue-
sica autem non ita, quoniam urina ibi quiescit ac
putrescit, non autem eluit locum. Si tamen ulcus
illud sit ex eruptione abscessus suppurati, maior
est spes sanationis, & non debent retinere diu
urinam.

Et quoniam hîc actum est de tuberculo impe
diente mictum, & dolorem creante, sciendū est,
80. quòd, ut habetur ex dictis, urina supprimitur uel
33 propter materiā aduenientem; ut in Aphorismo,
Si sanguinem & grumos: aut ex tuberculo nato
in meatu, ut in præsenti Aphorismo: aut ex frigi-
Pag.9. ditate & siccitate, ut in libro de Affectionibus,
5. & tertia Aphorismorum: aut propter uteri con-
sensum, ut in secundo de Mulierum morbis: Et ex
Pag.35.37. inflammatione intestini recti, ut in libro de Fistu
Pag.3. lis. Et fit etiam propter abscessum in ipsa uesica,
Aphor.44. uelut septima Aphorismorum innuit Hippocra-
tes. Fit etiam propter ulcera & carnem, quæ ex-
crescit in ueretro, & retentionem meiendi diu-
turnam, extenta adeò uesica, ut neq; se compri-
mere poßit: & etiā distenta parte circa imū cer-
uicis, ubi uesicæ annectitur, sic ut exitus nō pa-
teat. Vlcus uerò quamdiu durat, impedit: sed, ut
dixi, facilè sanatur. Caro autem tumefacta cum
neq; sanies neq; sanguis effluat, intumescit ex fla
tu aut humore aquoso, aut aucta per se, ut dice-
bat Galenus in libro de Morborū differentijs, de Cap.9.
lingua. Estq; hic morbus Mediolani endemius,
& ciuibus nostris familiaris. Hic modus ad tu-
berculum pertinet.

APHORISMVS LXXXIII.

Mictio noctu plurima facta, par uam significat deiectionem.

COMMENTARIVS.

¶ Non insulsè Galenus hunc Aphorismum & ad cognitionem & ad curationem traducit. ad cognitionē quidē, ex quatuor orationib. duas nos docet Hippocrates necessarias. necessariæ qdē sunt, mictio noctu plurima paruā significat deiectionē, & multa deiectio pari ratione paucā urinā, ut etiā in fluxib. euenire solet. hæc aūt om nia cōparatione ad eundē hominē, eandemq; uictus rationē sunt intelligenda. Duæ nō necessariæ sunt: mictio pauca significat multā alui deiectionē: aut cōtrà, parua alui deiectio multam urinam. Poterit enim utraq; supprimi, & urina & deiectio, ut ardente corpore in febribus: item ex sudoribus, itē in his qui ad ascitē præparātur. Ad curationē, si uolumus siccare aluum, prolicere urinam: si humectare, ab illis abstinere, & potum exhibere copiosiorem, minimè tenuē: qualia sunt uina dulcia, crassa, nec astringētia, nec odorata, nec flaua, sed nigra.

At uerò urina ex sui ratione potui similis esse debet, aut paulum distans in quantitate, ut
primo de Facultatibus naturalibus Galenus do- Cap.ule.
cet: atque id nobis in hyeme id considerantibus. nam æstate & ob sudorem & exhalationem fit minor. atque id est secundum naturam se habentibus. Cæterùm quibusdam inest, ut ob imbecillitatem naturæ nō poßint transmutare partes frigidiores alimenti, atq; in his plus iusto urinæ apparet: contrà uerò quibusdā ob caloris uim & acuitatē, nō solùm quæ est in cibis pars dissoluitur, sed etiā in ipso potu quicqd est tenuius aut calidius: utq; priores ad hydropē, ita hi ad hecticā sunt paratiores. Sed cur nō dixit, Mictio plurima simpliciter: sed adiecit, Noctu? Quoniā in die fieri potest ut etiā multū mingat, & mingat ob cru-

ob cruditatem. Cum enim cibus non concoquitur, utrumq; abundare ſolet, et urina et egeſtio. Et ſi non abundent, ſuſpicionem morborum afferunt: urina quidem podagræ, & egeſtio doloris colici: tantũ abeſt ut in cruditatibus ex multa urina paucam debeamus expectare egeſtionem.

Quomodo uerò hæc fiant, declarandum eſt. Vbi quis aſſumpſerit cibum atq; potum, clauditur in uentriculo, ſed nõ ita ut ſuperius nihil poſſit penetrare, ut quidam exiſtimant. Nam & à cibo ſtatim, & poſt horæ dimidium, & quãdocunq; quis edat cibum, aut bibat etiam, longè facilius eum deglutiet. Præterea gula ipſa, ubi uentriculo committitur, cum ſit longè anguſtior & craßior ac durior uentriculo, non poteſt adeò conſtringi. At neq; neceßitas tãta adeſt, ne quid effluat. Pylorus autem concluditur perfectè, auxilio etiam glandularum, quæ illi imminent: aliter in multa repletione, cum ſit à dextro latere non in ſumma neq; ima uentriculi parte collocatus, cibos in duodenum inteſtinum illi coniunctũ effunderet. Ergo his pro ratione clauſis cõcoctio celebrari incipit. Iecur autem moræ impatiens & robuſtum, trahit ſi quid eſt tenue, gratum, dulceq́; ac dilutum, per quinq; illas uenas quæ ex illo ad imum uentriculi ueniunt, ſugitq́; uelut ore potum præcipuè uini flaui, dulcis & odorati (placet enim hoc iecori) unde ſequitur ex tali ſuctione & potu reſtauratio illa repentina, quam homines ſentiunt, maximè labore delaſſati, inde cibati. Sequitur etiam in pluribus mictio ſtatim à cibo. Hoc peracto, concoquitur cibus, & priorem partem ac potiorem ſuſcipit uentriculus, ut tertio Cap.13. de Naturalibus facultatibus habetur, ex quo nutritur interior uentriculi tunica: poſtmodum reſeratur communiter circa nonam horam à cibo pylorus paulatim: & ſugente iecore, & pellente uentriculo trahitur chilus in duodenum inteſtinum: & quia pendulum eſt, non quieſcit: pars tamen adhærens parietibus illius, exſugitur per meſaræi uenas, tandem per ieiunum ad ileon & colõ traducitur, ubi quieſcit, et multis uenis exſugitur. Si igitur calor iecoris ſit magnus, acris, & robuſtum iecur, exſugitur: fex quæ eſt in inteſtinis ad ultimum uſque, atque eodẽ ut fiat ſicca & pauca quæ relinquitur: & tunc cum ob attractionẽ plurimùm aquoſum in iecore ſuperabundet, excrementum urina augetur. Fex igitur cum liquida eſt, multa eſt: & cum multa, liquida. nam pars tenuior ſemper trahitur. Vena autem iecoris, in quam confluunt meſaræi uenæ, Stelechia uocatur, ut quæ eſt in gibba illius caua. Dicebat Hippocrates ſecundo Prædictionum: Pag.3. Egeſtiones alui in his qui laboribus exercentur, quamdiu parum ederint ac potarint, modicas & duras procedere, quotidieq́; oportet. ſi uerò tertio quoque die aut quarto aut longiore interuallo proceſſerint, periculum eſt ne febre aut alui profluuio corripiantur. Quæcunq; uerò egeſtiones liquidiores ſunt quàm ut in tranſitu conformentur, hæ ſanè omnes peiores ſunt. At uerò his qui multum edũt, multumq́; laborant, egeſtiones tranſitum mollem, oportet eſſe ſiccum, & copiam ciborum ingeſtorum pro ratione laboris. Procedunt autem ab æquali ciborum copia his quidem qui minimùm laborant, plurimæ egeſtiones: his uerò qui plurimùm laborant, modicæ, ſi ſani fuerint, & recta uictus ratione utantur. nam ad hæc coniecturam facere oportet. Liquidiores autem egeſtiones, & ſine febribus euenientes, & quæ ſeptima die aut citius iudicantur, commodæ ſunt, ſi ſemel & una uice omnes fiant, & non reuertantur: ſi uerò inſuper febrierint homines, aut alui profluuia redierint, ſi longa fuerint, penitùs mala ſunt, ſiue billioſa fuerint, ſiue pituitoſa, ſiue cruda. Et uictus ratione propria ſingula opus habent, itemq́; medicamentis alia alijs. Cæterùm urinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & ſemper æqualem, & quàm maximè aceruatim, & momento paulo craßiorem quàm id quod in potu acceptum fuit. Si uerò fuerit aquoſa & copioſior quàm pro eo quod bibi imperatum eſt, ſignificat hominem aut copioſiore uti potu quàm illi præceptum ſit, aut non poſſe renutriri quàm diu tantam urinam faciunt. In Prognoſtico quoque id Pag.4. confirmat, ut ſit pro ratione ingeſtorum & hora ſolita.

Porrò quod de egeſtionibus dictum eſt, poſſet dici de alijs euacuationibus: ſed cum ſolùm hæ naturales ſint, propterea de his tantùm mentionem fecit. Nam ſudor ſi abundet, non ſolùm minuit naturalia excrementa, ſed etiam morbum præſagit: quoniam tota ſubſtantia medius eſt inter naturalia excremẽta, & præter naturam: reliqua autẽ omnia, ut ſaliua, mucus, ſanguis hæmorrhoidarum, ad morboſam conſtitutionẽ corporis pertinent: reliqua uerò ad morbum, ut ſanguis per ſputum eueniens, & bilis uomitus. Vt eorum quæ excernuntur à corpore noſtro, ſex ſint ordines: naturalia prorſus, egeſtio & urina, quæ quantitate mutata non oſtendunt morbum: naturalia, ſed determinata quantitate, ut ſaliua & mucus. nam hæc ſi exuperent, morboſam con-

sam constitutionem significant. Medium inter naturale ac præter naturam sudor est, qui sine causa manifesta morbum significat: cum causa, nihil absurdum, cum omnino uapore prodeat è corpore, absq; eo quod sentiatur. At quædã sunt præter naturam, & morbosa ex se, non tamen morbum indicantia: ut hæmorrhoides, & sanguis narium, & uomitus consuetus. Quædam sunt naturalia excrementa, uel partes, quæ morbum significant, quia unde non oportet excernuntur: ut bilis flaua per uomitum, & sanguis per sputũ. Quædam omnino præter naturam, ut bilis aut pituita corrupta. Iñ naturalibus igitur abundantia unius nil aliud significat, quàm defectum alterius: naturalia autem media causam præter naturam, si abundauerint, non morbum. Quæ aũt præter naturam, sed exonerantia corpus, ut hæmorrhoides, causam morbi, non morbum: quæ autem naturalia pauca cum abundauerint, incipientem morbum, non autem grauem significant. reliqua duo morbum iam factum. Hæc autem diligenter consideranda sunt.

HIERONIMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI IN QVINTAM Aphorismorum Hippocratis particulam, LIBER QVINTVS.

APHORISMVS I.

CONVVLSIO ex helleboro, letalis est.

COMMENTARIVS.

¶ Quomodo fiat conuulsio, et quot sint illius genera, tum uerò in quo à resolutione differat, de causis quoq; eius, superius dictum est.
Lib.2. Aphor.26.
Hîc uerò Hippocrates, & in sex sequẽtibus, prædicere nos docet ex conuulsionis causis: aut his etiam morbis qui cum cõuulsione coniuncti sunt, uelut singultus atq; comitialis. Nihil autem refert, seu morbum seu symptoma appellaueris. Hunc uerò Aphorismum si cum eo coniun-
4. Aph.16.
xeris, qui dicit: Carnes sanas habentibus helleborus periculosus: concludes, sanis helleborũ uitæ periculum afferre. De helleboro illi albo (inquam) sermo est. Vnde si quis ad purgantia per aluum sermonem extendat, non aliter quæstionem instituet, quàm si de asini uolatu disputet. Oportet autem meminisse diligenter de his quæ in duobus allegatis Aphorismis dicta sunt à nobis, ne aut necessarium quicquam prætermittere cogamur, aut frustra dicta repetere. Cum enim quinq; sint conuulsionis species: tres propriæ, à siccitate, plenitudine, frigore: aliæ ob consensum, dum euacuantur musculi, atq; uellicantur: uellicantur aũt præcipuè ab humore erodente, qualis est æruginosus: qui quandoque ita efflorescit, ut mera ærugo uideatur: hic humor acutus & erodens pungit uellicatq; neruos, unde cõuulsio fit.

Aliud meminisse oportet, quòd ad os uentriculi duo nerui ueniunt, qui sextum par efficiunt ex cerebro, quibus in toto corpore nulli sunt maiores: atq; hi soporarijs arterijs in collo utrinque iunguntur, & in pulmonem, cor, iecur, lienẽ, renes, ac omnia uiscera deriuantur: quibus ligatis uox intercipitur, ut in libro de Dissectione ner- Cap.10.
uorum à Galeno habetur. Horum igitur læsione nihil mirum totum corpus offendi, atq; grauiter: tum præcipuè, quòd hi soli in ore uentriculi fermè detecti sunt, ut sensum famis atq; sitis excitare possent. Quomodo aũt conuulsis his magna pars corporis, & quandoq; totum conuellatur, Galenus declarabat exẽplo arboris, cuius si ra- 3. de Locis:
mum cõuellas, tota planta etiã inflectitur ui, atq; cap.6.
distrahitur. Fit ergo hæc cõuulsio ab humore acuto uellicãte, quandoq; medicamẽto trahẽte humores lentos & hærentes, infarctosq;. Verùm hoc genus cõuulsionis, qđ ob cõsensum fit, uidetur prætierijsse Hippocrates in Aphorismis, quoniã rarò mortẽ adducat. Causa igitur mortis in cõuulsiõe ex helleboro, est uis maxima naturæ illata: nõ ipsa cõuulsio, quæ psæpe, ut dixi, ex solo cõsensu fit. In cõuulsione enim spõtanéa materia sensim ad neruorũ principia, inde in ipsos neruos deriuatur: at in ea quæ fit ex helleboro, oportet totũ corpus agitari, ac maximã uim inferri. Videmus aũt in omnib. morbis, eos esse periculosiores qui fiũt à causa externa, præsertim manente: Est etiã alia ratio: nã causa cõuulsionis adhuc manet in cõuulsiõe, quæ ex helleboro fit, (nõ enim tam citò helleborus expellitur) neq; aliquid est qđ helleborũ ppellat, ubi iã cõuulsio cœperit natura symptomate pterrita et afflicta. Ita uomitus et dolor et febris, quæ fiũt à ueneno, nisi uenenũ euomatur.

euomatur illo uomitu, mortem afferre solent. Generalis est ergo sententia, morbi magni qui fiunt sumpto medicamento aut ueneno, letales sunt: quoniam uim maiorem naturæ afferunt, & morbi & causæ ratione: & quia nõ facilè finiuntur, cum causa ipsa in corpore maneat.

Intelligit autem conuulsionem ex helleboro, eam quæ fit non ui morbi, sed solùm ex hellebori assumptione facta eadem die. Hoc autem ab Hippocrate experimento deprehensum est: quia eo tempore familiaris erat hæc medicina, ut nũc agaricus: rarißiméq; contigisse credẽdum est, ex hellebori assumptione conuulsum potuisse sanari. Quamobrem Hippocratis sententiæ uerißimæ sunt, ac minus longè fallaces quàm Galeni, qui multa sola edoctus ratione scripsit, quæ ratio persæpe fallax est: sicut & hic, cũ causam quòd conuulsio hæc letalis sit, aßignare nititur. Nos uerò nondum uidimus hanc conuulsionem, quoniam usus albi ueratri exoleuit: nec medicamentũ id adeò est formidabile in nostris regionibus, ut in Græcia. Conuulsio autem quæ ex helleboro fit, qualis sit, dictum est in quarto libro. (Aphor. 16.) Liquet enim, quod neq; ex siccitate neq; ex uacuitate fiat, sed repletione partim, partim uellicatione neruorum, ut genere ipso: letalis alioquin non esset.

APHORISMVS II.

Conuulsio ex uulnere, letalis est.

COMMENTARIVS.

¶ Constat hoc, ut & præcedens, experimento ipso: sed & hoc experimentum frequens admodum est, cum pleriq; qui ex uulnere moriuntur, aut ex fluxu sanguinis, aut ex conuulsione moriantur. Est autẽ fluxus sanguinis, mortis magis causa quàm signum: sicut contraria ratione resolutio magis in uulneribus, in quibus neruus non est præcisus, magis signum quàm causa: conuulsio uerò tam signum quàm causa, et est fermè æqualiter. Nam & resoluuntur ægri membris, in uulneribus maximè capitis: atq; id letale est signum, si, ut dixi, non præciso neruo fiat. nam sic eam sequi necesse est. De quo autem conuulsionis genere loquatur Hippocrates, palàm est, ꝙ tam de propria conuulsione, quàm etiam distentione loquitur. Eques enim Principis Istonij, cum esset uulneratus satis leuiter in digito medio sinistræ manus, in septima correptus est distentione utrinq;: & quamuis esset ualde iuuenis, in undecima mortuus est. Antonius uerò Pußianus ex uulnere capitis iuxta suturam coronalem correptus est conuulsione uera, & à die conuulsionis quinque superuixit diebus. Constat igitur, Hippocratem tam in hoc quàm præcedenti Aphorismo de utroque conuulsionis genere, id est tam de exquisita conuulsione, quàm etiam distentione, loqui. Quamuis conuulsio in helleboro sit magis familiaris, distentio in uulneribus: & plerunq; ambo genera, si quis diligenter animaduertat: in unum commiscentur. nam & distentio conuulsionem inducit, & conuulsio distentionem: cum sæuißima fuerit, plerunq; terminatur. Diximus etiam, resolutionem letale esse in uulneribus signum, maximè capitis.

Et quamuis generaliter uerũ sit, cõuulsionẽ et distentionẽ, & resolutionẽ, quæ fit non ex nerui præcisione, letalem esse plerunq; (hoc enim et in hoc & in præcedenti, ut aliàs diximus, intelligitur) nihilominꝰ omnia hæc longè letaliora sunt, cum ad capitis uulnera sequuntur. Atq; his hæc familiaria, sicut in uulneribus pectoris, tabe mori: & in uulneribus magnorum musculorum, in quibus præciditur magna pars carnea, sanguinis fluxu. Causa autem cur conuulsio ex uulnere sit letalis, partim dicta est in præcedenti, quoniam scilicet uiolenta sit, simulq́; afficiat: partim à Galeno adducitur, scilicet phlegmonis generatio: partim aliunde sumenda, cum ex punctura quosdam intra horam expirasse uiderimus, ante scilicet quàm phlegmone generari potuerit. Nobis igitur persuasum est, ex dolore uehementi cerebrũ quãdoq; diuelli, atq; ita statim interire. neq; eques ille, cuius suprà meminimus, ob phlegmonẽ mortuus est, cum febris abesset: aut tam exigua fuerit, ut phlegmonem adesse non significaret.

Rectè mihi uidetur animaduertisse Fuchsius dictionem τραύματι, ut τρώματι legi poßit, quod omnem noxam grauem exterius illatã significat, ut contusionem, uulnus, percußionem. nam in omnibus his conuulsio, non in solis uulneribus, letalis est.

Quærunt quidã, an etiam in ulceribus conuulsio letalis. dicimusq́; non esse letalem magis ꝙ̃ cõmunẽ, si ulcera sponte nata sint. nam cõuulsiones sponte natas, nõ sponte natas, Hippocrates non appellat letales: quia multi seruantur, etiã si plures pereant quàm seruentur. Sunt autem spontè natæ, quæ in uomitibus spõtaneis, quæ in choleris, & quæ absque causa alia manifesta fiunt. Sponte autem aduenientium duæ sunt letales, succedens sanguinis fluxui, ut in succedẽti Aphorismo, & febribus, de quibus aliàs loquutus est. (Lib. 2. Aphor. 26.) Earum quæ fiunt ab externa noxa, tres sunt species, &

cies, & omnes letales: ab helleboro, à percussione, & quæ ob timorem fit, maximè in infantibus, cuius Hippocrates hic non meminit: non tamen omnino hæc adeò letalis est, nisi magnus præfuerit timor: soletq; hæc esse uera conuulsio, non autem distentio.

Sed ut ad rem redeam, non æqualiter fit conuulsio in uulneribus, aut ex illis, sed cum pũctim infertur maximè. Cum enim, ut habetur à Gale-
Cap.92. no in Arte medica, neruus aut tendo, aut pars aliqua ualde sensibilis pungitur, cerebrum offenditur tum sensu partis maximo, tum consensu continuitatis, ob idq; cõuulsio consurgit: nõ ita facilè ex uulneribus, etsi neruus etiam præcidatur, multo tamẽ minus quàm ex punctura. Ideo etiã in uulneribus si sanguis non effluat, aut cutis ad locũ suum redeat, nõ sunt citra periculũ uitæ: & etiamsi ante tempus cõsolidentur. Iuuat ergo dilatatio uulneris, & in cõsolidando procrastinatio: nec statim ad consolidationem deuenire, et fouere etiam illa calidis medicamentis. Chirurgici uerò apponunt semper album oui, & acetũ, medicamenta frigida, uitantes sanguinis immoderatũ defluxum, & in maius periculum incidunt.

Cæterùm illud docere expedit, cur in uulneribus quandoq; conuellatur pars eadem, aut resoluatur, quandoq; autem opposita. Memini me uidisse uirum strenuũ, qui in monomachia effosso oculo sinistro, conuulsus & resolutus est in parte dextra, & ob uirium robur & diligentiã medicorum euasit, superuixitq; multis annis impotens eo latere. Dico ergo, quòd offensa quandoq; ex una parte trahit ad se sanguinem ad partem illam, & reliqua remanet sine sanguine & calore naturali, & ideo fit paralysis in parte illa quæ sana est, hocq; rarius contingit. Alius modus est, ut materia ad utrunq; latus simul concurrat ad cerebrum in uulneribus capitis, sed fluente per uulnus multo sanguine latus uulneris à phlegmone liberũ remanet, reliquũ inflammatur: & ob id cõuellitur aut resoluitur quod illæsum erat, et hoc frequẽtius euenit. Modus tertius est, ut ex percussiõe in uno latere affligatur aliud, nõ illud quod uulneratur, quia cedit: sicut quandoq; uidemus etiã de sanie in uulnere capitis, quæ inuenitur sub osse capitis, & non in directo uulneris: & hoc etiam, etsi rarò contingat, attamen ex omnibus causis accidit, ut frequenter pars sana conuellatur, aut distendatur, aut resoluatur, & non uulnerata. Et scias, quòd in uulneribus resolutio plerunque sociam habet conuulsionem, quia offensa est magna, & quæ prouenit ex phlegmone, aut magno impetu motus materiæ.

In percussionibus autem ob causas dictas & cõuulsio & resolutio sunt magis letales, aut saltem insanabiles, quàm in uulneribus: & quæ fiũt ex luxatione uertebrarum dorsi, penitus sunt insanabiles, ut etiam dicebat Princeps. Quæ uerò 2.3.cap.2. in fine.
ex attritione neruorum, cum sint necessariæ, minus sunt periculosæ, sed euentus earum dispositionum est iuxta magnitudinem læsionis. Et resolutio senibus, ac tremor, sunt magis familiares, & conuulsio pueris, et distentio iuuenibus. nam in infantibus ac pueris humor tenuis qui in ipsis neruis est, facilè in flatum uertitur et resoluitur: in iuuenibus uerò neq; facile uertitur, nec facilè resoluitur: in senibus non uertitur, sed sua crassitie impedit: propterea, ut dixi, talia pro ætatibus accidunt. In cura uerò uulnerum ob hæc, si uehemens ictus fuerit, multusq; defluxerit sanguis, uelisq; sanguinem mittere, semper ex aduerso latere mittes: quoniã, ut diximus, ex illo conuulsionis imminet periculũ. Si aũt uulnus absq; cõtusione fuerit, exiguusq; fluxerit sanguis, ex eodẽ latere: si aũt magnũ, nec fluxerit sanguis, ex utroq;. Si uerò sanguis multus fluxerit, ictus uerò leuis, hac ratione sanguis mittendus non est.

APHORISMVS III.

VBi sanguis multus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Non letalem conuulsionem appellauit, quæ ex hoc accidit, neq; singultũ, sed malam. Galenus aũt putat Hippocratẽ temerè pronunciasse malũ pro letali: quia ipse cõsuesset multa scribendo cõfundere pleraq;, ac sæpè unũ, sæpe aliud in causa dicere. non sic Hippocrates, sed omnia pensitatè protulit. Cur aũt, dicam. Neq; solũ hoc indiscussum reliquit, sed cur singultũ cõuulsioni copulauerit: nec dixit quomodo ex hac sanguinis effusiõe in horũ alterũ deueniatur. Recitat Brasauolus, ponderasse sanguinẽ, qui fluxit ex sinistra nare Principis Dianæ Estẽsis: qui cum effuso per terrã libras uiginti duas æquauit, et tamẽ, quamuis ægrè, seruata est. Igitur cõuulsio fit nõ solũ, ut credit Galenus, ob repletionẽ uel inanitionem, uel etiam abscessum, sed ex insultu bilis flauæ effrenis sanguine euacuato, & tunc nõ multũ periculosa est: sin autẽ ex inanitione, letalis est. ut igitur utranq; cõprehenderet, dixit malũ, non letale. Sed & ex hoc apparet, cur dixerit singultum: tã singultus enim quàm cõuulsio fiunt ex offensione neruorũ primigenia, id est facta ex ce-

6. Aph. 37. rebro, ut infrà uidebitur. Sed & ibi demonstra-
Pag. 14. bimus, cur cõuulsionem singultui copulet. Scribi
Pag. 1. tur hic Aphorismus in Coacis prædictionibus
Pag. 3. ad unguem. Porrò de singultu ait in primo Prædictionum, quòd uocis interceptiones, & in Coacis prædictionibus, delyrium si iungantur, lethalia sunt.

APHORISMVS IIII.

EX superflua purgatione, cõuulsio aut singultus superueniens, malum.

COMMENTARIVS.

7. Par. 39. ¶ Est id dubitatione dignum, cum infrà dicat: Si senioribus suprà modum purgatis singultus superuenerit, non bonum: quomodo hîc adijcit malum generaliter? nam quæ mediocria sunt in alijs, lethalia in senibus esse deberent. Constat igitur nonmagnum esse malum singultum, quandoq; cum ob materiam biliosam ad ôs uentriculi attractam contigerit. Ob id in his duobus Aphorismis comparat duo similia, sed proprium morbum generali mitiorem esse nos uult intelligere. Nec enim credere oportet conuulsionẽ, & multo minus singultum ex inanitione esse, similem ei qui ex siccitate accidit, nec æquè perniciosum: multo uerò minus illum qui ex acrium humorum morsu contingit.

APHORISMVS V.

SI ebrius quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur: aut ubi ad horã peruenerit, qua soluuntur crapulæ, uocem recuperauerit.

COMMENTARIVS.

¶ Vinum, cum copia sua replere neruos soleat, ob id quòd ardentem continens aquam ad cerebrum rapitur, atq; inde demittitur, conuulsionem excitat ex ea repletione. Sed antea occupato cerebro tum ui mentis, tum neruis qui ad linguam deferuntur, impeditis obmutescunt. Si igitur febris superueniens, aut calor ipse naturalis, non uim ipsius (is enim nimirùm obrutus est) humido humorem discutiat, antequam cerebrũ conuellatur, & à neruis ob repletionem contrahatur, bene actũ erit: aliter homo perit, magis quàm ex alia cõuulsione: quoniã cum hac & cerebrũ repletum est corrupto humore, & illum discutere non ualet ob multitudinem. quo fit, ut tales in sphacelon quoddam cerebri deueniant. Quamobrem fieri non potuit, ut plenè hæc sententia à Galeno explicaretur, qui uerè naturã uini nõ nouit: neq; enim ullum aliud calidorũ & humidorũ potuum aut cibariorũ id efficere potest, præterquam uinũ, & quæ ardentẽ aquã continent. Memini enim me bibisse apud pontificem Scotũ Hibernicã ardentẽ aquã, ex zetho extractã: id ergo zethum & inebriare potest, & mutos ac stupidos facere: nõ lac aut simile aliquid, uel decoctũ ex pipere copioso, tametsi multo calidius sit. Sed neq; illud satis aptè declarat, quomodo uinũ repleat neruos. non enim illos replet, nisi postquam ad cerebrũ delatũ fuerit. ob id primũ delyrãt, cum parũ ebrij sunt, ut tertia particula Pro- Probl. 2.
blematum Aristoteles refert: inde uictu uino, alij dormiunt, quod minus malũ est: alij uigilãt, quod mediocre: alij stupent, quod est maximũ. Defertur aũt ad cerebrũ bifariã: & per gulã ac palatũ ascendentib. uaporibus, unde quidã solo odore
inebriantur: & per uenas, ut antea dixi. Indicio Par. 4.
aũt est, quod cerebrũ maximè læditur, tremor, Aph. ulti.
de quo Aristoteles ibidem loquitur, & balbuties Probl. 5.
& delyriũ. Vnde pueri, & qui cõuulsionem passi sunt, & cerebro imbecilles, ab eo magis consflictantur: & qui nõ sunt uino assueti, facilius, non tamẽ magis læduntur. Quibusdã contingũt hilaritates: alijs tristiciæ, timores, lacrymæ, ira, uer-
tigo, cuius etiã meminit Aristoteles. Propriũ est Probl. 9.
aũt uini, facere furibundos. Est enim uinũ ab initio calidũ, postea cum resoluta fuerit pars illa ignea, symptomata frigiditatis agit, cuius etiã cau-
sam Aristoteles declarauit. At idem docet exte Probl. 22.
nuatos maximè perire, quoniam naturalis calor obruatur. Multiq; sic conualescentes ex magnis morbis obiêre. nam hi uerè extenuati sunt & corpore & uiribus. Neq; id animaduertunt medici, quoniã non uidentur ebrij: sed tamẽ ob imbecillitatem nõ secus ac ebrij morte corripiuntur. Id uerò magis cõtingit, nõ solũ quod omnia sint imbecillia, sed quod à membris ob inanitatẽ auidius uinum rapiatur. Quamobrẽ periculosissimũ est in illis qui uigilia laborarũt. exsiccatũ enim his cerebrũ affatim sugit. Cur uerò uertiginẽ patiantur, causa est, q. uapor ille circumrotatur in opticis neruis, & effigiẽ refert imaginis rei quæ uertatur. Inebriãtur aũt homines à uino magis dilu-
to quàm meraco, ut Aristoteles testatur: idq; in- Probl. 3. 24.
diciũ est manifestũ, nõ ob caliditatẽ, ut Galenus uult, sed tenuitatẽ, uinũ noxiũ esse. Porrò stupo-
ris indiciũ est futuri uertigo, ut Philosophus re- Probl. 10.
fert, q uertiginẽ grauiter ebriorũ symptoma esse dicit. Vidẽt aũt et res geminatas, aut etiã plures, ut ille refert. & rectè causam docet: multis enim modis res uidetur. quod aũt sic uidetur, plura existimatur, uelut etiã in speculis plurium super-

ficierum & uitreis aut crystallinis prismatibus.

Pag.8. Hippocrates secundo de Morbis sic declarat
,, Aphorismum: Si quis ex ebrietate uoce priuetur,
,, & statim sane ipsum febris corripiat, sanus fit: si
,, uerò non corripuerit, die tertia moritur. Si itaq;
,, in sic affectum incideris, multa calida lauato, &
,, spongias calida aqua madefactas capiti apponi-
,, to, & cepas decorticatas in nares indito. Si qui-
,, dem sic apertis oculis loquatur, & ad se redeat,
,, nec deliret, hac die sopore pressus iacet, postri-
,, die sanus exurget: Si uerò exurgens bilem uo-
,, muerit, insanit et moritur, maximè in quinq; die-
,, bus si non dormierit. Huic igitur hæc facere o-
,, portet, multa calida lauato, donec ad se redeat:
,, deinde copioso oleo illitum mollibus in stragulis
,, repone, ac contege cum silentio, & in tenebris,
,, utplurimùm enim ex balneo dormit: & si dor-
,, miet, sanus euadet. Postquam autem redierit, pri
,, mis tribus aut quatuor diebus milium tenue aut
,, ptisanæ succum sorbeat, & uinū mellis speciem
,, referens bibat. Deinde cibis utatur mollissimis,
Pag.3. ac paucis primùm. Et rursus in tertio libro: Quū
,, à capite dolor acutus statim uocē intercipit, tum
,, aliàs, tum si ex ebrietate hoc contingat: qui sic
,, afficitur, in septima moritur. minus tamen mori-
,, untur, qui ex ebrietate tale aliquid perpessi sunt,
,, & uoce priuati permanserunt. Nam si eadem die
,, aut postera aut tertia uocem edant, sani euadūt:
,, faciunt autem aliqui hoc ex ebrietate, & neutri
,, moriuntur. His ualidas sternutationes excitare
,, cōuenit, & clysterē bilem ducentē, & ipsum ua
,, lidum iniicere. Quòd si sensum æger receperit,
,, Thapsiæ succum in multa aqua calida dato, quo
,, quàm citissimè reuomat. Postea attenuato, & à
,, cibo abstineto usq; ad septem dies. Detrahendus
,, est & à lingua sanguis, si uenam comprehende-
,, re possis. Atq; hæc cura communis utriq; causæ,
,, & ualidior, illa propria.

APHORISMVS VI.

Qvicunq; à distentione corripiuntur, in quatuor dieb. pereūt: si uerò hos effugerint, sani fiūt.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus suo more rem hanc transit sicco pede, inquit enim: Cum sit morbus peracutus, natura non potest illum ultra quartum diem ferre, quare necesse est ut iudicetur & sanetur. Quid hoc est magis in hoc morbo quàm in alio? & si tulit usq; ad quartū diem, cur modò causam illius morbi necesse est cedere, tum maximè afflictis uiribus? Dicamus ergo primū cum illo, quòd distentio est morbus cōpositus ex emprosthotono et opisthotono: in quo corpus uidetur esse trabs, adeò rigidum manet, & immobile prorsus, quo ad totum & partes, solum pectus ægrè mouetur. Afferamus modò demōstrationē dicti Hippocratis, cum morbus sit adeò uiolentus, in tertia occidit, aut quarta, iuxta primum circuitū paris uel imparis. si ergo euaserit quartā diem, signum est quòd morbus est remissus, aliter non tolerasset: sed si remissus est, nō potest recidere, quia morbi uiolentissimi omnem conatum efficiunt. si igitur natura tulit eò usq;, & morbus est remissus, nec potest redire, ergo euadet. Et ita uides, quòd est ratio sumpta à signo, & non à causa. Circa quod nota unam regulam ualde necessariā in cognitione reditus morborum, quòd morbi scilicet quanto longiores natura, tanto obnoxij magis recidiuæ: quanto acutiores, eo minus.

Hippocrates in Coacis prædictionibus hæc Pag.15.
habet: In distentionibus antè & retrò uenienti- ,,
bus, & in dorsum solum, si maxillæ soluantur, le ,,
tale est. Letalis etiam est sudor in distentione ,,
dorsi, & corpus dissolui, & in eadem affectione ,,
reuomere per nares, aut clamare aut nugari, si ab ,,
initio uox intercepta fuit. in posteram enim diem ,,
mortem significat. Febriles in dorsum distentio- ,,
nes, urinæ genituræ similes soluunt. ,,

Porrò quod ad continuationem attinet, clarum est, Hippocratem perpetuo sermone ab initio ad hunc usq; Aphorismum egisse de cōuulsione & distentione, morboq; conuulsioni obnoxio, scilicet ebriorū stupore: quomodo uerò conuulsio distentioni proxima sit, in sequenti Particula ostendam: at conuulsioni comitialis proximus est, de quo mox agetur.

APHORISMVS VII.

Qvibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiūt: quibuscunq; uigesimoquinto, commoriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Meminisse oportet eorum quæ in secunda Aphor.45.
particula dixit: Quicunq; iuuenes morbo comi- ,,
tiali laborant, mutatione maximè ætatis liberan ,,
tur. Constat iuuenes ibi intelligi ante uigesimū- ,,
quintum annum, ut dixi, maximeq; mutatione ætatis liberari, non solùm ad uigesimumquintum usq; annum, sed ultra. Vnde demōstratio constat in hoc: Comitialis morbus, qui fit ante uigesimū quintū annum, fit ab humido, si fit à natura (hoc enim præsupponit Hippocrates) sed cerebrum perpetuò exsiccatur, ergo cæteris rectè procedentibus sanabitur tandē. Vnde non, ut Galenus,

præcidere oportet spem in uigesimoquinto anno, sed usque ad extremum uitæ spes sanationis extenditur. At si sponte inuadat, post uigesimũquintum annum, ab humidi abundantia prodire non potest: igitur ex ætate nulla est spes sanationis. Sed nec aliter, cum sit naturalis: naturales enim morbi non nisi naturaliter sanari possunt, exceptis his quæ ad repositiones & numerũ & formam pertinẽt. Et generaliter quæ manuum auxilium exigunt: aliqua enim ex his sanari possunt, ut Hippocrates ait libro de Articulis. Nã aliquæ (inquit) ex his luxationibus, quæ à natiuitate fiunt, si parum elapsæ fuerint, ad naturalem statum reduci possunt. Et maximè articuli circa pedem. Quicunque mutili fiunt à natiuitate, ex his pleriq; curari possunt, si nõ ualde magna emotio facta fuerit, aut etiã præauctis iam pueris cõtigerit. Itaq; potius quærere oportet causam, cur morbus comitialis post uigesimumquintũ annũ naturaliter exoriri poßit: quandoquidem de fortuito morbo, & qui ex errore cõtigerit, hic Hippocrates nõ loquatur. Nec est ut nos Galenum prosequamur, quemadmodũ ille facit Erasistratũ, maximè aũt Asclepiadem. palàm enim est, quot modis hic iniustè accuset Hippocratẽ. Sed iam explicemus quid Hippocrates hic dicat. Si comitialis morb. sponte ante uigesimumquintũ inuadat, antè quàm ad uigesimũquintũ annũ mutationẽ accipit, scilicet q̃a sanatur, aut minuitur, et leuior fit. Si aũt, cum prius nõ fuerit, in uigesimumquintum iam attingentib. annũ sponte incidat, toto uitæ tempore perseuerabit: qui ergo mentẽ habet, uidet quantũ hoc à Galeni sententia discrepat. Primùm, nõ dicit quòd cessent, ut ille: sed mutationẽ accipiunt, id est cessant, aut minuuntur. Secundũ, non dicit, quòd si ultra uigesimumquintũ annum procedant, quòd sint insanabiles: (absit) sed, si post illud tẽpus inchoauerint. Tertiũ, quòd præsupponit, nõ omnes sanari, nisi uictu utantur bono. id absurdè adiectum fuisset ab Hippocrate: quandoquidẽ constet, etiamsi nõ adsit, ex mala uictus ratione aduenire posse: quãto magis si adsit, nõ curari? Quartũ, quòd dicit, post uigesimumquintũ, etiãsi aduenіat, curari posse. Si ex mala uictus ratione; extra Aphorismũ. loquitur enim de sponte eueniẽte. Si de comitiali sponte eueniẽte, aberrat toto cœlo: est enim prorsus insanabilis, ut dixi. Quintũ, quòd frustra reprehendit Hippocratẽ, quòd non dixerit, uigesimoquinto anno, aut ultra. Stultè sanè: nam nõ nescit, in maiore cõtineri minorẽ numerũ. Et ego cum sexagenarius sim, annos habeo etiam quindecim.

Illud tamen benè animaduersum ab illo, pubertatem ad unguẽ finiri ad uigesimumquintum annum: eousq; enim corpus cum robore siccatur. Ipse uerò cum hanc quæstionẽ attigisset, primo in sextum Epidemiorũ, declarat, quòd eousq; corpus & cerebrũ fit calidius ac siccius. Ex quo cessat quæstio, cur hanc sanationẽ ultra nõ distulerit Hippocrates, cum etiã ultra uigesimumquintũ annũ, & usq; ad mortẽ siccetur. nã etsi perpetuò siccetur, nõ tamen caliditas augetur. Dixit autẽ, se narrasse, quomodo caliditas augeatur ad iuuẽtutem usq;, in libris de Temperamentis: sed hoc nõ dixit unquam, quòd iuuenis sit calidior seipso puero: imò dicit oppositũ, quod nõ est. Et si dicas, quòd dicit calorẽ esse magis mordacẽ: hoc attinet ad siccitatẽ. ergo adhuc sumus in uado & implicіti. Et si dicas, quòd calor tunc est maximus, quia integer ut in puero cum maxima siccitate, hoc non est uerum: quoniã trigesimo anno calor ad sensum est idẽ; & siccitas maior. Igitur hæc mutatio & morbi imminutio poterit usq; ad trigesimũ annũ differri. Duo igitur supersunt declaranda. Primùm, quomodo iuuenis sit calidior puero, omisso somnio, quòd tetigerit puerũ & iuuenem eundẽ, & inuenerit æqualẽ in utrisq; ætatibus caliditatẽ. Quis, si ego talia dicerem, me non exibilaret? memoriã retinuit quantitatis exquisitæ caloris decẽ annis? Deinde quo tempore? corpora enim calidiora sunt æstate q̃ hyeme exterius: & annus anno, & dies die, propter siderũ status uarietatẽ. Deinde calor manus Galeni erat unus? an & hoc memoria tenebat? Quòd si nõ; calidiora apparent manib. frigidis, frigidiora calidis. Sed iam nimis de his. Dico ergo, iuuenem esse calidiorẽ iuxta caliditatis uim ac gradum, q̃ puerum. nam & plus generat de bile, & motus habet ualidiores, & mentem perspicaciorem. Et semen fœcundũ generat, & rarius ægrotat, & melius dura cõcoquit: æqualiter aũt mollia, etiã ipso iudice Galeno: & morbis diutius resistit, & aerem appetit frigidiorem, & calidiorem absque dubio exspirat. Et urinas habet coloratiores & excrementa, & regio morbo magis corripitur: & deniq; ad tactum, reclamante quantumuis Galeno, & turpiter in hoc mentiente, ut antiquis contradiceret, manifestè nec paruo interuallo calidior est. non dicam, ne in meos casses incidam, eundem iuuenem eidem puero comparatum: sed si capias uiginti iuuenes, & totidem pueros, uix è uiginti iuuenibus unum frigidiorem pueris inuenies, certè puerorum nullum calidiorem omnibus iuuenibus. Omissa igitur dubitatione de re solum

Marginal notes: Pag. 31. — Com. 5. — 3. de causis Symp. c. 3.

lum quærere causam huius oportet: quandoquidem Princeps singularem contra nos rationem P.1. Doc.3. Cap.3. adducat: inquit enim, Nō superuenit puero ad iuuentutem tendenti, & rectè uiuenti causa, quæ il lius calorem, quod ad uim attinet, & essentiā augere aut minuere poßit: igitur permanebit æqualis. Dico quòd calor sese accendit ut flamma, nā motu augetur: motus autem in adultis ualidiores sunt & cordis & arteriarū: quocirca sicut est incrementum in corpore, in animi uiribus usque ad certam metam, ita etiam in calore: causa autē est motus liberior. Finge folles duos, unum impeditum, alium liberum & maiorem: impedito autem coneris flammam accendere crebris insufflationibus, ignis minor erit, ac minus uret: at ex libero folle splendidior flamma & ardentior micabit. Nesciebat Galenus (hoc audacter dicere possum, quandoquidem huius inuenti auctor ego sum) quomodo calor agat, & quid sit. Constat in motu, ut frigus in quiete. Et quamuis later ferreus ignitus quiescere uideatur, mouetur tamen ualidis motibus clanculum. Cum ergo in iuuene liberius moueatur tum ob motus ualidiores, tum ob spacium latius, tum ob substātiæ tenuitatem: maior erit calor iuuenis, quàm pueri. Non latet, Cont.15. nos tutatos fuisse Galeni sententiā in primo Cōtradicentium, quia defendi potest, sed non uerba eius simpliciter.

Causa uerò, cur sponte iuuenibus aut senibus hic morbus aduenire soleat, ab Hippocrate libro Pag.7. de Sacro morbo aßignatur. ex tribus enim principijs, uenarum cauitate, raritate cerebri & defluxione, morbi comitiales creantur. Dicit, Et si defluxio fiat, non potest superare sanguinem calidum ac multū. Quoties ergo cerebrum rarum ualde fuerit & calidum, poterit successu ætatis adeò (crescente caliditate) repleri cerebrū, ut fiat morbus comitialis, & hic erit insanabilis: nō Pag.6. tamen solet occidere, ut ibidem docet Hippocrates, propter uenarum amplitudinem, nisi cum homo ualde consenuerit.

APHORISMVS VIII.

QVicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim dieb. non repurgantur, ij ad suppurationem uertuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Quantus stupor sit horum, qui exponunt, non est ut dicam. adhuc enim ferme diem uix potui scire, quid sit hoc concoqui in morbo laterali: etenim dicunt medici, saniem expui, & effectus ipse id ostendit, atque substantia rei. pus enim expuunt. Hippocrates autem dicit, quòd suppurant, si nō repurgantur in quatuordecim diebus: quasi uelit nolit, quod prius expuitur, esse pus. Hæc quæ ad artem, quæ ad textum, quæ quotidie uidentur, et maximè necessaria sunt, omittūt: quæ aūt procul posita sunt, longius repetunt, & quæ etiam scire parū refert. Sed neque in hoc neque in alio huic congruenti uerbum facit Galenus de Aphor.15. huiusmodi re, tanquam cæcus esset prorsus: aut difficultatē rei, quod magis credo, subterfugerit. Verùm ad suos criticos dies refugit, quos quàm rectè fecisset, si omisisset, cōtentus his quæ Hippocrates de illis antè tradiderat? Quoniam uerò nihil tale in externis absceßibus apparet, Galenus rem hanc prorsus reliquit intactam. Et fortasse bono. nam fieri potuit, ut nos à labore excusaret: fieri etiam potuit, ut duplicaret. Interiores ergo absceßus quinque habent fines resolutionem occultam, suppurationem refudantem, suppurationem perfectam, transmutationem & cōuersionem in scirrhum, quæ rarò accidit in morbo laterali ob loci caliditatē. Ex refudatione nemo liberatur, nisi materia fuerit tenuis, uirtus ualida, & membrana laxa. nam tum suppurat absceßus, & absque ruptura membranæ æger liberatur. qui modus est optimus post primum. Extra non est tantus calor, qui hoc poßit facere. Per suppurationem ergo intelligit absceßum, in saniem conuersum, cùm prius non sit facta suppuratio: quia non tota materia simul in saniem uertitur, sed paulatim uertitur, & paulatim expuitur. Quatuordecim autem dies in expuitione nō ab initio morbi intelligere oportet, ut bene exponunt Brasauolus ac Fuchsius. Anaxion enim ter 8.Lāg.ult. ordinis. tio Epidemiorum in decimaseptima cœpit expuere, & liberatus est in trigesimaquarta, ut fuerint tum ab initio sputi dies decemocto: sed à uigesima ad uigesimamseptimam non spuebat materiam morbi, ideo undecim tantum diebus purgatus est. Videamus demonstrationē: Cum materia in quatuordecim diebus non repurgatur, & semper adest putredo, necesse est totum absceßum simul suppurare: at tamen nō potest expui, cum uix rupta membrana eijci poßit, quātò minus per illam penetrare.

Continuatur præcedenti, quoniā agit de stato tempore sanationis: uelut & illud quod in sequenti Aphorismo docetur, sed is ad morbū pertinet, & in alio similiter. Sic ut præcedens artificiosè interpositus sit, cum & terminum proponat, & de conuulsione loquatur.

APHORISMVS IX.

TAbes fiunt maximè ætatibus, à decimooctauo ad trigesimumquintum.

COMMENTARIVS.

Par.3. Aphor. 29. ¶ Suprà inquit: Adolescentibus autē sanguinis sputiones, tabes. Ibi suo more, ut hic Galenus, reprehendit frustra Hippocratem. Diximus ibi, quòd est morbus secundum naturam, & non causa malæ uictus rationis. Dixit aūt Aetatibus: Com.7. nam à decimooctauo ad uigesimumquintum est ætas adolescentiæ, ut uisum est superius: & ab eo ad trigesimumquintum iuuentutis. Par est ergo nos duo intelligere, siquidem in hoc Aphorismo certum numerum præfinitum, ut dixi, de duobus antecedentibus & sequente, & sunt anni decem & septem, qui etiam numero iudicialiū continētur: & priores septem esse periculosiores, ut non sit repetitus, sed per hunc illum, per illum rursus hunc intelligas. 4.Par.8. Ab 11.ad 14 Diximus & de his suprà, dicemusq; paulo post.

APHORISMVS X.

QVicunq; ab angina liberātur, ijs ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereūt: si uerò hos effugerint, suppurantur.

COMMENTARIVS.

¶ Sequutus sum conuersionem Leoniceni: quandoquidem non sim nescius, suppurari nō esse Latinum. Veniāt modò Choraules isti, & Galenum tueantur, qui in tot difficultatibus, & adeò præclaris, ne uerbum quidem attigit. Prima est igitur, cur dixerit, Quicunq; ab angina liberantur, ijs ad pulmonem uertitur: quare hoc est necessarium? non'ne possunt simpliciter liberari? Pag.9. Respondeo, quòd non. quia dixit in Prognostico: Anginæ horrēdissimæ sunt, et citissimè occidunt, quæ neq; in faucibus quicquam conspicuum faciunt, neq; in ceruice: uerùm plurimum dolorem exhibent, & erecta ceruice spirationem inducunt. hæ enim eodem die suffocant, secundo etiam, tertio & quarto: quæ uerò alioqui similiter dolorem exhibent, attolluntur autē, & in faucibus rubores faciunt: perniciosæ quidem ualde sunt, uerùm prioribus ualde magis diuturnæ, si rubor fuerit magnus. Quibuscunq; uerò fauces et ceruix simul rubuerint, hæ anginæ diuturniores sunt, & ex ipsis maximè euadunt: si & ceruix & pectus ruborem habuerit, & erysipelas ignis sacri nō intrò recurrerit: si uerò neq; in diebus iudicatorijs iudicetur erysipelas, neq; tuberculū ad externā partē cōuertatur, neq; pus tussiendo reijciat, facileq; ac sine dolore degere uideatur, mortem significat, aut ruboris recidiuā. Securius tamen est, tumorem & ruborem quàm maximè foras uerti. Si uerò ad pulmonem uertatur, & delyrium inducit, & quidam ex ipsis suppurati plerunq; fiunt.

Quid per suppuratos intelligat, iam superius Aphor.8. dixi, scilicet cōcoctū abscessum. Cum ergo morbus sit letalissimus, & inducias non det ad coctionē, necesse est ut si seruari debet, ut trāsmutetur ad locū latiorem, & minus periculosum. nam neq; coctionē expectare potest, nec sine coctione bene iudicari: relinquitur igitur, ut si materia benignior aliquāto sit, & paucior, & uires robustæ, ut extrudatur ad locum minus periculosum. sed cū de uera angina loquatur, nō est spes ut ad colli partē feratur, ut in Aphorismo illo: Ab angi 6. Aph. 35. na habito si tumor fiat in collo, bonū. Illud enim uerum est in leuib. anginis: & plerunq; post aliā quandā transmutationē in pectore fit hæc trāsmutatio ad exteriores partes, si angina sit sæua. Quamobrē cum morbus sit difficillimus, in ualde periculosum etiā transit: siquidē fit erysipelas, aut peripneumonia. Si erysipelas, intra septē dies pereūt, ut Hippocrates tertio de Morbis: Interfi Cap.7. cit, inqt, in quarta, uel ad summū in septima. Si ergo euaserit (nā ex hoc euadere non licet, q letalissimus sit, & alteri etiā deteriori succedat) necesse est materiā esse mitiorē, & fieri peripneumoniā. At cum uires sint imbecilles ob morbi magnitudinē & longitudinē (nā septē dies ab initio secundi morbi superauit, & materia praua est) non est spes ut alijs peripneumonijs, ut materia expuatur p resudationē pulsa: quamobrē tota putrescit, natura nō potente regere illā: ubi aūt tota cōputruerit, necesse ut disrumpatur pulmonis substātia cum tunica. Sed quomodo ex faucib. in pulmones trāsferri potest, cum pulmo nō habeat uenas, nisi quæ ex corde? Dico, trāsit p arteriam asperā inter tunicā et cartilagines, cōsensu illo cōmuni, de quo dicebat Hippocrates, quod totū no De Alimēto, pag.2. strum corpus trarspirabile est, & in unū cōsentit: trahente caliditate pulmonis uehemēte, natura pellente ob periculū, & materia descendente motu naturali libenter ad inferiora, cum grauis sit. Vides quàm sicco pede tantas hi uiri egregij transierint difficultates.

APHORISMVS XI.

QVi tabe molestātur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum, graue olet, & capilli è capite defluunt, letale.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Quia suppurationes in tabem plerunq; tran- Aphor. 15. seunt, ut infra uidebitur, si non repurgentur, propterea de tabidis hic subiungit, cum de suppuratione egisset in præcedenti: & etiam quòd cōmunis sit hic Aphorismus ipsis suppuratis, & nondū Pag. 7. tabificis, ut in Prognostico: Et pus pallidum siue uiride, & liuidum aut pituitosum, & spumosum. Et pòst paulo: Euadunt aūt, quorum pus album, et non fœtidum: quibus autem subcruentum & cœ Pag. 16. nosum, hi pereunt. Et secundo de Morbis: Si pus sectis defluat instar lutei oui, aut crassum cum uirore, subpallidum, fœtens, moriuntur, ubi pus effluxerit.

Hic porrò multa sunt consideranda, & negliguntur tamē omnia ab expositoribus. Declarabo aūt ego hanc rationē, quia in facto fui, proximus scilicet tabi, quāuis nō essem tabidus. Primū ergo dicit, Iniectum super carbones. Brasauolus uult, ut in uitreo uase superponatur, & probo utrunq; modū: diutius enim fumus durat. Dixit autem hoc Hippocrates, quomā nisi ignibus admoueatur, paucū pus sub multa pituita latêre potest. Deinde cur dixit, In tabidis? qa fieri potest, ut in ruptura abscessus in basilari osse hoc accidat, unde etiā sanguinem profluere uidi citra periculū, & non moriatur. Rursus, cur adiecit, Et capilli à capite defluant? nā corruptio puris sufficere debet ad mortē prædicendā, quandoquidem sufficit etiā in suppuratis, in quibus educitur pus, & nullum est ulcus? Respondeo, quòd datur pituita saniosa, quæ non solū super carbores, sed etiā per se fœtet: ut in meipso uidi, & eram cōsumptus, et tamen euasi. Propter hoc igitur oportet adesse casum capillorū: ille enim casus fit, ut bene Galenus docet in Commento, partim ob defectū alimenti siccata cute, & laxatis osculis, in quibus capilli cōplantati sunt: aut corruptis humoribus, & uapores prauos exhalantibus, ut radices capillorū erodant: unde etiā in quibusdā pruritus innascitur. Quæret etiam quispiā: Si omne pus olet, cur adiecit, Vt graue oleat? Respondet Hippocrates Pag. 16. secundo de Morbis, quod significat cōputruisse pus circa cor. Et etiā, quia non possum cognoscere quòd sit, nisi hac uia certè. Sed quia quidā ex Græcis dant alias notas, utpote quòd pus in aqua descendat, licet hoc malè sit intellectū (nam crudus humor etiam descendit) ideo dicendum, quòd pus spargitur in aqua statim, non autem pituita, quia est magis lenta: & postquam sparsum fuerit, statim descēdit. Dicet Hippocrates, quòd istud signum fœtoris est certum et propriū: quia licet cōuenire uideatur crudæ pituitæ corruptæ, tamen est alterū genus tetri odoris in pure, cum sit pars carnis corruptæ, quàm in humore crudo. Ex hoc demum concluditur, quod aliàs dixi, non existimare Hippocratem, omnem phthisim esse insanabilem, & maximè si secentur & urantur: & etiam sine sectione, ut in secundo de Morbis. Cur uerò, dices, adiecit profluuium capillo- Pag. 17. rum pro signo præcedente, cum in secundo de Morbis uelit sufficere sputum malè olens: dicitq; quòd signum illud per se letale est, indicio quòd sequitur profluuiū capillorum? Respondeo, quòd in suppuratis ob saniei multitudinem sufficit fœtor, nō autem in tabidis: quia, ut dixi, aliunde pus corruptum, quàm ex pectore uel pulmone prodire posset: propterea etiam addita est ea particula, quòd extussiunt.

APHORISMVS XII.

QVibuscunq; tabe laborātibus capilli à capite defluunt, ijs alui profluuio superueniēte, moriunt.

COMMENTARIVS.

¶ Modum quo id accidat, scripsit ipse Hippo- Pag. 71. crates primo de Morbis, dicens: Cum pus ipsum in uentre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, tum maximè uicinissimæ partes: calescente autem corpore humidum maximè eliquatur. & quod quidem à supernis partibus eliquatur, in supernum uentriculum præcipuè confluit, fitq; pus, ad hoc quod iam in ipso est. Pars uerò eius etiam in infernum uentriculum defertur, & quandoq; aluus ab ipsa turbatur, & hominē perimit. nam cibi ingesti succedunt inconcocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit. Et sputi sursum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam. Et à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à uentre uerò fluente debilitatur, & plerunq; perimitur. Paulo pòst subijcit: Cum igitur caput fluere cœperit, & reliquū corpus colliquari, nō amplius æqualiter, ne usti quidem euadunt. Superant enim supra pus influentia mala, ea quæ defluunt: & carnes magis à malis liquescunt, quàm nutriātur ab ingestis. Et rur- Pag. 16. sus in secundo: Huic si iam è capite capilli defluant, & nudum sit caput, uelut ex morbo: & si prunis inspuenti saliua graueolens sit, intra breue tempus moriturum ipsum pronuncia: id uerò quod accidet, alui profluuium fore. Nil mirum de hoc superesse uidetur, nec me posse quicquam adijcere ad dicta persuadeo.

nam de cōtinuatione adeò manifesta est, ut unus cum priore uideatur Aphorismus legentibus sic:
» *Qui tabe molestantur, si sputū quod extußiunt,*
» *carbonibus iniectum graue olet, & capilli è ca-*
» *pite defluunt, letale est. nam alui profluuio superueniente moriuntur. Quocirca demiror Galenum & expositores laborare in hoc, ut doceant* Hippocratem *loqui de morti uicinis, cum hoc expreßè ille in textu ipso dicat.*

APHORISMVS XIII.

QVicunque sanguinem spumosum expuūt, ijs è pulmone eductio fit.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum docuisset, tabidos quibus modis possent dignosci, & qualis eorū exitus, intendit docere quo nam pacto tabidi euadāt, siquidē ex ulcere pulmonis: ut aūt illud dignoscamus,* Ex *sputo sanguinis, inqt, spumosi.* Nam *si tabidus uerè esse debet, oportet ut ulcus pulmonis præsit. nam ex ulcere pectoris nō fiūt uerè tabidi, sed omnes fermè curari possunt:* Et *si nō curentur ad multos annos, tamē uita illorū protrahitur: at ulcus præcedit uulnus, & uulnus cōsequitur sanguinis exitus: & sanguis è pulmone exiens, spumosus est, et sputo eijcitur, non aliter.* Veri *ergo tabidi, etiamsi non deprehendatur, sanguinem aliquando expuunt: latet autem propter exiguitatem, & non animaduertentibus, & præsertim noctu, & inter alias sputi partes latitat.* Et *cum celer fuerit trāsitus in saniem, ut in tenerioribus corporibus.* Quibus *uerò tabes fit sine ulcere, sed cum spha-*
Cap.8. *celo pulmonis, ut* Galenus *narrat quarto de Locis affectis, hi nō sub hoc comprehenduntur, qa morbus ille qui illis tribus accidit, endemius est, non aūt ex sporadibus.* Nec Hippocrates *negat tabidos non posse fieri absq; sanguinis sputo: sed*
7.Aph.15. & 16. *bene dicit,* A *sanguinis sputo, puris sputum: à puris sputo, phthisis & mors sequitur.*

Cæterùm *ne hoc quidē exponūt rectè, quare necessariū sit sanguinē spumosum è pulmone uenire, cum spumosa sit saliua, quæ nō in pulmone, sed glandulis sub lingua generatur.* Diximus
Lib.2. Aphor.43. *aūt de spuma suprà, nūc uerò quantū sit ad propositū. constat enim pulmonē nutriri ex sanguine ab arteria uenali, à corde deducto, sexto de*
Cap.10. Vsu *partium.* Qui *igitur ex ea parte prodit sanguis, spumosus necessariò est: at si ex pectore educatur, spumā quidem admistā habere poterit, at substantia nō erit spumosus, ut etiam qui è capite in asperā arteriam (quod nō rarò accidit) fluit, deinde ex illa per tußim reijcitur.* At *dices,* Nónne *arteria uel in capite uel in pectore frangi poterit? certè sic: sed duo obstant, quo minus fallere poßit.* Hoc *signum primum, quòd cæteræ arteriæ uix disrumpi poßint ob craßitudinem. nam* Galenus *ibidem ex* Herophyli *sententia docet, arteriam uenæ sexcuplam esse in tunicarum craßicie, unde magno miraculo esset arteriā frangi aut erodi, quin prius proxima illi uena frangeretur aut eroderetur.* Aliud *maius est, quod cum*
spiritus ex aspera arteria in arteriam uenalem 7.de Vsu
delatus in cor ingrediatur, solus sanguis arteriæ Par. cap.1.
uenalis est manifestè spumosus, non cæterarum arteriarum, sed solùm candidior. Quare *si spumósus substantia sit, non nisi ex arteria uenali, quæ in pulmone est, eijci potest.* Quamobrem *dictum* Hippocratis *uerißimum est, & clarum.* Opus *est autem in dignoscendo multa exercitatione. plerique enim scientes ratione, tamen sensu ipso falluntur.*

APHORISMVS XIIII.

A tabe habito, profluuiū alui superueniens, letale.

COMMENTARIVS.

¶ Dubitare *posset quispiā, cum iam superius* Aphor.11.
dixerit, letale non solum esse, sed quòd statim moriuntur: hic & repetierit, & quod iam dictū est, imminuerit: minus enim, & multo est, letale esse, quàm tū mori, seu statim. Propterea *rectè exponitur à* Galeno, *quod modò iam diu tabe laborauerit. hoc enim per uerbum illud* Habito *intelligi debet: licet neq; sputum malè ualde oleat, nec capilli decidant, letale tamē esse, etsi non statim: ab initio tamen morbi letale non est hoc signum, natura se exonerante per crisim quādam.* At *iam debilitato ægro per diuturnā tabem, spes non est ut per crisim sit hæc expulsio, sed lassatis nutritionis membris.* Quocirca *in hoc fluxu neq; leuatur æger, nec cessat, ut in profluuio, quod ab initio morbi contingit.* Nonnunquam *enim in suppuratis sanationem affert, præsertim cum nō uera fuerit suppuratio, sed destillatio tenuioris pituitæ collecta in cauitate pectoris, ac putrefacta.*
Meta *autem initij non est tempus, sed uirium ro-* Pag.7.
bur, & corpus adhuc succosum. Ostendit Hippo- ibi princ.
crates id in primo de Morbis.

APHORISMVS XV.

QVicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus, à qua fit ruptio, repurgentur, liberantur: si uerò non, ad tabem transeunt.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Quòd hic Aphorismus præcedentibus cõtinuetur & ratione materiæ, de qua tractat, scilicet tabis, ut in præcedenti, & ratione dictorum de morbo laterali superius: Quicunq; morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus nõ repurgantur, ij ad suppurationem uertuntur: & ratione numeri cõstituti in omni genere morborũ, quorum exemplũ non solùm in eo attulit, sed pluribus alijs, ut dictum est, manifestius est quàm ut à me declarari postulet. Expositio autem Galeni somnio similis est, cum nos ad libros de diebus Indicatorijs remittat totos primũ legendos: quos nõ scripsisse, illius gloriæ præstitisset, in quib. maximè sibi placuit. deinde, quid ad rhombũ, dici solet, numerus ille cum causa phthisis. Certè in febribus circuitu stellarũ, aut abditis naturæ causis materiã moueri, indicia fieri, & experimentũ frequens docet, & ratio aliqua naturalis illucescere posset: at pulmonẽ exedi in eo temporis spacio, putrescere saniem rursus, quæ iam putredo quædã est in tot diebus: neq; rationẽ hic, nec ibi affert, et mirabile dictu. Et tandẽ plus nihil dicit, quàm quòd Hippocrates docuit; scilicet ita cõtingere: & modò quòd scriberet, quid scriberet nõ cogitabat. nã dicit, uerbũ illud Ruptio significare ruptã suppurationẽ in morbo laterali. At hoc dixerat, cum protulit priora uerba, Morbo laterali suppurantur. Subtilius Brasauolus docet, adiecisse, A' qua fit ruptio: ut intelligeremus nõ ab initio morbi, quod est unũ: nec sputi, quod est plerunq; aliud, à morbi initio: semper autẽ suppurationis, sed à suppurationis die numerandos esse quadraginta dies. At suppurationis signa quædã antè, quædã iam facta sunt. Audi igitur Hippo- Pag.6. cratẽ in Prognostico: Cæterùm omnes suppuratos ex his signis cognoscere oportet. Primũ quidem, si febris nõ dimittit, sed per diẽ quidẽ tenuis est, noctu uerò amplior: & sudores multi oboriuntur, tussesq;, ac tußiendi prõptitudo ipsis adest, & nihil memoratu dignũ expuunt, & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem cõtrahũt, & ungues quidẽ manuũ curuãtur: digiti uerò calescũt, & potißimũ summi, & in pedibus tumores fiũt, & cibos nõ appetunt, & pustulæ per corpus nascuntur. Inde loci affectus hæc subijcit signa: Si uerò suppuratio fuerit in altero latere solum, uertere & cõsiderare oportet in his, num aliquẽ habeat dolorẽ in altero latere, & an alterũ altero sit calidius: & ægro in latus sanũ reclinato, interrogare ipsum, an uideatur ipsi graue quiá ex superno latere incumbere? Si enim hoc fuerit, in eo latere est suppuratio, in quo grauitas percipitur. Sed quòd diuerso tempore rumpãtur, docet: at uerò aliæ suppurationes rumpuntur plurimæ quidẽ uigesimo die, aliæ uerò trigesimo, aliæ quadragesimo, aliquæ uerò ad sexaginta dies perueniunt. Considerare uerò suppurationis principiũ oportet, supputatione facta à die qua primũ homo febricitauit, aut si fortè ipsum primum rigor apprehendit: et si pro dolore grauitatẽ sibi factã esse dixerit in eo loco, in quo dolebat. Hæc enim in principijs suppurationũ fiunt. Ex his igitur initijs suppurationẽ iuxta tẽpora prædicta futuram expectare oportet. Quãdo uerò breui uel tardè, sic definit: Si quidẽ dolor & spirandi difficultas ab initio adsint, & tußis & sputatio perseuerãs ad uigesimũ diem pertingat, eruptionẽ tunc expectare oportet, aut etiã prius: si uerò quietior fuerit dolor, et alia omnia pro huius ratione, eruptio posterius expectanda est. Necesse uerò est accedere & dolorẽ, & spirandi difficultatẽ, & sputationẽ ante puris eruptionẽ. Factæ aũt eruptionis nõ meminit, quanquã Galenus malè exponẽdo superiora illa uerba: Cæterùm omnes suppuratos etiã, de rupta suppuratione uelit intelligere: credo hoc argumento, quòd ille de ea ibidẽ nõ faceret mentionẽ. Sed cum dicat: Et nihil memoratu dignũ expuunt: hic uerò uelit in quadraginta diebus posse expurgari, imò ipse Galenus referat decẽ heminas nõnunquã eiectũ pus suppuratorum collectũ superare, quinto de Locis: nescio Cap.3. quomodo fieri poßit, ut Hippocrates de suppuratis iam ruptis intelligatur. Cum ibi hoc generale sit signũ, nihil effatu dignũ expuere. Et etiã quia ubi ruptus est abscessus, huiusmodi signũ apponit, secundo de Morbis: Hunc ubi decimusquin- Pag.16. tus ab eruptione dies adest, multa calida lotũ in sella firma collocato: & alius quidẽ manus ipsius teneat, tu uerò humerũ concutito, ut audias utrũ in latus affectio strepitũ edat: optandũ autẽ est, ut in sinistrũ. quæ eadẽ fermè in tertio etiã referuntur. Duo igitur cum sint signa præcipua ru- Pag.9. ptæ suppurationis, sputum & sonitus: qui fieri potest, ut alterius nõ meminerit, alterius contrariũ pro signo attulerit, scilicet non spuere?

Habes igitur signa rupti abscessus seu suppurationis, quæ nõ tanquã propria, sed cõmunia cõsequũtur etiã illa, quæ sunt suppurationis nondum ruptæ. at quædam alia in eodem tertio libro de- Pag.10. scripta, uelut frequentia anhelitus & pedum tumor. nec me latet, fieri posse, ut ibi docet Hippocrates, nimium repleto pectore quandoq; nihil spui, nullũ sonitũ audiri in pectore. Sed tamẽ fieri

non

non potest unquam, ut nihil expui, & nullum sonitum audiri, signa sint rupti abscessus.

Reliquum est autem ut uideamus, quónã pacto in quadraginta diebus, si non spuant, in tabẽ transeant. nam & hoc in dubium Galenus cum suis diebus creticis reuocat, dicens: Nisi ut plurimùm in quadraginta diebus: τὸ πλεῖστον ἐν τεσσαράκοντα ἡμέραις. Itaq; non putat hoc generale. Neq; uerisimile est, tam diu pulmonẽ persistere, ne corrumpatur, si tangitur à pure: si non tangitur, neque in totidem diebus. Hoc igitur est indicium, quòd si in quadraginta diebus liberantur, nõ esse uitiatũ pulmonẽ: si non liberantur in tot diebus, uitiũ aliquod adesse in uiscere, aut fluxionẽ in tanto etiã tempore uerisimile est uel acrem factam saniem, aut crassam aut crudam, adeò ut in naturæ arbitrio non sit, ideóq; uitiare membra ipsa respirationis.

APHORISMVS XVI.

CAlidum, ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones, ad quæ mors.

COMMENTARIVS.

¶ De calidi immoderato usu, non quidẽ solum temperati & tepidi, sed qualiscunq; qui cum uoluptate fit, uelut hyeme, cum nobis indulgẽtes iusto plus etiam, ac prope dolorẽ usq; lectos calefacimus, & corpora nostra iuxta ignẽ. Nec malè Galenus quarto de Simplicibus medicamentis hic inducitur. Inquit enim: Calida tẽperata, grata amicáq; sunt. funditur enim quod in corporibus nostris concretũ fuerat, quo maximè pathemate uoluptas maximè in animantib. constat. At si morã etiã trahãt, sensim quoq; & ipsa molesta euadunt. ad tantã enim fusionis immoderantiam recidunt, ut substantiã nostrã discutiãt, dissoluãt atq; disperdant. Verùm tum quidẽ sine mordicatione infestãt, & animi deliquiũ afferunt, uiresq; deijciunt, ut mors quoq; tandẽ sequatur. Sumptũ aũt est hoc totũ ex uno aut duobus dictis Hippocratis, libro de Carnibus: Calidum diffundit, in multo uerò etiã tempore exsiccat. Et secundo de Diæta: Quæ corpus calefaciũt, & alimentũ nõ præbent, carnẽ humido euacuãt: etiamsi nõ excessum faciãt, corpus tamẽ refrigerãt. Ergo non difficilis hæc est ratio, calidũ cum aperiat poros, educit etiã spiritũ, & immodicã facit perspirationem ex arterijs: & contrà trahit humorẽ, qui in cõtinenti adest, ut dupliciter laxet carnem & neruos. uocat aũt effœminationẽ, etiã laxitatem neruorũ, ut ibi crurium effœminationẽ, ut Galenus nõ perfectè reddiderit causam huius incõtinentiæ: eò fit, ut calefacta corpora inde frigido aeri & humido exposita, statim lassitudinẽ sentiant, ut etiã tertio de Tuenda sanitate Galenus docet. Mentis autẽ torporẽ duplici causa, cerebri ui, ut reliquarũ partiũ, dissoluta. Aperit & oscula maiorũ uenarũ, ut facilè profluuia sanguinis eueniant: & in deliquiũ etiã animi multi trãseunt. sumptũ hoc est ex experimento eorũ, quæ accidunt pluribus qui in caldarijs se lauãt. Sic enim uocari debet secunda pars adeò æstuosa balnei, quandoquidẽ mediocri & temperata careant nostra ætate. Partim igitur suffocatione, partim calore, multi in animi deliquiũ incidunt. Et ego angusto in caldario Londini in Anglia penè peremptus sum, iens in Scotiã: dum ego illorũ consuetudinem, illi rationẽ huius usus parum callerent. An uerò uelit, animi defectiones sequi profluuia sanguinis, ut Galenus exponit? certè non. Et rectè Brasauolus illum arguit. Primùm, quòd solam mortem facit consequentem, reliqua non unũ ex alio deducit. Deinde, quòd nõ solẽt hi tepores excitare tantã sanguinis effusionẽ, ut homines animo ob id destituantur. Verùm subijcit: Ad quæ mors. Hic nota recõditũ sensum Hippocratis: sicut si hæc omnia cõtingãt, & ualida sint, mortẽ repentinã inducere solent: ita si hæc frequenter adueniãt, tandẽ interficient hominẽ, & breuiorem efficient uitam. Voluit ergo nos intelligere, quòd suauitas hæc & effœminatio, usúsq; mollis eneruat hominẽ interim, demum etiam breuiorẽ efficit uitã. Valeant ergo Germani cum suis caldarijs, in quibus si bene animaduertis, fit iactura trium optimarũ rerum: roboris corporis, perspicacitatis mentis, ac promptitudinis animi (utrunque enim intelligi potest) & temporis uitæ à nobis constituti à Deo. γνώμης νάρκωσιν. νάρκωσις idem quod νάρκη, dissolutio: & pertinet ad opera corporis, scilicet hebetudinem, & animi languorem: & stupor, ad mentis propria opera. Videtur autem ex causis assignatis utrunq; significare.

Cap.1. — Pag.2. — Pag.11. — 6. Epidem. Par.1. — Cap.10.

APHORISMVS XVII.

FRigidum aũt cõuulsiones, distẽtiones, liuores, rigores febriles.

COMMENTARIVS.

¶ Verbum (aũt) declarat, quòd hic Aphorismus eodẽ modo sit intelligendus, quemadmodũ & præcedens, hoc modo scilicet: Frigidũ ubi qs immoderatè, seu plusquã oportet (hoc enim p

dictionem

dictionē πλεονάκις interpretandū est, ut sit cō-
mune ad nimiā frequentiā & magnitudinē) ge-
nerat conuulsionem & distentionem, & reliqua
6. Aph. 37. quæ in Aphorismo. Discrimē cōuulsionis à disten
tione tā sæpe retulimus, & infrà dicturos sumus
polliciti, ut repetere superuacuū sit. Galenus so-
lito more, uult suo modo scribendū fuisse sic: Fri-
,, gidum aūt rigores facientes cōuulsiones, disten-
,, tiones, liuores atq; febres. Vides modò, qui tam
es addictus Galeno, si ille uir Hippocratis tem-
pore fuisset, quàm illū acriter fuisset dānaturus, q
uix ex decē Aphorismis unū uelit rectè scriptum
esse ab Hippocrate. Sed & illud grauius, quod ue
lit: hos omnes Aphorismos de calido & frigido
tractātes, de aqua intelligendos censet, quando-
quidē generalē contineāt doctrinā: & aeri nō mi
nus quàm aquæ, imò magis, quod aerē perpetuò
hauriamus, congruat. Quomodo uerò rigores
excitet, ab Hippocrate facilè colligitur, primo de
Pag.12. Morbis. Et quomodo ad rigores febris necessa-
riò sequatur, si ex huiusmodi causa fiant: diximus
& aliàs, locumq; illum adduxisse in præcedenti
particula me memini, de Liuoribus. Melius est ni
grities cōscribere, quod in Græco habeatur eius
dictionis loco μελασμὸς. at liuores appellātur
πελιώματα: has nigrities excitat frigidū dum
Pag.ult. extinguit, ut in libro de Humidorū usu. Disten-
tiones quoq; dum rigēt, quod in transitu Alpium
sæpius cōtingit uiatoribus. Oporteret enim q uel-
let huius Aphorismi experimentum uidere, ibi in
caupona aliqua per hyemē cōmorari. nam frigore
cōgelati nerui redduntur immobiles, atq; tendun
tur: estq; distentionis genus quoddā diuersum ab
alijs, quæ alijs etiā ex causis sunt excitata. At cō
uulsiones fiūt refrigerato cerebro, quemadmodū
& comitiales, ut in libro de Sacro morbo, ubi de
Pag.8. Aquilonaribus uentis agit. Itaq; capita infantiū
frigori exponere, periculosum est. Tametsi ergo
frigidum immoderatū conuulsiones pariat in in-
fantibus, id maximè facere consueuit, atq; dum
caput afficitur. Manifestum est autem, quòd de
frigido, quod sentitur, intelligit.

Cæterùm ut cum omnia conueniant, reliquū
est ut uideamus, quomodo hi Aphorismi priorib.
cohæreant. nam de his duobus inter se, & usq; ad
16. illum, Aqua quæ citò calefit, et citò refrigeratur,
leuissima est: haud obscura est continuatio, cum
perpetuò agat de operib. calidi & frigidi. Vide-
tur aūt mihi manifesta cōtinuatio etiā ad præce-
Aphor. 15. dentes, cum dixerit: Quicunq; ex morbo late-
Aphor. 22. rali suppurantur. suppuratione aūt ex calore fie-
ri, docturus sit infra, caloris uires pertractare
aggreditur. Duplex autem est huius argumentū;
præter rei ipsius euidentiā. Vnum, quòd (post-
quam de calido et frigido agere cœpit) undecim
perpetuos subiūgit in eadē materia Aphorismos.
Alterū, quod Aphorismū illū, Quicunq; ex mor
bo laterali suppurantur, in interluminio, quod sæ
pius dixi, cōstituit Aphorismorū eorū, in quib. a-
git de morbis pectoris & pulmonis, & calidi fri
gidiq;. Liquet aūt, quòd abscessus & suppuratio-
nes pectoris non possunt cum calido aut frigido
cōuenire, nisi ut calidū suppurationes iuuat, frigi
dū uerò prohibet. Hæcq; causa fuit, cur nō hunc,
scilicet, Quicunq; ex morbo laterali suppurant: 8.
subiecit statim illi, Quicunq; morbo laterali labo
rantes, cui maximè cōgruere uidebatur: ut nō so
lùm nō obiter ordo hic Aphorismorū sit institu-
tus, sed admirabilem rationē in se cōtineat. Cum
igitur generaliter damna calidi & frigidi enar-
rasset, in sequēti Aphorismo specialiter membra
recenset, quibus frigidum est inimicum, aitq;:

APHORISMVS XVIII.

FRigidum inimicū osſibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum uerò, utile.

COMMENTARIVS.

¶ Quicunq; hunc Aphorismum legerit, no-
strumq; de Aqua & æthere librum, tum eiusdem
Hippocratis libellum de Humidorum usu, statim
& orationem eius tanquā falsam coarguet, & i-
psum Hippocratē obliuionis. namq; aquā frigidā
tot locis salutarē esse dixit & osſibus & neruis,
& experiētia ipsa cerebro utilem esse declarat.
Sed nullibi maior lapsus (ne forsan quisquam ua
nitatis ac contradicendi studij me arguat) quàm
in dentium salute conseruanda, in quibus plures
dum studiosos se Hippocratis ostendūt decepti,
calidisq; cibis ac potibus utentes, primùm quidē
dolores, deinde cariem excitarunt: ob quæ ma-
la dentes sponte cecidere ante tempus, uel erue-
re coacti sunt. Atq; id iure. nam calida fluxiones
mouent, ac robur dissoluunt. Vnde illud in libro
de Aqua & aethere ex Q. Sereno: quanquam
præter morem nostrum, repetere liceat:

Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha,
Dentibus ut firmum posſis seruare uigorem.

Itaq; & Galenus & alij expositores, qui in
quæstiunculis minutis persequendis adeò seduli
sunt, in hac tanta re oscitanter se gerunt, breuis-
simè Aphorismum & absq; distinctione ulla ex-
ponentes, tanquam quod falsiſsimum est, uerissi-
mum esse nos credere uelint.

An igitur senex noster errauit? minimè. absit
hoc

hoc ab auribus nostris, menteq́; nostra. Quid igitur? longiores facis proecthêses ipsis commentationibus? Fateor, non aliud possum. nam non de uerbulo, ut Grammatici solent, longas facio Iliadas: sed de hominum salute actio est, atq; querela. Quidam de frigidæ aquæ usu interpretantur. At ego uitium agnosco, cum generalem sententam speciatim exponũt, solutionem dubitationis non intelligo. Adijciũt, de eximio frigore hæc, non de mediocri esse dicta. Tanquam non magis multo à uehementi calore, quàm frigore: ac celerius hæ partes, tamen omnes aliæ offendantur. Si quis non credat, prunas & glaciem seu simul seu seorsum experiatur. Ideo tamẽ probãdi sunt, quod ipsa ueritate inducti, cũ uiderent hæc membra, atq; alia omnia à calore magis lædi quàm à frigore, summam uim frigoris calumniãtur. quæ si caloris summæ ui non conferatur, rationẽ habebit, sed absurdum atq; delyrum faciet Hippocratem: ob id ad causam inquirendam se conferunt, atq; ex causa ipsa ad demõstrãdũ, quòd hæc

Lib. 1. c. 8. & 11. ita se habeant. Dicunt enim ex libro de Semine: Os, arteria, uena, membrana è semine fabricantur: adde etiam cerebrum. Solæ carnosæ partes

Com. 27. è sanguine genitæ, ut primo de Natura humana habetur. Ob id ergo exanguia omnia, ideoq́; frigida, par est ut à frigido lædantur: uelut in animalibus, quæ si sanguine carent, omnia sub hyeme aut moriuntur: aut si robustiora sint, latent. Quot in his dictis, cum partim etiã Galeni sint, dubitationes emergant, non dico. Primùm apud Aristotelem id dubium est, an hæc membra ob id sint frigidiora, quòd ex semine generentur, cũ uelit uniuersa generari ex sanguine: apud Galenum etiam, qui semen calidius sanguine esse existimat. est enim magis concoctum, & spiritu copiosiore præditum, & ut principium generationis in corpore.

2. de partibus Animal. cap. 3. Aristoteles etiam sanguinem sua sponte non esse calidum, sed solum ob motum affirmat. Sed his omissis, cor non'ne calidum sua sponte est? [illegible] tamen è semine, si quid aliud, potius quàm è sanguine constant. Neq; rursus id statim affirmandum, si frigidum sit membrũ et exangue, à frigido lædi par est. Quid enim frigidius, aut magis oculo exangue? quid uerò à frigida aqua magis iuuatur? An negãda sunt prorsus experimenta in hominum perniciem, ut falsæ subscribamus autoritati? Sed non falsa est autoritas: aliud intelligit Hippocrates. Dices, ex sequẽti Aphorismo se declarat, cum dixit: Quæcunq; refrigerata sunt, excalefacere oportet: exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. De frigido palàm est, iuxta sensum illum loqui. Verùm melius, opinor, de frigido potestate erit Hippocratẽ interpretari. Quæ enim frigida sunt, hoc modo nocent omnibus exanguibus membris, cerebro, oßibus, oculis, auribus, neruis, membranis: calida autem utilia sunt. Destituta enim hæc membra, ubi primùm frigidam uim alterci aut opij, aut mandragoræ uel solani, aut lactucæ, aut eudiuiæ sentiunt, ita torpent omnibus uiribus, ut læsa statim appareant: non sic iecur, cor, carnésque. At ab actu frigidis, præter solam aurem, nihil offendi didici, nisi refrigeratio calori uehementi succedat (tunc enim dentes confringere potest) aut omnino immodica sit, ac diuturna. Certũ est enim canes & equos ob id dẽtibus usque ad senectutem firmis uti solere, quamuis durißimos cibos edant, quòd à calidis cibis abstineant. Et quicunq; oculos, cerebrum, à fluxionibus, ac dentes, usq; ad extremam senectã immunes seruare uoluerit, ab omnibus prorsus calidis perpetuò abstinebit. A` frigido etenim membra quæ exanguia uocantur, coguntur, consolidantur, roborantur: calidum cum soluat compaginẽ, & calorem naturalẽ exhalare faciat, quam nam utilitatem præstare poterit?

At dices, in prioribus duobus Aphorismis palàm est, Hippocratem de calido ac frigido, prout sensu percipiuntur, loqui. Fateor, ob id in repetitionem potius incidisset, si de illis denuò sermonẽ habuisset. Et ne quis uoluntariam hanc expositionem putet, addam in eam sententiam ex Galeno tertio κατὰ γένη, interpretationem, ubi de

Cap. 2. in initio. medicamentis uulnerum neruorum loquens, hæc habet: Rursus apud me contemplatus, frigidũ uerè ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum uulneribus medicamentum intellexi, quod & siccaret, & inter calidum esset ac frigidum, uel non multum à medio ad calorẽ recederet: calidum uerò esse satis posse etiam, modò siccandi potestate polleat. Hæc Galenus. ubi animaduertendum, illum uerè calidum dicere, qđ potestate talẽ esset, non autem actu. Neq; tamen prohibeo, propter ea quæ antedicta sunt, ut etiã in detectis membris frigidum arceamus: non ob illorum naturã sanguinis inopem, sed ob uulnus ipsum, quod à frigore, ut expositũ est prius, mordetur. Hanc autoritatem cum Brasauolus citet, non tamẽ animaduertit quantum ponderis haberet: sed sensum illius peruertit.

Cur uerò dentes hic non sub oßium communi nomine comprehenderit, non aliam suspicari causam oportet, quàm quòd in dentibus hoc ui-

debatur

debatur obscurius, quod facilius licet experiri. Quicunq; os colluunt omphacio uel lacte, uel punica mala mandunt, egregiè dentes lædunt: at si acri aceto aut fuluo uino, iuuant. oportet autem frigida adhibere. ob quæ etiam ardens aqua in doloribus persæpè utilissima est. Cum uerò calida ac frigida, licet nõ ex æquo, dentibus sint noxia: nihil tamen nocentius, quàm si post calidiora, frigidissima deuorentur. Velut contigit Ioanni Casanato, medico Hispano, patri Guglielmi amici nostri, qui cum omnino sine dẽtibus esset, interroganti mihi causam, respondit: Potus frigidiores post calidos cibos id efficere potuerunt. Hanc uoluptatem multi tam magno incommodo compensare solent. Cum enim utrunq; noxium sit, alternatis utrisq; multiplicatur iactura. hoc enim à nobis in Physicis demonstratum est.

Verùm ex hoc etiã ratio curandi neruos, maximè ex punctione læsos, habetur, quam Galenus in sexto Artis curandi docet: Cap. 2. *scilicet non calida, sed calidissima adhibet, trebentinã, sulphur, euphorbium, quibus nulla est inuenire calidiora medicamenta. Sic & cerebrum, lacryma elemi, atq; huiusmodi. At nostri medici ferro, oui candido, aceto, alijsq; medicamentis frigidioribus curantes, in capite uulneratos perimunt. Eadem noxa euidens est in dorsi medulla, cui si frigida potestate applicueris, in resolutionis periculum induces, certè ægrum lædes. Quid igitur est quòd dubites, an de actu, an de potestate medicamentorum frigidorum locutus sit Hippocrates: quandoquidem uideas ab omnibus medicamentis frigidis lædi plurimùm has partes, à calidis iuuari? At de his quæ talia actu sunt, nõ idem contingit. plurimi enim à frigidis refugiente intus calore iuuantur, quoniã cogitur: à calidis autem, eo dissoluto læduntur. De oculis uerò alia ratio est. nam cum humores contineant, à calidis potestate læduntur: non quia exangues, sed quia humidi ac tenuis substantiæ. Sed nil ad Aphorismum, quandoquidem non id quæratur hic, an calida potestate iuuent, sed an frigida actu noceant: quod nos negamus uoluisse Hippocratem, ac uerius etiam est in oculis, quàm etiam in alijs connumeratis ab illo partibus. Verùm id nos ad quæstionem sequentem explicandam excitat, scilicet, cur dixerit, Calidum uerò utile? Nam ut dixerat, πολέμιον, id est inimicum: subiungere ex aduerso debuerat, οἰκεῖον: aut ἄρθμιος, quamuis refragante persona, sic φίλος: at nihil horum, sed ὠφέλιμον, id est utile, ut duobus duarum differentiarũ assumptis terminis omnes intelligeremus. quasi diceret: Oßibus frigidum inimicum, & iacturam afferẽs: calidum uerò utile, atq; amicum. Vtilitas tempore etiam in his quæ non sentiunt, percipitur: iucunditas uerò statim, & non nisi à partibus sensu præditis. Neque tamen necessarium erat, ut si frigidum esset inimicum, quod calidum amicum esset. Vt enim diximus de calido frigidoq;, prout sensu percipiuntur: utraq; dentibus iniucunda sunt, si exuperent: si parua sint, molestiã non afferunt: non quia grata, sed quoniam non sentiuntur.*

APHORISMVS XIX.

QVæcunq; refrigerata sunt, excalefacere oportet: exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

COMMENTARIVS.

¶ *Cum deterruisset nos ab admotione frigidorum medicamentorum in his membris, simul ostendit neceßitatem quandoq; admotionis illorum, ut sit par ratio in supercalefactis frigida admouendi, quæ in refrigeratis calida: simul etiã, ut curam eorum intelligeremus, quibus perperã frigida admota essent. Dedit aũt exemplum de refrigeratis, quoniã calida, ut diximus, nunquã noxam afferunt, nisi exuperent. Hoc etiã ipso ostenditur, de potestate frigidis & calidis, non actu illum loqui. nã secus nihil plus doceret, quàm quòd non solùm rustici, sed etiam canes, & illis stupidiores boues norunt. refrigerati enim & solẽ et calida cubilia quærunt: & excalefacti aquã frigidam, & aurã. At Galenus ab hac iniuria uindicauit Hippocratẽ, dicens illum nihil uulgatũ scribere, nec etiam quod mediocriter eruditus medicus per se scire poßit.* 2. de Diffi. spir. ca. 71. *Ergo excipit ea, in quibus periculum imminet fluxionis sanguinis. illá enim neq; actu neq; potestate excalefacere dignũ est. Ostendit id uerum esse, quod dicit infra: In his* Aphor. 23. *“frigido utendum, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. Id etiam Galenus fatetur in commento, cum dixit:* Pag. 10. *“Inde ad temperiem est reuocandũ. palàm aũt est, id fieri cum his quæ potestate calida sunt magis, quàm cum illis quæ talia sunt actu. In libro autem de Natura muliebri, ubi enumerat sanguinem prolicientia, medicamenta omnia calida potestate enumerat.*

APHORISMVS XX.

VLceribus frigidum quidẽ mordax cutem obdurat, dolorẽ qui suppurare non potest facit: liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones.

COMMENTARIVS.

¶ Non de ulceribus, & sana cute ei sermo est, ut Galenus exponit, quippe iterũ oporteret ad idem redire, cum dixit, Liuorem obducit. neq; Aphor. 18. enim sanis, sed ulceratis partibus frigidum liuorem inducit. Cum ergo frigidum cõparasset mẽbris, hic morbis comparat, scilicet ulceribus. enumerat autem octo mala, quæ inducit. Primum enim mordax est, siue actu tale sit, seu potestate. Pag. 4. Scribitur in libro de Humidorum usu, paulului uariatus hoc modo: Vlceribus quidẽ frigida (aqua) mordax, cutem obdurat, dolorosa non suppurari facit, liquefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, conuulsiones, retro & ante distentiones. Sed Græcè apertius sic: ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει: ὀδυνώδεα, ἀνεκπύητα ποιέει: πελιαίνει, μελαίνει, ῥίγεα, σπασμοὺς, τετάνους. id est: Vlceribus quidem frigidum mordax, cutem obdurat: dolorosa, insuppurabilia facit, liquefacit, nigrefacit, reliqua ut suprà. nõ ut legamus sub absurdo sensu, Dolores qui nõ suppurant facit, neq; dolores suppurare prohibet: neque enim dolores suppurant, sed causæ dolorũ abscessus. Vt sit sensus: Frigidũ ulcerib. mordax, & obdurat cutim, seu ulceris labia, dolores facit: & quæcunq; in ulcere sunt, prohibet suppurare. nam nõ solum abscessus, sed uulnera etiam ad suppurationem per- Pag. 1. ueniunt, dicente Hippocrate in libro de Vlceribus: Vlcera omnia recentia, tum ipsa, tum circumsitæ partes, minimè inflammationem incurrent, si quis quàm citissimè suppuret, & pus ab osculo ulceris non interceptum supprimatur. Videntur autem mihi omnino rerum ignari, aut obliti, qui scribunt. Quatuor igitur iam explicata sunt, inde succedit illud quod liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones atq; distentiones. Palàm est, quod in ulceribus loquitur. nam si de moderato usu in sanis hoc intelligatur, palàm falsum est. neq; enim ullus à modica frigida aqua talia patitur: si ab immoderato, hoc iam superius di- Aphor. 17. xit. Vides quali stupore teneamur.

Reliquum est, ut causas singulorum doceamus. Frigidũ cum astringat, idem facit quod qui uellicat: uellicare autem iam diuisam carnem, morsum excitat. Sed neq; quid per morsum intelligant, explicarunt. non enim dixit, Dolores; imò postmodũ subijcit etiam ὀδυνώδεα, id est dolorosa. Ergo res ipsa se prodit, immissa frigida ulceribus, uriginem seu flagrantiam excitant. Est autem doloris genus quoddam, de quo aliàs diximus, qui solis externis partibus accidit, præcipuè ueretro in mictu, cum urigine propter ulcus uel lapidem, meiendi laborant. Ex internis non scio membrum, præter uentriculũ, quod hoc affectu corripiatur. Omnes norunt qui uulnerãtur, qui digitos incidunt, sed & pueri maximè cum uirgis cæduntur. hoc enim doloris genere uexantur, qui neq; internas partes occupare solet, nec phlegmonem excitare, sed uidetur peculiaris cuti & uulneratis partibus, dum aeri exponuntur. hoc igitur est quod dixit, Mordax. Postmodum urigo, cum perseuerat diu, seu per se, seu materiam trahendo, & phlegmonem excitando, in dolorem conuertitur. Sed dolor non fit in superficie carnis diuisæ, sed in profundo. Iam ergo duo habes. nam causa (ut dixi) eadem est, nisi quòd frigus cogit partes intimas, dum dolorem excitat: atq; sic soluit ac diuidit illas. propterea si quis utrunq; simul sentiat, uriginem in labijs interioribus uulneris percipit, dolorem autem in intimo. quod uulneratis paulo post uulnus aut curationem accidit. Labia autem exteriora uulneris ob dolorem & ob frigus contrahuntur, quòd, cum discissa sint ex parte ulceris, cutis nõ distendatur. Prohibet in ulceribus suppurationem. calor enim ibi debilis à frigido non potest confirmari, sed extinguitur. Materia etiam quæ fluere deberet, retrò agitur: coctio autem ab humore & calore fit. Inde etiam liuores in labijs excitantur: quod periculosum est. nam ab eisdem fiunt, quibus prohibetur suppuratio. Detectis autem neruis, carne ob aerem & uulnus corrupta superueniente, etiam dolore excitantur rigores & febres & cõuulsiones, distentionesq;. Nam idem accidit huiusmodi uulneribus, quod 4. Artis
his quæ in locis neruosis, & tendonum fiunt. cur.c.6.
Consequuntur enim dolores, febres, uigiliæ, deliria & conuulsiones: ita generaliter in omnibus alijs, si à frigido lædantur.

Verùm ulcera quædam sunt adeò bene purgata & disposita, in quibus caro interior nihil molestũ sentit. atq; de huiusmodi non intelligit Hippocrates. Licet enim caro succrescat, non tamen magis offenduntur, quàm si cutim tangas, quæ sana sit. Quòd uerò addatur, Ibi nigrefacit: hoc est, Quoniam aqua frigida ob uehementem frigiditatem hoc potest, non omnia autem frigida hoc possunt. At in libro de Humidorum usu, sermo ei est de aqua frigida, quæ tantum frigida est, postea autem non (est enim elementum) hic autem sermo generalis est: & ob id non omnia frigida id possunt, uelut si folia aizoi aut

planta

plantaginis tepefacta superponas, aut uinum moderatè frigidum.

APHORISMVS XXI.

Est autem ubi in distentione sine ulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor autẽ hæc soluit.

COMMENTARIVS.

Non, ut quidam putant, enumerat commodum frigidi, sed tacitæ obiectioni respondet. Quoniam aliquis dicere posset: Aqua frigida iuuat in distentione: igitur frigidum, ut dixisti, distentionem non efficit. Respondet Hippocrates, quod hoc contingit seruatis quinq; conditionibus: quod sit sine ulcere, iuuenis bene carnosus, media æstate, & quod multa frigida affundatur. Hic rursus labitur Galenus, putans in quacunque conuulsione id agendum, cum hæ conditiones affuerint: quo nihil absurdius. conuulsio enim est morbus ex capite in neruos, cum motu concitato: distentio ex neruis in caput, sine motu. Quomodo autem etiam conuulsis prodesse frigida possit, & qualiter intelligendum, inferius do-

Aphor. 25. *cebimus. Sed etsi oporteret, esset aqua non parti conuulsæ, nec neruis, sed capiti adhibenda. Videant modò isti qui mordicus Galenum tuentur, an id facturi sint: & infantem qui conuelli tur, aspersuri aqua frigida (nam conuulsio parum accidit alijs ætatibus in nostra regione, quæ letalis non sit) Si sic, occisuri puerum coram parentibus: si non, coguntur uelint nolint ue illum relinquere. Sed & in eo errore tota Aphorismi expositione perseuerat, non distinguens à distentione conuulsionem. Illud etiam malè, sed non adeò, quòd existimet omnia hæc adesse oportere, si iuuari debeat æger: sed non est sic. Verùm si hæc omnia adsint, iuuabitur æger: at si aliquid desit, poterit & iuuare & prodesse. Potest enim, gratia exempli, homo senex esse adeò ualidarũ uirium, ut iuuenis mediocris. quod eum*

Cap.13. *ipse passim, & maximè in libro de Sectione uenæ, affirmet, nescio cur hic obliuiscatur.*

Sed neque reprehensione indignus est Pau-

Lib.3.c.20. *lus, qui hæc habet in cura distentionis: Frigidæ su » perinfusionem (quemadmodum ait Hippocra- » tes) maximè temerariã, coq; posteris (credo) » uituperatã, & nos damnamus, deuitamusq;. Sed*

Lib.6.c.38. & 39. *iam omittamus hos homines, nam & Aetius tam parum prouidus est, ut cum Galenus conuulsionem à distentione parum differre existimauerit, ille unum prorsus cum alio confuderit. Potest autem εὐσάρκῳ, & mediocriter carnoso, & bene carnoso generaliter legi.*

Causa autem huius curationis ponitur à Principe in secunda tertij. & subijcit: Et plures hoc Cap.7. *modo euaserunt. Hic sanè uir, si superfuisset decem annis, ut rectè dixit Montanus, poterat nõ tantũ Galeni interpres, sed exornator esse: quandoquidem uel sic plus uita mortalium illi debet, quàm ulli alij qui post Galenum profecerit. Atq; hæc non in Epistola præliminari Principis, sed operum Galeni. Ergo, inquit Princeps, hac perfusione obstructis meatibus cutis, & refugiente calore intus, atque collecto, materia illa consumitur atq; difflatur, neruiq; ad pristinum redeunt statum. Verùm ob malam trãslationem, legit conuulsionem pro distentione. Meminit huius curationis Hippocrates tertio de Morbis, di-* Pag.5. *cens: Quòd si uoles, etiam sic facies: Aquam plurimam frigidam superfundito, & postea uestimenta tenuia pura ac calida superintegito: ignem autem tunc non adhibeto. hoc auxilium et ad tetanos & opisthotonos adhibe. Sunt enim distentionis tres species, & de omnibus hic intelligit Hippocrates: & deterior est tetanos uocata, cum in utranque partem, ut lignum, distenditur: inde frequentior opisthotonos, ad posteriora. Emprosthotonos aũt adeò rarò accidit, ut nũquam uidisse me meminerim. nam ab anterioribus neruis, nisi in infantulis, uix potest solis distendi corpus: ab his uerò qui è spinali medulla oriuntur uix, non extensis etiam partibus posterioribus: ut ratione potius quàm experimento constat. Et nota, quòd (ut dixi) rarò conuulsis hoc auxilium conuenit, neque enim infantibus, cum de his Hippocrati sermo non sit: nec iuuenibus, cum rarò admodum iuuenibus, nisi eum moriuntur, accedat. est enim cum grauissima offensa cerebri: ipsi uerò cum iam sint calidi & sicci, non possunt pati hoc, ob repletionem. Et etiam si patiantur, moriuntur, iuxta Aphorismum Hippocratis secundæ particulæ: In mor-* 34. *bis minus periclitantur ægrotantes, Quòd etsi sanari possent, nihil conferret frigida, & maximè neruis adhibita. Animaduertendum est, quòd cum multis modis frigida adhiberi posit, nos admonuisse Hippocratem, ut perfusione utamur, quæ ex alto & copiosa, & ex ualde frigida aqua fieri debet, donec cutis color mutetur, inde lintea tenuia circumuoluere.*

APHORISMVS XXII.

CAlidum suppuratorium, non in omni ulcere, magnum ad securitatem indicium: cutem mollit, extenuat, dolorē sedat, rigores, conuulsiones & distentiones mitigat: & ex his quæ ad caput attinent, soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumq́ maximè qui in capite ulcera habent, & quæcunq; à frigore moriuntur, uel ulcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudēdis, utero, uesicæ: his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & petimens.

COMMENTARIVS.

¶ *Calidum suapte natura suppurat, quoniam calorem naturalem ad suppurandum iuuat. Cum enim quæ suppurant, duo patiantur: unum à calore naturali, quod sibi assimilare nititur, atq; ob id dealbat: alterum à præternaturali, quod putrefacit & attenuat: Calidum in prima actione quandoque aliquid præstat, quandoque nihil. in abscessibus nanque nihil, sed in uulneribus prohibet naturalem calorem corrumpi, ut superius ui-*
Aphor. 20. *sum est, cum sit imbecillis: in secunda autem operatione iuuat, accelerando putredinem, & attenuando quod putrescere debet: unde quod ad hanc partem præstat, duo egregia nos docet hic Aphorismus: curam utpote abscessuum & uulnerum, quæ dixi suppurare oportere, quodq́; tamen uacant uulnera periculo, ut Hippocrates*
Pag. 1. *docet in libro de Vlceribus: & prædictionem, quoniam si non suppurant ex calido, mala sunt. Huiusmodi autem non suppurare solent, quamuis à calido foueantur carcinomata, & quæ iam conuulsionem afferunt, & sphaceli, & phagedenæ, & chironia atque telephia: quæ uel cum duris sunt labijs, uel uirus potius quàm saniem emittunt. Iuuat etiam, & in herpete maximè, si actu quidem calidum fuerit, potestate autem contrarium: de erysipelate uerò magna dubita-*
Cap. 3. *tio est. Galenus quartodecimo Methodi medendi uult, ut utamur frigidis potestate. inde subijcit,*
,, *de calidis potestate loquens: Quorum nullū est*
,, *erysipelatis medela, antequam scilicet mutatum*
,, *desinat esse id quod ab initio fuerat, atque alte-*
,, *rum iam, illiq́; contrarium euaserit: ut dubium non sit, cuiusmodi potestate sint applicanda. Subijcit autem: Quod ubi liuor ex medicamentis frigidis superuenerit, incisa cute locum aqua calida superfundēdum ait: ita uidetur sentire, quod nos diximus, scilicet dictum Hippocratis de calidis potestate intelligendum. nam actus ne meminit quidem, hoc unum supponens, quòd calida actu debeant applicari omni ulceri, nisi locus ardeat planè. nam in hecticis refrigerantibus & a-* Lib. de
ctu & potestate utitur. Sunt uerò qui uelint Hip- Marcore
pocratem intelligere non solùm de calidis actu, cap. 8.
sed calida etiam aqua: atq; id tantùm ob id, quòd
Galenus quinto de Simplicibus medicamentis di- Cap. 9.
cat, Igitur omnium ad puris generationem aptis- “
simum est, ex his utiq; quæ perfunduntur aqua “
temperata. Et rursus quarto Methodi: Præte- Cap. 5.
rea fomētum multæ calidæ aquæ. Verùm Fuch- “
sius ex his quæ affirmant, in secunda figura facit syllogismum. neq; enim si calidum suppurat, aqua calida suppurat: de aqua calida loquitur, nedum ut de sola. Turpe fuisset Hippocrati, propter unum uerbum tantam perplexitatem in scriptis relinquere, cogereq́; nos ut diuinaremus, non in-
telligeremus. Deinde quid illa uerba, Non in om- “
ni ulcere? nam si de calido temperato aquæ agit, uel in his quæ suppurare possunt loquitur, atque sic in omni ulcere prodest, aut in omni ulcere etiam quod suppurationem non admittit: sicq́; superfluum esset addere, Non in omni ulcere. Notissimum enim est, quod quæ nullo modo suppurare possunt, per aquæ calidæ superfusionem etiam non possunt suppurare. Ideo loquitur de potestate calidis, quæ ad suppurationem faciunt: non tamen semper, ut in erysipelate. Verùm me-
lius fecisset Fuchsius, aperta se Galeni autorita- Com. 24.
te inferius tueri, quàm longius petitis ex eodem. Sed eo magis de Galeno miror, cū dicat, Quod ubi putridum sit ulcus, uel ubi fluxio adsit, calidum non solùm non suppurat, sed prohibet suppurationem. At manifestum est, quod per calida intelligit cataplasmata, potentia calida: tum quia meminisset aquæ, tum quia calida aqua sordida
ulcera purgat. Et Hippocrates libro de Humido- Pag. 2.
rum usu: Vlcera calida gaudent, quia tegi consueta sunt: igitur calida aqua non patitur exceptionem. Itaque Fuchsius in hoc excusatione dignus esset, si non Hippocratis textum inuerteret, ut in suam deducat sententiam: sicut & illud in Galeno omnino abominandum, quod centies citat Hippocratis libros tanquam genuinos, quoniam in rem suam faciunt, contra Asclepiadem, Erasistratum, aliosq́; quorum famæ inuidebat: eosdem libros centies negat esse Hippocratis. id enim intolerandum. Sic omnia possem conuincere. Fuere autem Galeni uirtutes præ-

cipuæ

cipuæ quinq; : Eloquentia, multarum rerum peritia & studium, methodus pulchra, ueritatis præcipuus amor; & iudicium in medendi arte singulare. Dices: Cur adeò prosequeris Fuchsium? Non certè ullo priuato odio. neq; enim illum è facie noui: et si maledixit de me, iurè maledixit. nam eà mutaui in melius, quòd nec à me qui ea intelligebam, probarentur: sed quòd illius libri aliquot indigni sint ut legantur, tum ob maledicentiam, sed non ob hoc (cuique enim licet oblatrare) sed quòd aliena, etiam uulgata & impressa sibi uendicat: quid facturus esset, si in illius manus non uulgatæ alicuius auctoris uigiliæ peruenirent? Atque utinam pro communi studiorum decore ab hoc crimine etiam purus esset Galenus. nam nihilominus esset gloriosus, imò magis: & multorum antiquorum, Marini, Agathini, atque aliorum inuenta integra & salutaria haberemus, eorumq; manibus iniuriam non intulisset. Neque enim se Aristotelis exemplo tueri potest: cum facile sit ex Platonis scriptis, quæ tanti æstimantur, nihil præter illa sani antea scriptum esse, sed ἀποδιατριβάς.

Cutem mollit.) Per hoc uoluit intelligere nos, de temperata caliditate, quæ sola cutem mollit. nam acris & ualida exurit ac siccat il-
Cap.3. lam: uelut libro de Assuetudinibus Galenus fatetur. & dat exemplum de messoribus, quorum arida est cutis, nec ulli aridiores. Quòd si dicas, id contingere ob siccitatem, ut etiam ibi docet, respondeo, quòd aqua calidior etiam cu-
Par.6. tim densat. Imò dicebat sexto Epidemiorum: Caliditas acrimoniæ signum. Sed de aqua quid clarius? Cutis ipsa supernè exulceratur calidæ
Pag.1. aspersione: libro de Humidorum usu. statim uerò subiungit: Cutis duræ mollitio, distentæ laxatio. Quinetiam moderatum non solùm calorem exposcit, sed usum. inquit enim in libro de
Pag.12. Locis in homine: Calida lauari, quàm diu corpus superat eius exhibitionem, florere corpus facit: cum uerò superatum fuerit, illud reddit gracile. Ergo de moderatè calidis hic loquitur, tam potestate quàm actu. Neq; euphorbium hoc facit, neque calx, neque oleum, aut aqua feruens. Rursus quòd de aqua calida sola non loquatur, ipse rursus, & planè in libro de Humidorum usu, docet, dicens: Tam calida quàm frigida porrò lædit: uerùm calida amplius quidem ea utentibus, has læsiones inducit. Et subiungit quæ dicta sunt, inuicem comparando in duobus supe-
16 & 17. rioribus Aphorismis, tandem concludit: Mediocritas quidem extra noxam est. Et libro de
Humidorum usu hoc totum habet, Aqua calida Pag.3.
attenuat & mollit.

Dolorem sedat.) Temperata & anodina uocata, laxant & temperant utranque excedentem qualitatem, tam calidam quàm frigidam, ut pote mediocritati proxima: ideo dolores sedant. Cùm pluribus in locis hoc docuerit,
maximè in libro de Victu in acutis, & expli- Pag.4.
cat non pauca exempla fomentorum, quæ dolorem sedant ex aqua calida, inde ex hordeo, eruo, aut furfure decoctis in aceto. è siccis quoque sal, ac milium.

Extenuat.) Nam dum dissoluit, & laxat,
bifariam extenuat. Calidum enim diffundit, ut Pag.2.
dicebat in libro de Carnibus: itaq; et flatum extenuando, & materiam digerendo, & intemperiem æquando moderatè calida sedant dolores.
Dicebat in Chirurgiæ officina: Magna copia Pag.4.
ad laxandum & attenuandum calidæ aquæ optima est: mediocris copia ad molliendum & incarnandum.

Rigores, conuulsiones & distentiones mitigat.) Superius dictum est, quòd Aphor. 17.
& cur frigidum rigores febriles conuulsiones
& distentiones excitet. ideo inquit libro de Hu- Pag.2.
midorum usu: Quæ frigida facit, calida sedat. I-
bidem uerò totus ferme hic Aphorismus scribi- Pag.4.
tur his uerbis: Calida suppuratoria est, non in omni ulcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, ante ac retro distentiones mitigat, capitis grauitatem soluit. Plurimùm autem confert oßium fracturis: sed nudis præcipuè, eorumq; qui in capite ulcera habent, & quæcunq; præ frigore moriuntur aut ulcerantur, itemq; in ulcerationibus uoluntarijs ac inuoluntarijs: qualia sunt desquammata, herpetibus serpendo exedentibus denigratis, aut gingiuis, aut in aure, aut sede, aut utero. His omnibus calida amica est, ac iudicatoria: frigida uerò inimica, ac occidens. Si quis forsan dicat, Hippocratem hic etiam debere intelligi de aqua calida, sicut in libro de Humidorum usu: dico, quòd hoc ostendit contrarium, cum ibi loquatur de desquammatis denigratis, etiam gingiuis, aut aure: hic uerò illis omißis apponit uesicam, cui aqua calida non cõuenit: in cæteris paruum est discrimen. quia quo ad actum, supponimus loqui Hippocratem de calidis temperatè, & quo ad potestatem: sed aqua potestate propinqua est temperamento, ut aliàs docui. neque enim est frigidæ facultatis, ut multi uolunt, nugantes circa principia falsa. ideo quæ

cõueniunt hic calido temperato, potẽtia & actu conueniunt etiam aquæ calidæ moderatæ, præterquàm in uesica quæ neruosa est. Quæ uerò adijciuntur de squammatis & gingiuis & aure, licet conueniant omnibus temperatè calidis: ob facilem tamen superfusionem & copiam medicamenti, & frequentiam permutationis eius, commodiora sunt in aqua quàm alijs consimilibus.

Et ex his quæ ad caput attinent, soluit grauitatem.) Soluit quidem bifariã calida aqua capitis grauitatem, tum auertendo lotis pedibus ac cruribus, tum dissoluendo grauitatis causam. Atq; id commune est omnibus calidis. Vnde etiam referunt, corollas & coronas herbarum ac florum capitis soluere grauitatem: uelut ex sisymbrio, bacchara & ozimo odorato, & ligustri floribus ac serpillo. Sunt & unguenta & emplastra, uelut ex iride Illyrica, spondylio: et præstantissima ex suffumigijs, quæ ie ex uocata anima alba, thure quoque, memini me dissoluisse grauedines.

Plurimùm autem confert ossium fracturis.) Hoc est quòd dixit in libro de Fra- Pag.19. cturis: Curare autem tales splenijs & uinosa cu ratione, uelut etiam prius de discessuris ossibus scriptum est. Sed cauere decet, ne primo tempore frigidis madefiant. rigorum enim febrilium periculum est. periculum item conuulsionum. Frigida enim semper conuulsionem (scilicet ubi os fractum prominet ex ulcere) prouocant. Et Pag.33. in libro de Articulis, loquens de luxatione digitorum pedis aut manus cum ulcere facta ac reposita infeliciter, inquit: Si uerò reposito osse conuulsio accedat, articulum statim eijcere oportet, & calida quàm sæpissimè humectare, & totum corpus, & præsertim circa articulos, calidè & leuiter ac molliter tractare. Et dum de repositis loquitur ibidem, antea dixit: Nihil autem ualde frigidum adhibere. Palàm uerò est, quod eadem ex his ad luxata ossa conueniunt, sicut etiam fractis. Quòd si uel malè coactum os, uel malè repositum, rursus confringere uel educere ex loco statuunt De Hum. usu, pag.3. medici, non aliter quàm superfusa aqua calida, & membro in illa diutius demerso id agunt, ut tandem leui cum noxa frangatur, aut educatur ex articulo: demumque reponunt aut restaurant colligatas partes, iuxta naturæ modum.

Sed nudis præcipuè.) Hoc est decimum commodum calidorum, & pendet ratio ex his quæ dicta sunt in libro de Humidorum usu: Vlcera & ossa offenduntur à frigidis, iuuanturq; à calidis, sed ossa denudata sunt cum ulcere: igitur & ratione qua ossa, & ratione qua cum ulcere à calidis iuuantur. Pag.2. Docet causam ibi, quia rigores febriles, distentiones & conuulsiones prohibentur. Magis autem læduntur, quæcunque caliditatem expostulant: illa autem, dicit, sunt, spina, pectus, dorsum & præcordia.

Eorumq; maximè qui in capite ulcera habent.) Trifariam ibi calor necessarius est: & quatenus in ulcere omni calida conueniunt, & quatenus omni ossi denudato, & quatenus cerebro ne lædatur, consulendum est. Scriptum est enim: Frigidum inimicum cerebro, Aphor. 18. calidum uerò utile. Et in libro de Humidorum u- Pag.2. su: Cerebrum, & quæ ab eo oriuntur, frigida quidem tristantur, calida uerò gaudent. At uerò quòd de aqua hic non intelligat, facilè cognoscerent, si legissent apud Hippocratem illud: Vl- De capitis uul. pag.6. cus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne uino quidem.

Et quæcunque à frigore moriuntur.) 2. Aph. 22. Diximus quòd contrariorũ contraria sunt auxilia. Si enim à frigore læsa sunt, calida restitui debent. Sed non ita intelligendum est, ut statim à summo frigore ad extremum calorem transeas, sed memineris eorum quæ ille scripsit in libro de Humidorum usu: Pag.2. Iam uerò etiam pedes deciderunt perfrigerati ex calidæ perfusione. Est autem modus primùm talis. Vbi pedes uel alia pars obriguit gelu, imponendus est laborans non multum prope ignem magnum, tamen ut aer incalescat: membra autem gelu durata in aqua è puteo statim hausta, atque ita emollienda: post uerò ponenda sunt in tepida, ubi aliquid sensus receperint: demum linteis tepidis ac mollibus sunt inuoluenda multiplici circumuolutione: ac ubi refrigerantur permutanda, sensim uerò calidiora admouenda. Laboranti quoque per os ius columbi dandum: sed si glutire bene possit, ac mandere, offa panis in uino flauo. Causa horum est, quòd dicitur ab Hippocrate ibidem: Pag.2. Considerandum est etiam, quod post calidam frigescit corpus magis perfrigeratum: post frigidam uerò recalescit magis contractum. Itaque dum tenuis est, adeò calor in congelatis per calidam euanescit, per ignem uerò etiam aduritur: ob id

calida ab initio non conuenit, ignis autem nunquam nisi pòst restitutionem.

Vel ulcerantur.) *Eadem ratio quæ in priori. frigidum enim quandoq; ulcerat, sexto E-*
Pag.3. *pidemiorum: Frigidum ualde uenas rumpit. Et constat quod præ frigore extrema exulcerantur.*

Et herpetibus exedentibus.) *Di-*
Cap.9. *xit Galenus in libro de Tumoribus, duplicem esse herpetem, id est serpentem morbum: unũ quidem à bile acri, ex quo fit herpes estiomenus, id est exedens: alterum à bile pituitæ mista, qui uocatur miliaris, à milij similitudine. Differunt ab Erysipelate, quòd inambulant per cutem, & sanas semper partes occupant. conueniunt cum illo, quod summum tantùm cutis peruadunt. Differt herpes à phagedena, quod phagedena semper exedit, non tamen semper inambu-*
Cap.2. *lat, & est ulcus: secundo Artis curandi. herpes serpit semper, nec tamen semper est ulcus, multo minus necessarium est ut semper exedat. Phagedena autem absolutè pronunciatur: estio-*
Cap.17. *menus autem de herpete. Fit autem herpes à tenuiore humore, quàm Erysipelas, ut idem ait in quartodecimo, ob id & solùm cutim uitiat. quo enim tenuior superiora, eo tantùm magis attingit. Qui ergo estiomenus dicitur (nam phagedenam ex crassiore humore fieri nihil prohibet, & carnes etiam exedere) summam quidem cutim etiam inambulabit: ut solùm hoc in dubio uertatur, an dari possit phagedena serpens, id est herpes estiomenus, qui carnes exedat? uidetur autem fieri posse. Sed herpes, ut ibi dicebat Galenus, à tenuiore humore gignitur quàm phagedena, ut phagedena carcinomate.*

Verùm ut ad rem redeam, Galenus se-
Cap.2. *cundo ad Glauconem, ubi erysipelatis, herpetis & simplicis & exedentis curam instituit (cum, ut dixi, ad medicamenta potestate respiciat: non, ut dicit Fuchsius, ad aquæ potabilis qualitatem) hoc discrimen adijcit, quòd in erysipelate simplici seu ex ulcere scarificare utile est, & infrigidantia adhibere ab ipso initio: in herpete uerò refrigerantia, ut in erysipelate, sed ualde exiccantia. ut non sit contentus solano, nec lactuca uel portulaca, uel aquæ frigidæ spongia, sed rubum aut uitis capreolos: ut clarum sit, aquam non conuenire nec exedenti, nec simplici, nec in principio, nec in fine. At exedenti, inquit, conueniunt in fine medicamenta Polyidæ, Pasionis, Musæ & Andronis, quæ non conueniunt, inquit, simplici herpeti. illum enim exurerent. Quòd ergo medicamenta calida potestate, non actu, conuenire uelit in herpete exedente, non simplici, & in statu ac declinatione feruoris, non in initio Hippocrates, perquàm clarum est. Describuntur enim Andronis & Polyidæ pastilli quinto de Medicamentis secundum genera: uocat autem il-* Cap.12.
lum Polyidæ, non pastillum, sed Sphragim: cuius indicio est, quod neque Paulus alium describit in septimo libro. Constat autem a- Cap.12.
loe, myrrha, thure, alumine scisso, atramento sutorio, flore satiuæ punicæ, felle tauri, & uino austero: atque adeò calidum, quòd Galenus eum neruis uulneratis prodesse comperiens, eius exemplo, inquit, ausus sim transire ad euphorbium: tertio de Compositione Cap.2.
medicamentorum secundum genera. At Pasionis pastillus, ex immoderatè exiccantibus est, calfacientibus non ita: sed nihil tamen frigidum ingreditur, æris squamma, æs combustum, sal Ammoniacum, alumen rotundum, ærugo rasa, thus cum uino. Sed & pastillus Andronius calidus est ualde, ne singula describam: uelut & Musæ. propè enim à Paulo hæc omnia posita sunt. Quin & phage- Cap. 10. & 13.
denas ipsas, in quarto eiusdem, curat uehementer calidis medicamentis, cumino, staphisagria, ueratro, squilla usta, nitro, ficus agrestis radice. Pòst autem medicamento ex pyrite lapide Damonici, quod ex uehementer calidis constat. Vt non calida herpetibus per se, sed exedentibus conueniant, propterea iunxit illa. Sicut & illud dubio dignum esset, an ea quæ sequuntur coniungenda?

Sedi, pudendis, utero, uesicæ.) *Palàm autem est, quòd non, sed separatim sic conueniunt calida herpetibus exedentibus, præterea sedi, pudendis, & reliqua: hæc autem libro de Humidorum usu dicta sunt. Et cur?* Pag.2.
Vel quia, inquit, neruosa, uel quia assueta calido loco degere. Propterea ibidem adijcit, gaudere calidis etiam uenas, thoracem, uentriculum, extrema & imus uenter, & ex pudendis maximè penis glandem.

His calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum et perimens.) *Hîc omnes palàm expositores obdórmiscunt. nanque tria maxima arcana in his dictis qs animaduer-*

ut, seu Galenus, seu quiuis alius? Cum enim duo proposuisset, quibus calidum commodum esset, membra & morbos, de morbis dixit, quòd commodum est calidum, frigidum autem perimens. neq; enim poterat dicere, amicum uel inimicum morbo: sed iudicans, idest morbum soluens, aut perimens. Sic dixit de membris, calidum esse amicum, frigidum inimicum. neq; enim conueniebat dicere, iudicans membra aut perimens. idq; primum est. Secundum, quòd dixit amicum calidum, inimicum frigidum: & usus est metaphora, cũ posset propriè loqui ac dicere, utile ac inutile. Quorsum ergo metaphora uti, ab animatis ad inanimata transiens, cum calidum & frigidũ neq; amica esse posśint, neq; inimica? Sed metaphora hæc conuenit etiam orationi, ut Quinti-
Cap.6. *lianus auctor est in octauo libro. Et hic opportuna erat, ut uno uerbo duo declararet: amici siquidem, quod est utile esse atq; iucundum, tale esse calidum membris illis: ut frigidum inimicum, id est damnosum atq; triste. Ita etiam tropus hic*
In 4.lib. *maximè conuenit. Datur exemplum à Fl. Sosipatro Charisio:*

At procul excelso miratur uertice montis.

Vertex enim animatorum est, haud montiũ. An uerò sit anacoluthos, non est locus differendi. Tertium est quod subiecit: Frigidum inimicum & perimens. Quòd non uidebatur Aphoristicæ breuitati conuenire. Sed nec in hoc perperàm quicquam actum. adiecit enim, Interimens: ut intelligeremus, licet morbis & membris quædam essent utilia, quædam aduersa, multum tamen interesse, si quis in morbis aberret. maiores enim esse noxas, scilicet mortis periculum, quàm in membris, in quibus iactura est damnosum esse frigidum atq; triste. Hæc cum quis cogitat, reputet an Galenus grauitate sit Hippocrati conferendus: atq; iterum, an quisquam Hippocratis sensa nunc usq; perceperit? aut, an ego hæc ipse sensa eruerim, non ab Hippocrate meditata, ut quidam hic affirmant. Adeò inualuit opinio tuendi Galenum obstinata, ut etiam malint plus gloriæ concedere, adimereq; Hippocrati, ne non suus iste duntaxat, tamen nomine Galenus, iustè argui uideatur.

APHORISMVS XXIII.

IN his frigido utendum, unde sanguis fluit, aut fluxurus est: non ad ipsa, sed circa ipsa unde influit. Et quęcunq; inflammationes aut inflãmina ad rubrum & subcruẽtum sanguine recenti tendunt. nam ueterib. nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum iuuat: nam exulceratum lædit.

COMMENTARIVS.

¶ *Enumerat frigidi septem commoda, quatuor* Aphor. 19. *in præsenti Aphorismo, tria pòst. primum est, ubi sanguinis fluxus periculum est, seu quòd iam fluat, seu fluxurus sit. Quòd si de aqua intelligit, ut uolunt isti, imbecille sanè, & tenue auxilium. Cum enim tria sint aduersus sanguinem undecunque manantem præsidia egregia apud Hippocratem, & quartum cuius non meminit, utpote tanquam maximè uulgaris, scilicet compreśsio loci uenæ per digitum: reliqua sunt, auersio, ut in illo: Mulieri si uelis menstrua co-* Aphor. 41. *hibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone. Præcisio uel ustio, ut in de Locis in* Pag.13. *homine: Si sanguis ex uena fluit, per transuersum perurito: Si uerò non cesset, ex hoc suprà ac infrà utrinque dissecato, quo sanguinis fluxus auertatur. Tertium est, ut astringentibus cohibeatur, quæ tametsi pleraq; frigida sint, non tamen omnia: ut myrrha & crocus, ut quæ conueniũt cohibendo sanguini omnia frigida esse oportet. Dicebat in fine libri de Victu in acutis:* Pag.23. *Perfrigerantia adhibe in fluxu sanguinis, si tempus æstiuum fuerit: & menses cohibet Samia terra nigra, primo de Morbis mulierum: & in* Pag. 10. *secundo, ubi parat medicamenta ad fluxum mu-* Pag.30. *liebrem, ea non constant aqua frigida aut calida, sed frigidis plerunque, omnibus autem astringentibus. Sic Galenus curando sanguinis eruptiones, non aquam frigidam, sed schini florem, portulacam, plantaginem, quam omnibus in Methodo præponit simplicibus medicamentis, polygonon'que, ac similia exhibet, aut apponit.*

Non ad ipsa, sed circa ipsa unde influit.) *Hoc non intelligens Fuchsius, cecidit in errorem. Nescit enim ubi humores influunt, non in loco ipso, sed circà, astringentia & repellentia apponenda esse: ut etiam in podagra cruri, non pedi, emplastrum ex furfure, aceto & aqua, uel etiam ex acatia & milio, aceto & aqua, quatuor causis. Prima, quòd occupat maius spacium, & ita plus iuuare potest. Secunda, quòd locum affectum non comprimit, nec dolorem excitat. Plus sæpè damni est in dolore & grauitate emplastri, quàm uirium in medicamẽtis, quæ in illo sunt ad iuuandũ ægrotantem. Tertia, quòd si loco patienti adhibueris,*

quod

quodiam coactum est, ita coges, ut plurimùm lædas ægrum. Quarta, quòd ubi materia iam eò peruenerit, tametsi repellas, cogetur primũ ingredi locum affectũ: deinde etiam quod non ingrederetur, premit illum, & urget circumstans eum. Veretur enim & hoc Hippocrates & Galenus alibi onerare læsam particulam.

Et quæcunq; inflammationes aut inflammina ad rubrum & subcruentum sanguine recenti tendunt. nam ueteribus nigredinem affert.) Dictum
Cap.3. est de hoc à Galeno in Commento, et quartodecimo Artis curatiuæ, quòd refrigerata iam parte læsa, etiam calcem medicamentis immiscere licet: aliter calore naturali extincto facilè corrumpitur membrum, non morbus sanatur.

Quòd uero de erysipelate dictum est, partim ex his quæ narrauimus patet, partim ex his quæ in duodecimo contradicentium scripsi-
Cont. 6. mus, sunt manifesta. est autem tertium hoc commodum.

APHORISMVS XXIIII.

FRigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.

COMMENTARIVS.

¶ Non de calida aqua uel frigida, ut dixi, locutus est, ut falsò putant Galenus & Fuchsius: sed de calido ac frigido in quacunq; materia fit, ut tale est solum, non alij coniunctum: atque id potestate uel actu. Quòd manifestè doceat in sequenti, cum dixit: Plurima frigida aqua largè affusa. Hic ergo de frigido in actu, & immoderato, illi sermo est: cum neque frigidum potestate, quantumuis exuberans, neque actu, si sit temperatum, nocere possit. Dicebat enim in libro de Humidorum usu: Hoc agit frigida, quando superat corpus, & ideo maximè lædit pectus assuetum calori. Et quomodo, trifariam docet, tusses mouendo, & ex hoc sanguinis facit reiectationem & destillationes, scilicet in frigidioribus natura, ac magis exanguibus. Sed & in eo peccat manifestè, quod putat destillationes fieri cerebro à niue refrigerato: quod fateor uerum esse, si quis applicet cerebro, aut edat. At uerò Hippocratis sermo, ut dixi, connexus est. Cum enim dixisset, utile esse his, in quibus esset erysipelas non ulceratum, aut inflammatio cruenta, id est splendida, quæ est ex biliosarum genere: & earum, in quibus sanguis feruidus peccat, et in quibus sanguis fluxurus est, aut iam fluit: admonet nos, non debere adhibere talia ualde frigida pectori ad cohibendum sanguinem, quoniam non solùm non cohibebunt, sed concitata tussi, & destillationem excitabunt, & sanguinis effluxionem augebunt, & approperabunt. Quis non uidet, hanc fuisse sententiam Hippocratis? Rogo enim defensorem Galeni, an si quis emplastrum frigidum ualde, ex quauis materia applicet pectori, an omnia hæc mala facturus sit, an non? si Non respondeat, ego errabo: sed ille ægrum interficiet. Si sic, cur uult Hippocratis generale præceptum ad frigidæ aquæ, quod uix ulli continget, contrahere? Ego sanè nescio, quis pectori glaciem aut niuem, aut aquam frigidam adeò sit impositurus, nisi insaniat, aut cogatur: quorum neuter nunc est in consideratione. Est etiam hic Aphorismus scriptus sexto Epidemio- Par.3.
rum, ut superius dixi, ubi pro Frigida habetur, Frigidum ualde. Verum tamen dico, quòd si quis edat niuem aut glaciem, aut à cibo quantitatem frigidissimæ aquæ bibat, cerebrum ad destillationem præparabit, & pectus ad tussim. Vnde Hippocrates in libro de Humidorum usu: Meri- Pag.2.
tò quidem thorax & uentriculus ipse à frigida superati molestè ferunt, & mortem minantur, quia ei maximè desueuerunt: ex hoc igitur incommodo dum pectus propulsare noxam conatur, tussimq; excitat, quæ postmodum seipsam auget. Sed libet Hippocratis seriem adijcere: Lib. de Flatibus.pa.5.
Quum autem spiritus ingrediens in fluxum, qui intus est, inciderit, tussis gignitur, & repellitur sursum pituita. Quæ cum sic habeant, fauces exulcerãtur, exasperantur & inflammantur, attrahuntq; excalefactæ humorem ex capite: caput autem rursus ab alijs corporis partibus attrahens, his transmittit. Quum igitur hic fluxus sic manare cõsueuerit, meatus implentur, & in pectus transmittunt: acris autem cum sit pituita, carnem penetrat, exulcerat, uenasq; perfringit, ex quib. sanguis effusus. Sed iam ad id quod subdit, procedamus.

APHORISMVS XXV.

TVmores articulorum, atq; dolores absq; ulcere, & podagricos quoq;, atq; cõuulsa, horum plurima aqua frigida largè effusa leuat et extenuat, soluitq; dolorẽ. nam modicus torpor dolorem soluit.

COMMENTARIVS.

¶ Quatuor reliqua commoda frigidi, sed non communia omnibus, uerùm aquæ frigidæ tantũ conue-

conuenientia, quæ sit ualde frigida, ut nix ac glacies: sic enim cōnectitur superiori Aphorismo, et experimentis congruit, & nos in nobis ipsis admirabile auxiliū inuenimus. Sunt autem quatuor illa commoda: in tumoribus articulorum, & in doloribus, ambobus scilicet absq; ulcere, propter
Aphor. 20. & 22. ea quæ dicta sunt superius: & in podagricis, scilicet tumoribus atq; doloribus, demum etiam in conuulsis. Atq; id primum est, si quidem ut admoneat, quibus affectibus conueniat. Secundum, quomodo. & dicit, Plurima frigida, & largè affusa. Cum dixit Frigida, intelligit, quòd sit ualde frigida. Tertium docet causam, cur iuuet, dicens: Quia leuat, supple conuulsa, extenuat tumores, & leuat dolores. Et quia aliquis dicere posset, Si leuat conuulsa, extenuatq; tumores, palàm est etiam quòd dolores soluit. Respondet huic tacitæ obiectioni, dicens: Et hoc etiam facit, stuporem leuem inducendo. Vbi etiam aberrant, existimantes quòd innuere uelit, non esse inducendum magnum stuporem, cum id nobis non liceat sic facere: sed ut doceat, leuem stuporem, magnū dolorē tollere posse. Nam Hippocrates cum censeat, uelut & nos, aquam esse proximam temperamento facultate, indicat stuporem illum solum ex frigiditate, quam tum habet, utpote è fonte nuper hausta, gignere. At hic modic⁹ necessariò est. stupores enim magni uel à medicamentis huiusmodi proueniunt, ut opio, mandragora, solano, hyoscyamoq;, quæ sanguinem cogūt, quæq; medici falsò frigidissima esse putant: aut à morbis, aut nimijs exolutionibus, nō ab huiusmodi aquæ frigore. Tantū uerò abest, ut ex hoc exiguo stu-
Aphor. 21. pore membrum lædatur, ut etiam iuuetur, ut superius dictum est.

Sed supersunt duæ difficultates non leues. prima quidē est, quòd uidetur repetere, & inæqua-
„ liter, Aphorismum illum: Est autem ubi in distentione. Verùm ita non est. nam ad distentionē sanandam, quæ maximus est morbus, indigemus illis conditionibus omnibus, aut pluribus: hic uerò neq; sanatur morbus, neq; adeò ualidus proponitur. Propterea cuicunq; affundi aqua illa sine periculo potest, ad leuandum morbum trifariam. leuat enim, cohibendo influxionem aduenientis, sed nondum fluxæ materiæ: fluxam partem extenuando, calore coacto: demum etiam stuporem leuem quendam inducendo, ut dolor parum, aut non omnino sentiatur. Itaq; discrimē est triplex: morbi magnitudo in illo, nō in hoc: exolutio plena morbi in illo, hic imminutio. nam etsi hic omnes præsupponas conditiones illas, non tamen æger plenè sanabitur ex podagra, in qua crassa iam materia qualiscunq; sit, comparatione eius quæ in distentione neruos tendit, in articulis intrusa poterit liquescere momento. quod de distentione contingit, quæ, quamuis sit morbus grauissimus, ita tamen celeriter abit, ut celeriter perimere nata est. sed quod felicissimum est in hoc casu, mihiq; semper hucusq; contigit, ut pars materiæ, uel etiam tota ad carnes et cutim deducta, pedem in tumorem eleuet, inflammationemque cum pruritu pariat articulis liberatis. Tertium est, quòd ibi ob periculum quàm multa sunt necessaria, quæ hic si adsint, tutius & melius negocium peragetur: si non adsint, modò dexterè auxilio hoc utaris, etiā leuaberis sine noxa parte ipsius morbi.

Secunda dubitatio maior est, quomodo scilicet conuulsa hoc modo leuari possint? siquidem conuulsio, ut diximus suprà, dicemusq;, morbus est cerebri ad neruos, non proprius ipsis neruis. Sed neq; Hippocrates dicit, quòd conuulsiones leuet, sed conuulsa. σπασμὸς & σπάδων apud eum sunt morbus, qui conuulsio nominatur: σπάσματα autem, quæcunq; conuulsa sunt, ac quasi ab origine extirpata, seu per luxationem, seu laxata quouis modo. neq; enim deerat illi uox σπασμὸς pro σπάσματα, si morbum illum significare uoluisset. Sed quid (uide ruditatem hominum) intelligere uolunt Hippocratem per σπάσματα, membra conuulsa aut distenta? si distenta, primùm nihil habent ad conuulsionem, & etiam faciunt Hippocratē absurdum, qui cum posset propriè dicere τετάνοντα, aut τετανικὸς, maluerit impropriè dicere σπάσματα. Quòd si omnino intelligit conuulsa, quidem conuulsum est. ac si dicas, sonum aut ictum, quæ fiunt, non manent. Oportebat dicere, quæ conuelluntur, non conuulsa. Si accipias conuulsa, id est syderata à conuulsione (nam plura talia relinquuntur) cogita quale auxilium frigida largè affusa possit afferre. Per σπάσματα igitur, laxata quomodouis membra, & ultra naturalem statum tracta intelligit. atq; id uerissimum est. illa enim contrahit, & contrahendo confirmat, caloremq; qui in eis est cogit & auget.

APHORISMVS XXVI.

AQua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuissima est.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd nō de pōdere loquatur, tria ostendūt. Primū, quia esset præceptū potius physicū quàm medi-

medicum, cuius nullum adhuc in Aphorismis exemplum habemus. Deinde, quod certius licebat per propria id experiri, scilicet librã aut stateram. Demum, quòd non poterat dicere, leuißima est: sed oportuisset dicere, Leuior: tametsi enim citò calescat & refrigeretur, solùm ostenditur esse leuiorẽ ea, quæ tardius hæc patitur. Accedit id quod Brasauolus expertus est, & nos etiam aliquando probauimus, sumptumq; est uerè
Lib.31. c.3. è Plinio. Quidam (inquit) statera iudicant de salubritate, frustrante diligentia, quando perrarum est ut leuior sit aliqua. Ergo leuiorem intelligit illam, quæ uentriculum non grauat, non refrigerat ultra frigiditatem eam quam bibens percepisti, quæ statim euincitur à calore, ac breui subit, ac si non bibisses. Scribitur hic Aphorismus
Par.2. in secundo Epidemiorum hoc modo: Aqua quæ
„ citò calescit, & citò frigescit, semper leuior est. Non est ut hic dicam de dignoscendis, quando et
Cap.6. in secundo de Subtilitate, & in primo de Rerum uarietate: Erit autem breuis ratio, & ex principio deducta dignoscendarum aquarum, à causa, à signo, & ab effectu. Ab effectu, quòd leuißima sit his qui eam bibunt, & sani sint, atq; boni habitus, qui ea utuntur: à signo naturali, artificiosoq;. artificioso, ut celeriter incalescat & refrigeretur, ut hic dicit Hippocrates: quòd legumina in ea celeriter coquantur, quòd ex destillata nihil remaneat fecis. naturali, quòd gustu odoreq; nihil habeat insuaue, quòd corruget palatum epota, quòd effusa strideat, quòd clara mundaq; sit. à causa, quòd pluuia sit, aut è fonte deducta longius ab origine, ex oriente, & per sabulum. Sed de his, in Commentarijs de Aere & aquis ac locis.

APHORISMVS XXVII.

QVi noctu bibere appetunt, ijs admodum sitiẽtibus, si superdormierint, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Hic duo sunt difficillima. primum, quòd dixerit, Valde sitiẽtibus, si superdormierint, bonũ: an parum sitientibus non erit bonum superdormire? Et cur hoc dixit? mirantur causas, adeò ut Galenus damnet quasi Hippocratem, uelutq; bibendum esse. Itaq; secũdi generis faciunt præceptum. Quæ enim ad curationem attinent, alia docent prædictionem, alia quid agendum, alia quid agendo, si sequatur, prænunciet. Veluti si dixisset. Vbi sitis molesta est, si quidem grauis, bibat: sin autem leuis, & superdormiat, bonum. At hic sermo indignus est Hippocrate, etiamsi esset perfectus: quanto magis, cum sit imperfectus? Ad tertium igitur referendum est, scilicet, si quis noctu bibere appetat, & ualde sitiat, si superdormierit, bonum est signum: non ita, si non admodum sitiat. Imò e diuerso colligas licet, ut illud bonum, ita peßimum, si cum modica siti dormire nõ queat. nam cum magna siti dormire, est uel uentriculum præ nimio cibo & potu grauatum laborare, uel salsis edulijs usum. Sed & ex hoc illud secundò elicitur, si potu sumpto superdormiat adhuc, bonum. significat enim siccitatem à potu uictam, aut caliditatem. Quòd si non dormiat, alterutro modo malum: si cum modica siti, deterius. Sed & illa ad curationem pertinent, conandum ut somnus sequatur, seu simpliciter: seu si nõ licet, adhibito potu. Sed etsi non dormiat, cauendum, tãquam malum indicium malaq; causa præcesserit. Verùm obijcies, nec adhuc bonũ, quòd cum mala coniunctum est. melius enim esset, non sitire prorsus. Ob id sic legendum: Qui noctu bibere appetũt, ijs bonum est signum, si admodum sitientibus somnus aduenerit. Significat enim effectum esse magnum, sed causam esse minimam.

Secunda difficultas est de continuatione, quæ est, ut intelligamus conuenire potum aquæ optimæ, si modò necessaria sit, non uini. & qualis sit optima, declarauit. Cæterùm sitim excitant. panis calidi esus: tum ut habetur in libro de Lib. de Victu in Acut. pag. 7.
Salubri uictu, potus uini potentis, & potus qualescunq; calidi, copia ciborum & labores. alibi Pag. ult.
uerò salsa etiam adnumerat, & sexto Epidemiorum: Aer calidus, multus sermo, & os apertũ tenere. Pag. 3.
Vnde qui aperto ore dormiũt, facile sitiũt: magis autem, si non sit assuetus.

APHORISMVS XXVIII.

SVffitus aromatum, muliebria ducit. Sæpius uerò, & ad alia utilis esset, si non capitis faceret grauitatem.

COMMENTARIVS.

¶ Magis admirandum est, quòd triginta tres subijciat Aphorismos hic eiusdem argumenti, scilicet ad fœminarum affectus pertinentes: adeò ut Brasauolus referat, in antiquo codice suo, præfixum huic parti, quæ ab hoc Aphorismo incipit, περὶ γυναικείων παθῶν καὶ θεραπείας, id est, De paßionibus mulierum, & cura, quam si hunc præcedentibus non coniunxisset. Verùm coniunctio eiusmodi est, ut transeat ab operationibus calidi & frigidi ad opera

ad opera suffituum, qui etiam calidi sunt actu: potestate uerò, si nō ob aliud, quod ex aromatibus, Aphor. 23. ut proponitur, cōstent. Dictum enim est superius, quòd frigido utendum est in his, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

Galenus tria cōmoda enumerat horum suffituū, ad muliebria educenda. attenuant enim crassa, & dissecāt lenta, ex quibus fiunt obstructiones (quanquam & hoc parum feliciter exponat) & aperiūt oscula uenarum. Calidum enim cum dissoluat, manifestum est quomodo attenuet crassa: siccum uerò cum diuidat, appâret quomodo lenta extenuet ac incîdat. At uerò quomodo ora uenarum aperiat, nondum diximus. Primùm ergo excitando motum in sanguine id facit. nam feruescens cum impetu fertur, & dum in uapores sanguinem uertit: uapor uerò penetrat, & aperit. Sed & per se hoc magis facit, quoniam oscula illa bifariam coeunt, & sponte ui ipsa continente glutine quodam. At calor sic rursus trifariam aperit ora uenarum: & uirtutem laxando, & liquando gluten, & contrahendo substantiam uenarum, quæ breuior facta cogitur diuelli: ut sic septem modis in uniuersum calida uenarum ora aperiant, & sanguinem fluere faciant. Quòd si cum his adsit acredo aliqua, aut uis erodendi, uno quidem modo imminuta substantia, altero excitato impetu facultatis, maiores effectus pariunt.

Per muliebria uerò, & menses, & secundas, & excrementa, & fœtus mortuos, & quæcunque in utero, qui proprius est mulieribus, continentur, intelligit: etiam semen ipsum, quanquam hoc rarius. Quę nam aūt sint hæc aromata, di-
Pag. 6. cebat in de Natura muliebri, Odorata infrà suf
,, fito. Vtebatur autem lauro atq; narcisso. pòst ex
,, intento aromata ipsa, quibus uti solitus erat, de-
Pag. 10. scribit dicens: Aromata uerò sunt, thymbra, eri-
,, ces, hypericum, papauer album, maluæ radix, at-
,, que urticæ semen, crethmi autē tam radix quàm
,, semen, mercurialis folia ac semen, saluia, popu-
,, lus nigra, tam diptamus quàm pseudodictamnū,
,, amomum, cardamomū, helenium, aristolochia,
,, castorium, adiantum, dracontium, peucedanum,
,, apij & feniculi semina, rutæ folia ac semen, hip-
,, poselini semen & radices: sic & hippomara-
,, thri & struthij semen atq; radices, hyssopum, ci-
,, licium, iriō, peonia, panaces. Alibi enumerat cy-
,, perum, iuncum rotundum, odoratum, calamum
,, aromaticum, myrrham, sisymbrium: & pòst ani-
,, sum, & seselim & nigellam. Nostra autem ætate habemus ualidiora, è quibus primum est zibethum, pòst moschus. ista enim si optima sunt, statim etiam supposita educunt, quæcunq; oportet educi. At ista non sunt loco suffitus: Hippocrates autem de suffitibus meminit. Sunt autem aromata trium generum: quædam quæ bene olent, suffita non olent, ut uiolæ: de his non intelligit. alia suffita olent, non suffita non olent: ut succinum. quædam utroq; modo, ut lignum aloes. Cognouit autem Hippocrates & multa alia, ut cinamomum & nardum, libro de Natura muliebri. Pag. 13. sed prætermisit, ob precium ingēs: ne sycophantiam exercere pro medicina uideretur: aut ne alijs suo nomine, quòd periculosius erat, exercendi occasionem daret.

Sæpius uerò, & ad alia utilis esset.) «

Supple hic Suffitus, propriè in mulieribus: sed etiā in uiris, licet Galenus refugiat. nanq; intemperies frigidas, & humidas uiscerum imbecillitates, dolores, neruosarum partium offensas, hæmorrhoidas astrictas, somnum grauem, uigilias rursus curare liceret hoc præsidio, si non caput grauarent: non solùm ut calida, sed etiam ut odorata. ut calida quidem, dissoluendo quæ infrà sunt, & ad caput deferendo, tum uerò etiam caput ipsum excalefaciendo. Calida autem maximè trahunt: & eo magis, si calida sint præter naturam. Sed ut odorata. accidit enim eis, quod uino dulci circa iecur. dum enim diligitur statim atq; cōfertim trahitur. ita & illa, magis autem à cerebro quàm ab alio ullo membro: quoniam in eo solo uigent sensus imperfecti, id est rerum externarum. nam sensus perfectus est in corde. Sunt autem tales suffitus, ut uenena cerebro, quæ in bellarijs deuorantur. Natura enim cerebri cum sit frigida & humida, his maximè gaudet: & contrà à calidis atq; siccis euertitur, ea tamen trahit auiditate odoris. Propterea odor uiolarū maximè utilis est cerebro. solus enim uidetur frigidus, humidus, et iucūdus simul: si forsan et nymphea albus placeat, cum est recens. nā crocei floris iucūdus est, nescio aūt quàm sit frigidus atq; humidus. Sic Com. 22. referunt, ut superius etiā dixi de Anima, alba lacryma, quæ ex occidētali India affertur, quæ refrigerat suffitu. Vtrū uerò suffitus aliquis refrigerare possit, parem habet rationem his quæ dicta sunt in quinto Contradicentium. Cont. 18.

APHORISMVS XXIX.

MVlierèm utero gerentem, capi ab aliquo morbo acuto, letale est.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus ex diuisione hoc probat. si enim

acutus

acutus sit morbus, et sine febre, ut comitiales, attonitus, distentio interficit sua magnitudine utero gerentem: sin autem cum febre, tunc ob febrem morietur. Fœtus, corrupto scilicet alimento & spiritu, qui ad fœtum deducitur. nam quicquid concoquitur à calore, iam facto febrili (se- Cap.8. p.3. *cundo de Naturalibus facultatibus) ineptum est ad nutritionem: tum uerò etiamsi nutrias, febris aucta omnino perdet fœtum: si non nutrias, inedia ipsa.* Hic *sunt duo dubia (omisso quod illud etiam sit in controuersia positum, an morbi acuti aliqui esse possint sine febre: nam illud in decimo* Cont.5. *libro Contradicentium tractatum est) scilicet an cum febre necessarium sit mori fœtū, & cur? Secundū, cur in acuto morbo sine febre necesse sit fœtum mori. Dicam autem de hoc secundo, ut simpliciore.*

Videtur uelle Galenus morbos acutos, qui sine febre fieri solent, esse deteriores, magisq; lethales, quàm eos qui sunt cum febre: quoniam qui sine febre sunt, citius perimunt: cum non simpliciter acuti dicantur, sed hac nota adiecta, ualde. Aphor. 42. *Etenim de Attonito scriptum iam est illud in secunda particula, soluere morbum, quem Apoplexiam Græci uocant, ualidum, impossibile: de-* Aphor. 6. *bilem uerò, non facile. & de Distentione suprà: Quicunq; à distentione corripiūtur, in quatuor diebus pereunt: si uerò hos effugerint, sani fiūt. At conuulsio itidem exitialis est, ex causa, ut suprà uisum est, ex elleboro, uulnere, ex sanguinis fluxu, superflua purgatione, ebrietate, febre.*

At uerò de acutis, cum febre illud accedit præter inediam: quod si opus sit uenæ sectione, quæ opus est fermè, semper ubi febris adsit in a- Pag. 14. *cutis, iuxta illud in libro de Victu in acutis: Sanguinem detrahes, si uehemens fuerit morbus, & floruerit ætas, uiresq; affuerint: æger facta sectione abortiet, ut in sequenti Aphorismo: si omittas, æger peribit, uelut etiam si sine fœtu esset. Hic omnia sunt manifesta. Sed nondum illud, cur peritura sit prægnans: quæ si non esset prægnans, seruari posset, an hoc ex imbecillitate uirium? Et uidetur sanè prægnans impedita ab auxilijs, hoc palàm est: & secundò obiecta abortus periculo, quod cum per se non leue sit, et medico infamiam pariat, & uitæ periculum matri adducat. Vtrum etiam sit imbecillior, hoc est quod quærimus. In libro enim de Natura fœtus* Pag.7. *hæc habet: Quum uteri præ fœtu sunt tumidi, uentrem mulieris comprimunt: eius autem pleni, ubi compreßio contigerit, pinguißimum ex cibis & potibus foras profilit in omentū ac carnem. Quemadmodum si quis corium multo oleo illinat, & imbibere permittat: & ubi imbibit, corium ipsum premat, oleum utiq; exilierit foras ex corio compresso. Et si raræ carnis mulier fuerit, citius percipit eius persultationem: si non, posterius. Quia & pecora prægnantia, si non ægrotent, ab eodem potu ac cibo pinguiora propterea fiunt. Similiter autē & mulier. Hic docet imbecilliorem esse intus prægnantem, licet exterius melioris habitus sit: sed in primo de Morbis mu-* Pag.15. *lierum, & quòd deterioris sit habitus, & imbecillior, sic ostendit: Quum mulier in uentre habet, tota fit cum uirore pallida: quoniam purus ipsius sanguis semper quotidie ex corpore destillat, & in fœtum descendit, & augmentum ipsi accedit. Et cum paucior ipsi sanguis in corpore sit, necesse est ipsam esse pallidam, semperq; alienos cibos appetere, & sanguinea in uentrem intrare. & debilior fit, quoniam sanguis minuitur. Apparet igitur prægnantem magis premi à morbis acutis, obnoxiamq; letho esse alijs, ob quatuor causas: quòd magis impedita sit ab omnibus auxilijs, & periculo abortus obnoxia: tum deterioris habitus & imbecilliorum uirium, quam imbecillitatem auget perpetua respirationis & pulsationis magnitudo, crebritas ac celeritas.*

APHORISMVS XXX.

Mulier utero gerens, sanguine misso ex uena abortit: & magis, si fœtus sit maior.

COMMENTARIVS.

¶ Dixit lethales esse morbos acutos in prægnante. subijcit potißimam, ut dixi, causam: quoniam cum sectio uenæ plerunq; eis debeatur ob morbum: tamen si sanguis ex uena, non ex cucurbitulis, aut alio leuiore modo mittatur; abortit. Cuius causa est non solùm subtractio alimenti fœtui, sed auersio sanguinis ab influxu in uterum. Et ob utranque causam dicit, magis abortum fieri, si fœtus sit maior. nam pluri indiget alimento. Causam huius declarabat Hippocrates in libro de Natura fœtus, dicens, illum im- Pag.12. *pelli ad ortum ex alimēti defectu. Ex quo liquet, octauo mense hoc esse periculosißimum, cum fœtus tum sit magnus, & abortus lethalis infanti, certè pòst etiam matri: iam uerò in hoc Aphorismo plura nobis occurrunt, & perpulchra, quæ omittere religio esset.*

Primùm illud Fuchsij bene dubitatum, ac melius solutum, quî fit quòd nostro tempore sæpe feliciter in morbis sanguinē mittamus, nec abor-

tiũt mulieres? imò, ut dixit Accorumbonus in libro de Natura lactis: Quędã mulieres quæ abortiebãt sine morbo, misso antea sanguine, quàm suspectum tempus aduenisset, fœtum ad partum perfectum perduxère, & superuixit? Respondet ergo primò, quòd dictũ Hippocratis intelligi debet de cõsueta, suorum temporum sanguinis missione, quæ erat larga & copiosa: adeò ut scribat Cap.4. Galenus libro de uenæ Sectione contra Erasistratios, moderatam quosdam putasse duarum eotylarum Atticarum: aliqui quindecim uncias, alij decemocto asserunt: quod uidetur probare libro Cap.14. de Sectione uenæ, ubi sesquilibræ meminit, tanquam minimi ponderis. Et hanc quantitatem si à prægnante ademeris, non citra periculum abortus facies. Quòd autem non sit generale præce°, ptum, indicant illa uerba, Et magis si fœtus sit maior. Non ergo detractio exigua poterit tantum afferre periculi: quandoquidem nec magna, nisi fœtus sit maior.

Quærendum est secundò, an in acutis id debeamus agere, quandoquidem agentibus periculum sit abortus: non agentibus autem mortis? At abortus mortis periculum minatur in acuto morbo. Cum enim Galenus in præcedenti exponat sententiam Hippocratis; quòd mulierem utero gerentem acuto morbo corripi, lethale sit: solùm probat abortum sequi. ergo abortum mors sequetur, iuxta illius sententiam. Quare adhuc noster Galenicus in uado hærebit, postquam consulit, ut potiùs abortus periculo quàm mortis, laborantem exponamus. Ego uerò uidi paucissimas mulieres in acutis morbis abortum passas superfuisse. Nam primùm, si non eijciant fœtum, uel si non celeriter, pereunt omnino: sin autem eijciãt, etiam & sit octimestris, periclitatur mater, ut Cap.4. ait Philosophus septimo de historia Animalium. Sin uerò ante à tertio ad septimum, ob difficultatem discessus grauiter, ut propter dolores cõiunctos morbo acuto uix euadere queat: ante quartum et sectionem uenæ magis ferunt, & facilius abortiunt: & si abortierint, exitus embrionis facilis fit. An autem inediæ an sectioni uenæ magis fidendum? Ego eo tempore, quo medici quidam secuti rationem Fuchsij multarum interitus causam præbuerunt, adeò ut uix una aut altera ex sexaginta forsan superfuisset, quatuor curaui inedia, quatuor seruaui. Sed dij boni, quot querelas quotidie audiebam. uulgauerant enim illud melius esse, fœtum perdere quàm matrem & fœtum. Atq; id uerum erat: sed ut mihi uisum est, eum abortissent, nulla seruari potuit, etiam me aduocato, & auxiliari conante. Et certè non uideo, quamobrẽ ex ptisanæ cremore fœtus interire debeat, cum etiam ex sanguine, qui intra uenas est, alatur infans, dum in utero est. Et aliquæ cum tot quadragenaria ieiunassent, infantes aliæ debiles, aliæ etiam insanos peperêre, non tamen abortierunt. Et nunc quis est medicus, qui etiamsi utero mulier non gerat, in acutis nõ det totam ptisanam, & multo pleniorem uictum adhibeat?

Dictum est etiam in præcedenti libro, quòd Com.1. ex acutis morbis multæ seruantur, si materia turget: nec de illis sermo est, est tamen morbus lethalis, id est cum mortis periculo: ita & antè & hic aborsus periculum docet, non necessitatem. Cauere tamen debemus magis ob auersionem quàm sanguinis diminutionem: quæ quantumcunq; magna sit, non tamen tanta esse poterit, ut non tantum sanguinis relinquatur, quod ad alendum fœtum sufficeret per quindecim dies sine cibo. Sed quorsum hæc uenæ sectio, si Galenus scribit in nono Artis curandi, pueris non esse secandam uenam propter assiduum copiosumq; materiæ defluxum atq; digestionem: pariter si adeò exuguntur uenæ in prægnante, quorsum mittere illi sanguinem? Melius est igitur non tentare fortunam, & in acutis uel medicamẽtis, qualia sunt tamarindi & manna, purgare uentrem si non turgeat, et moderatæ rationi uictus fidere, quàm sanguinem mittere: nisi experimento didiceris, eam mulierem à uenæ sectione, dum utero gereret, & fœtus esset tantus quantus nunc est, nihil passam fuisse. nec uitiare dictum Hippocratis, cui Galenus subscripsit. Et in tempore in quo purgatio est necessaria, addatur scobs tenuissima eboris, coccus & margaritæ. Et sanguisugæ tollunt sanguinem minore metu, & frictio moderata etiam utilis est: sed deuitare oportet crura.

APHORISMVS XXXI.

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio.

COMMENTARIVS.

¶ Docet hic Hippocrates, quod aliquando uidemus, atq; id per exemplum, rem naturalem curare rem præter naturam. Et si menses prodeant, non autem erumpant, id est perfectè fluant, imminuetur ille uomitus: & similiter si sanguinem spuat ex apertione uenæ pulmonis, aut dilatato septo inter asperam & leuem arteriam, sanabitur. Non tamen hoc dixit Hippocrates,

quoniam

quoniam posset ex fractura uasis erumpere: ubi tum ob motum, tum ob uehementiam caloris, tum etiam ob destillationes assiduas, quæ eò confluere solent, morbus non solueretur. At in iecore seu sit apertum uas, seu in uentriculo, seu in mesaræo, id periculi minimè imminet, ubi febris non adsit, sed facilè etiam uena consolidatur. ut sit dictum generale. Defertur autem sanguis ad os menstruus hoc modo: Cùm enim ad uterum ex iecore præclusa sit uia, ex caua in stelechiam defertur, & ex ea per uenas mesaræi: si multus sit, in duodenum ac ieiunum, ex eis in pylorum, & per uentriculum uomitu eijcitur: sin autem exiguus, per uenas, quæ ad imum uentriculi ueniunt. At si innascantur hæmorrhoides, non adeò certa est salutis spes: quia non est circuitus earum tam firmus ac securus. Solet uirginibus & mulieribus ex
Pag.39. partu accidere. unde primo de Mulierum morbis: Si ex partu sanguinem uomat, huic epatis fistula sauciata est. Dictum est & de hoc alias
Aphor.36. ab Hippocrate, dum de morbis meminit, & in septima Sectione dicetur: quamobrem illò te remitto. Ergo si cui contingat hic uomitus, eiemus menses secando uenas poplitum ac tali: in quibus etiam præter mensium deriuationem, interim sanguinem ne ad superiora tendat, impediemus: parùm ac frequenter auferendo, ut etiam nonnunquam ante mensium aduentum liberetur æger. Tum frictiones, balnea, potiones ac suffitus, pessariaq; ad illos ciendos admouebimus. Scribitur hic Aphorismus in primo de
Pag.4. Morbis, eisdem uerbis.

APHORISMVS XXXII.

MEnstruis deficiētibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Hic conuersus est prioris, in quo res præter naturam pro naturali substituitur. Nam si qua mulier menses non emittat, primo de Mu-
Pag.2. lierum morbis inquit Hippocrates, Tertio mense incipit suffocationem sentire, & horrores, & lumborum dolores, quandoque etiam febrem. Quòd si suppressio perseueret, præter hæc obdurescet uenter, urina copiosior mingitur, cibi fastidium & uigilia aduenit, ut etiam strideat dentibus. & si adhuc retineatur quinto mense, his omnibus & maximè doloribus etiam urgebitur grauius: sed sexto mense insanabilis morbus redditur, qui antea curari poterat. Et cum hoc anxia fit, & animo linquetur: pituitam uomet, siti magna uexabitur, dolebunt partes uentris & pectoris: febris accedet, supprimentur que excrementa alui atque uesicæ, spina dorsi dolore uexabitur: & quasi balbutiet, & in quibusdam spiritus offendens fiet. Post hæc autem intumescent crura, pedes, uēter: & urina mingitur rubra sanguineaq;, & dolor totum occupat corpus, maximè collum, spinam & inguina: atque sic moriuntur, scilicet ex hydrope. Ergo si sanguis è naribus fluat copiosus, aut è simili regione haud periculosa, ut ex hæmorrhoidibus, nil sentiet horum in commodorum: sed si non copiosus, lædetur quidem, sed minus, ac serius. Nonnunquā etiam hæc effluxio spem affert, ut menses fluant, dicente Hippocrate primo Prædictionum: Et per na- Pag.6.
res sanguinem effundere spes est, ea quæ caput ‹‹
concutiunt, & quæ aurium sonitum faciunt, san ‹‹
guinem profundunt, aut menses deducunt. Qui- ‹‹
busdam enim simul et rumpit sanguis, & per menses ac nares, ut Dætharsei filiæ, primo Epide- Sec.2.con-
miorum. Galenus suo more scrupum iniicit abs- stit.3. & est
que ullo proposito, cùm dixit, solam sanguinis Pag. 6.
fluxionem sine noxa esse, & inde dicit hæmorrhoidarū etiā esse sine noxa. Tamen si rectè intelligatur, nō dissidet à seipso: effluxio enim sanguinis è naribus, est sine noxa corporis, & etiā partis: at ex hæmorrhoidibus, sine noxa tantū corporis, non partis. & etiam quia periculosiores sunt, ne immodicè fluant, ut idē suprà dixit. 4.Aphor. com.25.
An uerò detrahendus sit sanguis his ex uena brachij, loco fluxus sanguinis è naribus uel ex pede? Respondeo, quòd ubi noxa adsit, id faciendum apertè Galenus docet, nō solum in men- Lib.de San
sibus, sed etiā hæmorrhoidibus suppressis: idem guin. miss.
& suppresso sanguine narium. cap.10.

APHORISMVS XXXIII.

MVlieri in utero gerenti, si aluus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat.

COMMENTARIVS.

¶ Breuem præclarus noster Galenus facit expositionem, ubi longiore opus erat. nam unā tantum reddit causam, & eam obscuram, quandoquidem dicit eandem esse quæ est in missione sanguinis, & est supple defectus alimenti. Sed sunt plures aliæ non minores. prima causa: aut enim pituita redundans faciet ad uterum demissa effluere fœtum, laxatis uinculis: aut bilis amara illum occidet, non secus ac uenenum. Significat etiam magnam causam huius, cùm prægnantes eo quòd plurimo alimēto habere soleat

siccam aluum, nunc habeant fluidam. Tertia, 7.Apho.27. quòd fluxum solent sequi tinesmi, ac compressiones quædam comitari, quæ uterum per latos seu transuersos uentris musculos inferius premunt, unde distenduntur membranæ circumplectentes uterum, & abrumpuntur: quibus abruptis, uel una earum, impossibile est fœtum seruari. Sed quod ad suam attinet causam, ni sit lienteria, sed sit potius diarrhœa, rectè à Brasauolo arguitur: neque enim corpus ob id alimento destituetur. Frigidè à Fuchsio alter defenditur, alter coarguitur. Hoc autem Aphorismo docuit nos Hippocrates, ne uel nimium laxantibus uentrem utamur, neque diu permittamus astrictam. nam & hoc solent aluì profluuia sequi importu-
Pag.12. nè. Inquit uerò primo de Morbis mulierũ: Concludere autem statim atq; constringere oportet. Fit aũt ex acri pituita à capite destillãte plerũq;.

APHORISMVS XXXIIII.

MVlieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bŏnum.

COMMENTARIVS.

¶ Duabus in causis probat sternutationem: in his quæ difficulter pariunt, id est, in ipsa hora partus, aliter causa esset aborsus: & in uterinis, id est uteri suffocationibus, quas Græci hystericas uocant. Non sunt autem ueræ strangulationes, sed anhelitus defectus solùm, inquit Galenus, & bene. Quod uolens interpretari Fuchsius, in aliam transit sententiam: Quia, inquit, manet uis pulsandi, quasi qui suspenduntur, nõ strangulentur uerè. Sed non dicuntur uerè strangulari, quia nihil est quod anhelitum intercipiat: sed ob frigiditatem cor non desiderat aerem, & ideo dicitur ἄπνοια, id est non respiratio, uel defectus respirationis. Sternutatio ergo significat exuscitatam animi uim sensificam, & ideo spem esse solutionis morbi. Excitat etiã motus ille uitalem facultatem, reliquasq; uires corporis: si quidem hæ in motu sunt constitutæ, ut etiam cæterorum animantium. nihil enim aliud est uita in animali, quàm motus. Demum expurgat etiam quæ in utero cũtinentur superflua, aut saltem uapores: cuius rei indicium est quod adijcit, adiuuare difficilè parturientes, ideo causam morbi educit. Considerare autem oportet, an & in hoc medicus debeat naturam imitari? In parientibus quidem licet, & id agunt obstetrices: nec solùm ipsum, sed uomitum excitant. At in suffocatis, si utero gerant (nam & illis hic affectus cõtingit,
Pag.14. primo de Mulierũ morbis) palàm est nõ conuenire. abortum enim faceret. Sed neq; in aliarũ cura huius præsidij meminit, ueritus uiolentiã & agitationẽ: ut nec in libro de Natura muliebri, nec in primo nec secundo de Mulierum morbis, ubi eas curat. Pag.16. Pag.5. Pag.31.

APHORISMVS XXXV.

MVlieri menses decolores, nec secundum idem tempus semper uenientes, purgationem indicãt esse necessariam.

COMMENTARIVS.

¶ Duo proponit: mensiũ colorem deprauatum, & aduentũ inordinatũ, quibus purgationẽ esse necessariã docet. Vt ergo necessaria sit, duo exiguntur. unum, est noxa aut periculũ ingens, quod sequi posset ex hac mensiũ corruptione: al- ult.Aphor. terum, ut aliter succurri nõ possit. Si quidem ipse inquit in septima Aphorismorũ: "Quos nõ possumus curare recta uictus ratione, illos medicamẽtis sanare aggrediemur." Sunt aũt plurima præter uictus rationẽ, quibus talia curari solent: ut, pessaria, suffitus, inunctiones, lauacra, aquarum calidarum usus, tum intra tum extra. Sed hæc si purgent, iam loco purgantiũ habenda sunt: si nõ, adhiberi non debent, nisi præpurgato corpore. Docet aũt ex colore, præcipuè libro de Natura muliebri, & in primo de Mulierũ morbis, digno- Pag.7. scere humorẽ peccantem in mensibus. & quidẽ in libro de Natura muliebri iubet sanguinem Pag.6. "menstruum super arenã spargi, & siccari in sole: & si colos fuerit pallidus, bilis dominabitur: si ut mucus, pituita. Inde subijcit: Et sanè utrum horum fuerit, infrà purgato, & ad uteros subditicia." Hoc autem facit in causa sterilitatis. At in primo de Morbis mulierum, etiam ob pericula quæ imminent, hoc ipsum considerat. Libet autem totam ipsius rei seriem subiungere: quandoquidẽ & ex eo sermone omnes dubitationes, quas proposuimus, dissoluãtur. Verba sunt hæc: "Si mulier corpore malè habuerit, & menses biliosi prodierint, ex hoc probè cognosci possunt. Nigri sunt ualde, quandoq; uerò nigri aut splendidi, & paucissimi prodeunt, & citissimè congelantur: & semen amborum, & maris & fœminæ euanescit, & non habet in uentre: & incipiente quidem morbo purgatur diebus quibus solita fuit, nõ pluribus. progredientibus aũt mensibus, pluribus diebus purgatur, & menses pauciores singulis diebus apparent. Et febres succedũt erroneæ, acutæ cum horrore, & cibi fastidio aliàs atq; aliàs, & stomachi dolor: & dolebit maximè, ubi mẽses ipsi appropinquarint. Postquam

autem

autem purgata fuerit, & ad modicum tempus, superiorum respectu melius habuerit, postea rursus ad idem perueniet. Dum autem curatur, citò sana fit. Si uerò non curetur, & tempus procedat, omnia prius relata ualde ipsam affligent: & dolor corripiet nunc uentris partem infra umbilicum, nunc inguina, nunc lumbos & coxendicum ad sedem iuncturam, nunc collum: aliquando uerò strangulatio fortis accidet, & caligo ante oculos obseruabitur, & uertigo, utpote purgatione sursum uergente ac ascendente. Si enim corpus malè habuerit, mulieri mẽses pauciores fiunt: & quibus corpus plenum fuerit, his menses plures prodeunt. At uerò biliosæ si menses prodeant, pusillanimitas incidit, & cibi fastidium aliàs atq; aliàs, & anxietas ac uigilia: & eructat frequenter, & non uult deambulare, & tristis est, & non uidere sibi uidetur, & timet. & si curetur, ex his sana erit: si uerò tẽpus processerit, adhuc magis dolebit. Optimè autẽ cum hac agatur, si uomitus biliosus succedat, aut uenter turbetur non fortiter, & subeant biliosa: etsi fluxus succedat ipsi non fortis. Si enim quid ex his fortè inciderit in corpus afflictum, periclitabitur: si uerò leniter, depurgetur aliquid biliosi, aut totum id quod molestum est, sana fiet. si uerò neq; curetur, neq; quicquam horum fiat, moritur mulier. Plerunq; tamen contingit, ut fluxus biliosus incidat ex hoc morbo: & si fluxus fiat, primùm quidem pauca sunt quæ compârent: per omnes autem dies omnino plura contingunt. Temporis autem progressu plerunque etiam morbus acutus fit, & uteri à purgatione biliosa prodeunte mordentur ac exulcerantur. Sed & in hoc adhuc sana fit, si curetur, & fluxus compescatur. Iam ergo uides mala, quæ ex corruptione mensium timentur: & curam à natura, & à medico factam, & cur probet magis curam à medico ut tutiorem: & quod non sint tamen mulieres huiusmodi uehementibus medicamentis, sed lenibus ac sensim purgandæ. Tum uerò, & quòd si cura fiat, ut concipiat, oportet etiam pessaria utero subijcere. aliter autem sufficit, quæ fit per aluum purgatio: quoniam scilicet periculum sit in ea, quam concipere non oportet, huiusmodi prouocatio: sed & in illa, quã curamus ut concipiat. sed in ea ob egregiam utilitatem, licet nobis eam non tam tutò curare. Itaq; cùm hæc omnia omittat Galenus, & qui eum secuti sunt, uides quod nam genus commentationis sit non Medico, uix Grammatico, ut in hoc ipso agit, dignum, non reprehendo diligentiam, sed accuso negligentiam. atq; hæc sufficere poterant, si secundã partem exposuissemus. Porrò menses decolores, inquit secundo de Morbis mulierũ, qui abundare solent, sunt albi & flaui. Pag. 1.

Curam igitur mensium non debito tempore fluentium, instituit in libro de Natura muliebri. Pag. 17. constat autem braßica, ruta & decocto paleæ, hordei: exhibetq; polypum & pisces odoratos, id est cum aromatibus conditos, ut leuis sit cibus, & qui uteros purgare poßit. Polypi autem conferunt maximè utero, & purgatio leuis est, & flatum pellens, & amara: hæc autem maximè utero conueniunt. Subijcit autem in secundo de Morbis mulierum, signa materiæ atq; humoris contenti in uteris: Pag. 28. tum uerò curam instituit aliam quam hic præcipiat, quoniam primùm præpurgat totum corpus: atq; id commune est, quomodocunque humores praui ad uterum deferantur. At si prodeant, nec cura sit ut concipiat, sufficit totum corpus purgare, nec aliter irritare menses pessarijs. aut medicamentis illos prolicientibus, qualia à Galeno commemorantur, tum ex calamento per os & per suffitus oromata. At uerò si materia in utero retinetur, uel cura sit ut concipiat, tunc talia adhibet etiam Hippocrates.

APHORISMVS XXXVI.

MVlieri utero gerenti, si mammæ graciles repentè fiant, abortit.

COMMENTARIVS.

¶ *In uitium turpe ducit fuga, si caret arte.*

Opportunè Galenus locum ex libro de Natura fœtus excitasset. Pag. 10. Sunt autẽ eius uerba hæc: Quando uerò mulieri partus appropinquat, tũc puero se mouente, & manibus ac pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit: rupta autem una, etiam aliæ debiliorem uim habent, & rumpuntur primùm quidem ibi cõtiguæ & cohærentes, postea extrema. Quũ autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus à uinculo exoluitur, & agitatus foràs procedit. Neq; enim amplius robur habet pelliculis amißis: neq; uteri amplius puerum continere possunt, pelliculis, uelut dixi, amißis, & ab ipsis abruptis. Cohærent enim pelliculæ etiam uteris, ubi circum puerum obuoluuntur, non adeò ui ualida ac multa. Quando autem procedit puer, uiolat & dilatat uteros in exitu, utpote natura teneros. Procedit autem in caput, si secundum naturam prodierit. Grauißimæ enim sunt ipsi supernæ partes, si ex umbilico perpendantur. Quum aũt in

uteris est, magis continens existit usq; ad pellicularum rupturā simul cum decimo mense, quando partus matri propinquat & adest: si uerò uiolentam affectionem perpetiatur puer, etiam ante præfinitū tempus ruptis pelliculis prodit. Quin etsi alimentum à matre prius puero defecerit, etiam sic partus matri prius aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. ergo ex defectu alimenti seu secundum naturā, seu casu fit abortus. Fit etiam sine defectu hoc, ut cùm dixit: Si uerò uiolentam affectionem perpetiatur puer. uerùm hoc ad propositū cùm non sit, omittatur. Et uideamus primùm, cur mammis factis gracilibus hoc contingat. Liquet aūt, quòd dum fœtus est in utero, trahit ad se sanguinē, cuius purißimam partem absumit: aliam uerò præpinguem cōprimendo transmittit ad mām̄as, ut in eodē libro inquit Hippocrates: Lac aūt ob huiusmodi necessitatem fit, quū uteri tumidi præ puero sunt, uentrem mulieris comprimunt: eius autem pleni ubi compreßio contigerit, pinguißimum de cibis ac potibus foràs prosilit. Inde post pauca: Et à pingui parte calefacta & alba, quod edulcatū est à calore qui ab uteris acceßit, expressum uenit in mammas: & in uteros quoque parum uenit per easdem uenas. Tendunt enim & in mammas & in uteros uenulæ hæ, & consimiles aliæ. & ubi peruenerit in uteros de lacte, paululū ipso fruitur puer: mammæ uerò suscepto lacte impletæ attolluntur. Quę nam autē sint hæ uenæ, cum mammæ ab axillaribus sanguinem recipiant, uteri ceruix à seminarijs uasis, fundus & ab his & à caudice cauæ, ut Vesalius libro quinto docet, non est ut referam. Melius est ergo, existimare consensum hunc fieri ui naturæ, ut Hippocrates uult, quàm quòd uasa ex utero in mamillas deferantur. Satis est uteri uasa seminarijs iungi, ut ad libidinem prorumpant. Si ergo quod redundat deficit, scilicet lactis materia: necesse est etiā deficere alimentū infanti ante tempus, atq; ideo uiolēter abortire ruptis membranis. Quomodo uerò rumpantur membranæ, ut dicit Hippocrates, nunc dicendū est. Vbi genitura in uterū feliciter inciderit, statim miscetur semini muliebri: & spiritus qui est in ea, incipit fabricare mēbra, ac statim trahit sanguinē ex uenulis minutißimis, cuius pars euincitur, & in fœtus partem albam pro membris, quæ uocant seminalia, transmutatur, alia pars nō adeò elaborata transit in carneam substantiā: hæq; duæ partes pro una habebūtur, quia in utilitatē fœtus transeunt. Alia pars non adeò pura transit quasi in lac, & hoc seminis uirilis ac fœminei uirtute: & ideo ut aliena truditur retrò, & à mammis, quoniā substantia earū similis est illi (materia siquidē candida substantia trahitur) non ob uenarū, ut isti putant, cōsensum, quem frustrà adhuc quærunt, Hippocratem non intelligentes in loco adducto, sed ob consensum substantiæ. Atq; ita fit lac in mām̄is, id est absoluitur, quod in utero incœperat. Quod ita sit, colligitur libro de Sterilibus: Pag. 10. Mola si in utero sit, mām̄æ crescunt, sed lac non faciunt. fit enim mola è morboso semine uiri, ac modico, cum mensiū copia. Tertia pars colligitur ibi in uenis, impura prorsus. Atq; hæc est causa, cur si nutrices cōcipiant, corrūpunt lac. etenim dulciorē ac puriorem sanguinis partem fœtus trahit ad se, & retinet quod libet. Sed & fœtus ipse nō bene nutritur, mammis antequam oporteat trahentibus lac, & quicquid dulce est, & elaborari à semine iam in utero ad fœtus utilitatem cœpit. Quo fit, ut & qui lactatur, & qui est in utero, malè habeant: sed deterius, qui lactatur. Exinde sequitur, ut lac primum quod à puerperio prodit, malum sit: quoniam genitum fuit ex sanguine, à quo iam optima pars secreta erat: ideoq; exugi debet à muliere, & abijci. Bonum aūt est lac, & optimū, quod prodit post purgationē puerperij perfectā: id est, in masculo à trigesimo die, in fœmina quadragesimosecūdo, ut refert Hippocrates primo de Mulierum morbis, Pag. 38. tum etiā alibi. tunc enim sincerißimus est sanguis, & maximè si menses fluant. Quatuor igitur illa (& de quibus in quinto Contradicentium Contradict. 16.) quærere in nutrice oportet: quòd genitus infans uiuat, & boni sit habitus ab illa lactatus: quòd exegerit eos dies: quòd menses fluant: quòd ipsa boni habitus sit, temperata in moribus ac uictu, & robusta ac sana. hæc summa perfectio.

Sed ut ad ordinē redeam, ubi fœtus cōcrescere cœperit mēbrana una tenui, quæ ἄμνιον, id est μνίον (est enim pleonasmos) quod est muscus, (adhæret enim fœtui, ut muscus arborib.) inter illam & carnem sudorem cōtineri, sed falsò putant. neque enim uerisimile est fœtum, qui nec alui excrementa, dum in utero est, emittit, sudorem emittere, quē homines non nisi uiolento aliquo casu profundunt: sed est pingue quiddam ad salutem infantis, in tanta mollitie à natura excogitatum. Hanc circundat chorion membrana neruea, crassa, dura ualde, multis uasis ac uinculis intexta utero, & exterius carnea substantia tota obducta, ut firmior esset. Atque inter hanc & amnion urina fœtus continetur. nec

est

Margin notes (left column): Pag. 6. — Cap. 15. & Fig. 25. — Vide 12. cõtrad. 27.

est alia membrana in fœtibus humanis: in cornigeris media est alia, ut Falloppius auctor est. sed nobis sermo est de humanis fœtibus. Præter has est carnea placentula, stratum quoddam suppositum uasis, crassum, carneū, firmum, quo iungitur utero. uasa uerò quæ ex chorio in umbilicum feruntur, duæ sunt quæ pulsant, & totidem quæ non pulsant, alternatim positæ: & nonnunquā una est magna, quæ pulsat tanquam in medio duarū quietarum. sed ubi prope umbilicū est, arteria diuiditur: totū uerò unum fit corpus ex his tribus, quatuórue, tum οὐράχῳ, id est meatu urinario, qui è uesica fœtus fertur extra ἄμνιον (nam & sic aliqui scribunt, & alij ἀμνεῖον) in medio οὐράχῳ posito. ergo fracta amnio membrana, urina tangit fœtū, & tanta molestia afficit, ut cogatur etiā chorion lacerare. & hoc est quod dixit Hippocrates: Pelliculam quandam internam rumpi contingit, qua rupta etiam aliæ debiliorem uim habent, & rumpuntur: primùm quidem contiguæ & cohærentes, postea extrema. Ipse enim carneam partem chorij, & carneam placentulam numerauit inter pelliculas. Erat enim tempore Hippocratis maior copia rerum quàm uerborum, maiorq; cognitio, quod etiam nunc utinam ita esset. Hinc est quod cùm ἄμνιον frangatur, plerunque antequam puer in utero conuertatur (difficillimum enim est aliter contingere, conuerso infante & pellicula illa tenui ac semimarcida inter duos humores) ut fœtus magno uersetur in periculo ob lotij molestiā, qua totus afficitur: & ne aliquid p os ingrediatur. nam à suffocatione illum tuetur respiratio per arteriam, quæ in umbilico est, seu arterias: ob id labores in partu, tum ob hoc, tum ob alia incommoda, quæ ab illo enumerantur in libro de

Pag. 1. Octimestri partu, debilitant fœtum, adeò ut non nunquam ante exitum, multi in exitu, multo plures paulo pòst, & maximè intra diem, intra septem dies, & intra quadragesimū diem intereāt. Quibuscunq; autem ἄμνιον non rumpitur, hos uestitos obstetrices nasci dicūt. & pro portento habetur, sed felici. uerùm nihil plus significat, quàm siccā temperiem mēbranæ, & quietem fœtus in utero. cū uerò fracta fuerit, sed ita ut etiā circūuestiatur, rete appellāt, et id faustū putant.

Demùm id, cuius causa carmen ab initio retuli, omnes prætereunt, scilicet cur adiecerit: Si repentè id cōtingat, abortū significare: cùm non minus uideatur, etiam si sensim id fiat ac paulatim, idem posse. Ideo huiusmodi quæ difficillima sunt, oēs prætereūt. Atq; eo magis est admirandum, quod cùm in quartodecimo de Vsu partium hunc Aphorismum ascripserit, meminit & illius uerbi, ut dicere nō possimus defuisse in exēplari. Cap. 8. Ideo hoc adiecit Hippocrates, quoniā cùm repētè fit, magnā oportet esse mutationē, & ideo fœtū esse ualde imbecillē: at si sensim nō est necesse abortiri, præsertim cùm fœtus magnus extiterit. contingit enim, cùm cibus suffecerit fœtui alendo, non autem lacti generādo. unde tum qui nascetur, senili erit habitu pastus crassiore alimēto.

Qui uerò subiunxit illū Aphorismū qui passim legitur: Mulieri utero gerēti, si altera māma gracilis fiat, etc. phrasim nō habuit Hippocratis, crediditq; subtile aliquid, et iuxta illius principia dicere: sed neq; uera dixit. Primū, quod sæpe cōtingit, unā extenuari māmam, & tamē mulier unum tantùm habet in utero, neq; abortit. Hippocrates etiam dixit, iam māmas oportere graciles fieri, non unam. & si duo sint in utero, uix fieri potest ut unū abortiat, altero seruato. Quod tamē lucramur, ex hoc est, fieri posse abortū unius è duob. altero seruato, ut etiā de partu, ut in superfœtatione: quanquā rarißimè contingat. differt superfœtatio ab abortu unius è gemellis in hoc, q superfœtatio utrūq; perfectū parit, & poßūt supuiuere, quia suo tēpore prodiêre in lucē. Res rara, tamē uisa Mediolani nostris tēporib⁹. Abortus aūt unius è gemellis fit, cū unus interit editus ante tēpus, alter seruatur usq; ad debitū tempus: quod accidit, cū mater robusta fuerit, & facilè parit, & fœtus robusti sunt: & causa abort⁹ fuit casus aut ictus ex una parte. Brasauolus aūt dicit, obseruasse superfœtationē esse instar morbi epidemij: quod uerū esse ratio suadet. Cùm enim sit res quasi præter naturā, indiget ut foueatur à causis cōmunibus & potētibus: quare ab his prodeunt plures cōsimiles effectus. Illud idē de monstris. Ideo legitur apud Liuiū: Cùm unū apparebat monstrū, semp plura fuisse. & hæc causa est.

APHORISMVS XXXVII.

SI mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

COMMENTARIVS.

¶ Præposuit hoc, quod grauida sit, huic quod est peperit, non solùm ordinem naturæ secutus, sed etiam rei: quoniam, ut dixi, lac habet originem ab actione seminis masculi, cuius indicio sunt primùm uiri qui lac habent, inde infantes quidam: ut filius Martini Borghini amici mei, qui dum lac sugit, lac è mammis satis copiosum emittebat. Virgines quoque, cùm ad masculinā natu-

naturam semen earum accedat, ubi menses retineantur, concoquunt sanguinem, & edulcant: atque ob id cùm exitu careat, trahitur, ut dixi, à mammis similitudine substantiæ, & euadit perfectum lac. Quòd uerò non ex sola sanguinis redundantia ob mensium retentionem hoc fiat, uelut Galenus credit, per se clarum est. in multis enim hoc contingeret, cùm rarissimum sit. sed oportet adesse uim ualidam testiculorum in fœminis, imbecillem in masculis. Quæ uerò Galenus recitat, quòd iecur sanguine nutritur, pulmo spumeo humore, ex sanguine tamen geni to, lien ex nigro, uentriculus ex chilo, ossa ex medulla, cartilagines ex lento & glutinoso humore, glandulæ sub lingua ex saliua, testiculi ex semine, mammæ ex lacte, fellis uesica ex uirulento sanguine, cerebrum ex pituitoso: quia unumquodq; membrum sibi concoquit, palàm est.

Et ne perpetuò in ferijs uersemur, narrat Bra sauolus, Gallicam mulierem mersisse infantem editum in fluuio urbis, qui paulò pòst mortuus emersit. Prætor urbis sagax, cùm nesciret cuius esset, iussit ut omnes quæ lac in mammis haberent, nec filium ostendere possent uiuum, aut sepulturæ mandatum, conquirerentur: inuenta est quæ pepererat, mammis lacte plenis. illa credo admonita de hoc, se tuebatur: relata res ad medicos, dicebant illi ex Hippocrate, potuisse habere lac, nec tamen concepisse. Prætor tamen perstitit in sententia: credo quòd, etsi lac edant eiusmodi mulieres, non tamen adeò turgent mammæ, ut in his quæ conceperunt, & alijs forsan ex coniecturis, ut tormentis ueritatem inquireret, nocentemq; & nocentis matrem facti consciam occidit. Itaq; facit hic Aphorismus solùm, ut probatio fiat iudicium. nam & in uirgine, etsi tumeāt mammæ, uix fieri potest ut absq; concubitu & conceptione hoc contingat. contingere tamen & hoc potest: pòst ab Hippocrate hæc excepta non sunt.

Sed maior est difficultas, quomodo hoc dogma medicum dici possit, cùm nulli sit usui. Respondeo, quòd est usui: quia Hippocrates iubet ab his quæ conceperunt, abstinendum esse, ut fœtus seruetur: si non concepit, ut congrediatur: ideo ex lacte uxoris quis posset falsò credere prægnantem, & abstinere. Secundò, quia maritus reuertens ex longa peregrinatione, posset uxorem ut mœcham, insontem tamen occidere, prohibetur hac admonitione: demùm, quia pulchrum est talia scire. Hoc exemplum semel uidisse tantùm me memini.

De Superfœt. Pag. 3 & 4.

APHORISMVS XXXVIII.

Qvibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

COMMENTARIVS.

¶ *Cùm sanguis ad mammas defertur ex mensium retentione, fit hoc mammis trahentibus, & ut in lac conuertatur: at si ibi conuertinequeat, contingit, quoniam siccus est immodicè, & adeò feruidus ut transmutari non potest: ibi uerò putrescens cor calefacit & siccat, cerebrumq; similiter, unde insaniam gignit. apparet enim, uterorum morbos maximè caput afficere. At uerò quanto magis, cùm colligitur ad mammas, nec superari potest. in uniuersum hæc collectio abundantiam atri humoris cùm significet, necesse est illo aucto, & utero consentiente adeò cum corde & cerebro, ut in præfocationibus apparet, furorem subsequi.*

APHORISMVS XXXIX.

SIuelis noscere an conceperit mulier, cùm dormitura est, aquam ei mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, cōcepit: si minus, non concepit.

COMMENTARIVS.

¶ *Quoniam retentio mensium signum est conceptionis, ideo uult nos docere, an retentio hæc sit, quia conceperit, ut dixi, an non. nam si non, purganda est, & congrediendum est illi: si sic, astringentibus uti debet, & rarius con grediendum, ut etiam Princeps docet. Sed operæprecium est scire, cur tormina hæc incidant in his quæ conceperunt, non in his quibus alia causa detinētur menses. & manifestum est, quòd quæ conceperunt, præter id quòd os uteri (nō dico colli illius. nam sic coire non possent) conclusum habent, partes etiam illas habent tumidas & calidas: quo fit, ut cum intestina extendātur, & aqua illa in flatum uertatur, ob calorē tormina gignantur. Tormina in recto intestino nō fiūt, ut Fuchsius somniat. statim enim peditu flatus eijcitur, nisi quid obstet, quod tum periculosum ualde esset. & amentis medici sit, experiri: sed in colo. atq; ideo dum nō potest flatus exitum inuenire angustiore ob uterū facto loco, & nihilominus gignitur assiduè ob calorē uentris (uēter enim grauidarū calidior est uentre aliarū) tum quia plurimū sanguinis in illū cōfluit, & circūuicina loca tota illo tumēt: qui, ut dixi,*

21. 3. Tract. 2. cap. 8.

rese-

resecatur à fœtus alimento: estq; ibi alterũ cor, alterum iecur, ut mirum sit quomodo consistãt.

Quòd uerò post plenam cœnam hoc facere conueniat, & cruda mulsa, non cõsuluerim: sed tenui cœna, multa mulsa & cocta, qualis è melle Cephalenio uel Hispano, cum quiete et somno securius & certius est. Vigilare prægnantem cum multo cibo in uẽtre, ac torminibus torqueri, neutiquam securum duxerim, quandoquidem securitati in hoc uideatur Hippocrates consulere. Cru dam forsan ferent regiones Galeni, tum ob calidiorem aerem, tum aquarũ leuitatem: hic si dederis, nõ solùm mulieres, quibus menses suppressi sunt, nec tamen utero gerunt, prægnantes iudicabis: sed etiã uirgines & uiros. torminibus enim, nec leuiter afficientur (præsertim si mel cõmune fuerit) ob aquarum cruditatem, ei si aquæ frigidæ potui non assueti sint. Ego autẽ nullum certius ac securiùs inueni experimentum, quanquam non utile, nisi postquã fœtus moueri cœperit, & manifestè: & hoc est in fine mensis tertij, uel pòst, ut lintea madefacta frigido uino, aut etiam aqua, uentri supponatur in imo ubi durus est. Si enim fœtus adest, mouetur: si nõ, nullus percipitur motus. Hic Aphorismus in libro de Sterilibus sic scribitur: Mel & anisum tenuissimè tritum, in aqua diluito, & exhibeto: pòst dormire finito. et si tormen circa umbilicũ fiat, prægnans est: si non, non. Pag. 3.

APHORISMVS XL.

Mulier, si marem concepit, benè colorata est: si fœminam, malè colorata.

COMMENTARIVS.

¶ Præsupponit Hippocrates, ut benè Galenus aut in Commento, ut omnia sint paria: scilicet, ut cõparatio sit ad seipsam primùm: deinde, ut nec fuerit nimium in umbra uel sole exercitata, uel torpida, plurimo uino aut aqua usa. Quocirca quod per se uerum est, tot rationibus coniecturale redditur. Verius autẽ suo tempore & in illis regionib. ubi etiã colores erãt magis perspicui. Quocirca & alijs utitur signis tum hic infrà, et in libro de Sterilibus hæc habet: Quæ

Aphor. 46. Pag. 3. cunq; in utero habẽtes, maculam habet solarẽ in facie, fœmellam gestant: quæcunque uerò benè coloratæ permanent, masculum plerunq;. Si papillæ sursum couersæ fuerint, masculum gestat: si deorsum, fœminam. Accipe de lacte, & cum farina misce, & pastillum forma, & ad lentum ignem assa: et si quidem comburatur, masculum gestat: sin autem hiet & diffundatur, fœmellã.

Aut idem hoc lac super folia emulsũm contemplare: & si condensatur, masculũ gestat: sin autem diffunditur, fœmellam. Præter hæc ab eodem est tumor in dextra pro masculo, & sensus motus ab eadem parte: & hic percipitur melius à matre. & leuitas corporis, & promptitudo ad motum, sunt signa masculi: cõtraria uerò fœminæ. Et ex his quæ proponit Princeps, & est, 21. 3. Tra. quòd pulsus dexter maior est sinistro: & cùm 2. cap. 13. se erigit, utitur manu dextra: & cùm ambulare incipit, præponit pedem dextrũ, si masculum ferat. & Hippocrates docuit, quod masculus ci- 1. de Mor. tius mouetur fœmina. & macula solaris, est ni- mul. Pa. 30 grities quædam obscura, sicut eorum qui in sole fuerunt. & in libro de Superfœtatione dicit, quòd mamma dextra est maior, supple, ac durior, & oculus dexter maior atque splendidior in masculis: contrà autem in fœminis.

Causa tandem omnium horum est, quod ad ‹‹ masculi generationem concurrunt duo: Locus, ‹‹ ut dixit infrà, masculi in dextris, & fœminæ in sinistris generantur. Alia, ut semen ualidius 12. Cõtrad. tam masculi quàm fœminæ prædominetur. in u- contrad. 7. troq; enim ualidius semen masculum est, & ma- Pag. ult. in sculos gignit: fœmineum autem in utroq;, & im- fine. becillius, fœminas: & habetur ab eodem in libro de Genitura. Et hæc est opinio nostra de ge Pag. 3. neratione masculi & fœminæ, & est expressa in Libro de Natura fœtus ad uerbum (ut dici solet) utraq;. Cùm ergo genitura sit calidior & siccior, quod ad spiritum qui format attinet, seu sanguis ille postmodum menstruus calidus sit, seu frigidus, parum interest. nam pæonia mascula in frigida terra pæoniam masculam generabit, & inualidam: fœmina autem semen in calidiore fœminam pæoniam, & mascula calidiorem & sicciorem & efficaciorem generabit. Quandiu ergo semen in utero est, & spiritus genitor talia operabitur: ut si calidior sit, & in dextro calidi- tatis ostendet signa, & dextrã magis mouebit: si postmodum temporis successu sanguis menstruus contrariæ fuerit facultatis, quanto magis fœtus tanto signa illa imbecilliora euadent, donec confundantur primùm, inde etiam euertantur. Atque in his certiora erunt signa principij conceptionis quàm finis: sed ob imbecillitatem & tẽporis breuitatem signa principij nõ possunt esse unquam ualde euidentia: attamen fallacia esse non possunt. At si materia fœtus & natura totius cum initio consenserit, tunc quanto magis procedet augmentũ fœtus, eo magis signa erunt euidentiora atq; certiora. Atq; hæc fuit causa, quare

quare homines ad hanc usq; diem, ut etiam in alijs plerisq;, Hippocratem non intellexerint.

APHORISMVS XLI.

SI mulieris grauidæ in utero sit erysipelas, lethale.

COMMENTARIVS.

¶ Tria hic coniungit, quorum nullum seorsum causa esse posset mortis, simul autem iuncta esse possunt. Erysipelas enim, superficiarius ac cutaneus morbus est: Vterus membrum non est principale proprium, adeò ut Princeps narret, cuidam mulieri totum excidisse, ac superuixisse. Vtero gerere, res est secũdum naturã: & tamẽ ex his omnibus oritur mors. In primo de Morbis hæc scribuntur: Erysipelas si in utero fiat, mortem necessariò affert. Causa est, quòd abortum facit ob uehemens incendiũ: ex abortu autem & erysipelate necesse est mulierem mori. Sufficiat autem adiecisse sententiam Hippocratis in Libro de Muliebri natura primùm: Si erysipelas in uteris oboriatur, tumor fit à pedibus exorsus, & ad crura & ad lumbos procedens. Quum autem tempus amplius processerit, intumescit etiam uenter, & rigor ac febris corripit, itemq; debilitas: præ dolore uerò quiescere non potest, sed iactat seipsam. Dolor autem ex imo uentre ascendit ad lumbos, postea sursum uergit ad præcordia, & pectora, & caput, & mori sibi uidetur. Quum autem remiserit, torpor occupat manus. Aliquando etiam inguina & crura, & poplites: & liuida fit, & modico quandoque tempore sibi melius habere uidetur. Deinde rursus eadem patitur, & corpus pustulis impletur, & facies rubescit, et sitis ualida tenet, & fauces siccæ sunt. Hic morbus si prægnanti fiat, moritur: sin minus, curata sanatur. Quũ igitur sic habuerit, adhibere oportet, si dolorem habeat, frigefactoria, & uentrã turbare. Et si quidem in uentre habeat, cibis ac potibus utatur, à quibus fœtus non corrumpitur: si uerò non secedant, clysterem adhibeto. Si autem in uentre non habuerit, pharmacum bibendum dato; & cibis paucißimis. utatur mollißimis ac frigidis, & Mercurialem edat, & sambucum: & neque salsa, neque pinguia, neque acria, uelut est origanum, aut thymus, aut ruta. Postquam autem calor & strangulatio remiserit, & tumor non fuerit sedatus, medicamentum fortius infrà purgans, postea bibendum dato. Morbum autum hunc paucæ effugiunt. Per ea uerba, Et si quidem in uentre habeat, cibis ac potibus utatur: declarat, etsi raró, tamen aliquas euadere posse. Idem in secũdo de Morbis mulierum hæc eadem habet, & paululũ euariat, cuius causam in Commentarijs scribemus. nunc satis sit retulisse seriem illius, quæ talis est: Si erysipelas in uteris fiat, tumores fiunt liuidißimi, à pedibus exorsi usque ad crura tota, & ad lumbos. Quanto uerò tempus amplius progressum fuerit, & pectus percipit, & intumescit, & tota perfrigeratur, & febris habet magna, & rigor superuenit, & spiritus densus, & animi deliquium, & debilitas & dolor totius corporis, & tristatur, & mente uariatur. Et affectio ascendit ex inferno uentre ad lumbos, & ad dorsũm, & præcordia, & pectora, & collum & caput, & stomachum, & mortua esse uidetur. Quum autem dolor solutus fuerit, torpor habet lumbos, & inguina & crura: & in poplitibus liuores fiunt, & modico tempore melius habere sibi uidetur. deinde rursus affligitur, & corpus pustulis completur, & rubores conspicui ac manifesti faciem occupant: & guttur siccum est, & lingua aspera. Hic morbus si prægnantem inuaserit, occidit: sin minus, medelã adhibere oportet, & lac asininum bibendum dare, ac purgare: si uerò sic non soluatur, uentrem mollibus frigefactorijs perfrigerare, & subditicijs non molestis & leuibus paulatim purgare, itemq; uomere. Ad hoc commodũ est, sambuci folia sumere cocta cum origano, aut thymo, aut ruta: si uerò febris dimiserit, etiam uinum ac cibos dulces dato. ueruntamen paucæ curantur. Plura si subijciam, piaculum facere uidear.

4. 4. Trac. 2. cap. 10. in fine.

Pag. 2.

Pag. 4.

Pag. 26.

APHORISMVS XLII.

QVæcunq; præter naturam tenues utero gerũt, secũdo mense abortiunt, priusquam crassescant.

COMMENTARIVS.

¶ Mirũ est, quòd Galenus, multiplices cùm doceat sensus, non ostendat quem debeamus amplecti nec ratione nec autoritate illius. Primùm quidem dicit, non carere ratione, si quis interpretetur præter naturã, id est immodicè. nam si immodicè & præter naturam, iam superflua est una interpretatio: sin autem secundum naturam, ad quid uerba illius Priusquam crassescant? Liquet enim quòd non crassescent, propterea quærenda est ratio ac sensus simul: Si qua mulier boni habitus extenuata, ut in obsidione aut publica fame, concipiat, ab initio, quia parùm est necessariũ sanguinis ad fœtũ, rectè res cedit: at cũ

crescere

crescere cœperit, fit pugna, corpore matris & fœtu ad se trahentibus alimentum: cum igitur robustius sit corpus matris quàm fœtus, ideo trahit magis, & fœtum nutriri prohibet. Alia ratio est sumpta à gracilitatis causa, scilicet prauitate humorum, & tertia ab imbecillitate uteri.

Com.44. Duarum posteriorum meminit Hippocrates, ut infra ostendam. Prima fuit Numesiani, Quinti discipuli, ut à Galeno refertur in Commento. Ex quo patet solutio priorum quæsitorum. abortiunt enim antequam crassescant semper. Hic autem obortus circa secundum mensem accidit. Quamuis hoc in uersione Leonicenus omiserit.

APHORISMVS XLIII.

Quæcunque mediocriter corpora habentes, abortiunt secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta, iis acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

COMMENTARIVS.

Pag.22. ¶ Hippocrates in primo de Morbis mulierũ
» hæc habet: Si acetabula pituita plena fuerint,
» menses fiunt pauciores: etsi in uentre habuerit,
» corrumpit, ubi fœtus ualidior factus fuerit. non
» enim corroboratur, sed defluit. Cognoueris au-
» tem hinc, Humida fit, & quod defluit, mucosum
» & tenax uelut à uentre desertur, & non mor-
» det: & in mensibus postquam sanguine purgari
» desierit, per duos aut tres dies muci ex uteris
» prodeunt, & horror tenet, & calor non acu-
» tus, uerùm non deficit. Hanc succo grossorum
» colluito, à quibus omnis aqua purgatur: &
» hoc iterum atque iterum. Postquam autem pur-
» gata fuerit, de cætero acerbis utatur. Appo-
» nat autem mollia, à quibus pituita purgatur, &
» foueat uteros medicamento ex lauro, & colluat
» pharmaco ex aceto: & aromatis suffitum faci-
» at, postquam menses cessarint. Postea uerò à ci-
» bis & balneis abstinere oportet. Coeat autem
» cum uiro, & cibos ac uinum parcè sumat, & ca-
» lidè degat, & tegumenta cruribus circundet,
» & oleo illinat. Hæc autem facere nos iubet, cum
» uterus uacuus est, non cum iam concepit. Hæc
Pag.6. eadẽ in de Natura muliebri: Ut planũ sit, quemadmodum secundo uel tertio mense ibi, ubi fœtus ualidior fuerit. Hic respexit ad id quod dixit
Aphor.1. in quarta particula, quòd scilicet fœtus quarto mense robustiores fiunt. Ideo periculosissimus est tertius, quia maximus: & etiam quia sexto Epidemiorum inquit, Labores tertio, quinto, septimo, nono mense: & secundo & quarto. Par.7.in fine.

Quid autem sint acetabula hæc, Græcè κοτυληδόνες, exponit Galenus in Commento, dicens esse ora uasorum ad uterum, id est, uteri cauitatem uenientium, ex quibus conceptionis tempore secundæ pendent. Nihilo secius dicuntur cotyledones, à κοτύλης similitudine. Est autem κοτύλη, uas antiquum nouem, aliàs septem cum dimidio unciarum efformatum in modum cauitatis, in quã ingreditur os femoris, & sic uocatur ab Hippocrate in libro de Locis in homine, Cap.95. & de Articulis. Cuius effigies apparet depicta à Matthiolo in quarto libro, dum de herba κοτύληος agit, Dioscoridem exponendo. Intelligit ergo Hippocrates de placentula carnea illa, cui affiguntur uasa umbilici, quibus fœtus sustinetur: quæ ubi laxata fuerit, uincula & uasa fœtus disrumpuntur. nam istud contingere non posset plenis oris uasorum, ut uult Galenus. Sed hæc placentula non habet acetabuli formam (fateor) sed tamẽ sententiam Hippocratis complet. Acetabula Galeni & Praxagoræ, quem Galenus in hoc sequutus est, præter id quod minus accedũt placentula ipsa ad formam acetabulorum Hippocratis sententiam de pondere fœtus, & abortu inanem reddunt. Cur autem sic Hippocrates appellauerit, dicam: Cornutis animalibus, ut Aristoteles narrat, secundo de Generatione ani- Cap.5. malium, sunt in utero quædam corpora, in modum paruæ cotulæ, quorum conuexum uterum respicit: cauitas autem fœtum. sunt autem utero adnata, ut in ipsum coeant multæ uenulæ ex eo, & collecto nutrimento, tanquam ex mammis fœtus per umbilicum trahat & alatur. dicit se- Cap.8. ptimo de historia Animalium, adijcitq́ue, illa acetabula non solùm edito fœtu euanescere, imò antequam nascatur obliterari incipiunt. Atque hæc est sententia Falloppij erudita & ingeniosa, omniaque illius dicta ad propositum conducunt, & uera sunt. Ego tamen hic per κοτυληδόνες omnia uasa & cauitates intellexisse Hippocratem credo, adeò ut & planta pedis significetur, & uola manus, & pro cirris πολυπόδων accipi possit. Certum est autem concauitatem esse in utero, quam Hippocrates in dextram & sinistrã diuidit, atq; has partes acetabula intellexit. Nam non esse placentulã, indicat, quòd ea sit solũ in mulieribus, dum uterum gerunt: at Hippocrates in locis adductis loquitur de acetabulis pituita plenis, etiã cũ utero nõ feruent. ea enim cura, ut dixi, instituitur ab eo, dũ mulier nõ est prægnãs.

Sed

sed nec capita uenarum sunt, cum sermo esset
indignus Hippocrate, dicere ora uenarum plena:
quin potius dixisset, uenas. Non sunt acetabula
uterus. distinguit enim planè uterũ & acetabula
Pag.22. pituita plena, primo de Morbis mulierum: nec
placentula, nec uincula, quæ in utero gerentibus
tantùm sunt. Nec ora uenarum (expreßisset e-
nim) nec illa similitudinem retinent cotyles, sed
Pag.11. cauitates uteri. Concordatq; tum cum Aphoris-
mo, tum cum eiusdem uerbis eodem libro. Sunt
autem mulieres, quæ facilè quidem cõcipiunt, sed
ferre non possunt. nam tertio uel quarto mense
abortiunt, ob uteri leuitatem.

APHORISMVS XLIIII.

QVæcunq; præter naturã crassæ, non concipiunt utero, ijs omentũ os uteri cõprimit: & priusquàm extenuatæ fuerint, non concipiunt.

COMMENTARIVS.

¶ Hîc concors est, ac quasi conuersus illius
42. est, in quo dixit: Quæcunq; præter naturam te-
nues. Quamobrem & præter naturam hîc pro-
priè accipiendum est. nam secundum naturã non
est cur comprimatur os uteri. solet enim natu-
ra, si non fuerit læsa, sic cuncta construere, ut nõ
lædãtur necessariæ operationes. Videmus etiam
multas mulieres pingues fœcundas esse: at ex ma
cilẽtis factis pinguibus ultra mediocritatem, uix
ullam. Quis dubitat [illegible] ratione data, quin plus
obsit præternaturalis dispositio, quàm naturalis?
Sin uerò ad immoderantiam trahatur, ut qui Ga
lenum tueri conantur, coguntur facere, qualis
fiet Hippocratis sermo, ne uetula dignus? itaque
patiantur suum Galenum iustè accusari, dum ni-
miũ fisus ingenio & auctoritati, oscitanter Hip-
pocratem nimis interpretatur. Quòd uerò de
ore uteri, quo uterus ceruici annectitur, intelli-
gat Hippocrates, non uuluæ, adeò planum est, ut
prætermittere potuisset: & ex hoc etiam acu-
men ingenij illius dignoscamus, nisi esset quòd
(& quandoq; bonus dormitat Homerus) lassus
contentionibus, & medendi exercitatione, ut e-
tiam ipse fatetur, se scribendo applicabat. Itaque
patiantur quidam nimis superstitiosi, imò ambi-
tiosi, imò fallaces & auari, qui titulotenus Ga-
lenici, ut lucro consulant, oderunt, aut odio ha-
bere se fingunt, si quis eis ueritatem proponat.
Sed ut ad propositum redeam, nec Galenum er-
rasse quisquam in ea expositione addubitet, uide
Pag.5. quid in libro de Superfœtatione dicat Hippocra-
tes: Mulier quæ præter naturam crassa est ac
pinguis, & pituita repleta, non concipit hoc tem
pore. quæ uerò ex natura, talis est, horum gra-
tia concipit, si non aliud quiddam ipsam impediat.
Meminit autem utriusq; horum libro de Natura Pag.6.
muliebri, dicens: Quum in uentre habens fœtum
menstruum aut bimestrem corruperit, & ad
perfectionem gestare nõ poterit, & tenuis præ-
ter naturam fiat: huius uteros purgare oportet,
ac corpus pinguefacere. non enim prius fœtum
perferre poterit, quàm uteri ipsius craßi fiant, et
robusti euadant. Si uerò præter naturam crasse-
facta fuerit, mulier non concipit in uentre. nam
omentum multum & crassum incumbens, ute-
ros deprimit, & genituram non suscipit. Hanc i-
gitur attenuare oportet, & medicamentum per
inferna purgans, dare bibendum: uteris uerò ap-
ponere quod illos purget, & flatus non inducat.
Porrò quæ nam magis cõcipiant (quanquã par-
erga) tenues an crassæ, secundum naturam mu-
lieres, pulchrum est ex Hippocrate scire, secun-
do Prædictionum sic dicente: Porrò ex mulieri-
bus, quæ magis aut minus in utero concipere so-
lent, ita considerationem facere conuenit: pri-
mùm quidem specierum. Paruæ enim ad conce-
ptionem præstantiores sunt maioribus, tenues
craßis, albæ rubicundis, nigræ liuidis. Quæ i-
tẽ uenas conspicuas habent, meliores sunt quàm
quibus non apparent. Carnem autem uberiorem
habere, aniculæ malum est: mammas autem ma-
gnas ac tumidas, bonum. Atq; hæc quidem ad ui
sum exposita sunt. Verùm interrogare oportet e-
tiam de menstruis purgationibus, an omnibus
mensibus compareant, & an copia satis magna,
& an boni coloris sint, & æquales in singulis
temporibus, & in ijsdem mensium diebus? sic e-
nim has fieri, optimum est. Locum uerò in quo
conceptio fit, quem sanè uterum nominamus, sa-
num esse oportet, & siccum ac mollem. Sit item
neq; retractus, neq; pronus, neq; os ipsius sit a-
uersum, neq; cõclusum, neq; euersum. Fieri enim
non potest ut conceptio fiat, quodcunq; tandem
talium impedimentorum affuerit.

APHORISMVS XLV.

SI uterus in coxam uergẽs ad suppurationẽ ueniat, necesse est emmoton fieri.

COMMENTARIVS.

¶ Tot mihi in huius Aphorismi expositione
digna reprehensione occurrunt, ut nesciam quid
primùm scribam. Exponunt ἔμμοτον, liniamen-
tum, id est, quòd per fila unguentum immittitur:
alij curationem, quæ per fila fit, ut Galenus: alij
ipsa

ipsa fila. Quæ omnia sunt nugæ. Nam inqt Hippocrates, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι. id est, Necesse est fieri ἔμμοτον. Si ἔμμοτον fieri necesse est, ἔμμοτον res est quæ à natura habet originẽ, nõ ab hominis industria. Dixisset enim ἀνάγκη ἔμμοτον ποιέεσθαι, necesse est ἔμμοτον facere: aut ἐνθεῖναι, qđ est imponere. at uerò uerbo γενέσθαι utitur, quod nullo modo in actiuã significationẽ deduci potest. Quamobrẽ in huiusmodi obscuris uel experimentum sequi decet, aut demonstrationem, aut alterius loci eiusdẽ doctoris auctoritatẽ. Sed ad secundã deuenio reprehẽsionem.

» Inqt Fuchsius: Ideo à Foroliuiensi, Hugone Senensi, & id genus alijs ineptis ac barbaris interpretibus, falsissimè est exposita. ineptos enim cur nõ appellem? Deinde subiũgit: Eorundẽ adhibebant somnia. & rursus: Quæ lectio subinde Iacobo Foroliuiẽsi, & alijs eius farinæ indoctis interpretibus.

Quis ferat primum hunc, hominem, quasi literas Latinas & Medicinã uel primus, uel solus, uel maximè illustrârit? Quid hoc est falsissimè? ubi nam gentium? Barbaros Germanus Italos uocat?

Scilicet obstrepitans argutæ uespa cicadæ.

Tempori cõdonandum, ac moribus æui. sed quale emolumentũ præstitit bonis literis? Quale Galeni opus uertit hic Græcus nouus ex tot? omnia debemus Italis, & Ioanni Cornario, cui etiam debemus Hippocratẽ, & Aetium. Ad hunc spectabãt hæc potius, si ad quenquã maledicere spectat. Sed quid? Galenicam methodũ inuexit, Cõtradictiones cõtexuit. Nihil minus: utriusq; enim horũ inuẽtor fuit Curtius: sed solùm lineamenta quædã excogitauit, labor ac iudiciũ à nobis exacta sunt. Quid sibi tribuit cõsarcinatis illis suis scriptis, aut in quo præstat? Methodo medendi? at in hac adeò insuperabilis est Galenus, ut nos solã partem hanc nõ ausi simus attingere. An dissectionem sibi uendicat Vesalij, aut simplicium medicamentorũ cognitionem? si initium, à Leoniceno, multorũ bonorum auctore: si incrementa, à Theoderico Dorstenio, Ottone Brunfelsio, Tragio: si absolutionẽ egregiam, à Matthiolo Senensi. Quinq; sunt, quæ celebrem efficiunt uirũ: multarum rerũ cognitio, studium assiduum, inuentio, iudiciũ, & seculum fœlix. Fuchsio duo defuêre, inuentio & iudiciũ: illis nihil defuit præter seculum florens. Quale illis ingeniũ, memoria, patientia, studiũ, iudicium, peritia rerum? seculi fauore, fateor, destituti erant. Quis nisi inuidus & malignus luctabitur cum laruis? manes clarorum uirorum, tot uigilijs exhaustos, iurgijs prosequetur? nisi Fuchsius, ausus lacerare Principẽ etiam: sic ut nõ causam, sed homines odisse uideatur. At nos Galenũ arguimus nõ ignorãtiæ, ut ille: nõ mali iudicij, nõ leuitatis, nõ mendacij: sed negligẽtiæ atq; ambitionis. à quo peccato, nullus q res ipsas respiciat, iudicio liber esse potest. Dissectionẽ, Pulsus, & Aphorismorũ commentaria, scimus esse potius furta infelicia, quàm libros suos: reliqua, nisi paucis exceptis, propè diuina sunt, & incõparabilia. Illa tria, quoniam exigebãt peculiare studium, quod ob artis exercitiũ præstare nõ potuit, præstitisset & pro decore nominis & utilitate humani generis, si nõ attigisset. Nunc iam duo penè restituta sunt per Vesaliũ, & suum discipulũ, & per nos: tertium laborẽ posteris relinquemus, in quo tamen præter nugacitatẽ, parum est quod desideres. Sed fac ut aberrauerint boni illi uiri, tota (ut dici solet) uia: nónne Philosophus secundo primæ philosophiæ hæc habet: «Verùm non solùm illis agendæ sunt gratiæ, quorũ opinionibus quis acquiescet, sed illis qui superficietenus dixerũt. conferũt enim etiam aliquid isti, habitũ namq; nostrũ exercuerũt. Si enim Timotheus nõ fuisset, multũ melodiæ nequaquã habuissemus: si tamẽ Phrinis nõ extitisset, ne Timotheus quidẽ. Simili modo & de illis est, q de ueritate asseruerũt. A' quibusdã enim opiniones aliquas accepimus: quidã uerò ut hi fierent, causa fuerũt.« At uide hominis iudiciũ, ne dicã sapientiã. Forsan gloriatur quòd musculum, quẽ alij nesciuerũt, detexerit: ἔμμοτον docuit nõ fila significare, sed medicamentũ liquidũ, quod concerptis linteolis ulceribus inditur. O' præclarã inuentionem. «affer Lexicon Græcolatinũ: lege, ἔμμοτα sunt medicamẽta liquida, quæ cõcerptis linteolis excipiuntur, intraq; ulcera cõduntur.« Sed, ut dixi, non sunt: quapropter genuinus sensus est explicandus. At nemo putet hæc alio animo à me esse dicta, nisi quòd consulam, ut homines solùm amplectantur eos qui uel uertant è lingua in linguam, uel sua prodant inuenta: dico res, non nugas. uel demonstrent ueros auctorum sensus continua serie erutos, ac firmo consensu continuæ orationis elisos. Neq; enim dubito hac accusatione atq; increpatione aliquid me illi, ut Thessalo Galenũ, nominis in sequentem ætatem cõparare. Sed neq; eo indignus omnino. multũ enim laborauit. Itaq; hæc pauca scripsi, ut in posterũ caueant homines uelle sibi ex alijs gloriam comparare: discant meo exemplo, qui cùm priuatas inimicitias cum Curtio præceptore meo exercuerim, & sub prætore de

A crimine

crimine egerimus, ego tamē illi inuentionis gloriam aſcribo, quam ſufficiebat ſilentio tranſigere, ſi nolebā adimere: quandoquidē illius ſcripta nulla ſint euulgata, neq́ſ, ſi euulgētur, nunc quiſquā iurè poßit exiſtimare hæc fuiſſe ab illo inuenta, uel excogitata. Certè pauculas ille collegit, & leues ac mutilas contradictiones, obſcureq́ſ diſſoluit, ut q ſub initijs operum euulgatorū floruerit, cū adhuc tenebricoſa omnia eſſent. ego tamen quadraginta annorū ſpacio, poſtmodū tam leuis initij exēplo innumeras paucis, & amplas & euidētes ac generoſas hinc illincq́ſ erui, collegi, digeßi, ſæpius repetita tractatione, multis adiuuātibus anagnoſtis: & quod maximum fuit, penè poſt deſperatum tanti laboris finem, quem optaueram, inuentæ Dialecticæ nuper beneficio cōcordiam conciliationemq́ſ exactam in omnibus aſſequutus ſum, non ſine principijs his quæ in libris de Subtilitate iam demonſtrauerā, in libris autem Contradicentiū amplificaueram, ac planè declaraueram. Itaq́ſ par eſt, poſtquā, ut aliàs dixi, infinita nobis rerum ſcientia ſupereſt, nō ſolùm malè dictis ac furtis neminē probū uirū aut ſtudioſum operā dare: ſed ſi qui tales deprehendātur, eruditos illis nō fauere, ſed maledictis, ut ſeplaſiarios, ut plagiarios proſequi, damnare, eijcere è communi omnium doctorum cœtu, illorum ſcripta negligere atq́ſ cōtemnere prorſus.

Cæterùm ut ad rem redeā, Hippocrates in li-
Pag.4. bello de Superſœtatione hæc habet: Si cui uter*
» ſuppuratus fiat poſt partū, aut ex abortu, aut quo
» modocūq́ſ aliàs, & nō in uaſe alio ac tunica, ut in
» tuberculo ſolet, pus fuerit: huic cōducit ſpecillū
» auctoriū in uteri os demittere. minus enim opus
» fuerit uſtura, ſi ad ſpecillū (ſupple cura) proceſſe
» rit. atq́ſ hæc ad Aphoriſmū. Sed placet totā cu-
» rationē ſubiūgere. Deinde erucas à tithymali de-
» colliges. habēt enim uelut aculeos quoſdā, quos
» leniter reſcindes, ne pabulū internū ex ipſis ela-
» batur: deinde ſiccabis ipſas in ſole, & teres. Ver
» mes quoq́ſ ſtercorarios in ſole ſimiliter ſiccabis,
» & teres: et erucæ quidē pondus duorū obolorū
» Aegineorum, uermiū uerò duplū miſcebis, modi-
» co aniſo addito, aut aliquo eius generis. nam ma-
» li odoris medicamentū euadit. hæc aūt leuia fa-
» cta ac cōtrita uino albo odorato diluito: & poſt
» q̄ biberit, grauitas accedit, & torpor in uētrem
» irruit. Si itaq́ſ accedit, modicā aquā mulſam in-
ſuper bibat. Iam uerò uides, q & ſi quis p emmotū uelit ipſum medēdi modū quouis interpretari modo, ſeu unguentū ſeu linamentū, uel quod magis ad ſenſum Hippocratis cōduceret, ſpecillum (nam & hæc uox ipſa compoſita ex ἐμ & μότον indicat, quod eſt in, et poſitū ſeu miſſum) nihil ab Hippocrate dignum, propter ea quæ contrà adduximus, iure exiſtimauerit. Quis enim ignorat, ubi digito non licet medicamentum illinire, cogi nos impoſito ſtragulis medicamento, ut colligatur melius per ſpecillū debere applicari. iſta enim admontio tonſoris empirici prorſus eſt, nō digna Hippocrate: quamobrem altius quid eruendum eſt. Præſupponit duo Hippocrates in hoc Aphoriſmo: ſuppurationē & decubitū uteri in coxam, ut ſit loco motus, ex quibus ſequitur hoc tertium. quid eſt? quod natura rei oſtendit ſcilicet obliquum ſitum ac profundū ulceris. Emmoton ergo ulceris nomē erat, quod non niſi longo ſpecillo curari poterat: à modo curādi ita ſuo «
tempore nominatum, ut hodie fiſtulā. At dices: Iſtud idem eſt cum his quæ ab alijs dicta ſunt, ſolo uerbo differens? Nequaquam, ſed illi ſuppoſita re obſcura, ſcilicet natura ulceris, rem per ſe claram doceri ab Hippocrate uolebant: nos uerò illud quod eſt obſcurū, ſcilicet rem ipſam, & ulceris naturam. Eſt enim huiuſmodi ulcus ſemper profundum ſinuoſum & obliquum propter uteri ſitum: atq́ſ ob id digitis curari non poteſt, nec rectis ſpecillis, & ideo nec igne, ſicut cum uterus locum ſuum retinet, tametſi ſuppuratus fuerit. Et ob id emmoton dicetur hoc ulcus, quod perinde erat, ut hodie ſi dicamus fiſtulam, cuius eſt certa cura per abſcißionem labiorum ulceris: ita emmoton neq́ſ per licinia uocata ſeu concerpta linteola, neq́ſ per uſtionem, cum uideri nequeat, curari poteſt: ſed ſolùm medicamento illo adeò acerbo & abominando. Ecce ergo me rem, non uerba docuiſſe, & rem planè abditam & occultam adhæc uſq́ſ tempora.

APHORISMVS XLVI.

FOetus mares quidam in dextris, fœminæ uerò in ſiniſtris magis.

COMMENTARIVS.

¶ Demonſtratio eſt ex dictis in libro de Natura Fœtus: fœtus fiunt mares tum ob locum dextrū, qui eſt calidior ſiniſtro, unde ſeminis calor diutius ſeruatur in utero: & ob ſemen, quod ualidius decidit ex utroque parente: ſed in dextram partem deciditur magis ſemen ex teſticulo dextro fœminæ: ſemen autem deciſum ex teſticulo dextro fœminæ, calidius eſt ac ſiccius, tum purius quàm ex ſiniſtro, ut ex quartodecimo de Vſu partium habetur à Galeno, & clare à Veſalio lib. 5 uidere licet. Vaſa enim quæ ad teſticulū dextrū tā in maſculis quàm fœminis ueniunt,

Pag. ult. in fine.

Cap. 7. Fig. 23.

niunt, utraq; ex caua uena, postquam emiserit ramos ad renes, quibus aquea substantia repurgetur, deducuntur: at ad sinistrum partim ex trunco eodem, sed loco humiliore, partim ex ipso ramo ad renem sinistrum tendente, pleno magis urina quàm sanguine producuntur. unde salaciores bifariam magis generãt fœminas: tum quia in his abundat semen impurum, tum quia minus illud concoquitur. Palàm est igitur, masculos maiore ex parte in dextris ob duas causas generari, ut fœminas in sinistris. At dixit magis, quoniam potest à uiro eiaculari semen ex dextro teste fermè totum, quod ambabus illis causis præualebit, & generabitur mascul⁹ in sinistra parte: & similiter si cõtingat casu læsam esse dextram partẽ, sinistrã aũt esse calidiorem. At prioris causæ illud argumentũ est, quod quidã semp fermè masculos generãt. uelut de Hercule legitur, quẽ faciũt fuisse fœcundissimũ, et uix inter 50 filios una fœmina inuẽta est, adoleueruntq; fermè oẽs: quãuis plures & in utero, & post natiuitatẽ magna incõmoda passi sint. Atq; eadẽ ratione ferũt pastores hircis & arietibus ligato testiculo sinistro, antequã admittãtur, agnos & hœdos masculos procurare. quod etiam uiri, dum cum muliere coituri sunt, cõsulit Hippocrates ut faciant,
Pag. 6. *libro de Superfœtatione. Sed ut ad rem redeã, quandoq; pars sinistra ualidior est dextra, adeò ut referat Brasauolus, uxorem suam fœminas in dextra, masculos in sinistra gestasse. & cùm aliquando simul masculum & fœminam peperisset, apparuit emissa prius fœmina hypochondriũ dextrum exinanitum: tumidùm uerò adhuc sinistrum, in quo residebat mas. Verùm generaliter dextræ partes ob iecur calidiores & firmiores sunt sinistris. unde illud Hippocratis secun-*
Par. 6. *do Epidemiorum: Circa naturam plurimam uim*
» *habet mãma dextra, oculus dexter, & quæ in-*
» *tra sunt hac parte. nam & masculi dextris inhæ-*
Par. 2. in fine. *rent. & in sexto eiusdem: Quòd in calidiore, solidiore in dextris: & nigri præterea, & uenæ*
» *extrinsecus, & multo biliosiores. Quòd solidũ*
» *factum est, & biliosius & sanguinolentius est:*
» *hic calidior locus animali. Sed & in testibus masculorum eadem ratio apparet, rursus dicente*
Par. 4. *Hippocrate sexto Epidemiorum: Hircire incipi-*
» *ens uter testis extrà apparuerit, si quidem de-*
» *xte, rmasculum: si sinister, fœmellam portendit.*

APHORISMVS XLVII.

VT secundæ procidant sternutatorio apposito, nares apprehendito, & os.

COMMENTARIVS.

¶ *Hui quid dicã de præclaro hoc Commento, ubi docet non docere Hippocratẽ excutiendũ esse uterũ, sed secũdas, nónne admirãda dicit ac docet? ueniant nunc huc hi Galenici, & hominẽ tueantur, q̃ docuerit nõ insanire Hippocratem. At deerat materia dicẽdi? nullibi unquã uberior: quo fit, ut credã omnino cõtemptim hos Aphorismos exposuisse Galenũ. & primũ uideamus, quónam pacto fiat sternutatio, deinde quomodo secũdas fœtũq; expellat: quibusdã etiã herniam, laxato peritonio & mẽbranis, inducat: ut uideãt homines, Galenũ nõ intellexisse quæ necessaria erãt ad Hippocratis expositionẽ. Sternutamentũ igitur et tussis eodẽ modo, & ab eisdem causis fiunt: sed tussis à pulmone, sternutamentũ à cerebro. & primùm ille error occurrit Galeni nõ ferendus, secũdo de Symptomatũ cau-* Cap. 3.
sis, cùm dicit: Sternutatio instituta est ad pro- “
trudenda persequendáq; quæ nares infestant. “
Quasi natura tantùm motum cieret, & in quo non leue uitæ periculũ uersatur ad tollendã molestiam uarium, deinde molestiam sentirent nares, protruderet cerebrum aliena mala: nec cuique parti datus esset modus expellendi noxia, quæ sentiat. Sed omittamus hæc. Sternutatio est instituta ad propellendam causam molestiæ, quæ percipitur in uentriculis anterioribus cerebri, undecunque molestia illa procedat: seu ex naribus, seu palato, seu capite ipso. ad hæc enim tria fermè reducitur. Quanquã & ab oculis contingat, unde solem inspiciendo excitamus sternutamentũ. eodem modo tussis ad eijciendum causam uexantẽ pulmonem. utræq; etiã conueniũt in hoc, quòd prius extenduntur cerebri uentriculi ante sternutationem, pulmo ante tussim. Tertiò, quod in utraque membra sua aerem ad se trahunt: unde non fit tussis, nisi post inspirationẽm, nec sternutatio. Quartò, quod in utrisque post aeris attractionem membrum celeriter ac uehementer constringitur. Quintò, quod eijcitur ex ea contractione aer per canalem, & quicquid intermedium est, & cum sono. Ex quibus sequũtur quædam dogmata ad rei intellectum attinentia. Primùm quidem, quòd sternutatio est res ualde periculosa, quia cerebrum & tenerius est, & quieti magis assuetum, & cõpactum magis quàm sit pulmo. unde longè periculosior est sternutatio, quàm tussis. Sed quoniã tussis diu perseuerare magna solet, ut nonnunquã uasa frangantur, ideo periculosior tussis iudicata est sternutatione. sed si homines tamdiu,

& perseuerāte eodem impetu sternutarent, quo tussiunt, omnes perirent illicò, rupto cerebro. Vnde non existimo uanam fuisse historiam, ex qua nata est consuetudo, ut sternutantibus soleamus Dei auxilium imprecari, maximè cōiunctis amicis atq; potentibus. referunt enim fuisse pestem, in qua cum breui momento sæpius sternutassent, statim concidebant. Quod uerum fuisse existimo, ipsa rei natura hoc docente. Tum illud animaduertendum, naturam constituisse ob hoc, ut non quemadmodum in tussi, idem uigor perseuerare in sternutatione posset, sed secunda sternutatio prima, & tertia secunda sit minus cōcitata: ut in iridibus, & repercussis lapidibus. Si igitur sternutatio breuis sit, nec sæpius repetat, & apertæ sint uiæ, sic ut noxia materia educatur, salutaris est: aliter malum signum, deteriorq; effectus. Ad hoc me inducit experimentum, cuius adhuc recordor: Cùm uocatus essem quodam die ad amicum summo mane, satis iuuenem, qui præter monita Hippocratis in attonitum morbū inciderat: inter multa responsa, quæ mihi interroganti de diuersis (ut mos est) attulerunt, id dixère, uesperi antecedente, & etiam nocte ipsa sæpius sternutasse: aliquando, sed rarò pituitam eductam, sæpius nihil. ex quo conieci, causam uehementem molestia affecisse cerebrum: ipsum uerò sternutamentum lancinasse cerebri uentriculos anteriores. At uerò quanquam principium tussis & sternutationis sit sensus, qui ad facultatem cerebri, & à cerebro demissam pertinet, ut antea diximus: uis tamē quæ mouet naturalis in utroque symptomate est, ut
Cap 4. ibidem à Galeno habetur. Porrò differunt maximè tussis & sternutatio, eo quòd in sternutatione aer trahitur bifariam ad cerebrum: & exterius ab ambiente per nares, & interius per palatum ex pulmone. Cùm enim cerebrum trahat, utrinque trahit. est autem uia bifida: una, quæ ad nares: altera, quæ ad palatum ex cerebro defertur. Tussis autem ex sola aspera arteria aerem haurit. Pariter in extrudendo idem discrimen est. Per tussim enim solùm per asperam arteriam spiritus defertur, tum materia: at in sternutatione materia solùm per nares, spiritus autem & per palatum & per nares. Causa huius est, quod qui defertur per palatum, minore cum impetu exit: quia locus apertior est, nec retinetur: at per nares eliditur uehementer ob angustiam meatuum, unde etiam ingens ille sonus exauditur. atque sic differt à tussi. Differt etiam ab illa, quòd in sternutatione nares concutiuntur maximè, pectus ualde parum: in tussi autem pectus, nares autem parum aut nihil. In sternutatione etiam motus minor est, quoniam uentriculi cerebri non sine magno incommodo concutiuntur: pulmo autem huiusmodi ictibus magis assuetus est, & compaginem habet magis laxam. Hactenus de modo, quo fit: nunc quomodo quæ in utero sunt propellat, uidendum.

Palàm est enim ore & naribus apprehensis totum aerem protrudi per palatum, at ex palato deferri potest ad gulam & intestina per uentriculum: hic nulla uis ad uterum. at dum truditur aer in sternutatione ad pulmones, & exit per bronchios pulmonis, & septum transuersum allidit: contrahuntur interim, ut quisque experitur in se, musculi longi uentris, & septum transuersum collidit intestina compressa, iam facto breuiore uētre: illa uerò cùm supersint utero, e regionè illum concutiunt. fitq; non solùm propulsio hoc modo, quæ parum esset: sed tremulus ille motus, ex quo etiā in arboribus fructus decidunt, atque ita laxantur uincula secundarum à placentula, & fœtus descendit quasi in lubrico. Aer enim qui sub septo transuerso est, concutit etiam uterum, miraq; uis quantum illa possit: ut uesicula exigua, quæ non est maior columbæ ouo, ut in machina quam sclopum uocamus, tam procul aues occidat cretea sphærula, & magnum sonum edat. Quin etiam ex hoc tremulo ictu contingit (sed Galenus causam non nouerat) ut materiæ quæ in aspera arteria sunt, melius quàm per tussim auellantur ab illa, ut idem fatetur loco iam adducto. & nonnulli, cùm non possent plenè auellere infarcta, sternutatione cum tussi concitata compotes uoti facti sunt. Dicemus autem aliquid & de his in septima particula. Porrò ex hoc factum est, ut etiam in multis hernia inchoauerit, in alijs aucta sit, dum compressa & tremulo motu agitata intestina præeunte etiam flatu per ἐλυτροειδὴν ingrediuntur, aut alia materia minore periculo, ex sternutamentis. Com. 46.

Fiunt aūt & excitantur à siccis uehemēter, ut sexto de Simplicibus medicamentis habetur: Cap. de Batrachio.
& maximè ab acribus, cuiusmodi sunt piper, euphorbiū, et condisi seu struthion, quod in usu est.

APHORISMVS XLVIII.

MVlieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Quòd non in mammis, sed subter, cucurbitulas apponi iubeat, declarat dictio πρὸς, quæ ab ἐπ differt. Cæterũ hoc Aphorismo docemur, sanguinem undecunq; fluentem auertere: uelut si ex dextra nare cucurbitula superposita iecori, Cap.3. & ex sinistra lieni, quinto Methodi. Verùm si hoc non intercedentibus uenis, quanto ualidius in iecore & liene, ubi uenæ intercedunt: ob id in utero, tum quod materia id exigebat, exemplum dedit. Cæterùm conatus est Galenus frustrà hunc consensum ad uenas retrahere, quarto Cap.8. decimo de Vsu dicens: Cùm enim partes utrasq; (scilicet mammas & genitalia) ad unũ opus obeundum comparasset, ipsas coniunxit per uasa, quæ dum de thorace ageremus, ad mammas uenire memorauimus, uenas & arterias ad hypochondria, & totum hypogastrium deducendo: pòst autẽ his quæ à partibus infernis sursum feruntur coniungendo, à quibus uenæ ad matricẽ scrotumq; perueniunt. Sola quidẽ in animalibus hæc uasa, partim ex partibus quæ supra phrenas sunt, ad inferna corporis proficiscuntur: partim ex inferioribus sursum, quòd solas prædictas particulas per uasa coniungi esset necesse. uerùm ut Fig. cap. 6. à Vesalio habetur Libro tertio, duæ à iugulo descendũt uenæ ualde propè, altera à dextra, altera sinistra, quæ mammas nutriunt, & per pectus diuisæ prius bifariam expanduntur: at ediuersò è caua, quæ posterius est, postquam diuisa bifariam fuerit, duo alij rami sursum reflectuntur singuli è singulis partibus, qui ad mammas fermè perueniunt. Verùm hic duo obstant. Primùm, quòd, ut Vesalius ibi docet, nõ uidentur inuicem committi superiores inferioribus. Deinde, quod maius est, quia, ut ab eodem in quinto Li-Fig.26. bro habetur, uterus totus nutritur partim ex seminarijs uasis, quæ singula singulis ex partibus magna se intrudũt imo eius, quare nihil illis cum uasis sursum reflexis: partim ab his quæ à caudicibus cauæ oriuntur, quæ nec ipsæ reflectuntur. Cap.15. Vnde ille: Neq;, ut quispiam arbitraretur, ab his uterum accedentibus uasis, uenæ & arteriæ originem ducunt, quæ secundum rectos abdominis musculos sursum ferũtur, illisq; uasis quæ ad pectoris oßis posteriorẽ exporriguntur sedem, communes fiunt. nam hæ ortum ducunt à præcipuis uasis, per inguina in crus deductis. Et infrà: Quid porrò ualeat uteri cum mamillis communio, ac proinde uenarũ à mamillis ad eas quæ prope uteri uenas nascuntur, congressus. Itaq; liquet, ob propinquitatem & causam superius assignatam potius, quàm ob earum in unum coniunctionem id accidere. Scribitur & secũdo E-Par.5. in fine. pidemiorum hoc modo hic Aphorismus: Secundarum purgatio si non discedant, sternutatoriũ ad nares apponito, ut sternutet: & sternutantis os ac nares apprehendito.

APHORISMVS XLIX.

QVæ utero gerunt, his uteri os comprimitur.

COMMENTARIVS.

¶ Quomodo uteri os comprimatur & claudatur in conceptione, Galenus tertio de Faculta-Cap.3. tibus naturalibus ita rectè declarauit, ut si reliqua omnia tam benè, nihil posset in tota medicina desiderari. Adiungam autem ut pulcherrima: Iam uerò prægnantes ipsæ primis diebus, potißimumq; eo ipso, quo semen est conceptum, moueri, ac in seipsum concurrere uterum, sentiunt. Quòd si itaq; ambo hæc incidunt, ut & os uteri citra phlegmonẽ aliumue affectũ cõniueat, & sentiatur deinde succedere uteri in seipsum motus, iam semen à mare & concepisse se mulieres existimant, & retinere censent. Neque nos ista modò cõfingimus, sed longo usu comprobata ab omnibus fieri, qui de ijs disseruerunt, sunt prodita. Herophilus certè nec illa scribere est grauatus, ne specilli quidem mucronem admittere uteros, antequã mulier pariat. Præterea ne uel minimum quidem biscere, ubi conceperint: laxius autem recludi, quum menses profluunt. Huic astipulantur & reliqui omnes, qui de his tractauerunt. Primusq; omnium non medicorum modò, sed etiam philosophorum Hippocrates, conniuere os uteri tum conceptibus, tum phlegmonis pronunciauit: cæterùm in conceptibus seruato naturali habitu, in phlegmonis uerò in durũ mutato. Porrò uteri os quadrifariã disponitur. aut enim hiat, ut nec genituram contineat: aut reclusum est prorsus, ut nec recipiat illam, nisi utero gerat. Tunc enim et si non recipit, secundum naturam est: & cùm naturaliter se habet, & cùm parum reclusum est, ut non poßit membrum ingredi. Ac de his omnibus, præterquam de naturali statu agit Hippocrates. Vt uerò quæ ad rem faciunt attingamus, illud scire decet, uterum descendere in coitu, adeò ut glans intra uterum se condat. unde accidit, ut qui longiorem habent penem, non generent. nimis enim procul à suis uasis semen eijcitur, atq; refrigeratur. & qui nimis breuem, nam glans non peruenit usq; ad os uteri. Ob id mulieres generaliter quæ ualde longum habent collum uteri, & uiri qui ni-

mis breuem penem habent, non generant. & uiri quidã breui pene non generant cum longis mulieribus, cum paruis autem fœcundi redduntur.

Porrò quærunt quidam, si os uteri concluditur, quomodo fieri potest superfœtatio? & quærunt aquã alibi quàm, ut dici solet, in natiuo fonte. Quasi Hippocrates peculiarẽ huic quæstioni atq; tractationi librum nõ dedicauerit. Quomodo ergo fiat, & quare non seruetur quandoq; Pag. 1. primus fœtus, docet his uerbis: Superfœtant aũt mulieres, quarũ uteri os post primum cõceptum non ualde clauditur. idq; manifestis signis constat. Clauditur aũt post superfœtationes, quæ posterius superueniunt. Si superfœtatio nondũ partium discriminationẽ habeat, sed caro sit, nõ quidẽ augetur, sed putrescit, donec ex utero exeat. & post: Quæ gemellos gestat, eadẽ die parit, uelut concepit. habet aũt utrosq; pueros in una secunda. quasi dicat: Superfœtatio fit in diuersis Pag. 3. secũdis. Porrò de astrictione oris uteri naturali hæc habet: Mulieribus plerisq; cũ menses apparituri sunt, os uteri in seipsum cõtrahitur plusq̃ aliàs. At de cõceptionis signis præter hoc dictũ hic, & mira Galeni inuenta, firmißimum docet Pag. 4. Hippocrates paulo pòst: Cognoscet se cõcepisse mulier, si uir quidẽ emisisse dixerit, ipsa uerò præ siccitate ignorauerit. Ergo ex his quæ dicta sunt apparet, quod sub mensiũ tẽpore difficillimè concipiunt mulieres. primũ, ob os uteri astrictum: secundum, ob copiam sanguinis in uenis obruentem semen: tertium est, ob illius ex mora longa refrigerationem. Atque etiam illud quod superfœtatio fit, hiante aliqualiter ore uteri per se: per coitum autem ex uehemẽti delectatione amplius patefacto. unde coitus frequens, & cum maiore uoluptate, ut rarißimè aperto ore uteri superfœtationis causa est, ita frequentius longè abortus in utero imbecilli.

APHORISMVS L.

MVlieri utero gerẽti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si uerò solidæ fuerint mammæ, fœtum significant saniorem.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus suo more aliud Hippocratẽ sentire uult, q̃ dicat. ille dicit, quod experimentis prorsus omnib. respõdet, solidas mãmas fœtum significare saniorem. Galenus uolens semper aliquid plus sapere, ait: Liquet igitur, quod neque mãmas tenues oportet apparere, sicut in muliere non grauida: hoc enim signum defectum sanguinis ostendit, & hac ratione fœtus in ipsis corrumpitur: neque adeò plenas, ut lac effluat: sed tantũ subleuari, ut solidæ tangẽtibus appareant. Media enim hæc est dispositio inter renitentes propter nimiã repletionẽ, & molles et laxas propter defectum sanguinis. Hoc est, quòd putat se aliquid magnũ pulchrumq; dicere: nec autoritati Hippocratis acquiescẽs, nec experientiæ diligentẽ adhibens animũ, nec profunda ratione ductus, sed superficiaria & falsa, ac quasi mista partim ex experimento, partim ratione, qua ubique deceptus Hippocratem tanquã amicũ castigasse sibi sufficit, Aristotelẽ & cæteros antiquos immodicè atque intemperanter coarguit accusatq;: nec hoc sufficit illi, sed indignum tanto uiro & manibus illorum atq; laboribus, ipse laboris expers irridet. Ac si quis, quod aliquando uidi, plebeius noster moribus, non dico conditione, audiat quendã Græcè loquentem, dicẽtemq; φοτs, quod est splendet, ridet: quia nostra lingua coitum turpi etiam sub gestu notat. disce Græca, & postmodum non ridebis. Ille certè alioqui clarus, nimium sibi tribuit, existimans ingeniũ suum esse metrum & mensuram rerum. At herclè ingenium suum mortale fuit, ut ille rebatur: aliorum diuinum & immortale, ut etiam illi crediderunt: dico Hippocrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, & Erasistratus, atque alij huius farinæ (ut dici solet) uiri, Praxagoras, Marinus, Archigenes, Philotimus, Asclepiades, Euriphon. Cogor sanè inuitus hæc, & nõ accusandi studio clarißimũ uirum mortuũ, & cuius manib. multa debet humanũ genus, dicere: sed ut introducã in usum nouã illã Dialecticam nunc, sed olim ueterum & rationes profundas illas, quibus Aristoteles tantum opus tamq; præclarum composuit, Hippocratesq; suum, licet aliquanto rudiore sermone, Euclides præterea ac Ptolemæus: quorum omnium, si quis rectè consideret, sententiarum expers fuit ipse Galenus. Glorietur & iactet se quantumuis, & patrem habuiße Geometram, & ipse afferat Geometricas demonstrationes, facilè nos perspicimus illum uix prima elementa eius disciplinæ, tum etiam Arithmeticæ atq; cæterarum mathematicarum attigisse: ut si ex ungue leonem, perspicuum sit, præter Medicinæ partem quæ ad exercitationem attinet, nihil sciuiße. Clament quantumuis quidam: non aliud ostendent, quàm & se imperitos esse omniũ earum disciplinarum. Nemo enim erit artificũ, qui profundè eas disciplinas calleat, qui mecum

non

non sit sensurus: licet forsan tamen apertè pudeat illum de hoc uiro pronunciare. uideat dissectionem, pulsus, medicamenta, omnia sunt aliorum furta, & ut ille dicebat:

Qui bene uertendo, & eos describēdo malè, ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Verùm in pulsuū ratione non quidē contemplādo, sed exercēdo, profecit supra humanā existimationē: in medendi aūt ratione atq; exercitatione fuit clarissimus omniū ab Hippocrate, atq; omnino incōparabilis. Qua opinione, & recta sanè, in cæteris omnib. nihil aliud factus est, nisi uia ad errores. uix enim è centū dogmatibus unum integrū reliquit aut in philosophia, aut medicina. Sed ne uidear odio quodā aut liuore uiro detrahere, quanquā iam plurimi hoc tentârint uiri illustrissimi: sed partim uitæ breuitate, partim ob paruā in disciplinis exercitationem parum feliciter successit, & hæsere (ut dici solet) in uado. Fuère autem hi, Princeps, huic obfuit breuitas uitæ: Auerrois, hic nesciuit Medicinam, sed fuit merus philosophus, nec etiā satis absolutus: Aetio & Alexandro Tralliano bonarū literarum scientia defuit: solus Vesalius ad hanc usq; diem feliciter rem gessit.

Sed ad rem redeo. Dupliciter peccat Galenus in hoc. primùm, quod putat molles & laxas fieri ob sanguinis defectū, quod haud uerum est: sed, ut suprà dixi, fiunt ob imbecillitatē seminis, seu spiritus agentis concoctionē, seu illa proueniat ex defectu sanguinis, seu non. Secundum, quòd existimat mammas solidas fieri ob lactis abundantiam. unde plures sequūtur errores, scilicet ut durescant ob lac, ut quæ duræ sunt, facilè reddāt lac, quæ duræ sint, & magnæ. Quæ omnia cum pluribus alijs quæ sequuntur falsa sunt, absurda, & à ratione atque experimento aliena. Igitur mammæ implentur ob lac, durescunt autem ob robur actionis seminis: unde gracilitas duriciei hac in causa opponitur. At lactis multitudo & paucitas faciunt magnas & paruas. idq; ita esse deprehenditur, quoniam mulier cùm concipit, statim mammæ fiunt paulo duriores, & tument paululū: deinde manente magnitudine, fiunt solidiores in dies. cùm uerò duricies ad extremum peruenerit, tunc crescunt, manente duricie fermè ad finem octaui mensis: deinde incipiunt laxari, donec partus tempore mediocrem habeant duriciem, magnitudinē uerò eximiam. Hæc didicisse prius oportet, inde quærere causas: & non in his quæ oculis subiacent, primùm ratione disputare, deinde accommodare, quæ apparent his quæ uidentur. Ergo res ita se habet: magnitudo & paruitas mām(m)arum proculdubiò fit ex multa aut pauca lactis materia, id est sanguinis, qui in lac conuerti debet: sed mollicies fit ex lactis substātia. Lac enim cùm molle sit & humidū, mollem facit tumorem in mamillis. Si uerò mamillæ sint uacuæ ab omni substantia, nec antea fuerint repletæ, paruæ sunt, & mediæ inter laxas & solidas, molles & duras. At si antea repletæ fuerint, & postmodū exinaniantur, remanent magnæ, molles & laxæ. Paruæ & laxæ uix esse possunt: molles & paruæ sunt in uirginib. mollibus ualde. At uerò cùm mamillæ fuerint plenæ crudo humore, id est sanguine non concocto, tunc sunt duræ: exemplo phlegmonum, qui antequā ad suppurationem deueniant, duri sunt ac solidi: cùm suppurant, fiunt primùm molles, inde etiam laxi. ergo eadē est ratio in mamillis. Nam cùm repletæ fuerint sanguine crudo, tendūtur carnes glandosæ, sed non extendūtur, quia calor est ille qui extendit: materia autem duriciem affert. ergo mamillæ, antequā calor magnus & coctio præualeant, duræ sunt & solidæ, si materia adsit. ἰσχνοὶ, graciles seu tenues, duo comprehendit, seu tria: paruitatem cum mollicie, & laxitate. Cùm ergo Hippocrates dixit, hoc intellexit: [Aphor. 36.] sanguinis in mammis defectum seu ob paucitatem sanguinis; seu quia non trahunt. At si duræ & solidæ sint mammæ, tunc duo adesse necesse est: scilicet materia sufficiens, quæ tendat carnem glandosam: & defectus coctionis, aliter non essent duræ. Cur ergo materiæ in mamillis præsentia significet salutem fœtus, iam dictum est superius, Commēto adducto: scilicet quod signū sit, actionem seminis in sanguinem ualidam esse.

Reliquū est ut uideamus, cur non coqui lac in mamillis, significet robur fœtus: coqui autē imbecillitatem annexionis fœtus, etiam si ualidus sit in utero. Dico ergo, quòd omne quod abrumpitur, secundū naturam prius laxatur: & quòd omne quod laxatur ut abrumpatur, quandam uim corruptionis sentit. Cùm ergo fœtus laxari incipit seu ob tempus partus, seu ob abortum, gignitur quidam calor in illis uinculis similis putrido, quem naturalis semper refugit: quoniam sunt duæ substantiæ inimicæ, & calor ille naturalis refugit cum sanguine illo immutato à semine, & tunc mammæ incalescunt, uterus naturaliter refrigeratur, & concipit quendam calorem febrili similem: & ille inuadit primùm carneam placentam & uasa, inde fœtum. Et si fœ-

tus prope perfectionem sit, nascitur iam deficiente non alimento, sed bono alimento. Ad quam corruptionem impellit etiam multùm tertia illa pars sanguinis, prope uterũ in uasis seruata: quæ planè corrupta est, nõ tam putrida propter motum perpetuum, qui excitatur aduentu noui sanguinis pro fœtus nutritione. Calor autem naturalis, qui se ad mammas contulit, materiam in lac conuertit, & tunc lac fluit laxatis carnibus mollibus: ideo defluxus lactis signum est, non abundantiæ sanguinis, sed corruptionis uinculorum fœtum continentium. Primùm, quòd si causa esset multitudo sanguinis, confluens ad mamillas, in sanguineis mulieribus non esset signum abortus, nec etiam si mammæ tumidæ non essent: at magis etiam est, cùm mammæ tumidæ non sunt: igitur causa propria est, caloris naturalis transitus ex utero ad mamillas. Causa autem cur cùm lac generatur, mamillæ molles fiant, eadem est quæ in suppuratione bubonum. Planũ est enim, quod coctio fit à multo calore. at calor laxat carnes, & resoluit flatum, & in minorem quantitatem cogit humorem, quia illum reddit crassiorẽ: ergo in generatione lactis mamillæ redduntur molliores, laxiores, & maiores.

Hoc declarandi genus, quod ex ueris principijs deductum est, rudes uiri & grammaticuli medici, & qui sine philosophia medicinam attigerunt, uocant contorqueri. nisi enim scribat, Poeta quæ pars est? dicunt, Ille miro modo se contorquet: uoluntq; ueram rerum cognitionem perire, ut illis placeamus. At secus est. Deus omnia recondidit: si tamen illa ex proprijs principijs deducamus, facillima redduntur. Ob id quidem Fuchsius adeò infensus est Iacobo, Vgoni, Gentili: non quia aberrauerint, sed quia sanam doctrinam non intelligit: uocatq; somnia, ut quæ assequi non potest, uulpis exemplo contemnere uideatur. At dices: Sana non est, quoniam falsis principijs innititur? fateor: sed modus doctrinæ bonus est, doctrina mendosa. Oportet igitur omnia habere, nec bona malis mista negligere. Sed quidam, dum se tegere uolunt, nimis anxiè produnt imperitiam suam apertius. Iam olim querebatur Galenus propter unum Thessalum: quid facturus esset nostra ætate, cum tot Thessalis? Ille unus sex mensibus pollicebatur se totam docturum medicinam: quid hi nostri faciunt, qui sine Dialectica, philosophia, mathematicis, cum suis methodis absurdis, quasi Galenum superaturi, longè minore tẽporis spacio totam medicinã docere possunt, si uera essent quæ illi promittunt. Sed uereor ne medicos faciant, ut Nero per ludibrium uocare solebat, id est carnifices. In summa dicam: Nemo sub pœna capitis deberet admitti ad exercendum medicinam, nisi bonus mathematicus, dialecticus, ac naturalis philosophus esset: ita ut toto quinquennio solùm his operam daret, omißis etiam primæ philosophiæ studijs: quæ non solùm inutilia sunt, sed dum communia loca explicant, laruatos sapientes pro ueris efficiunt. Ab homine maturo, & iam medicinã adepto, non prohibeo. Longior fui nimis, scio: sed Deus nouit, ob ueritatis ac uirtutis solius studium: cuius encomium cùm Aristoteles scriberet, dixit tantum posse, ut etiam ob illius amorem mortem non refugiamus.

APHORISMVS LI.

QVæ corrupturę sunt fœtus, ijs mammæ extenuantur: si uerò rursus duræ fiant, dolor aut mãmas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpunt.

COMMENTARIVS.

¶ Si quæ hic Galenus omittit, in quibus errat, perperámue Hippocratem accusat, dum tueri illum simulat, uelim persequi: librum unum, quemadmodum ille aduersus Iulianũ, pro unius Aphorismi commentario conscribere cogar. Sed absit. Reprehensiones generales morum hominũ conscribere, ad probũ uirum ob cõmunem utilitatem pertinet: & docere, si quit malè interpretetur, cùm bene uideatur. At hic nemo non uidet, illum uelut cæcum prætentare uadum. Illud solùm admonuisse sufficiat, Galenum difficilioris partis Aphorismi, quæ incipit ibi, Dolor aut mammas, usq; in finem, ne uerbum quidem attigisse. Porrò nos explicare ab hoc Aphorismo non licet, nisi demonstrationem afferamus, quæ huiusmodi est: Omnis abortus aut fit sensim, aut repentè: si repentè, ruptis uinculis magni dolores necessariò consequuntur uteri, quare sanguis reuocatur à transitu ad mammas, ergo illæ flaccescunt. Si autem fiat sensim, abortus quacunq; causa contingat, ut in præcedenti Aphorismo uisum est, necesse est mammas molliores reddi. Igitur primæ partis Aphorismi expositio clara est. cui etiam rectè Galenus subscripsit, in hoc meritus laudem, dicens: quod quanquã ratio non suadeat, debere in omni abortu mammas extenuari, tamen illud experimento comperisse, uerum esse.

Deuenio modò ad secundã partem, quæ nullis indiget ambagibus, ut Galenus introduxit:

sed

sed simpliciter est interpretanda. Si causa quæpiam, ut dolores ex casu, uel febris, uel malũ medicamentum uel inedia mammas extenuare, ac molles reddere cœperint, inde confirmato fœtu, & causa desinente, mamillæ rursus durescant: palàm est non abortire nec corrumpere fœtum, sed dolores ad mãmas, aut oculos, aut coxas, aut genua infestabit. De mãmis iam causa est manifesta. protrusus enim humor cum materia elaborata ad mammas, illas infestabit. Hunc Apho-
Sec.6. rismum in secundo Epidemiorum scripsit, sed nõ
Sec.5. integrum. uerùm in sexto sic inquit: Si mãmarum papillæ, & rubor pallidus fuerit, morbosum uteri uas est. At de oculis, in libro de Superfœta-
Pag.3. tione, primùm cùm dixit: Prægnantem mulie-
„ rem, si aliter nõ cognoscas, oculi caui & tracti,
„ & candidum oculorum albedinis naturam non
Pag.21. habet, sed liuidus existit. & in libro de Natura
„ muliebri: Si periculum facere uelis an mulier sit
„ prægnans uel non, rubro lapide seu terra ery-
„ threa oculos sublinito: & si ingrediatur phar-
„ macũ, prægnans est: si non, non. Quomodo aũt ad coxas dolor procedat, hinc accipe causam primùm, inde auctoritatem. Cùm enim utero expediret, ut antè ac retrò et ad supernã partem, dum fœtũ gereret, extenderetur: factum est, ut neq; antè neq; retrò nec superius alligaretur: sed solũ parte quadã retrò recto intestino, à lateribus au-
Lib.5.ca.15. tem peritoneo & p musculos, ut à Vesalio habetur. Ergo Hippocrates docet, incũbere in coxã,
Pag.16. quãdoq; uterũ. ut in secũdo de Morbis muliebri-
„ bus: Si puerperæ uteri in coxã incubuerint. in-
Pag.10. de subiũgit: Sed et in sanã partẽ decũbens, quasi
„ ægrotet tũc crus. & illud: Si uteri deuoluerint
„ seipsos ad intermediam lumborũ & coxarũ par-
„ tem, crura cõtrahuntur, & dolor in iũcturis coxarũ ad sedẽ descẽdit. Quòd uerò dolor etiã ad coxas perueniat, etiã si non decũbat, ostẽdit nõ
Pag.14. paucis in locis. & primo in libro de Natura mu-
„ liebri, dũ inquit: In hydrope, loquẽs, uteri dolor
Pag.21. ad coxendices peruenit. & illud primo de Morbis mulierũ. Sed & de poplitibus secũdo eiusdẽ, dum
Pag.26. inquit: Si ignis sacer uteros corripuerit, poplites
„ tremunt, & in poplitibus liuidæ fiunt maculæ:
„ mãmæ uerò attolluntur iuxta gentilitatis rationem. Sed & de toto crure sentit, ut illud primo
Pag.15. de Morbis mulierũ: Quũ mulieri uterus durus
„ fuerit, dolor habet fœmora & pedes. & secũdo
Pag.17. & 18. eiusdem: Si circũuersi fuerint uteri ex partu ad latus dextrũ, totum crus grauatur. & si ad sinistram partem aut coxam, dolor acutus & uehemens crus habet, & claudicat. Meminit et quasi

huius reditus ab utero ad huiusmodi loca, in libro de Superfœtatione, cùm dixit, Si cui dolo- Pag.3.
res in coxendice fiant: quũ uerò prægnans est, “
desinunt: rursus exoluto fœtu, inuadunt. Causa “
omnium horum est, quoniã, ut dixi, cum peritoneo per musculos uterus alligetur, delata materia per eos in peritoneum, facilè ad loca neruosa ob peritonei naturam consimilem (est enim exangue) defertur, & ad uicina & ad inferiora. huiusmodi autem sunt coxæ & genua, propter iuncturæ laxitatem.

APHORISMVS LII.

QVibus os uteri durũ est, ĳs os uteri cõprimi necessariũ est.

COMMENTARIVS.

¶ Sed & qui Aphorismum hunc exponũt, non animaduertentes, absurdũ & leuem faciunt Hippocratem. Primùm, quod nõ uideatur uerũ, dicente illo eodem libro de Sterilibus: Os uteri Pag.4.
durũ fit, aut à callo, aut dum cõcluditur: nõ igitur semper cõprimi illud est necessariũ. Sentẽtia igitur est sic intelligẽda, quia dixerat antè Quæ Aphor.49.
utero gerũt, ĳs uteri os cõprimitur. certũ est nõ “
debere de prægnãtibus intelligi, sed neq; cũ morbo ægrotat. declarat enim ipse os uteri, si uiolenter secus cõcludatur, morbos graues parere. Est ergo, ac si dicat: Si uteri os durũ fiat, mulier nõ cõcepit (esset enim molle:) sed necesse est comprimi. nam cùm durũ est, cõclusum est, & præterea etiã habet duriciem. sed duricies licet possit separari ab utero cõcluso, est tamẽ illius signum. Ideo dicebat libro de Natura muliebri: Si os ute- Pag.15.
rorũ cõcludatur, spissum fit uelut grossus ficus: “
& si digito cõtigeris, cõperies durũ & contractũ, ut digitũ nõ admittat. Hoc aũt agit, ut ostendat impedimenta conceptionis posita in libro de Sterilib. Os uteri prohibet conceptionẽ, si auer- Pag.1.
sum, si distortũ, si cõclusum. si recẽs fuerit cõclu- “
sum. Quòd si aliqd uideatur obscurius, Cõmentaria nostra cõsulere expediet. Porrò oẽm oris uteri cõclusionẽ, si nõ ob conceptũ aut cõpressionem fiat, morbos sequi necessariũ est. Duo ergo intẽdit Hippocrates, & ut intelligam᾽ grauidis os uteri cõcludi, sed nõ durum fieri: & si durũ fiat, citra morbũ id ei ex compressione accidere.

APHORISMVS LIII.

QVæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & ualde calefiunt, sine occasione manifesta difficulter pariunt, & cum periculo: aut abortum facientes, periclitantur.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Difficulter pariunt, cùm & fœtus & uterus est imbecillis, aut ex his unus: et si uterq; magis, etiam difficulter. At si qua utero gerens à febre corripiatur, cum uehementi calore & absque causa manifesta, necesse est tam fœtū quàm matrem fieri imbecillem, quo circa etiam difficilem fieri partū. Quòd si imbecillitas fœtus præuenerit, abortient. Torquet autem id sine occasione manifesta: non'ne etiam si acutæ febres ad sint, omnia hæc euenire, aut alterum necesse erit? uides quàm leuiter nutemus. Sine occasione manifesta intelligit, ne ob causam antegressam aliqua febricitet. tales enim febres durare non solent: cùm & ob magnum æstum oppugnētur à natura, & facilè depellantur, quoniam sedem firmam non habent, utpote exortæ à casu. Vt igitur Aphorismus uerus sit, & uehementer incalescere est necessarium. Nam hepialam facilè ferunt robustæ mulieres, & ut non casu orta sit, sed ex coaceruatione humorum ante cōceptionem, qui cùm ob fœtum regi non poßint, putruerunt.

APHORISMVS LIIII.

IN fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malū.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd conuulsio & animi deliquium mala sint per se, nemo ignorat: sed cùm dixit, Malum, aliquid plus uoluit significare, scilicet & causam & morbum. morbus enim est immodica sanguinis effusio: causa autem, quoniam si deliquium accidat, per se erit copioso sanguine euacuato cum spiritibus: & conuulsio fit ab manitione, quare utraque erit mala & per se, ideoq; quasi insanabilis. Nec est idem cum his quæ superius dixit: Vbi sanguis multus fluxerit, cōuulsio aut singultus, malum. nam illud eò deducitur, quòd præter naturam sit, hoc autem secundum naturam. Præterea undequaq; profluat sanguis, hoc dicit istud: at hic loquitur de fluxu ueteri. Deterior ergo, qui præter naturam est: qui autem ex utero, propter neruorum consensum periculosior.

Aphor. 3.

APHORISMVS LV.

SI menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

COMMENTARIVS.

¶ Non est idem dicere, si menstrua nō fiant, ex utero morbi cōtingunt, & morbi contingūt. nam ex fluxu muliebri superfluo morbi fiunt, nō ratione uteri, sed immoderatæ effluxionis sanguinis. Dicebat Hippocrates primo de Morbis mulierum: Si menses plures quàm oporteat prodeant, & craßiores, nimirùm corpore natura fluido, & osculo uterorum prope pudendum sito, et ad hæc multum cum uiro coitu utatur, & conuiuetur, semel aliquando multi descendentes, & affatim prodeuntes os uterorum impetu suo magis dilatant: & si ad hæc non incidat uasorum euacuatio, sed rursus multus accesserit calor, & os amplum faciunt, & corpus, utpote dum conuiuante, & uoluptatem ac consuetudinem uiri consectante muliere, facili fluxu ad uterum etiā calor defertur, & decolor erit, quàmdiu sic habuerit. & si postea morbus aliquis aut affectio inciderit, aut corpus affligatur, & uteri similiter iuxta solitum morem ampli sunt, & corpus facili fluxu in ipsos præditum est. & post hæc febris habet, & cibum auersatur, & anxia est, & tenuis ac debilis, & lumbos ex mensibus dolebit: & progressu temporis, si non curata fuerit, omnia ipsam magis affligent in intermedio tempore: & periculum ipsi imminet ne sterilis fiat, aut à tempore & morbo uexata, si alius morbus coincidat, ex hoc morietur. Et Aetius de suppreßione hæc habet: Mulieribus, quæ non purgantur consueto more, sanguinis reiectationis ac siderationis periculū imminet. Nam suppressis mensibus molesta accidentia consequuntur, totius corporis grauitas, nauseæ, fastidia, horridi quidam discursus, uelut in his quæ conceperunt: non tamen ita sicut his quæ conceperunt, uteri osculum clauditur. illis enim occlusio adest cum quadā duricia. Dolores insuper circa lumbos, fœmora, collum, sinciput & oculorum radices adsunt. Febres item assiduè concomitantur, & urinæ nigræ sunt cum rubicundo quodam seroso ac sanioso humore. Difficultatem item ac stillicidium urinæ patiuntur, & quædam in melancholicum atræ bilis morbū aut insaniam delabuntur. Cutis superficiem dolent, & inflammationes ac ignes sacros diuersimodè sustinent.

Pag. 5.

Lib. 16. cap. 52.

Nostra ætate cōtingit frequentißimè, ut mulieres ex fluxu mensium ad tantam perueniant immoderantiam, ut pereant. ob id uerum esse suspicor, quod Galenus in Commentario ait, scilicet ueteres suspicatos solùm de morbis qui fiūt ex effluxu, non de retentione mensium. Enumerat autem quatuor causas abundantiæ mensiū, scilicet apertionem uenarum ad uterum uenientium, tenuitatem aut feruorem sanguinis, aut redundantiā illius in utero ob corpus totum, quod

aliqua

aliqua ex causa onustum sit illo. at uerò qualiscunq; sit causa huius, nõ est necesse morbũ huiusmodi ab utero in reliquũ corpus propagari, sed uel illi proprius erit, uel alterius partis morbus dicetur: at si astrictis oculis menses cõtineantur, tunc inquit, erysipelas aut phlegmon aut carcinoma uel scirrhũ generari. Aduertendũ est aũt, quòd mediocris quantitas mensiũ iuxta Hippocratem loco adducto, est duarum heminarũ Atticarum, id est unciarũ decemocto (dicente Galeno quinto de Cõpositione medicamentorũ secundum locos: Mina Attica nouẽ Italicas uncias continet, Atticas aũt septem cum dimidia, id est drachmas sexaginta) & dies duos aut tres. (Cap.6.)

APHORISMVS LVI.

Recto intestino aut utero inflammationem patiente, urinę stillicidium superuenit: & renibus purulentis, urinę aduenit stillicidiũ: iecore autem inflammationem patiente, singultus aduenit.

COMMENTARIVS.

¶ Docet tres causas stillicidij: quarũ prima est intestini recti inflãmatio. Vnde libro de Fistulis: Si intestinũ rectum inflãmatum fuerit, doloreq; habeat, & febris, & frequenter ad exonerãdum aluũ surgat, nec quicquã deijciat, & prae inflãmatione sedes exijsse uideatur, & aliquãdo urinae stillicidiũ corripiatur: hic morbus fit, cùm pituita ex corpore in intestinũ rectum decubuerit: & quãdiu durat inflãmatio, cibis leuibus utatur. Vesica quoq; ex intestino recto calescẽs, caliditate pituitam adducit, ex qua fit urinae stillicidiũ. Vnde declarat causam cõmunem stillicidij duobus primis modis, scilicet uteri aut intestini inflãmati. Vnde secũdò de Morbis muliebrib. Quum uteri inflãmati deorsum processerint de uẽtre, aliàs alio praecipuè ad laterũ mollitudinẽ, quandoq; etiã ad uesicã, & urinae stillicidiũ corripit. ut non sit hic affectus causa per se stillicidij: quapropter nec meminit eius inter signa inflãmationis uteri, libro de Natura muliebri. Est tamẽ signum per se, sed nõ proprium, quia connumerat plures causas. nõ enim solet plures causas connumerare in signis proprijs: quare neque renibus purulentis necesse est hoc accidere. est ergo, ac si dicat, Vrinae stillicidium fit & intestino & utero inflãmato, & renibus purulentis. & manifestũ est, quod cõnumerat causas non per se, sed stillicidij per consensum. & est admirabilis Aphorismus, & Hippocrate dignus. (Pag.3. / Pag.10. / Pag.4.)

Est aũt urinae stillicidiũ, freques mictus, et cũ pauca urina. quod quidẽ accidit ex ipsius urinae retinẽdi impotẽtia. haec aũt cõtingit, uel quia uesica imbecillis est, aut quia acri aliquo humore stimulatur. Sunt aũt acres humores urinae ipsius cõparatione, quã cõstat p se acrẽ esse, salsi uehemẽter, acuti, & calidi uehemẽter, & saniosi. ergo renũ pus hoc facit per se: inflãmatio aũt uicinarum partiũ calore, dolore, cõpressioneq; irritat naturã ad expellendũ urinã antequã colligatur, ideoq; pauca & celeriter eijcitur. Nonnunquam aũt in stillicidio etiã retinetur, maximè cùm comprimitur collũ uesicae: estq; hoc genus stillicidij pprie, quod nõ semper cõtingit, ob idq; nõ meminit illius in libro de Natura muliebri. Nonnunq etiã cũ uirgine est, cùm fit ex renibus purulẽtis. Cùm aũt stillicidiũ solũ frequentẽ & paucũ mictum significat, generaliter dicitur, semperq; cõsequitur causas illas ab Hippocrate hic enumeratas, ut nihil desit ad Aphorismi integritatem.

Quod uerò adijcit de singultu, in inflãmatione iecoris, indicat eum consensuũ euidentiorũ exempla afferre. At infrà docebit huiusmodi singultũ esse malũ. Fit aũt singultus hic, cùm magna fuerit inflãmatio, & ob cõsensum neruorũ, inqt Galenus, scilicet sexti paris. At mihi uidetur, q cùm, ut dicit in sexta Aphorismorũ, fieri possit et ex repletione & inanitione, ut fiat ob laesionem quandam non certi generis, de qua aliàs. (7.Apho.17. / Text.37.)

APHORISMVS LVII.

Si mulier non concipit, scire autẽ uclis an cõceptura sit, pannis circumtectam de subter suffias: & si odor uideatur per corpus ire ad nares et os, scito eã nõ ex se ipsa sterilẽ esse.

COMMENTARIVS.

¶ In tam clara luce more solito pluribus modis caligant. Primùm, cùm quaerunt cur optent homines scire an mulier sit sterilis, uel non: & reddunt etiam causas non satis dignas. Nam primùm hoc nõ est quod quaeritur ab Hippocrate, cuius causa: sed simpliciter pulchrum est scire in omnibus, unde aliquid cõtingat. & sciẽtia ipsa p se pulchra est, ut oĩm aliarũ rerum, etiã si nullũ sit emolumentũ. At emolumẽtum si quaeramus, per se praestantissimũ est oĩm quae apud mortales sunt, dulcis scilicet soboles, cõtinuatio stirpis, effigies sui simillima, ppter quã etiã ferae et belluae, pisces atq; aues pugnãt, & spes perpetuitatis unica, omniumq; commodorum quae perpetuitati cõiuncta sunt. Quis enim tot coniugij incõmoda & tã grauia perferre sanus uelit, nisi ob hãc egregiam spem? Itaque quid mirum est, si unusquisq;

quiſq; hoc optet & quærat? Sed apud Chriſtia-
nos huiuſmodi præceptum minus utile forſan ha-
bebitur, quibus ſolis licitũ non eſt diuortium. At
Iudæis & idololatris, & Mahumetanis, & his
qui iuxta Platonis inſtitutũ uiuere decreuerint,
omnino erit utile. Si quidem mulieres trifariam
ſteriles redduntur: uel uitio ſui, & has fugere o-
mnino cõuenit. neq; enim ex uarietate coniugis
fœcundæ unquam euadunt. Aliæ cõparatione,
& has permutare oporteret. fieri enim poteſt ut
duo uiri duabus fœminis iuncti ſteriles ſint, fa-
ctáq; permutatione fœcundi euadant. Aliæ autẽ
ex morbo, qui per ætatem aut curam medicorũ
in uiro uel muliere uel utroq; ſanatur: unde quæ-
dam in iuuenta nõ peperêre, in conſiſtente ætate
factæ ſunt fœcundæ. ſed neq; his permutatio ne
ceſſaria eſt. Chriſtianis uerò & hoc conſilium
eſt utile, quandoquidem uirginem ducturis liceat
hoc experimentũ facere. nõ eſt enim, ut credũt
quidam, os uteri concluſum, cùm menſes proflu-
ant: ſed ſolùm ante os uelamen quoddam, ut tu-
nica ueſicæ piſciculi uenulis intertexta, in cuius
medio foramen eſt rotundũ. Verùm uirginibus,
quibus menſes non fluunt, conſtrictis oribus ue-
narum fallax eſt hoc experimentum: cùm con-
tingat ex coitu ob calorẽ & uoluptatem illa a-
periri, fluereq; menſes, easq; reddi fœcundas.

In uniuerſum igitur quæ adoleri poſſunt, ſunt:
thus, ſtyrax, & myrrha, dicit Galenus: unde a-
liã à noſtra illã eſſe neceſſe eſt. Nos præter hæc
habem* odoratã aſſam, quã Belzoi uocamus, am
bram & zibethũ, nec non moſchũ. oportet aũt
miſcere materiæ pinguiori, ut ladano. Si ergo
trãſit odor ille ad os & nares, neceſſe eſt os ute-
ri apertum eſſe, nec nõ patêre étiã oſcula uenarũ
ad uterũ uenientium, & bene temperatã eſſe mu
lierẽ, aliter non poſſet ſentire odorẽ ex naribus.
Quod aũt adiecit, Et os: intelligitur etiã ab alijs
poſſe ſentiri, dũ illa expirat aerẽ, quod euidenter
contingit. Sed uidentur aliæ eſſe poſſe ſterili-
tatis cauſæ, ut putredo ſeminis uirilis, primo de
Pag.8. Morbis mulierũ: tum ſiccitas, dicit, aut humens
Pag.9. uterus, niſi ex natura fuerint. & ſimiliter ſi le-
ues extiterint, & ſi laxus fuerit uterus, & ſi os
illius nimio plus hiet, dicit Hippocrates ſecundo
Pag.10. de Morbis mulierũ, non cõtinet geniturã, & i-
Pag.24. deo nõ cõcipit. & tamẽ talia nõ impediunt tran-
ſitum odoris ad os, neq; nares. eiuſcemodi etiã
ſunt uteri dislocationes & deſcenſus. Reſpon-
deo, quòd Hippocrates præſupponit, quod ſana
ſit mulier, talia aũt impedimenta ſunt morboſa-
rum. At intemperies ſunt cauſæ, ut ſuffitus non
perueniant ad os & nares, frigida & humida ob
ſtruendo, reliquæ abſumendo. Impedimenta aũt
generationis notiora ſunt, ſiccitas & humor,
paruitas eius, ut in libro de Sterilibus: imbecil- Pag.11.
litas, cicatrix magna, hiatus & obſtructio. atq;
hæc multiplex, uelut ex ſitu, ut libro de Natura Pag.5.
muliebri: ex complicatione oris eius, aut agglu-
tinatione, ut ibidem habetur. Pag.2 & 3.

Neq; illud prætermittã, quòd licet Galenus
exponat de ſuffitu aromatum prædictorum: a-
liter tamen Hippocrates exponit primo de Mor- Pag.35.
bis muliebribus, apponendo allium deraſum, aut
allium aut chalbanum, & eiuſmodi. Colligit &
hoc ex experimento, de quo infrà.

APHORISMVS LVIII.

SI mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum.

COMMENTARIVS.

¶ Rectè quidẽ Galenus, & diligẽter diſtin-
xit hunc Aphoriſmũ. Primũ quidẽ docendo, id
uerbũ Purgationes eant, ad copiã & frequentiã
excretionis pertinere. Secundò, quod ſanguis is
ex uenis quæ ad collũ uteri procedũt, fluit: non
quæ ad concauitatẽ, cùm illæ os ſuũ membranis
fœtũ continẽtibus cõiungant, ut nihil in concauũ
uteri deriuari poßit. Tertiò, quod fœtus ſi uali-
dus ſit, nõ patiur tantam copiã ſanguinis ad col-
lum uteri procedere. Verũ hæc ſpecioſa magis
ꝙ uera, magna ex parte ſunt. nã nõ ſolùm ex col
lo uteri, ſed ex imo eum ſanguinẽ effluere per os
uteri, exiguũ admodũ Braſauolus cẽſet. Nec eſt
uerisimile tantam copiã, qualis quãdoq; apparet
in utero gerentibus, ex ſolo collo uteri effluere.
Quin & Hippocrates cenſet, ore uteri cõcluſo
ſeu cõplicato ceſſare menſes: quod uerũ eſſe non
poſſet, ſi maior pars ſanguinis ex uteri ceruice,
nõ ex fundo flueret. unde in libro de Natura mu Pag.3.
liebri: Si complicatum fuerit os uterorũ, menſes "
non prodeunt: ſi uerò prodeant, pauci & praui "
ſunt. & ſecũdo de Morbis muliebribus: Si os u- Pag.23.
terorũ cõcluſum fuerit, menſes occultãtur. Iam "
uerò fieri poteſt, quod eædem uenæ ad fundum
& ceruicẽ tendant, ſed diuerſis ex ramis: nec o-
mnes, ut ſuperius uiſum eſt. Ideoq; addubitat re- Com.40.
ctè Veſalius de duobus, unde ſanguis ille men- & à Veſalio
ſtruus procedat. nã ſi per menſis ſpaciũ collige- lib.5. Fig.
retur in uteri cõcauitate, iam nõ efflueret, ut ſo- 25.
let, liqdus et clarus: ſed, ut dicebat Hippocrates, 6. Aphor.
ſuppuratus, aut ſaltem concretus. Alterũ, unde 20.
ſanguis ille concretus, ꝙ in puerperio effunditur,
quem ex ſupputatione Hippocratis in libro de Pag.4.
Natura

Natura fœtus, cõstat in puella ad triginta libras fermè accedere, in masculo ad uiginti duas: et cõcretus in frusta, ut non potuerit eò usq; in uenis contineri: quin etiam niger ac corruptus. Vnde dicendum est, in non prægnantibus sanguinẽ in uenis uteri contineri; donec stato tempore effluat: in prægantibus autem in utero ipso, effluereq; ex ore uenarum, quamuis pleraq; sint membranis fœtus coniuncta: sed uel non omnia, nec undequaq;, ut Galeni dicta sint proximiora imaginarijs rebus quàm ueris, quibus peruertit pleraque scitu necessaria: & Hippocratis sententia clara sit. quoniam erumpentibus mensibus prodit alimentum ex utero ipso, non ex ceruice, forás: unde signum est & causa imbecillitatis fœtus. nec absurdum est patêre aliquantisper ad humoris transitum, ut Brasauolus ait, etiam in sanis os uteri: aut quoniam pateat effluere sanguinem, & fœtum esse imbecillem: uel omnino, quoniam fœtus ipse sit imbecillis, dilatari præter morem os uteri, & effluere menses. Omnia hæc uerisimiliora sunt, quàm ut sanguis ille ex ceruice sola uteri effluat, repugnantib. omnibus.

APHORISMVS LIX.

SI mulieri cessent purgationes; neque horror neq; febris superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in utero habere.

COMMENTARIVS.

¶ Contineri menses contingit, ut dictum est, utero gerentibus, ex his quæ dicta sunt in præcedenti Aphorismo, & illo: Quæ utero gerunt, (Aphor. 49.)
» ijs uteri os comprimitur. si enim utero gerenti-
» bus, uteri os cõprimitur: & quibus os uteri comprimitur, cessant purgationes, ut diximus, cùm non ex ceruice uteri maxima ex parte, sed fundo prodeant: necesse est concipientibus menses sisti. Sed sistuntur menses alia causa quàm conceptus. colligitur totus ille sanguis corruptus, & natura superfluus: quare necesse est mulieres febrem & horrorem sentire, ut ait Hippocrates. Verùm quia aliquæ melius ferũt, adiecit & hoc, quòd fastidia cibi patiuntur, cùm utero gerunt. (1. de Morbis mul. Pag. 2.) A' quo Galenus, quàm leuius potest, more suo, se explicat, dicens, quòd cùm ex retentione mensium accidãt fastidia cibi, distinguitur causa horroris ac febris aduentu. nam si hæc appareant, non concepit: secus, signum est eam concepisse. At hoc non dicit Hippocrates, quòd fastidia non prægnantibus accidant: et si generale erat retentis mensibus signũ, quorsum meminisset? apparet enim in longo sermone & completo, superfluum esse adducere hoc signum: quãto magis in Aphoristica breuitate? Apparet igitur, fastidium hoc cibi, quod Græci Picam uocant, & ab Hippocrate ut signum cõmemoratum conceptionis, & experimentũ id ita esse docet. Nam aliæ quidẽ ut cõceperunt, prorsus cibos omnes abominãtur: aliæ uerò carbones, calcẽ & carnes crudas appetunt. ergo id cõtingit, quòd in his quæ utero gerunt, tria fiunt, quæ non in alijs, in quibus menses aliter retinentur: operatio seminis in sanguinem: separatio dulcioris partis pro alendo fœtu, et ut transmittitur ad mãmas: & effusio reliquæ partis prorsus excrementiciæ in uteri cauitatẽ, unde uapores redundantes non solùm ad uentriculum, sed etiam ad iecur, uitiant omnino appetentiã ciborum. quorũ nullũ cùm sit in causis alijs retentionis mensiũ, cibi fastidiũ aut omnino nõ est symptoma generale retẽtionis mensiũ: aut fastidiũ illud leue est, nõ quale grauidis apparet.

APHORISMVS LX.

QVæcunq; frigidos & spissos uteros habent, non cõcipiunt: & quęcunq; pręhumidos uteros habent, non cõcipiunt. extinguitur enim in eis genitura. & quæcunq; siccos magis & adurẽtes. nam ex defectu alimẽti corrũpitur semen. Quæcunq; uerò ex utrisq; mediocrẽ habent temperaturã, hæ fœcũdæ sunt.

COMMENTARIVS.

¶ Dixit antea, signa earũ quæ cõcipere possunt, & quæ nõ: hic docet causas. & Galenus se cõtorquet in reddẽdo causam, cur dixerit spissos: (Aphor. 57.) quandoquidẽ spissi uteri fiũt propter frigiditatẽ. uerùm nõ animaduertit Hippocratẽ per spissum magnitudinem frigiditatis declarare. neq; enim quæuis uteri frigiditas sterilitatẽ facit: sed quæ tanta est, ut uterũ reddat spissiorem. Quo'nam pacto uerò frigiditas sterilitatem pariat, plenè & eleganter describit Galenus, quinque modos docens: Primum, per se extinguendo seminis innatum calorem, illumq; cogendo. Secundus est, quod dum cogit uterum, semen recipi nequit in illum, atq; ideo generationis principium deest. Tertius, uenarũ ora occludendo, ne sanguis possit in uterum emanare pro nutrimento fœtus. Quartus est, sanguinem efficiendo aqueum. Quintus, pituitam generando.

Sed de humido ponit causam Hippocrates, ex tinctione genituræ, quæ fit nõ à qualitate sola, sed

etiam à copia materiæ per se suffocantis genituram: quod non accidit in alijs intemperiebus. Nam præhumida intemperies non potest esse per se & sine materia, ut reliquæ. non enim datur humida intemperies euidens, nisi præsente materia. Verùm siccitas etiam impedit conceptum, si immodica fuerit, deficiente alimento: calor uerò idem agit, absumendo ipsum. Quòd uerò dixit: Quæcunque uerò ex utrisque, mediocrem habent temperaturam: refertur ad coniugationes, non ad qualitates. coniugationes enim duæ sunt, qualitates autem quatuor: si quidem ad construendum plura requirúntur, ad destruendum sufficit unum. Nisi ergo uterus tam in humido & sicco, quàm in calido & frigido fuerit temperatus, non poterit esse fœcundus.

Porrò eadẽ in uiris causæ esse possunt sterilitatis. Sed non solæ illæ, uerùm etiã aliæ, ut in li-
Pag.14. bro de Aere & aquis: A' principio morbi utrãq; uenam retro aures incîdunt, quo facto, multo sanguine promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicq; obdormiscunt. Quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, aliqui uerò minimè. Atque mihi sanè uidentur ea medicatione seipsos perdere. uenæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat his quibus secantur: quare etiam id ipsis ex earum incisione accidere certum est. Sunt & aliæ causæ sterilitatis, unde Princeps proponit
Fen.21. tracta.1.cap.9. in tertio loco, ubi de hoc tractat, tria experimen-
1.6. cap. 1. ta. Primum quidem sumptum à Rasi uigesimose-
fol.230. cundo continentis, ut proijciantur semina super
col. 1. aquam: & quod supernatat, sterile est. Sed colligere semen mulieris, est difficile. Aliud eiusdem, ut urina utriusque spargantur super radices lactucæ: & cuius fuerit exiccata radix, in eo erit causa sterilitatis. Aliud Galeni, de Passionibus mulierum: Sumantur septem fabæ, & septem grana tritici, & septem grana hordei, & ponantur in uase figulino, & super illa mingat alter coniugum: & post septem dies si nascantur, non est sterilitas ex causa illius, sed alterius. & dicit Princeps, quod semẽ uirile quod est secundum naturam, est album, tenax, splendidum, ad quod accedunt muscæ, & comedunt ex eo, & odor eius est ut florum palmæ & iasemini, scilicet ualde suauis.

De Mensium autem natura ac qualitate e-
Pag.11. git in primo de Morbis mulierum. Sed uidetur hic potius de naturali statu uterorum, ibi de aduenticio loqui. Sed qui de masculorum sterilitate Aphorismum subiecerunt, præter Hippocratis opinionem, alia subiecerunt haud congruentia. ut corporis raritatem: quæ etsi aliquid facit ad imbecillitatem generandi, non tamen est causa ualida, & per se potens ad sterilitatem. ut membrorum generationis in mulieribus & uiris intemperies, quamobrem paucula de seminis eiaculatione dicere necessarium est. Nam & longitudo uirgæ nimia efficit, ut lentius eiaculatum semen haud sit prolificum: & nimia breuitas eius, ut ad os uteri non pertingat. et si non bene tendatur: per obliquam enim uiam delatum nõ potest peruenire ad uteri cauitatem. & si homo herniosus sit, aut castratus, difficulter generare potest. Ob hoc igitur, quibus non tenditur uirga uehementer, non longè potest proijci semen, uelut in senibus. At eiaculatur semen hoc modo: uas illud uaricoso annexum dum prope collum uesicæ accedit, per parastatas acino uuæ similes effundit semen, nõ quidem flatu, ut etiam nos docet Galenus in Cõmento, sed uibrationem tensionis nerui. unde tenta firmiter uirga longius procedit. Exemplum habeto, cùm quis exprimit ex linteo succũ aliquem premendo partes posteriores, anteriores distendendo atq; dilatando, lõgius eiaculatur illũ. Sic contingit de parastatis. unde etiam illud accidit, de quo dicebat Philosophus, contento spiritu emitti semen. nam nõ nisi illo cõtento distendi pars, alia ex aduerso cõprimi potest: uelut in loculis uulgatis fieri solet. distentis enim laqueis constringit, quo cõstricto fundus tenditur atq; inflatur, ut si quid humidum sit intus, exprimi possit. Quæ ratio etiam in torcularibus seruari solet. extruditur autem pars tenuior sine expressione aliquando ante coitum, quæ effluit sponte, nec longius tendit: nec est semen, sed seminis ichor quidam: effluit autem absq; dilatatione glandosi corporis. uirga autem tenditur, quoniam fungosa est ex materia non carnea, sed dura ut neruus, quæ impletur spiritu à corde delato.

Cur autẽ in senibus & debilis erectionis uiris, crepitus uẽtris erectionẽ persæpe soluat: id fit, quoniã cùm cõprimeretur à flatu in recto intestino, prohibebatur exire spiritus è uirga, ut etiam è pilis inflatis. & locus etiã reddebatur angustior: quo dilatato, tensio cessat.

Cæterùm oẽs intemperies cùm immoderatæ ualde fuerint, tam in masculo q̃ in fœmina sterilitatẽ efficiũt. Quæcũq; uerò ad calidũ uel humidum declinãt, successu temporis corrigi possunt: quæ uerò ad siccũ & frigidum, nequaquã, sed post iuuentam fiunt deteriores. Sicut & quæ ex com-

ex cõpositione pẽdent, nisi manus auxilio tollã-tur: quæ aũt moderatæ sunt, si cõtrariæ contrarijs iungãtur, ut masculi frigidi calidis mulierib⁹, & humidæ mulieres siccis uiris, ut plurimùm generant: nisi alio modo impediantur. Ideo mutatio coniugiorũ ad generationẽ utilis ac cõmoda est: qua Romani maximè tum ob id, tum ob contrahendas affinitates uti solebãt. Hoc autem est,
Pag. 2. quod dicitur libro de Natura humana: Si nõ ca-
,, lidum ac frigidum, siccum & humidum modera-
,, tè ac æqualiter inter se haberent, sed alterum al
,, terum multùm præcelleret, & ualidius debi-
,, liori præstaret, non posset fieri generatio.

APHORISMVS LXI.

LAc dare caput dolẽtibus, malũ: malũ uerò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autẽ, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autẽ & tabidis dare, qui non ualde multùm febricitãt: & in febribus longis & paruis, si nullũ ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

COMMENTARIVS.

Ab initio ad 17. contrad. ¶ Si ea quæ in quinto libro Contradicentiũ Medicorũ cõscripsi, rursus hic repetere uoluero, longissimã cõficiam cõmentationem, & frustra chartã implebo: at si rursus nihil adducã, neque eorũ quæ ibi dicta sunt meminero, maximã partem expositionis necessariò omittã. Necessariũ igitur existimo, lectorẽ, quandoquidẽ illa omnia propediẽ sum editurus, ad illa remittere. Igitur postquã de Muliebribus affectibus hucusq; locutus est, mulieres aũt & fœminæ animaliũ lac ipsum generãt: ob id uisum est Hippocrati, ut lactis naturã ex illius generatione declararet. Vna aũt uidetur Aphorismi ratio, et de uno. De uno quidem, scilicet lacte mulierũ principaliter. hoc enim ob id insinuat, quod tractationi de mulierũ affectionib. statim hũc subiecit Aphorismũ, & exinde de omni lacte cuiusuis animalis natura homini cõuenientis intelligeretur: nõ de lacte catublepæ, si modò uera est historia eius monstri, nec leænarũ. Vnde cõtingeret dubitatio, an lac ullũ esset natura uenenosum? nã aues, nec serpentes, lac nullũ edũt: nec meminit huiusmodi exempli Aristoteles, aut alius uir à seculo cõditio. Sed delphinorum lac, & orcadũ ac balenarum perniciosum esse non crediderim: prauũ tamen ualde, & difficile concoctu, & ad certos morbos utilissimum, cuiusmodi est elephantiasis, esse coniector. Quadrupedum aũt quorundam prauum, uenenosum autẽ uix, aut omnino perniciosum. Generalis autẽ ratio est, ut facilè corrumpatur, ex se optimũ, & facilis coctionis, & naturæ nostræ familiarissimum. Quocirca, inquit, confert tabidis, & longis febribus paruis, & consumptis præter rationem. Similiter patet, cur febricitantibus, id est febre putrida manifestè laborãtibus, & siticulosis, & in acutis, in quibus biliosa fuerit egestio. palàm enim est, in omnibus adesse signa bilis atq; putredinis: ac diuersa ratione, qua dictum est de illis, non conuenire.

Reliquum est ut uideamus, cur neq; caput dolentibus, & quibus ilia suspensa murmurant, & quibus sanguinis fluxerit multitudo. Huiusmodi enim habent dubitationem non paruam. Videtur aũt Hippocrates certo numero omnia distinxisse, nescio an cõsilio, àn fortuna. tres enim ordines proponit, & in singulis tres casus. In primo ordine conuenit lac certa ratione, in secundo nõ conuenit certa ratione: in tertio non conuenit, sed non adeò manifesta ratione. Vt sint nouem casus in tres illos ordines distributi. Dicamus igitur, quòd lac primùm nõ cõuenit caput dolentibus, quoniã in libro de Dentitione ait: Qui multum lac sugũt, somniculosi sunt. Palàm est ergo, quod lac caput petit, & illud aggrauat. & rectè fecisset Galenus si hoc docuisset, quod assumit: scilicet quoniã lac capitis dolorẽ affert, & sanis: palàm est igitur, quòd iam laborantibus dolore capitis noxium est. & ideo contingit hoc ratione casei admisti, ut in secundo de Diæta: Caseus Pag. 7.
robustus est, & æstuosus, & alit. robustus qui- ‹‹
dem, quia proximus est generationi: alit autem, ‹‹
quia carnosæ reliquiæ sunt lactis: æstuosus, quia ‹‹
pinguis: aluum autẽ sistit, quia succo & coagulo ‹‹
compactus est. Idem concordat cum his quæ in libro de Ratione uictus in acutis inquit: Caseus Pag. 21.
flatum & astrictionem facit, & ciborum accen ‹‹
sionem, cùm crudum sit & incoctile eduliũ: pes- ‹‹
simum autem est, repletos ipsum inter potum e- ‹‹
dere. Videtur ergo lac graue capiti, quoniã caseum admistum habet: ipse aũt longè magis capiti nocet. Quòd uerò sit flatuosum, & his quibus hypochondria tensa sunt, ac murmurant, incõmodum: propterea quòd duplicẽ, ut Galenus dicit, corruptionẽ facilè incurrit, nidorosam & acidam: ubi ergo hypochõdria & tensa fuerint seu suspensa, & murmurent, & inflatum magis

addit, & propter uentriculi frigidam intemperiem facilius corrumpitur, ita duplicē ob causam illis magis noxiū est. at magis suspensa habentib. hypochrondria, inquit Galenus, quàm quib. murmurāt. his enim quandoq; lactis aqua cum melle & sale, dum materiā educit flatus, utilis fuit. Hæc quidem satis plana, sed de sanguinis copia Galenus ne uerbum quidem: ut suspicer uel omnino oblitū, uel defuisse in textu. Dicamus igitur, quòd Hippocrates censet in multa sanguinis deiectione calorem immodicè esse refrigeratum: quare cum per se lac flatuosum sit, & in acidum facilè conuertatur, ubi calor cōcoquens deficiat, euacuato plurimo sanguine, quanis causa utriusq; noxæ periculum adesse ex lactis potu. Neq; obstat, quominus exhibeatur in his, qui ex pectore ac pul[Lib.7. cap. 1. in fine.]mone sanguinem reiectant, ut Alexander Trallianus: cum nihil sit salubrius, & ob ulcus & ob tabem, de qua etiam hîc agit. nam per tabidos intelligit phthoen, uelut per Præter rationem consumptis, cæteros qui hectica aut atrophia detinētur, aut alijs morbis occultis, per quos corpus extenuatur. Sed neq; prohibetur per hoc à dysentericis, quibus lac uel recens mulctū, uel cum aquæ quarta parte decoctum, uel lapidibus ignitis ac candentibus extinctis dari solet, ut apud [Lib.8. cap. 7.] eundem. non enim symptomatis, id est fluxus sanguinis ratio habetur: sed morbi, id est, ulceris causæq;, id est erodentium humorum.

Galenus hoc in commēto ter sugillat Hippo» cratem. primùm quod dixerit, Malum autem, & » quibus in febrib. acutis biliosæ sunt deiectiones. nam unū ex his sufficiebat. ut ita legēdum esset: » Malum autem & in febribus acutis, & quibus » biliosæ fuerint deiectiones. Videtur autem mihi utraq; scriptura uera esse. nam febricitātib. omnibus acuta febre, noxiū est per se lac, & in biliosis deiectionibus: non tamē omnib. febricitantib. acuta febre, neq; omnib. quibus biliosa est deiectio, cum copiosum lac aliquando datum talia eduxerit excrementa. Vnde septimo Epidemio[Pag.3.]rum: Bibenti lac asininum coctum nouem hemi» narum Atticarum mensura ad duos dies, biliosa » purgatio uehemens oborta est, & cessauerunt » dolores, & ciborum appetentia accessit. Quan» quam diceret aliquis, nondum incœpisse biliosam deiectionem. Præcesserant tamē, cum antea di» xisset: Quum autem non desinerent egestio» nes, & semper biliosæ essent. uerùm si utraque » hæc affuerint, uetat omnino Hippocrates la» ctis usum. Quòd autem dixerit, Qui non ualde multum: dicit Galenus potuisse omitti Valde, sed nequaquam. nam Hippocrates illud existimauit, ueros tabidos duplici febre laborare, fixa & putrida: & tamen necesse est his persæpe lac dare: uerùm cum omnino inualuerit, cessandum iubet. Aliud igitur est proferre, ualde multum affirmando: aliud est dicere, non ualde multū. hoc enim excessum solùm tollit, illud explicat: quo raròopus habemus. Tertio loco arguit eum, quòd dicat, Si nullum ex supradictis signis affuerit. alienum enim uidetur, inquit Galenus, ab Aphoristica breuitate. Sed ego Galenū interrogarem, qualis sensus esset. dabis in tabidis consumptis, aut paruis longis febribus: nō dabis, si caput dolet, aut si hypochōdria suspensa sunt. Declarauit posse plus signa quæ prohibent in febribus longis paruis, quàm quæ indicant: non ita in tabidis. propterea adiecit, In illis qui non ualde multùm febricitant. Vt usum huiusmodi doceret, maximè conuenit lac tabidis: deinde febribus longis paruis: quoniam ibi etiam adest calor & siccitas. demùm Præter rationem consumptis: his enim solùm ob siccitatem conuenit.

Propterea sciendum, quòd cum proprietates optimi alimenti sint, generare optimum succum, id est sanguinem, uel pituitam quæ facilè in sanguinem uertatur, & facilè cōcoqui, & pauca excrementa gignere, & difficulter corrūpi, & multum nutrire (etenim non idem est hoc cum eo quod est pauca excremēta gignere. nam bubula caro multum alit, multumq; gignit excrementorum: & surculi funiculi parum nutriunt, parūq; gignunt excrementorum, cum sint leues, et à natura nostra alieni) lac multum nutrit, & bonum præbet alimentum, & facilè concoquitur: multum tamen generat serosi excrementi, & facilè corrumpitur, ideo omnibus consumptis utile est. quod enim facilè concoquitur, etiam celeriter necessariò nutrit: & quòd bonum præbet alimentum, non facilè uitiatur. uitiatur autem facilè, antequam concoquatur. Atq; in hoc utrumq; attingit extremum. nihil enim celerius ac facilius corrumpitur, antequam alat: nihil serius, postquam nutrierit, aut difficilius. Vnde etiam raró lactantibus infantibus, antequam cibo uti incipiant, generantur uermes. ob id etiam nocet lac omnibus morbis, quibus exiguum alimentū conuenit: cuiusmodi sunt abscessus omnes, præcipuè calidi. quàm ob causam & febris acutæ nomine, & suspensorum hypochondriorum, ab eiusmodi affectibus lac prohibuit.

Porrò murmur in hypochondrijs minuit periculum,

riculum, quia causam esse flatum significat. Di-
Pag. 9. *cebat Hippocrates quarto Epidemiorum: In de-*
xtris tumores eleuati, siquidem si quis plurimũ
ac maximè premat, submurmurarint, non ualde
maligni putandi sunt. Vbi uerò à flatibus cum
mollicie hypochondrium eleuatur, lac medica-
Pag. 8. *menti loco etiam conuenire potest: ut ibidẽ ha-*
betur. Verùm aliud est dare copiosam quantita-
tem purgandi gratia, aliud loco cibi aut reficien-
di causa: q̃ scopus hic Hippocrati præcipuus est.

APHORISMVS LXII.

QVibus tumores in ulceribus apparent, non conuelluntur ualde, neq; insaniunt: uerùm his euanescentibus, derepentè quibusdã à tergo cõuulsiones, & distentiones fiunt: quibusdam antè insania, uel lateris dolor acutus, uel suppuratio, uel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi.

COMMENTARIVS.

¶ *Legitur hic Aphorismus secundo Epide-*
Sec. 3. in fine. *miorum his uerbis: Quibus tumores in ulceri-*
bus non ualde conuelluntur. His aũt derepentè
dißipatis, quibus quidem ad posteriores partes,
conuulsiones cum doloribus: quibus aũt ad an-
teriores, aut insaniæ aut dolores lateris acuti, &
dysenteria rubra. Nonnulla hîc docẽtur clarius,
nonnulla ibi: uelut illud, Quibus quidem ad po-
steriores partes: respõdet illi, Conuulsiones &
distentiones fiunt. & illud, Quibus aũt ad an-
teriores, aut insaniæ, aut dolores lateris acuti.
Laborat Galenus in docendo, quo'nam pacto, si
ulcus in parte posteriore sit, cõuulsiones & di-
stentiones magis aduẽniant, quia ea pars magis
neruosa sit. Ipse tamen dicit, quòd in coxa est
chorda ualida in parte anteriore, unde etiã po-
terit conuulsio & distentio accidere ea in par-
te. At tantam confusionem hic uir parit in om-
nibus, ut difficile sit euadere. Primùm quidẽ con
uulsionem & distentionem pro uno quasi cõfun
dit, cùm tamen conuulsio in parte anteriore sæ-
pe accidat, distentionẽ nunquam uiderim. Si igi-
tur uulnus sit in parte posteriore, dicit Hippocra
tes conuulsiones & distentiones uexare solent
ægrotantem: si in anteriore, etiã accidit conuul
sio, sed raro: quia conuulsio hæc quæ uulnerum
causa oritur, distentionem solet sequi. At nõ da-
tur emprosthotonos, nisi rarissimè, si modò da-
tur: igitur neq; conuulsio. Quòd aũt non detur
emprosthotonos, sic ostenditur: Nerui enim in
anteriore parte cerebri non immiscẽtur muscu-
lis, nisi faciei, & sunt molles: igitur non possunt
adeò tendi, ut faciant emprosthotonũ, nisi in fa-
cie: & uix perfectum. At nerui spinalis medul-
læ, si anterius tendantur, ut in coxa, non faciunt
distentionem, nisi ut à spinali medulla tendũtur
ac distrahuntur: igitur tunc facient etiam opi-
sthotonum. Ideo Hippocrates intelligit de affe-
ctibus magis qui fiunt, quàm de causa, ut sic di-
camus. Si materia illa quæ in tumoribus ulcerũ
derepentè euanuit, posterius tendat, ubicunque
sit uulnus ac tumor, excitãtur distentiones atq;
conuulsiones: sin aũt ad anteriores, desipientiæ
ac lateris dolores: si enim ad cerebrũ, fiunt desi-
pientiæ. Enarrat aũt pulchrã historiam de hoc
Brasauolus, Raphaelis Hebræi, uiri in sua lege
eruditißimi, qui ex tuberculo in collo ad grauis-
simam insaniam deuenit. Tales enim materiæ
cùm sint exustæ, & sanguini mistæ, si ad caput
ferantur, mentem mouent: at si ad pectus, effi-
ciunt morbum lateralem: quorum, utrunq; ma-
lum ualde est. Si autem ad uentrem, efficiunt dy
senteriam cruentam. Dicebat in libro de Coa-
cis prædictionibus: Quibus ex dysenteria acu- Pag. 20.
ta. & rursus: Dysenteriæ subrubræ, limosæ,
largæ alui egestiones in flammeis ualde rubicun
dis coloribus solutæ, insaniæ timorem inducũt.
Hic describit duo genera dysenteriæ, acutã &
cruentam, quæ facilè ad insaniã uertitur. & de
eadem dicit primo Epidemiorum: Populariter Pag. 5.
grassabantur dysenteriæ per æstatem: & qui-
busdam qui ægrotarunt, quibusq; etiam sanguis
érupit, ad dysenteriam transitus factus est. &
de eadem infrà: Lienosis dysenteria adueniens, 6. Aphor. 46.
bonum. & rursus: A furore dysenteria bonũ.
& illud: Sanant podagricos optimè dysenteriæ, 7. Apho. 5.
si successerint. Pulcherrimè uerò de ambabus 2. Prædic. Pag. 6.
agit paulopòst, dicẽs: Dysenteriæ quæ cum fe- Pag. 10.
bre inuaserint, aut uarijs alui egestionibus, aut
cum hepatis aut præcordij aut uentris inflam-
matione, aut dolorosæ sunt aut cibos intercipi-
unt, sitimq; inducunt: hæ omnes prauæ sunt. At
quæ commodæ sunt, his malis carent: uerùm
sanguine & ramentis egestis desiuerunt septima
aut decimaquarta, aut uigesima uel quadragesi-
ma die, aut intra hæc tempora. Atque hæ mor-
bos sanant antiquiores ac recentes: hos citius,
illos serius, adeò ut etiam utero gerentes alleui-
ent, & fœtus corroborent, perducantq; incolu-
mes ad partum, si nihil horũ affuerit. At si quic-
quã horum adsit, nisi prima die desinat, aut pau-

lo pòst, fœtui quidem perniciem, prægnanti autem periculum adfert: ut in uniuersum duo sint eius genera. Vnum, per quod corpus exoneratur, salutare: aliud, quod ex materiæ erodentis influxu accidit, de quo hic non est sermo, quanquam & id contingat. Distinguuntur autem, & quia innocuum cum sanguine est plurimo, ideoq; uocauit dysenteriam rubram, & sine fœdis symptomatibus, corpusq; alleuat: illa uerò debilitat, & prauos ostendit colores ac ramenta, fœdisq; symptomatibus iungitur.

APHORISMVS LXIII.

SI in uehemētibus uulneribus & prauis tumor non appareat, ingens malum.

COMMENTARIVS.

¶ Vtinam Galenus omnes alios Aphorismos ita explicasset ut hunc, certè nos hac tam prolixa cura liberasset: uerùm uix duos alios aut tres tam perfectè enarrauit. Nam primùm illud pulchrè consideratū est, ingens posse annecti tumori, id est, tumor ingens, si nō appareat, malū: item malo, ut sit sensus: tumor si nō appareat, malum est ingens: uel utriq;, ut legatur, Si nō appareat ingens tumor, malū significat ingens. probatq; secundā lectionē. Verū Hippocrates secūdo Epidemiorū ait (Sec.3.in fine.): Si in uulneribus uehemētibus tumor nō appareat magnus, malum. Legitur enim μέγα, κακὸν, pro μέγα κακὸν. Prima lectio Hippocrate dignior. Vehementibus enim uulneribus ingens tumor debetur. Tertius omnino absurdus est sensus, quia falsus. Declarat etiā quæ sint uulnera uehementia, seu ἰσχυρά. Quòd sunt illa, de quibus dixit quarto Artis curandi (Cap.6.): Vbi enim tendones & nerui & carne uacua & ossea loca sunt, hic doloris, uigiliarū, cōuulsionis ac delyrij periculū instat. Adderem uerò perlibenter, quæ ille idem ibi subiungit: Cùm enim trifariā, inquit, nō hæc modò uitia, uerumetiā reliqua omnia grauia magnaq; reddātur uel propter afflictæ nempe partis præstantiā, uel propter affectus magnitudinē, uel quoniā sunt cacoethe. Quin etiā illud utiliter adijcit, malè facere medicos, qui huiusmodi uulneribus cacoethis, id est in locis tendonum ac neruorum factis, astringentia & refrigerantia medicamēta admouent, repellentes humorem qui ad membra principalia postmodum delatus repentè occidere solet. Sed & id conuenienter, quod reddit rationem, quare malum ingens sit. repulsa enim materia ad membrum principale aliquod recurrit & interficit.

Illud sanè ad perfectionē solum deerat, ut causam redderet eius, de quo haud dubiū est experimentum, scilicet cur materia cùm ad uulneris locum nō defertur, ad principale membrum recurrat, cū tot sint loca ad quæ deriuari possit. Causa est, quòd materia huiusmodi à mēbris principalibus transmittitur. nō enim potest esse munus alterius membri, q̃ principalis. sunt enim mēbra principalia, quia administrant corpus. Si igitur materia nō transmittitur, necessariò uel membrū principale est imbecille, ideoq; stante prauo & uehementi uulnere manet ingens periculum: uel impeditur transitus, & ita periculum imminet, ne recurrat ad ipsum impellens. ea enim est natura eorum quæ mouentur, ut in impellens prohibita impetū faciant: sic pilæ, saxa, aqua torrentis, & similia. Hippocrates sexto Epidemiorū inquit (Sec.5.): In uulneribus sanguis cōcurrit: opitulādum est igitur, ut uacuū expleatur. Illud etiā rectè à Galeno additū (6. Artis cur.cap.4.), in huiusmodi casibus debere admoueri calefacientia & exiccantia, quæ ille enumerat: sulphur, euphorbium, terebenthina, succus Cyrenaicus, opopanax & sagapenum.

APHORISMVS LXIIII.

MOlles, boni: crudi uerò, mali.

COMMENTARIVS.

¶ Secundo Epidemiorum longè aliter legitur (Sec.3.in fine.) post priorem, ut hic, Aphorismum. subijcitur enim: Laxi bonū. sursum pascentes peius. Nimis tenuiter Galenus explicat causam dicti Hippocratis. nam quod crudi, id est duri, contumaces sint concoctu, satis clarum esse arbitror: at molles, faciles. Sed quid ad rem, & quo modo, non ostendit. Primùm igitur cùm materia confluit, & tumor mollis est, signum est naturam moderatè impellere humores, locum recipere & extendi, nec à dolore prohiberi, non esse prauos humores qui influant, nec magnam redundantiam. à sanguine enim atro tumores fiunt duri. & cùm confertim influunt humores uel ob redundantiam illorum, uel ob uehementiam doloris, & cùm particula præ dolore extendi non potest. Atq; hæc signa mala. contra tumor durus prohibet concoctionem in ulcere, & suppurationē. At declaratum est superius (Aphor.20.), ulcera quæ non possunt ad suppurationem perduci, uel omnino mortem afferre, uel transire in callosa atque chironia. Sed neque probantur, qui sursum prorepunt tumores ea ratione. Igitur cùm tumores probasset in ulceribus, quales hic ostendit, ut ratio continuitatis cum præcedenti Aphorismo manifesta sit.

APHO-

APHORISMVS LXV.

Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta uena incisa prodest.

COMMENTARIVS.

¶ Par est, ut hic primum cõiungam hos Aphorismos simul, quod ab initio facturũ me perpetuò sum pollicitus. etenim usq; ad illũ, Aphor. 62. *Quibus tumores in ulceribus, cõtinuitas exposita est. is uerò cõtinuatur secũdo, sequens illi, ut & alius qui hunc antecedit.* Aphor. 63. *At præsens illi: Mulieri si uelis menstrua cohibere. ergo hic diuertere cum euacuatione docet.* Aphor. 48. *Qui modus multis morbis curandis optimus existit. Reuulsiones etenim, quæ ad longinquissimas partes fieri solent, tardè opitulari solent, cùm tutissimæ sint: Euacuatio ex loco præsens auxilium afferre solet, sed non tutum: sola hæc quæ fit per communes uenas, & à contraria parte tuta est, & celerem affert utilitatem. Dices: Cur non ergo semper ea utimur? Quoniam non ubique uenæ sunt huiusmodi, sed in fronte ac ceruice, & in dextro latere aiuga, & in brachio. etenim iugulares uenæ diuiduntur singulæ, ramúmque emittunt ad aures, inde ad occiput, alium ad partem frontis anteriorem, quæ in fronte coeunt in unam: ea recta diuidit frontem, pòst in duos ramos diuiditur, ut à Vesalio libro tertio de Humani corporis fabrica habetur.* Fig. cap. 6. *Eadem ratione fluxiones oculorum, Galenus detracto sanguine per cucurbitulas ex occipitio curasse ait. Solent alij in eisdem sericeo fune per ceruicis musculos traiecto, ubi prius candenti ferro illos traiecerint, spinam non tangentes, antiquos defluxus curare. Hoc tamẽ ut sæpe prodest, rarò sanat. Est aũt reuulsio quatuor generum & octo specierum: antè retrò, retro ante: sursum deorsum, deorsum sursum: dextrum sinistrum, sinistrum dextrũ: intus extra, extra intus. ut cùm in scabie corpus à serosis excrementis per aluum purgamus, ut Galenus & Oribasius referunt.* Lib. de Reuul. cap. 2. *Videtur autem hic Aphorismus ex sexto Epidemiorum translatus, ex experimento, sic:* Lib. 8. cap. 19. Par. 2. *Dolenti partem capitis posteriorem, uena frontis recta secta profuit. Sunt qui uenam nasi per apicem immisso ferro diuidunt, & effusa magna sanguinis copia à diuturno frontis dolore homines liberant. hæcq; deriuatio est.*

APHORISMVS LXVI.

Rigores incipiũt mulieribus quidem ex lũbis magis, & per dorsum ad caput: sed & uiris parte posteriore magis corporis quàm anteriore, ueluti fœmorũ, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem est pilus.

COMMENTARIVS.

¶ Hic Aphorismus sic describitur sexto Epidemiorum: Par. 3. *Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, & per dorsum, & tunc ad caput: sed & uiris posteriore magis parte corporis quàm anteriore. Horremus enim magis exterioribus q̃ interioribus corporis partibus: uelut, cubitis, fœmorib. sed & cutis rarior. Indicat aũt pilus, à quibus autẽ alijs rigent, fortassis ulceribus, incipiunt à uasis. Ratio huius est quadruplex. Prima, cur in mulieribus: inde, cur in uiris: deinde, cur in parte posteriore: inde, cur ex lumbis. Quod uerò additur, cutis rara: ad anteriores refertur, quoniã subijcit: Indicio aũt est pilus. Quasi dicat: Partes hæ sunt pilosiores, ideo rarioris cutis. Decretum est illud ostendere, frigidiora magis horrere calidioribus. hoc aũt triplici exemplo. & mulierũ in comparatione ad uiros, & partiũ posteriorum ad anteriores, & earum quæ exteriores uocantur ad interiores, ut in brachijs & cubitis magis quàm sub alis, in genu quàm poplite. Vocat aũt cubitum & fœmora, partes exteriores: interiores dicere poterimus fœmina, alas, & ita de his quæ teguntur à seipsis: uel à pannis magis, ut uenter magis quàm crura. uel quoniam natura sunt calidiora uel frigidiora, uelut uenter dorso, & maximè partibus quæ iuxta spinam sitæ sunt. ea enim pars exanguis est, & tota spina frigidior. Rigores igitur incipiũt mulieribus magis ex lumbis, uel magis quàm uiris, uel utroque sub sensu: quod ostendit uerbũ, Sed & uiris. Quasi dicat: Mulieribus rigores fiũt magis hoc modo: sed & uiris si fiant posteriore magis corporis parte, ut ex lumbis per dorsum ad caput. ubi magis illos ascendere quàm descendere indicat. ergo frigidioribus abundant magis, & parte posteriore q̃ anteriore: & partib. detectis quàm cõtectis: & ab inferiore q̃ superiore. Partes enim quæ sunt circa lũbos, magis frigent, q; remotæ sint à motu, à membris principalibus, & carne minus oppleantur. Propterea rigor ab illis partibus in febribus ab extremitatibus extremorũ tum nasi inchoare solet: nõ aũt rigor in his, neq; frigus in illis: quoniã lũbi nõ possunt adeò frigere ob ppinquitatẽ intestinorũ: nec extrema rigore adeò cõcuti p se, cũ nõ adsint musculi magni in illis, neq; etiã adeò cõmodè p tam angustas uenas materia*

acuta & mordax permeare solet. Ratione igitur raritatis masculi fœminis, & anteriora posterioribus, rigere facilius deberent: atque id contingit nonnunquam, ab externa causa. uerùm Hippocrates de interna loqtur. Dicitur in Coacis prædictionibus: Rigores ex dorso molestiores sunt. Quomodo, cùm sint magis secundum naturam? Intelligit, quòd magis propagãtur loco opportuno.

Pag. 1.

APHORISMVS LXVII.

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur: si uerò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

COMMENTARIVS.

¶ Multa circũloquitur hic Galenus: sed an rectè, an non, non est hic cõsiderandum: sed potius Hippocratis mentem assequi decet, qui uult, quartanam non solùm prohibere aduentum conuulsionis, sed factã iam curare. Atq; ea mihi ratio uidetur, quòd cõuulsio fit à lento humore frigido & humido. nam frigidum, cũ sicco coniungitur, facit crassum: & cũ humido tenue, ut primo de Alimẽtis. Quartana ergo ratione febris, aduersatur frigori: ratione siccitatis, humido: ratione frigiditatis et siccitatis, lentori. Quamobrem tamẽ ob causam materiæ quartanæ, tum ob effectum, quartana prohibet conuulsionem factam ne adueniat: & quæ iam facta est, curat ac soluit. Manifestum est autem, quòd qui quartana laborant, conuulsionibus ex uacuitate laborare non possunt: nec si eisdem prius laborent, quartana potest superuenire. neq; enim oppressis mortali morbo uacat laborare quartana. Quamobrem de conuulsione, quæ ex repletione fit, solum est necessarium intelligere. Est autem generale dictum, uelut sexto Epidemiorum: A quartana correpti, à magno morbo non corripiuntur: si uerò prius correpti fuerint, & quartana succedat, liberantur. Seu enim de comitiali morbo intelligatur, ut Galenus ibi exponit: seu ut nos censemus, de omni magno morbo intelligatur, liquet correptos quartana, huiusmodi non corripi. nam si per magnum morbum quemcunq; intelligamus, liquet sub eo cõuulsionem cõprehendi. est enim conuulsio planè morbus non leuis, sed magnus, ut superius uisum est. Si aũt comitialẽ intelligat, cõuulsio est pars comitialis: si ergo prohibet comitialis morbi euentũ, & curat eum, idem de cõuulsione dicendũ erit. Nos aũt generaliter intelligi debere docuimus.

Cap. 2.

Sec. 6.

APHORISMVS LXVIII.

QVibus cutes circumtendũtur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus uerò laxæ & raræ, cum sudore moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Videtur prima fronte Aphorismus hic satis alienus ab arte Medica, cùm ipsemet iusserit à morituris abstinendũ, in libro de Arte: uerum tamen non ita est, sed prædictionem diligenter distinguere docet, ut in libro de Ratione uictus in acutis: Mortuis ex laterali morbo per intempestiuam ptisanæ exhibitionem, solet latus liuidum apparere, tanquã si plaga illata esset. Quod si animaduerterent medici nostri temporis, cùm oua & carnes contusas exhibent his qui postmodum moriuntur, intelligerent se toties homicidij miserorum coargui, quoties hæc concederent ægris. Sed & uarios modos mortis prædicere docuit sexto Epidemiorũ, uelut illud: Quibus sanguis erũpebat, morientes fronte nõ exudarunt, sed uelut contracti præ siccitate erant, & anhelosi, ac cum sudoribus pereuntes malè habebant. Quomodo autem hæc utilia, in alijs ad causas dignoscendas, ut ibi Hippocrates omne genus auxilij in anginosis febrientibus, tametsi non profuerit. & quoniam qui sine sudore moriuntur, conuulsi moriuntur. dixerat autem in præcedenti Aphorismo, quartanam liberare à conuulsione, uult nos intelligere, non tamen ab ea quæ fit à siccitate, nec lethali. Assumit autem ad ostendẽdum hoc, cutes aridas, siccas & distentas, quòd signum sit calorem illum potuisse tẽdere cutim, & ea esse natura ut prius consumat quàm colliquet, ideoq; tales ex resolutione uirium aut conuulsione pereunt: opponit uerò circũtenduntur, laxas: & aridæ ac siccæ, raras, id est madidas ac molles. In his ergo præternaturali calore spiritib. resolutis paruus mador quibusdam ante mortem apparet, ut multis ex peste morientibus. Alij uerò per assiduos sudoris riuulos diffluentes, cùm & multa est materia, & contumax, dissoluunturq; prius uitale humidum ac sanguis, quàm obeunt. Atque hi dum solùm serosa sanguinis pars effluit, leuari manifestè uidentur: unde narratur de medico illo à Galeno primo Prognosticorum, quòd adolescẽtem in initio sudoris demisit in balneũ, & perijt, cùm medicus & astantes sibi prius de hoc gratularentur: at ille tum prius syncopi corripiebatur.

Pag. 2. & 4.

Pag. 3.

Sec. 7.

Com. 4. Paruo.

sed

sed medicus ille insanus in proposito perseuerauit. Talem casum ego perambulans urbem uidi. & ego curabam piscatorem, qui in febre perpetuis tribus diebus sudauit & perijt. & quibusdã ex his profuit cohibuisse sudorem: alij nihilo secius perierunt. Sicut & quosdam seruaui ex urinæ profluuio, proximos morti, cũ medici quidam stulti uererentur retinere: alij etiam stupidiores, immodicis huiusmodi profluuijs gauderẽt. Certè hæc duo proritasse, cùm abundant, nunquam profuit.

Scribitur hic Aphorismus sexto Epidemiorum, sic: Quibus cutes circumtenduntur aridæ & duræ, pro siccæ.

APHORISMVS LXIX.

QVi regio morbo laborant, nõ multùm uentosi sunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Sicut quartanam utilem esse conuulsioni docuit, ita regium morbum flatu abundantibus. atque sic continuatio perspicua est. Neque cogimur extorquere sensum* ἰκτερώδεις, *tanquam non de arquato morbo seu regio loquatur: sed bile abundante dici necesse sit, ut ex primo*
Aegro. 2. *in tertium Epidemiorum ostendere nitũtur. nam cùm ea uox Arquatos omnes significet, tametsi omnibus etiam biliosis conuenire posset, non tamen efficeret ut liberaremur à contradictione, scilicet quòd morbus regius siccam hydropem, quæ flatu constat, sæpe pariat: tum quod contingere poßit ex obstructione, à pituita. Eiusmodi interpretationes curiosæ sunt, laboriosæq;: & mali Rhetoris argumẽtum, cùm secunda ratio primam, ut hîc, perimit. Quapropter de uero morbo regio est intelligendum, qualicunque ex causa sit. seu enim ob nimium calorem accidat iecoris retenta bile & calore illo, flatus dissolui par est: seu ex obstructione pituitæ. nam & tum retenta bile, corpus incalescit. At quidã corripiuntur sicca hydrope, quæ ex flatu constat: quid uerius? uerum est. sed non hos uentosos appellat, uerùm illos qui flatũ eructant, quorum nullum comperias in huiusmodi morbum incidere. Quòd etsi etiã uelis per uentosos tympaniticos hoc intelligere, excusat uerbum illud, Non multum: id est, rarò in eum morbũ incidũt. Quandoquidem non natura pituitæ, quam necesse est minui ac mitigari, poßint eum morbum incurrere: uerùm potius imbecillitate caloris innati membrorum nutritionis, præcipuè uentriculi, sicuti ascites iecoris, euenire id soleat. Quapropter Galenum Fuchsius, bene excusantem Hippocratem, si modò excusatione dignum uult esse, turpiter damnat. Ita*

In uitium uitij ducit fuga, si caret arte.

Porrò de his intellexit sexto Epidemiorum, Sec. 4.
cùm dixit: Ventriculo calidi, carne frigidi & “
tenues, hi eminentes uenas habent, & iracun- “
diores sunt. Abundante enim bile circa uentriculum, tales etiam bouinas carnes, & quæcunq; dura & crassa edulia, modò sicca omnino non sint, conficere solent, ut bilis concoctioni nõ paruum auxilium afferre soleat. uerùm parum hi uiri nutriuntur, & graciles euadunt: & contracto intus calore, frigidi sunt exterius. tument autem his uenæ, seruata copia bilis sanguinisq; calidioris, unde iracundiores euadunt. nam mores animi humorum dominium naturaliter sequi solent.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI IN SEXTAM Aphorismorum partem Commentariorum

LIBER SEXTVS.

APHORISMVS I.

IN longis leuitatibus intestinorũ, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Cùm declarasset in quinta parte horum Aphorismorum Hippocrates, diuersorum affectuum, & maximè muliebrium causas: in præsenti ostendit signa, quæ plerunq; portendunt aliquid: & sunt signa partim utilia ad prædictionem, partim ad curam. Incipit autem à ructu acido in intestinorũ leuitate, quia ructus fit à flatu: & in præcedenti Aphorismo locutus fuerat de flatu. etenim quid aliud dixerat in eo, quàm morbo regio laborantes parũ eructare: hic uerò docet, ructum acidum in longa leuitate intestinorum esse bonum. Proponit ergo quatuor conditiones: quòd leuitas intestinorum longa sit,*

quòd

quòd eructet, & ructus sit acidus, nec antea solitus fuerit illum edere: ex his omnibus cōcludit; quòd erit signum bonum. Atq; omissa insectatione inutili, nomina imponentium dico, quod læuitas intestinorum appellatur, quoties feces sub forma ciborum assumptorum odore coloreq; emittuntur. nam substantia quandoque permutatur sola dentium attritione: & ideò multum refert, si quis diligenter mandat cibum, antequam deuoret. Quandoque igitur adeò similes sunt feces ingestis, ut sint perinde ac si statim deuoratum cibum uomitu reiecisset: quandoque autem sunt cibi immutati, sed non perfectè. Et quomodouis accidat, læuitas intestinorum dicitur: quanquam hæc minus mala sit. Fit autem trifariam: uel quia non concoquit uis uentriculi, licet debito tempore retineat: uel quia concoquit, sed non tam diu retinet ut perfectè concoqui poßit: uel quia nec concoquit, nec retinet, quæ quasi ex prioribus composita est. At non concoquit, uel ob imbecillitatē propriam, uel circumiacentium & auxiliantium membrorū: ut de omento, quarto de Cap. 9. Vsu partium: & in quibus multus fluxerit sanguis, ut suprà dictum est, corde & epate refrigerato: Par. 4. Aphorismorum 27. uel impedimentum, ut de adolescente, primo ad Glauconem & alibi clarius. At in quibus non continetur cibus, hoc accidit uel ob imbecillitatem uirium, aut ob humorem fluidum, aut ob molestiam, sicut in acribus humoribus uel ulceribus. Cap. 8. Oportet autem dare cibos leues & non albos, ut scias quantū mutantur. ptisana enim quod chilo similis sit, dubios nos reddit: et in quib. ob acredinem hæc contingunt, ab acribus offenduntur, & dolorem sentiunt: consequuntur & hanc speciē læuitatis sæpe abrasiones intestinorum, inde etiam difficultates intestinorum. Ructus aūt acidi trifariā fiunt, aut incipiēte coctione, ac non potente absoluere illam: aut ex acida pituita, aut ex atra bile, ut similia ex similibus. uerùm qui ab atra bile fit, potius acerbus est quàm acidus, aut cum acido acerbus est. Si ergo ob pituitam acidam ructus acidus fit, semper adest: ideo non est bonus, quoniam deest illud qui prius non fuerat, cum semper adfuerit. Si etiam ex imbecillitate quæ superuenit, & ex qua fit læuitas intestinorum, ab initio contingit. Quare non est (ut proponitur) in longa intestinorum læuitate: reliquum est, ut cum aduenit, læuitati iam diuturnæ, ut fiat restituta in concoquente. Quòd si pars restituta est, sperandum est facilius longè totum restitutum iri. Seu enim humor in causa sit, seu imbecillitas uentriculi, seu irritamentum, necesse est facta esse minora quàm prius. Quòd si perseueret, scriptum est in libro primo de Morbis, Pag. 2. párere aquam intercutem. Praua est & quæ interficit, secundo Prædictionum: si quæ eijciuntur, cruda sint ualde, aut nigra, aut lenia, & malè olentia. Quam nam autem appellet lienteriam, seu intestinorum læuitatem, apparet in libro de Affectionibus: In intestinorum, in- Pag. 10. quit, læuitate secedant cibi non putrefacti, liqui- " di, dolor autem non adest: & corpus attenuatur. " In libro autem de Victu salubri, id est tertio de Pag. 8. Diæta, dum inquit: Succedit ipsis cibus liquidus & incoctus, tum reliqua. Porrò de hoc etiam suprà egimus in tertio. Pag. 7. Nunc recenseamus auctores, qui fermè Hippocratis auctoritate fuerunt, quibuscunque tantum fidei habendum est, quantum Hippocrati etiam, ex Galeni testimonio. Recenset autem in commen- Aphor. 30. to Aristonem, Philistionem & Pherecidem: at in primo de Alimentis addit Euriphontem, & Cap. 1. Philitam: alibi addit Phaontem, & Dioclem: post quos sunt Polybius, gener Hippocratis, & duo illius filij Draco & Ihesſabur: & ex his duo nepotes, ambo prænomine Hippocratis appellati, Dioscorides, Praxagoras: & Herophilus, cæteris omnibus infensior.

APHORISMVS II.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus uerò contraria, salubrius degunt.

COMMENTARIVS.

¶ Et hoc est ex his quæ probabilia sunt. nam & multi contraria natura sunt morbosi. attamen finis, cuius causa scriptus est Aphorismus, est demonstratiuus; scilicet quòd si nares siccentur, & etiam genitura, multùm profuerit. Habet autem ex initio & primo intuitu duplicem hæc dubitationem. Prima quidem, an ita sit intelligendum, ut qui nares habent humidiores, habeant etiam genituram: an potius, qui utramque habent, tales sint. Alia, an per humidiores intelligat humido abundantes, an quorum humidum liquidius sit. Scribitur hic Aphorismus eodem modo fermè sexto Epidemiorum: Quibus nares natura humidæ sunt, ac genitu- Sec. 6. ra humidior & abundantior, hi ægrius sanita- " tem agunt: quibus uerò contraria, plurimi " ex his non sunt morbosi. Vbi duplex discrimen " declarat

declarat mentem Hippocratis. Primum, quoniam coniungi debent hæ partes, nō subsequi. euariant enim nares natura humidæ simpliciter, & genitura abundantior. Secundum est, quòd dum dixit, Humidior et abundantior, declarauit non debere intelligi per humidiorem abundantiam humidi, sed aqueam magis substantiam. in quorū utroq; Galenus fallitur, refugiens ad temporum similitudinem, quæ nulla est cum hoc. sed afferamus primùm rationem, quare duo hæc coniunxerit. Morbi quidem plurimi, inquit Hippocrates, & uiolentißimi fiunt ex cerebro. In epistola ad Demetrium regem: at cerebrū per nares expurgare solet excrementa sua, genitura uerò omnium membrorum inferiorum est iudicium: à naribus ergo atq; genitura totius corporis argumentum sumere licet. Quibus ergo talia serosa sunt, ut ab ipso Galeno habetur, secundo in sex-
Com.39. tum Epidemiorum, cum ichores sint materia omnium morborum, hi multis morbis atq; diuersis subijciuntur. Et mihi sanè post longam illam tabem à naribus aliquando pura aqua marinæ, quod ad colorē attinet, similis, stillauit ad quantitatem unciarū nouem: aliàs etiam, sed non tanta huiusmodi fuerat materia tam lōgæ destillationis. Vidi in alio qui p circuitus difficultate spirādi corripiebatur, fluxisse imposito medicamento è futura cōmuni sagittali atq; coronali ad libras 4, aut 5: ut uix caput tantū sine cerebro cōtinere potuisset. liqda ergo hæc, argumentū haud dubiū sunt morbosæ naturæ. cōuertitur aūt cū præcedenti: quoniam ibi de ructu, hic de muco agit.

APHORISMVS III.

IN longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidia malum: & cum febre, peius.

COMMENTARIVS.

¶ Cum egisset in primo (neque enim paruæ sollicitudinis res fuit Hippocrati ordinē hunc retinere, ut pote quod primus secundo & tertio diuersis rationibus cōnectatur) de læuitate intestinorum, hìc de difficultate egit: longis autem utrisq;. Cumq; cibi fastidiū in omni morbo malum
" sit, quemadmodum in illo, in quo uis morbo men-
" te cōstare, & se bene habere ad oblationes bo-
" num, contrarium uerò malum, secundo Aphorismorum; nihilominus in morbis, in quibus multa solent eijci, in dies necessitate quadā appetere solent cibos. at in hoc morbo non appetere, signum est omnino affectui repugnās, atq; ideo malum. Est etiam malum ut causa. namq; cum refectione indigeant, deficiente non solùm appetitu ciborum, sed illū abomināte ægro, necesse est fermè ut moriatur. In initio tamen affectionis nihil mirū redundantib. circa os uentriculi, aut propè prauis humoribus: at in fine aut necesse est consumptos esse humores, aut etiā cum illis appetūt cibos, licet alienos à salutarib. ob uehementē necessitatem uiriū. & cum febre quidē hoc ciborū odiū similiter deterius est, signi quidem ratione, quoniā abscessus aut inflammationis aut ulceris praui signū est: causæ, quoniā febrientes maiore indigent restauratione. Habet aūt in hoc morbo
peculiare malū febris: quippe cum, ut alibi dictū 6. Contra
est, duplex sit difficultas intestinorū. cruenta, in dict. com.
qua multus è iecore prodit sanguis: & non cruen 14.
ta, in qua erodūtur intestina. febris putrida (nam de hac est sermo) cruentæ adhærens inflāmationis iecoris signū est: nō cruentæ aūt, iam perforati intestini, ulcerisq; profundi in illo. Scribitur
aūt 6 Epidem. his uerbis: In longis difficultati- Sec.7.
bus intestinorū cibi fastidia, mala, tum aliàs, tū "
si insuper febrierint. cæterùm cibi fastidiū nō ma "
gis uētriculi quàm ipsius iecoris uitiū est, imò so
lius, dicente Galeno primo in tertium Epidemio- Com. 13.
rum: Vnde collectis quæ dicta sunt, perspicuum "
est, mirè fuisse iecur affectū principiū uegetatri- "
cis & naturalis animæ, cuius ostensum est qua- "
tuor esse uirtutes, attrahendi, nutriendi, cōmu- "
tandi & expellendi, quib. corporib. nutrimentū "
et incrementū suppeditat: & hac affecta, mirum "
in modum appetitus perit, ut mori malint quàm "
cibum gustare ægri sustineant. Si tamen in di- "
senteria erodente contingat, ad uentriculi consensum referri poterit. Est autem triplex hoc fa-
stidium, ut habetur secundo in tertium Epidemio Tex. &
rum. nam cum dixisset Hippocrates in textu: Com.3.
Quosuis cibos hoc toto tempore fastidiuit, nec "
appetiuit quicquam, non sitijt, neque effatu dignū "
quicquam bibebat. Dixit Galenus in Cōmento: "
Sumo hæc, dixit: significans odio illi uenisse ci- "
bos, ut ne desiderium quidem ueniret cuiusquam: "
quo quidā, cū perdiderunt appetentiā, cùm illa re "
cordātur, quib. aliquādo sint oblectati, tenētur. "
Nonnullos enim in morbis occupatos conspici- "
mus, simulatq; quicquam gustarint, illud auersa- "
ri: quosdam uerò ne gustare quidem ausos. atta- "
men hi requirentibus ex se, ecquid appetant? re- "
spondēt certa edulia, quibus se recordātur quon "
dam gauisos esse. Sanè maximum tibi sit facul- "
tatis signum ciborum appetitricis semel emorien "
tis, si parata hæc quæ desiderare dicebant, ut "
gustarunt, culpent, nec etiā edant. Qui, tametsi "
habeant peßimè, deteriore tamen sunt in statu, "

qui

qui nihil appetunt: extremam indicantes naturalis facultatis, qua cibum & potum appetimus, extinctionem. Quaerendum igitur esset, de qua specie loquatur hic Hippocrates. & mihi uidetur sane clarum de omni intelligere: deteriorem tamen speciem maius significare detrimentum, & certiorem ac celeriorem mortem, quàm primam. Porrò eos qui non appetunt, ἀσίτους uocant: qui uerò respuunt, ἀποσίτους, primo in Com.29. *primum Epidemiorum.*

APHORISMVS IIII.

VLcera circùm glabra, maligna sunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Si pili cadant, aut etiã, quod maius est, cutis desquametur, necesse est erodẽtes humores circa ulcus esse: sed si hoc accidat, nõ poterit facilè ad sanationẽ peruenire. Eiusmodi aũt dispositio minatur ignem sacrũ: cuius, siue adsit siue timeatur, ut in libro de Vlceribus, nõ est negligẽda cura. Atq; haec iuxta Galeni sententiã. uerùm nix uerisimile uideri potest, materiã adeò prauam ad ulcus confluere, ut in sana parte pilos eradicet in ipso ulcere, alia nõ edat signa, per quae euidentius illius prauitas quàm per casum pilorum non significetur. Ideo melius est sic intelligere, ut uulnus ipsum prauum ob intemperiem pilos cadere cogat, & extirpet. Vlcera enim dupliciter fiunt* Cap.2. *cacoethe, ut etiam quarto Artis curandi habetur: aut ob intemperiem illius, aut succi influentis prauitatem. Itaq; glabra ulcera, si non aliter affecta sint, potius loci intemperiem prauam solùm, aut cum humoris defluxu indicant, quàm solius humoris influentis prauitatem. Praeterquam enim in Gallica lue, nullam scio humoris prauitatem, quae pilos possit extirpare, quae saeua non sit: cadunt enim pili in elephantiasi, impetiginibusq;. Sed quid si ob solam intemperiem siccã hoc accidat? nam illa non impedit, sed iuuat ulceris sanationem: at in nouo ulcere tanta siccitas fieri non potest. Melius est ergo, ut existimemus corruptum esse succum carnis circumiacentis, seu ob uulneris, seu succi influentis, seu utriusque prauitatem. Porrò quae ob succi prauitatem non* Pag.2. *consolidantur, purgatione indigent, ut in libro de Vlceribus. sed si succus ibidẽ corrumpitur, permittatur sanguis effluere; sin autem inflammatio adest, cataplasmate: si non purgatur, praescindendum: si aũt non sanatur, quia crudum est, intemperies mutanda, & ad suppurationem deducendum. Quinq; his modis ulcus nõ sanatur, totidem corrigitur. Appellat Hippocrates propriè ulcera maligna ferina, de quibus libro de Lo-* Pag.1. *cis in homine. exscriptus est & hic Aphorismus* Pag.11. *ad uerbum ex sexto Epidemiorum. Constat enim, ut ibi uidebitur, Hippocratem, dum iunior esset, aliosq; sequeretur medicos, scripsisse Epide-* Sec.7. *miorum libros: ultimos autem fuisse primum ac tertium, sed tertius postremus fuit, tumq; ex sententia egit secando uenam in Anaxione. medici, quos comitabatur, erant ex secta quam Erasistratus secutus est, sanguinem non mittentes, caetera rectè agebant. Quocirca cessat admiratio Galeni, qua Hippocratem imperitiae aut improbitatis accusat: ueri simile est autem, iuuenem artis operum studiosum ex hac obseruatione initium duxisse. Nam tentasse hoc, ut morborum naturam proderet, proditoris potius quàm sicarij munus fuisset. Dicimus hoc, quia quosdam audiuimus tentasse: qui & quod sperabant nõ sunt assecuti, & magnis calamitatibus laborarũt cum infamia & uitae periculis.*

APHORISMVS V.

DOlores qui sunt in lateribus & pectore, atq; alijs partibus, an multùm urient, perdiscendum.

COMMENTARIVS.

¶ *Dixi, omnes hos Aphorismos esse probabilis generis: quod ut intelligeretur, luce clarius hoc ipse docuit: cũ nihil dicat aut affirmet, sed tantùm admoneat, ut attenti simus, an in lõgum dolores pcedãt: qui primus sensus est. aut an sint uehementes & graues, qui secundus: aut quo ex genere sint, seu lacerent seu grauẽt, pungant ue. Hippocrates sexto Epidemiorum & hunc scripsit, ut duos, uelut dixi, praecedentes, his uerbis:* Sec.7. *Dolorum in lateribus & pectore, & alijs partibus, tempora an multùm differant, considerandum est. Quamobrem si Hippocratem per Hippocratem exponere operae precium est, palam est, quandoquidem hoc solo uerbo differunt tam Latinè quàm Graecè τὰς ὥρας, quod est tẽpora (ὥρα enim tempus anni est) idem in utroq; loco sensisse, eundemq; esse sensum. At praeter id est, quòd solus hic sensus Hippocrate dignus est, cũ duo illi Galeni sint inartificiosi, quanquã utiles. Quis enim tam rudis est medicus, qui non quaerat ab aegro, an dolor magnus sit, an paruus, & qualiter eum afficiat? tum uerò, cuius speciei sit? an pungat, terebret, mordeat, lancinet, grauet, tendat? Quae sex sunt differentiae principales dolorum per se. nam dolor torpidus & dulcis, quem*

cis, quē Galenus ridet, nos tamen ſæpius ſumus experti: tum calidus aut frigidus nō propriè dolor, ſed ſymptomatū ſubſequentiū ſunt differentiæ. Etenim tendēs flatus ſignū eſt, grauās multitudinis aut craßiciei materiæ. Atræ bilis, uel omnino exuſti humoris eſt, q terebrat: qui pūgit, flauæ bilis: paucæ, ſicut multæ, quòd lancinet: mordax proprius eſt animalibus, ut uermibus. Vrigo uerò doloris ſpecies eſt, partis ratione, nō cauſæ. Etenim exteriorib. mēbris cōuenit ſolū nō internis: at externis etiā reliquæ ſpecies dolorū cōueniunt. Fit etiā differētia à perſeuerātia eorū, & diuturnitate. Sed quanquā hæc pulchra ſcitu ſint, cū tamē nō doceat hîc Hippocrates, id de quo admonet, uulgare eſt. At ſi in primū ſenſum incidas, habes primū naturā tēporis, quæ plerunq; ſimilis eſt naturæ doloris. deinde illud li- Pag.5. bro de Natura hominis: Itaq; quū hæc ſic ſe habeant, quicūq; morbi hyeme augeſcūt, æſtate deſinere ſolēt: quicūq; uerò æſtate augeſcunt, hyeme finire cōſueuerunt, niſi certo dierū circuitu diſcedant. De circuitu aūt dierū rurſus dicam: Quicūq; aūt morbi uerè fiunt, ad autumnū eorum diſceſſum fore expectare oportet. Quicūq; poſtremùm autumnales morbi ſunt, eorum diſceſſum neceſſe eſt uere fieri: quicūq; uerò morbus hæc tēpora trāſgreſſus fuerit, eum annuum fore ſcire oportet. Sed & per ὥρας intelligit morbos, q ex cōſtitutione anni fiūt, atq; uulgares, in quibus idē dixit nō eſſe mutandā uictus rationē, ſed potius regionem. Quid ergo eſt, ut nō Pag.6. malimus legere ſic: Cùm dolores adueniunt, maximè cōſidera tēpus anni. Primum, ut intelligas ex qua materia aut cauſa fiant. Secundum, ut ſi dißimilis materia ſit anni tēpori, cognoſcas curā eſſe difficilē. Tertiū, ut ſi uulgaris ſit hic dolor, ſcias aliter eſſe curandū, q̄ ſi ex ſporadibus eſſet. Quartum, ut cognoſcat quādo ſperāda ſalus ſit ex temporis mutatione. Ergo & illud conſiderandū, quo'nam pacto inducat hūc Aphoriſmū. uerba illius ſunt ſexto Epidemiorum, ante ipſum: In Perintho uere plurimi ægrotarūt ſimul: cauſa fuit tußis, per hyemē populariter uagata, & alijs quicūq; diuturni ſunt morbi. nam & in ambiguis cōfirmati ſunt. Quibuſdā uerò diuturni non ſunt oborti, uelut his q dolores cenales habent. Sed & alijs, uelut homo ille ad quē Cyniſcus me adduxit. Si qs ſtructurā conſideret, ex cōſtitutione tēporis morborū naturam & exitus uenabatur. Is enim fuit ſenſus, quod in Perintho multi ob hoc ſimul ægrotarēt, quoniam tußis & alij diuturni morbi populariter hyeme antecedēte uagabatur. Omnes igitur, quos huiuſmodi diuturni morbi corripuerant, fermè ægrotarunt. Cauſam reddit: quoniam qui iam fermè ſanati erant, ab eiſdem morbis grauiter occupati ſunt. Sed & alios inuaſit, qui non diuturnis morbis oppreßi erant, uerùm ſolis doloribus: demùm etiam ſanos. ita ut quatuor fecerit ordines eorum, qui iam tußi uel alio morbo diuturno correpti fuerant per hyemem, quos ex ſequentibus uerbis intellige eiſdem morbis laboraſſe: eorum inde, qui iam penè ex eiſdem conualuerant. Sed morbus rediit, quos uériſimile eſt pauciores fuiſſe prioribus eorum, qui doloribus tantùm non admodum periculoſis, ut renum, qui adhuc pauciores extiterunt cæteris: demùm & quidā ſani. Inde ſubijcit, quod ob id oportet conſiderare dolores qui adueniunt, quo tempore aduenìant, & maximè ſi populariter uagentur. Veriſimile enim eſt, temporū uarietate ſuccedente iuxta ſimilitudinem cauſæ doloris eos in morbos tranſituros: ut lateris, in lateralem morbum: pectoris, in peripneumoniam: uētris, in inteſtinorum difficultatem. Cur autem præcipuè lateris & pectoris dolores expreſſerit tum maximè, quòd diuturni cum ſpirādi difficultate, & inteſtinorum præcipuè læuitate in tabem finiūtur, etſi cum febre diuturna, ſuppurationem: & ſi cum lumborum dolore, ad morbum regium tranſit, Pag. 20. & 18. & 13. ut in Coacis prædictionibus. neque enim in ulla corporis parte tot mēbra, tamq; diuerſa ſunt, oſſa, membranæ, cor, pulmo, inane.

APHORISMVS VI.

RENUM uitia, & ueſicæ, quicūq; dolores, in ſenioribus difficulter ſanantur.

COMMENTARIVS.

¶ Νεφριτικὰ, morbos & uitia renū intelligere oportet, ἀλγήματα κατὰ τὴν κύστιν, dolores ueſicæ, ut iam diſtinguat Hippoc. cōparans uitia renū ueſicæ doloribus. Addit præterea, ὁκόσα, quicūque: ut intelligamus omnia dolorum genera ſcilicet, & uriginē. inſinuat nobis magnitudinē morborū ueſicæ, qui quatuor fermè continētur generibus, abſceſſibus, ulceribus, lapide, & læſione in operatione, ſeu ſit incōtinentia ſeu difficultas, aut ſuppreßio, uel urigo. oēs enim hi morbi nō ſolū in ſenibus, ſed in cūctis fermè, aut prorſus ſunt inſanabiles, aut difficulter ſanātur. cùm enim dico, Aut prorſus inſanabiles, aut qui difficulter ſanātur, tres modos euentuū intelligo: aut quia nō omnino ſanātur, aut raró, aut cū magna difficultate. Morbi aūt ueſicæ plerūq; doloribus definiūtur renū, nō ita quòd ſubſtantia illorū parū ſentiat, Veſicæ igitur morbi inſanabi-

les, cùm cõfirmati fuerint: dolores aũt in senio-
ribus. In senioribus quoq; morbi non prorsus oẽs
sunt insanabiles, sed diuturni plerũq;, & acuti e-
2. Apho.39. tiam periculosi, ut etiã superius uisum est. Qua-
1. Apho.14. les igitur erunt morbi renũ & uesicæ, qui inter
acutos acutißimi, inter diuturnos lõgißimi exi-
stunt? Ob hæc igitur de uesicæ morbis nõ locu-
tus est, cũ sub generali ratione cõprehendantur.
Iuniorib. tamẽ hæc scire expedit, quæ ad rẽ fa-
ciũt, & nõ adeò profundè ex generalibus expi-
scari sciũt propria. Sanãtur in senibus morbi, qui
mites uocãtur, ut tertianæ, ephimeræ, dolores in
testinorũ: quoniã medicamẽta facilè ad illa defe-
rũtur, et excremẽta exeunt. Itẽ qui ex acutis cõ
uertũtur, quoniã nec uim acutorũ, nec longitudi-
nem diuturnorũ retinẽt. Cæteri raró sanantur.
Sed ut dicit Galenus rectè, senectutem nõ tam
ætate quàm robore metiri oportet.

Causæ cur morbi renũ & uesicæ dolores dif
ficulter sanentur, sunt, aßidua cõcoctio, attra-
ctio, expulsio, ut ne uel horula una in toto die ge-
scãt: serosa quoq; substãtia, quæ acuitate irritat,
natura labefactat mẽbra, & sanari ulcera uetat.
Quæ aũt sanari oportet, quiescere debẽt, & e-
xiccari. Angustæ quoq; uiæ ad hæc mẽbra sunt,
2. ad Glau. cap. 2. & locus remotus ab ore. Vnde Galenus: Pulmo
& renes à uẽtriculo longißimè absunt. Propin-
quißima sunt ori uẽtriculus & stomachus, ideo
in his solis nihil ad uires addere oportet, in illis
maximè. Silentio præterijt uesicã, quod illa sicut
& rectũ intestinũ aliunde etiã q̃ ab ore auxiliũ
suscipere poßit, ac soleat: nihilominus medicamẽ-
ta multo difficilius per uirgã inijciũtur, quàm p
anum: tutius etiã per anum, quàm per uirgã inij-
ciuntur. Vtrobiq; etiã iniecta minores uires ha-
bent, quàm quæ per os sumũtur. Demonstratum
enim est in libris de Subtilitate, nihil quod uita
careat, uires habere, nisi animalis comparatione.
animalis autem comparatione uires habere pro-
pterea, quòd à calore eius in actũ deducuntur. Et
cùm calor exterius sit imbecillis, item in uesica
& iuxta anum, ideo non tantum posse quæ mit-
tuntur, quantum si per os sumpta fuerint. Om-
nium igitur membrorũ cum uesica sit ab ore re-
Aphor.18. motißima, & situ inepta, ac forma ad inijcien-
& 19. hu- dum, & substantia maximè sensibili ac exan-
ius. gui, & quæ difficillimè poßit consolidari, &
non consolidata mortem afferat: sequitur ex o-
mnibus his, ut uesicæ morbi omnium peßimi e-
xistant. Si igitur hi morbi in omnibus difficul-
ter sanantur, quanto magis in senioribus, cùm
sint morbi illis proprij renum paßiones, urinæ
Aphor. 31. stillicidia & difficultates: tertia Aphorismorũ.

Senioribus, id est, in senibus omnibus, etiã ab
initio senectutis incipiẽdo. perabsurdũ enim est,
difficulter sanari morbos in primo senio, deinde
in extremo facilè. quod aũt p seniores, principiũ
senij intelligat, forsan quis dubitabit, cùm cõpa-
ratiuũ positiuũ excedere debeat. Id uerũ est, si
adijciatur, uelut, Ego sum cãdidior Antonio. At
cũ simpliciter profertur, uelut ad mediũ relatũ,
positiuo inferius est: uelut, Iunior, senior. id est,
media ætate. Sic sapientior, formosior, referũtur
ad mediũ. Indicãt hoc uerba Hippocratis sexto
Epidemiorũ: Renũ morbos supra 50 annũ sana- Sec.7.
tos nõ uidi. id est senij initium. mens enim uide-
tur, eisq; robustior fieri: ultrà aũt sapiẽtior, non
robustior. Cũ corporis enim uiribus augetur, &
per se: per se quidẽ semper, cũ corpore aũt ad an
nos 30, aut quinque amplius. in uniuersum igitur,
ad annũ usq; 50. ὠμογέροντας igitur intellige-
re oportet. factus ergo senior, id est, ubi constan
tem excesßit ætatẽ, & seniores qui illã excesse-
runt, etiamsi uel semestri spacio excesserint. His
modis cõparatiuum positiuo minus est, & inef-
ficacius. nam ad aliud refertur.

Cæterùm quod dixerit, ὁκόσα ἀλγήματα,
quicũq; dolores: urigines noluit cõprehendi. nam
uesica propriè et frequẽtius his urgetur. Quan-
quã Epicurũ aliàs docuerim doloribus uesicæ pe
rijsse, & Petrũ Mantuanũ, philosophos: nõ tamẽ
satis mihi cõstat, quo dolorũ genere. Dolorũ si-
quidẽ genera, ut Galenus antea hoc in libro nos Com.5.
docuit, ex tribus sumuntur differentijs: magni-
tudine, ordine & qualitate. magnitudine, uehe-
mens aut exiguus, diuturnus ac breuis. Ordine,
continuus, intermittens, æqualis aut inæqualis.
Qualitate, pungẽs, tendens, grauãs, stimulãs, e-
rodens, feriẽs, torpidus. Videtur urigo sub eo do-
loris genere cõtineri, qui fit dũ pungitur aut di-
uiditur cutis ac caro. nam & has causas dolorũ
cõmemorat Galenus primo de Symptomatũ cau Cap.6.
sis. Verũ ipse sibimet negociũ facesßit. qui tertio
de Locis affectis uult dolorem capitis factũ ex Cap.7.
flaua bile, in uẽtriculo cõtenta, mordentẽ ac exe
dentẽ esse. At cõstat hũc nõ esse quẽ uocam⁹ u-
riginẽ. uriginẽ enim in mẽbro nullo interiore ex-
perimur, præterquã in uẽtriculo & uesica: neq;
forsan tota, in collo certè. in externis aũt mẽbris
uriginem tantùm, non dolorem, seu uratur pars,
seu diuidatur, seu loris cædatur, experiri licet.
Quod si tundatur, dolet quidem, sed nõ caro, &
multo minus cutis: sed pars subiecta, uel perio-
ston, seu membrana os circundans.

Galenus satis, ut mihi uidetur, anxiè hãc rem
pertractauit: sed cùm sæpius eã sub manibus ha-
buerit,

Cap. 5. *buerit, præteriit. Secũdo enim de Locis affectis inquit: Neq; enim cũ acu quispiã uulneratur, alio affectu laborat, q̃ si ab acri humore facta fuisset erosio, & tamẽ non animaduertit hũc affectum qualis sit: ueruntamẽ, ut paulo pòst dicã, acus & uriginẽ ab initio, & dolorẽ, cum profundius immittitur, excitat. sed ipse de urigine loquitur, nec tamẽ quid sit animaduertit. & rursus clarius ibidẽ: Verùm si lapis dolorẽ excitauerit, interdũ solus, interdũ unà cum cruore excernitur. etenim radit ea corpora per quæ transit, maximè si uel asper uel acutus fuerit. Non potuit latêre eum, quantum esset discriminis, si per renes & ureteras deferretur, dolorem excitando, aut per uesicæ collum & uirgam uriginem intolerabilem faciendo. Quonam pacto igitur talia con-*

Cap. 2. *fundere potuit? Rursus secundo de Medicamentis secundum locos: Dolores mordaces humorum uel uaporũ acrium, noxam significant: cum grauitate, multitudinem: cum pulsatione, inflammationẽ: cum grauitate & distentione, humorũ multitudinem intra membranas contentorum. Multa talia cùm Galenus prætermisisset, prima dolorum genera de speciebus disseruit.*

Rei ueritas ita se habet: Membra sanguinea uriginẽ sentiunt. Est aũt urigo dolor, qui fit cum motu aeris atq; contactu: si uerò durum duro tangatur, aut absq; aere fit, dolor igitur in membris exanguib. & in occulto propriè fit, ut sunt membranæ, tendonesq;, in carne & cute urigo, quoniã ibi aer præsens est. Tria igitur sunt dolorũ prima genera: dolor, urigo, pruritus. Dolor intus fit, & propriè in neruis, mẽbranis ac exanguibus: unde etiã in dentibus urigo nunquã. Fit etiã necessariò, ubi aer nõ tãgit, unde cutis nunquã dolet: quo fit, ut forsan quidã dicta Aristotelis nõ rectè de capitis cute sint interpretati. Vrigo fit in his quæ aeri exponũtur, sanguineisq; mẽbris: unde etiã in collo uesicæ, & præputio. talia enim aeri pxima sunt, & sanguinea: itẽq; in uentriculi imo. at in pulmone nõ fit, licet sanguineus, & aeri expositus. qua enim parte aeri exponitur, nõ sentit. Post uriginẽ dolor sequitur, ut in flagellatis, & urinæ ardore (sic enim liceat communi consensu appellare) atq; tũc finitur dolor. quæ enim latebat in exanguibus partib. atq; intimis noxa, ob uriginis magnitudinẽ ea recedente detegitur, sentit, & dolorẽ ostendit. cõpressa igitur aut siccata, uri desinũt: uerũ dolore afficiuntur. Pruritus uerò uriginis species est, sed moderata: quo fit, ut nunquã in mẽbris internis sentiatur, tametsi uesica scabie laborare soleat: atque hic morbus cũ ex ulceris genere sit, sed nõ profundi, nõ sanatur unquã. ob id dixi, morbos oẽs uesicæ esse insanabiles. Cæterũ urigo & pruritus quãdoq; iungũtur atq; miscẽtur, ut in his quos urtica tangit: urigo uerò nõ diuiditur in species, quanquã acutior sit quæ ex pũctione, q̃ quæ ex sectione fit. Dolor aũt, ut dictũ est, in plures species distinguitur. Quod si obijcias, eũ q acu pungitur, uriginẽ ac dolorẽ sentire: uerũ est, cũ acus paulo profundius mergitur, aut si phlegmon excitetur. phlegmon enim cùm in internis partibus fiat, citra uriginẽ est, & cum dolore. Hæc sunt quæ Galenũ potius attigisse præstitisset, quàm Archigenem tam pertinaciter oppugnasse.

Nunc uerò ex his magnæ difficultatis solutionem inuenire licet: & est, cur qui ulcera in uesica patiũtur, aut lapidem, nõ in uesica, sed in colis glande uriginẽ sentiũt. & quibus lapis in uesica est, his membrũ tenditur. nã, ut demonstratũ est, neq; uriginis neq; pruritus uesica est particeps, quamobrẽ affect⁹ eò usq; fertur, scilicet ad membrũ sanguine præditũ, & aeri expositũ est, scilicet membri uirilis glande: atq; ibi primũ, atq; ab initio tentigo & pruritus sentitur: ex quo ueretrũ, ut in tractãtibus, tenditur. cũ uerò lapis creuerit, urigo, dũ mingitur, iam sauciata uesica: demũ crescẽte malo, lapide scilicet, cũ ulcere dolor etiam, nõ iam in ipso præputio, quemadmodũ in pruritu & urigine, sed in imo pubis atque uesica ipsa. Atq; hoc est, circa quod uiri frustra laborarunt: quoniam ueris principijs, quæ à nobis inuenta sunt & proposita, caruêre.

APHORISMVS VII.

Dolores & tumores uẽtris sublimes, leuiores: qui uerò non sublimes, uehementiores.

COMMENTARIVS.

¶ *Totus hic sermo ex hoc uerbo μετέωρα pendet, quod est superius, & æquam habet difficultatẽ. Nihil aũt absurdius, imò ne audit quidẽ dignũ interpretari, sublimes: id est, supra peritoneum. Quid enim est supra peritoneũ, in quo cõsueuerit gigni dolor? an cutis, quæ uix unquã dolore afficitur, nisi ex externa causa? an tenuis membrana, quæ uix dolet unquã? aut pinguedo, expers doloris? At musculi per absurdũ omnino, quandoquidẽ istud in controuersiã non uocabatur. Propterea mirũ hoc. sed non mirũ: quandoquidẽ si cæcus cæcũ ducat, ambo in foueam cadunt. Oẽs tam absurdũ sensum secuti sunt, propterea sublimiores iuxta corporis longitudinẽ intelligo, Et quamuis dicat Princeps sextadecima* Tract. 1. cap. 3.

tertij, quòd ulcera tenuiorũ intestinorum dolores faciãt uehemẽtiores quàm craßiorum: dico quòd præsupponit pares, morbũ & causam. sed cùm in uentre superior pars cõtineat uentriculũ, iecur, lienem, duodenum, & partem coli latiorẽ: inferior autẽ ileon & partes intestinorũ angustiores & monoculũ, & trudi soleant quæ superius infestant ad inferiora: ideo dolores superiores sunt experimento frequentius nõ ita graues ut inferiores, ubi etiam renes & uesica. Et licet abscessus in ileo sit grauior, & magis molestus quàm in colo, tamen ileos intestinum positione est in inferiore parte uentris, & coli pars maior in superiori. Et etiam, ut dixi, hoc non est adeò generale. dixi uerò, quòd hic loquitur de his quæ secundũ plurimum contingunt, nõ quæ secũdum rationẽ sequi debent, ac certa quasi demõstratione deduci possunt. Superiores enim partes uẽtris ut lõgè frequẽtius dolorib. afficiũtur, ita inferiores cùm afficiũtur, sæuius cruciari solẽt. Mẽbra etiã inferiora cũ magis exanguia sint, superiora calidiora, magis à doloribus uexantur.

APHORISMVS VIII.

AQua intercute laborantibus, ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd ulcerũ sanatio sit exiccatio, docebit
Com. 43. infrà Galenus, & docuit quarto de Medicamẽ-
Cap. 6. tis secundũ genera, et tertio & quinto Methodi.
Cap. 5. nihil enim plus facit medicus, q̃ prohibere ne hu
Cap. 2. more superfluo impediatur naturæ opus, aut solida pars colliquetur. Nam generatio carnis non medici, sed naturæ opus est. ob id aqua intercute laborãtes, humidas habẽt palàm carnes, et ob id exiccari difficilius possunt: ideoq́; etiam ulcera eorum sanari. Verùm eadem ratio prohibet laborantes alba pituita, & si non magis, tamen certius. Si enim aqua intercus in uentre solùm sit, crura autem aut brachia sine humore, quid prohibebit in his sanationem? Quare, tametsi quis respõdere poßit, in huiusmodi ægris totum corpus esse humidius, afferam tamen causam aliam euidentiorem q̃ humidi abundantiã: tametsi neq; in alba pituita neq; aqua intercute censeam deesse humidum præter naturam in toto corpore. Verùm dicam quod magis ad rem facit, & quod iuuat ad curationem, ac ad præseruandũ se ab hoc morbo: nec non ad intelligendum, quomodo hic morbus generetur. Dico ergo primũ, quòd ulcera in aqua intercute difficillimè sanãtur propriè ob humoris serosi prauitatẽ, nõ humidi abundantiam solã. Constat enim ex colore, odore, effectibus, ac ratione ipsa: q; humor qui in aqua intercute diffusus est per crura & uẽtrem, est similis urinæ putrefactæ. Et quomodo serosa pars tam diu contenta loco arcto et calido, & immobilis, potest nõ putrescere? Imò ab initio ipso putrida est. Aliter, cur est quod uidemus aliquos qui parũ mingũt, fieri hydropicos? alios, ut ego iam diu ac multi alij, q supra sexaginta uncias urinæ quotidie mingũt, nunquã fieri hydropicos? At dices forsan, quia urina illis intercipitur. At si intercipitur obstructione, cur non supprimitur ex toto? at ea ratione qua unciæ 10 fluunt in singulos dies, ea ratione etiã quadraginta profluere deberent. Quinetiã cur non expellitur sudore, quod urina nõ potest? Cur multi hauriũt aquæ amphoras plenas, nec corripiũtur hydrope? aliũ sex uncijs aquæ frigidæ epotis confestim morbus inuadit? cur in eiusmodi uiris prauus color, & multi etiam regio morbo laborantes, in eum morbum decidant? cur sitiunt ante hydropem? nõ solùm, ut quidã falsò putãt, dum iam correpti sunt, neq; ullum certius signum hydropis, quàm sitis leuis quasi perpetua, absque causa manifesta. Etenim talis sitis si perseueret, aut tabis aut hydropis aquosæ certum est signum in omnibus fermè. cur in hydrope ex flatu non ita sitiunt, etiam uehementer laborantes? Non nisi, quia in temperie frigida manifestè laborant. Cur his succus cichorij noxius est, illorum plurimos breui sanauit? nec est auxilium fermè præstantius. Ergo aqua intercus fit, quoties iecur serosum humorem non auget (in alium enim affectum profluuij urinæ aut sudoris incidunt ægri:) sed corrumpit, ac quasi putrefacit. Vnde, quamuis ad renes pellatur, illũ non recipiunt, implenturq́; demùm redundat in uentrem, de quo suo loco di 7. Aphor.
cemus. Cùm uerò iam cœperit, difficile ob id cu- 49.
ratur, quoniam uenis iam repletis causam suam adauget, fitq́; morbus ob id circularis, de quo
Hippocrates in libro de Ratione uictus in acu- Pag. 3.
tis. Palàm est igitur, cur talibus ulcera difficillimè, quouis loco sint, sanentur. Sed obijcies
ex quinto de Locis, quòd in scirrhis iecoris statim Cap. 7.
aduenit aqua intercus, quos palàm est non nisi refrigerare iecur: quinimò factam intercutem ex ea causa concludit esse insanabilem. Quòd si ab alia intemperie quàm frigore fieret, nec statim scirrhum iecoris ascites sequeretur: nec si sequeretur, esset prorsus insanabilis,

certè

certè demonstrationes propter dicta simpliciter contemnere non debemus. Ego primum id uerum non esse puto, quod tam constanter affirmat. existimo enim plurimos esse, quibus duricies sunt in iecore, qui ascite non corripiuntur: uerùm tunc solùm, cùm sanguinem iecoris repurgari prohibuerit ea duricies. Vnde non minus ex duriciebus splenis, quàm iecoris, ascites gene
Pag.5. ratur. Narrat Hippocrates quarto Epidemiorum de uiro metallico, cui præcordium dextrum erat intentum, cùm aluo intenta, subdura: & decolor fuit, ut uitium iecinoris uideri posset, nec tamen in aquam intercutem incidit: & in filio sororis Apemanti. Sed fac ut causa sit, quandoquidem imbecillitatis certè causa est, forsan etiam corruptionis erit. cùm enim duricies adfuerit, compresso uiscere corrumpetur sanguis retentus, & ipsa serosa pars putrescet: atque ita in idem redit. Et ideo potus aquæ non est causa hydropis, sed sitis: quæ est causa potus aquæ, cùm fuerit iuncta imbecillitati iecoris, ostendit causam esse iam præsentem hydropis. & si
Tract. 4. cap.13. in princip. dicas, quod Princeps ait in quartadecima tertij: Et prohibitio à uisione aquæ, nedum à potu ipsius. Respondeo, quòd hoc non est ante
3. de uictu in Acut. Text.40. conceptum morbum: sed quia aqua, ut dicit Hippocrates, nullam habet uim in excernendo, neque aluum neque urinas, & quod tardè permeet: & non ob id damnat quòd frigida sit, imò ostendimus expertem esse omnium qualitatum: quinimò quod ad qualitates attinet, biliosam inde, biliosissimam ibi appellat. Verùm dicit Hippocrates, lienem & iecur auget: hoc autem bifariam. primùm, flatus in his generando: deinde, quòd si frigida bibatur supercalefacto iecore uel liene, scirrhum promptè in his generat, atque ob id ad hydropis generationem promptissima est: non quia frigida sit potentia, sed quia actu, & ideo in iecore excalefacto, & non consueto potui aquæ. cùm enim calescit iecur, tumet & inflatur, ut in lebete ius: inde contrahit plurimum sanguinem ad se, quo plenum, si aqua repentè multa & frigida, & crassa præsertim, & infutro epota superueniat, antequam sanguis diffugiat, cogitur & refrigeratur sanguis & scirrhus in ictu fermè oculi generatur, non à frigiditate naturali, sed adepta. Ideoq; qui timēt hydropem, cibis debent frigidis uti, enduia, cichorea, plantagine, rhubarbaris, potu uini albi aut aquæ destillatæ. nam tutior est hæc longè q̃ uinum nigrum, præcipuè astringens. Quòd si quis dimidium talis uini frigiditate æqualis, qualis fuit aquæ, bibat, multo celerius scirrhū concipiet, quàm ex potu aquæ. Est igitur causa propria ipsius ascitis, intemperies calida iecoris, cum illius imbecillitate. Verùm falsis persuasionibus decepti, putant esse calidā. morbus tamē est frigidus & humidus: quia collectus humor serosus, quantitate uincit etiā putredinem. Propterea succus cichoreæ & enduiæ ac sonchi, plantaginis, utilissima sunt, & præseruant: ut contrà uigilia, cibi pingues, crassi, calidi, uinaq; nigra & acerba, eam inducūt. Cæterùm quid per aquā intercutem intelligat Hippocrates hic, an solùm anasarcon, ut uidetur Fuchsius, inferius explicabimus. Quod uerò dixit Galenus, explicatū esse ab Hippocrate, ulcera esse siccanda, si perduci de Aphor.14.
beant ad sanitatē, in libro de Vlceribus idem per In princip.
hæc uerba: Siccū sano propius est, & humidum ‹‹
non sano. est enim ulcus humidū, quod uerè sa- ‹‹
num, est siccū. Propterea ulcera uniuersa præter ‹‹
quā in articulis, nisi uino humectare nō oportet. ‹‹

APHORISMVS IX.

LAtæ pustulæ non admodū pruriunt.

COMMENTARIVS.

¶ Hîc satis est Galeni Commentariū adie- ‹‹
cisse. Sicuti tubercula omnia duplicē habēt diffe ‹‹
rentiā, quoniam quædā tendunt in acumen, et al ‹‹
tum petunt: quædā ad maiorem extendūtur lo- ‹‹
cum, nō tamen in altum attollūtur: sic & pustu- ‹‹
læ nōnullæ sublimes, nonnullæ latæ fiunt: subli- ‹‹
miores aūt pustulæ atq; tubercula à calidiore hu ‹‹
more generantur, humiliores autē à frigidiore. ‹‹
Quare ob duplicē causam latæ pustulæ non ad- ‹‹
modū pruriunt. Difflantur enim in latitudinē ex ‹‹
tenta, & facientem ipsas humorē minus acrem ‹‹
habent. Ergo si omnia sic explicasset, & sibi gloriam ingentem peperisset, & nos à tam graui labore liberasset. Verùm non omnia possumus omnes, ut ille dicebat. Multa præclara scripsit Galenus, quæ cùm alias quæ nam sint exposuerim, hic etiā repetere non pigebit. Primū, admirabilē illam medēdi Methodum, post quinq; priores illos de Simplicibus medicamentis libros. Tertio loco utiliores, sed nō tanta diligentia, libros de Medicamētis secundū locos. quibus solū inferiores utilitate sunt libri de Medicamentis secundū genera. utiliores sunt libri de Locis affectus, atq; ingeniosiores: uerū minus absoluti, quòd maiorē artem expostularent. Itaq; in suo genere plus deficiunt prioribus, ipsi per se præclari. Post sunt

Commentária in Epidemia, certè nobilia: & libris de Vsu partium summa laus accederet, si in principali, id est, enarrādis partibus corporis, ut se haberēt, nō defecisset. At à multis alijs tēperare poterat, ut tractatione de Pulsibus tota, à libris de Placitis Hippocratis & Platonis, à typis, à libris cōtra Erasistratios & Erasistratum, Iulianū: de Sophismatis in uerbo exoriētibus, ab Anatomicis, modò Marini scripta nō defecißēt: à Cōmentarijs his, & etiā de uictu in Acutis & Prognosticorū, & generaliter earū partium, in quibus multi scripsere: à libris de Symptomatum causis, & naturaliū facultatum, quos ille tamen & multi nunc suspiciunt. cùm enim multa cōtineant optima, sanè ob uiri auctoritatē paucis erroribus plus offendunt, quàm multis bonis præceptis iuuent. Si tamen quis legat instructus acri Dialectica, qualē nos tradimus, secernendo pauca, sed periculosa, admirabilem cōsequi ex illis poterit utilitatem. multa enim sunt præstātis uiri, qualis ipse fuit, dogmata. Sed nihil deterius arte curatiua ad Glauconem, quam & breuem fecit, & breui tēpore cōscripsit. habet enim multa periculosa dogmata, quæ uiri fastu solo magni sequentes, plurimos perimunt ægros. Cæterùm ut breuiter absoluā, omißis his in quibus philosophū agit, aut logicū, in quibus teritur sine fructu tempus, maximè libris de Dogmate Platonis & Hippocratis, & de Pulsibus, ac præcipuè libris duobus ad Glauconem, tum Anatomia: cæteri libri oēs si cum iudicio legantur, atq; à uiro præstanti, utilißimi sunt. Et Commentaria in Hippocratem omnia etiam, præterquàm in Aphorismos, magnam utilitatem afferre poterūt. Priores aūt quinq; ab omnib. & sine delectu. sani enim sunt

Sec. 2. undiq;. Sed ut ad rem redeam, Hippocrates sexto Epidemiorū inquit: Latæ pustulæ nō ualde pruriginosæ sunt. Quales Simō habebat hyeme: qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, opem sentiebat: non quòd pruritu leuaretur, sed quia minuebantur, aut sanabantur. pruritus enim satis leuis erat. Leuabantur enim tum effluentibus uaporibus, tum concocta materia quæ intus erat: unde morbus minuebatur. Sed id dubium est, an acres humores pruritum magis excitent? Videntur enim hoc salsi facere, acres autem erodere cutim, ac dolorem efficere. Itaque latæ pustulæ minus profundæ sunt: & si scalpantur, statim totus humor exit: cessat ergo pruritus. Et ideo ab auxilio rem metiuntur homines.

APHORISMVS X.

CAput dolenti, & circumdolenti, pus uel aqua uel sanguis, effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.

COMMENTARIVS.

¶ Tres habet partes consideratione dignas: Prima, quid intersit inter caput dolere & circumdolere. aliqui dixère, uehementer dolere: quod omnino absurdū est, & nō solùm à Græca lectione, περιοδυνέοντι, alienū, sed etiā à modo loquēdi, & Hippocratis maiestate. At caput dolere dicimus, cū pars illius dolet: circūdolere, cùm in toto ambitu, nō flatu, sed ob materiā, quæ totū quasi in doloris cōsensum trahit. Nec est ut dicas, nō solui morbū à flatu uno, ex his fluente. hoc enim dixit, qui ignorat logicā. Hippocrates enim nō dicit, Caput dolēti & circūdolenti soluitur morbus per fluxū puris, aquæ uel sanguinis per nares & reliqua (esset enim hoc falsum) sed si fluat, inquit, soluitur morbus. præsupponit iam quòd fluat, at nō expellit natura hoc in dolore, nisi cùm sunt causa morbi: qua pulsa, par est morbū solui. In Galeni Cōmentario aliqua desunt, aliqua deesse suspicamur. Deest sanguis, quæ causa fuit ut interpretatio esset obscura & anceps: neq; ego multū ad sanādi partē hunc Aphorismū pertinere arbitror. Primū, quòd scire nō possumus, quid ex his tribus in causa sit: deinde, quod aliud est naturæ opus facile, & medici uiolentū: deinde quòd natura solet, cū expellit, huiusmodi totum expellere. medicus hoc uix faciet. neq; enim scit an sit præparata, nec potest illā totā in unū colligere. Adde, quòd nullū membrum est, quod difficilius euacuari poßit capite. Medicamēta enim epota purgāt totū corpus, nō aūt caput (oporteret enim per palatū educere in uentriculū) inde per intestina: quarè melius per apophlegmatismata, quàm per aluum. Quòd si consensu uenarum trahunt, primùm uiolentißimum esse medicamentum oportet, cuius exhalationes ex uentriculo per palatum id poßint efficere: aut si per uenas uis defertur, oportet in uentriculū, iecur, cauā uenā, soporarias, inde in cerebrū ingredi, aut per iecur cor, arterias. Propterea & hic Hippocrates docet, quomodo caput sit expurgandum. Sed admonet in libro de Vi- Pag. 2. su, priùs totum corpus esse purgandum: & in libro de Glandulis, totum corpus in caput remit- Ibidem. tit: ipsum uerò, nisi ægrotet, denuò in ipsum corpus. Et alibi: Inflāmantur fauces ex destillatione, &

ne, & excitatur tussis, ex qua materiæ ad fauces deriuãtur, ipsum uerò caput à toto corpore trahit. Sed & Galenus ipse purgatione capitis per propria loca ostendit potius q̃ per medicamentum, ut primo ad Glauconem. Sed neq; per
Cap.15. uenæ sectionẽ, educere enim sic quicquã non licet è cerebro. Sed deterius longè faciunt, qui ex uena e coris sanguinem mittunt. Omnino enim stultum est, trahere primum ex iecore sanguinem, ut illud trahat ex caua, & caua ex cerebro. Sed reuellunt primùm quæ in naso, inde quæ in fronte, & quæ post aures, ac demùm ex brachio superiori à iugulo. Similiter nec pus nec aquam medicamento trahere non licet. pus nullo modo: aquam quæ trahunt, etiam ex uentre pleraq; uenenorum naturæ proxima, scobs æris, elaterij, lathyris & tithymalus, ac similia. Quare satis sit intellexisse et prognosticum per hunc Aphorismum, & modum curandi, si quando spes sit posse corpus curare: & præterea qui nam humores in capite dolorẽ aut morbum efficere maximè soleant. Et tamen caput si purgandum sit, optimè euacuabis totum corpus, & materiam quæ è ò rapitur, & quæ ipsum maximè
Cap.14. lædere solet, catapotijs Galeni in quinto Artis curandi, ex aloe, agarico, bdellio, colocynthida & scãmonio. Etsi materia calida fuerit, & totũ corpus sanguine plenũ, sic ut duas sectiones sustinere possit, à iecoraria primùm, inde cephalica sanguinẽ copiosè detraham: si non, incipiã ab ipsa cephalica. Vbi spes affulserit caput purgandi, Ga
Cap.22. lenus tertiodecimo Artis curandi, nõ solùm per nares & palatũ (nam in aures, incõmodum est ac incertum medico trahere materiam) sed etiam per balnea et emplastra, maximè spondyliõ & serpillum.

Pus uel aqua uel sanguis.) Rarò à pituita, nisi modum excedat, ob familiaritatẽ et innocentiã naturæ, fit morbus in capite. Sed uel ab humore qualicunq;, uel crudo et aqueo excremẽto in his, in quibus nõ fit cõcoctio, quod adeò abundat aliquando, ut dixi, uidisse plusquàm à toto capite contineri posset. quod etiã in archiepiscopo B. Andreæ in Scotia, dum ad pulmones singulis octo diebus uidere pro miraculo licuit. At si ex flaua bile aut nigra uel sanguine morbus seu dolor fit ab initio, stultè crediderìs extra uenas contineri, unde fluente sanguine liberantur. Surditates enim, quæ fiunt ex bile, in acutis morbis cõtingunt, reposita bile cũ modico sanguinis in cerebro: inde ad concauũ, quod est inter cerebrũ et aures adhuc in uenis; unde salutis hoc plerunq; signũ est. Quòd si è uenis materia in cerebrum uel membranas deriuetur, uincaturq; natura, tunc ad suppurationem deuenire necesse est. Quacunq; igitur ex materia morbus fit, uno ex his tribus constare illũ oportet. Vnde natura secundũ rationẽ agente, ægrũ liberari necesse est.

Quòd uerò per nares, palatum aut nares dixerit, loca explicauit, per quæ materia copiosa expurgari solet, ac tutius. nam per oculos in lachrimas uertitur, & oculos lædit: neque præter aquam ex oculis quicquam emanare naturaliter solet, & est etiam periculosum. Vnde etiam in libro de Iudicatione idem fermè reperitur, sed in Pag.5. uat uerbu subscribere: Caput circumcirca dolenti ac ægrotanti, si pus per nares aut per aures fluxerit, soluit morbum. Itaque aliud est secundum Pag.3. naturam fluxiones numerari, ut ait Hippocrates libro de Glandulis: Fluxiones de capite usq; ad secretionem contingunt per aures secundum naturam, per oculos, per nares: atq; hæ tres sunt. Et aliæ per palatũ in guttur et in gulã: et aliæ per uenas in spinalẽ medullam, & in sanguinẽ. Quæ omnes septem numero existunt. liquet ergo, eam quæ per palatum fit, præter naturam esse: quæ per nares, secundum naturam: quæ per aures autem, communem. oculi ergo secundum naturam expurgant cerebrum, sed ad exonerandum illud minimè sunt idonei. Quòd si obijcies ex Coacis Pag.7. prædictionibus: Capitis dolorem soluit pus per nares & sputa crassa, & non olentia: soluit item ulcerum eruptio, quandoq; somnus & alui fluxus. Et in libro de Indicationibus: Caput circum Pag.ult. circa dolenti, quicunque ex supernis locus doluerit, cucurbitam affige, soluit dolor ad coxas & genua, & anhelatio, quicquid horum factum fuerit. Et rursus in libro de Locis in homine: Medi- Pag.6. camenta caput purgantia, quæ quidem ualida sunt, à toto corpore ducunt: quæ uerò debilia, ab oculis, & hinc à uicinis naso partibus. Sunt & alia plurima, quæ possem adducere in hac causa: sed his dilutis quæ pro nobis sunt, cum cõtraria uideantur, uiam præmonstrabimus ad reliqua. Vltima auctoritas palam est de errhinis, quæ debilia trahunt à naso & uicinis partibus: tum si ualidiora paululum, ab oculis: at ualida, à toto capite. Nam si per medicamenta purgantia intelligeret, ualidiora esse oporteret quæ ab oculis & propinquis naso partibus, quàm quæ à capite toto: ut constet Hippocratis sententia, cerebrum per nares, non per medicamenta, quæ deuorantur, expurgari debere. In libro autem de Indicationibus, reuulsionis modos, & à

medico qui in usu est, et à natura docet: at in Coacis prædictionibus docet capitis dolores trifariam posse solui, concoctione, reiulsione seu decubitu materiæ, & purgatione. Vt ibi de generibus curationũ à natura, hic autem de speciebus unius generis, scilicet expulsionis ipsi ut materiæ loquatur, nam demonstratio quam attulimus, ostendit sub hoc genere non posse plures species contineri.

APHORISMVS XI.

Melancholicis & renum uitio laborantibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Et hoc est ex his quæ cõmuniter eueniunt: &, ut dixi, ad prædictionem ac curationem simul conferunt: sed alia magis, alia minus, ut in præcedẽti diximus. in hoc enim magis agitur de curatione, sed tamen prædictio securior est. Quod autẽ dicat Galenus, quòd non solùm conferunt hæmorrhoides ratione euacuationis, sed etiam humoris qui euacuatur: indignum est tanta doctrina, quasi omnis euacuatio talibus morbis profutura esset.* Clamat enim Hippocrates

1. Aphor. 25.23. *sæpius: Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & bene ferunt. Et rursus: Deiectiones non multitudine sunt æstimãdæ, sed si qualia oportet purgari, purgentur. Itaq; melius est, ut dicamus sic: Non solùm ratione humoris euacuati hæmorrhoides iuuant in melancholicis, & uitio renum laborãtibus, sed ratione ipsius euacuationis, qualiscunq; sit. nam in melancholia, id est animi uitio, dum à capite auertunt, minuunt ipsum affectum: in renum uitio exonerando, partem propinquam, liberiorem ac temperationem reliquũt. At de melancholia nil mirum est iuuari eos, quandoquidem euacuetur proprius adeò humor, ut ex humore affectum nuncupauerint. De uitio autem renum Galenus debuit causam referre, cum perinde non sit manifesta.* Propterea Hippocrates docet in libro de Internis affectioni-

Pag. 8. *bus, quatuor esse principales morbos renum: lapillum, rupturam uenæ, erosionem, quàm dicit fieri ab atra bile, & in qua maximè uerus est Aphorismus, utpote purgato humore qui causam morbi præbet: & dolorem ex pituita & bile in tribus reliquis. profectò hæmorrhoides solùm iuuant exonerando locum, & dilatando æquandoq; intemperiem: cum etiam exonerent, dum morbus ex atra bile fit, ut tum duplici sint auxilio: sed & in quarto plerunq; conferunt. cum enim atram bilẽ exonerent hæmorrhoides, etiam flauam & pituitam euacuant (nam omnem cacochymiam purgare solent) quo fit, ut mirum uideretur multis, cur in copiosa illarum euacuatione, malus tamẽ permaneat habitus. Quamobrem id contingit, cum quotidie procreatur prauus humor iam uicta tẽperie iecoris, uel cum totus sanguis inæqualis est: fluit autẽ solùm biliosus, atro manẽte, atq; hæ duæ fluxiones redduntur inutiles. Cæterum mirari cõtingit, cur si tanta in hæmorrhoidibus commoda, tam pauca medicamenta illas prouocent: ut tria uel quatuor, lac, ficus, fel taurinum, cyclaminis radix, & intus porri succus. Sed ratio non ea est, ut prouocare, salutare. & sanguinem multa proliciunt: sed labor est uenas illas implere, cum in plerisq; etiam non adsint: quòd si non adsint, aut plenæ non sint, locus exulceratur sine utilitate. Quamobrem malè faciunt, qui hirudines ei loco applicant, si uenæ ille uel tum primùm non tumeant, uel aliàs non antè fluxerint, sanguinem enim ex propaginibus ramorum descendentium ex stolonibus cauæ, quæ crura nutriũt, detrahunt. hæ enim ad quatuor animusculos delegatæ sunt. At hoc facere, pronũ est: ciere hæmorrhoidas, difficilimum.*

APHORISMVS XII.

Diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam intercutem uel tabem aduenire.

COMMENTARIVS.

¶ *Qui nostra principia non intellexerunt, multùm laborant in huiusmodi explicandis difficultatibus. Ostendimus enim nos, aquam intercutem fieri nõ ex frigida iecoris intemperie, sed potius calida, tum sicca, cum defectu tum caloris innati, cuius indicio est sitis. Et ob id cum in hæmorrhoidibus atra bilis fluere soleat, retenta corrumpit calorem iecoris, aut exedit pulmonis substantiam, aquamq; intercutem parit, aut tabem. Dixit autem de periculo, quoniã & multis hæmorrhoides fluunt, sanguinem clarum deducentes. Verbum* ἰαθέντι, *sanationem quæ à medico fit, non sponte factam, ostendit: nam desinente humore, interquiescere possunt. Similiter nec de sanatione quæ per purgationem fit, Hippocratem intelligendum, palam est. Quomodo enim una seruabitur, aliis siccatis? Nihilosecius, etiamsi sponte sanentur, quandoq; hæc, & si non tamen frequenter, eueniunt: ob id nos monet* Hippocrates, *non debere eas sanare.* Aphor. 8.

sanare. Et si sponte sanentur, maximam habendam curam in uictus ratione: sed multo magis, cum arte sanantur. Exemplum uerò quod Galenus adducit de multitudine lignorum & igne, hic non est satis ad propositum. nam atra bilis non est apta accendi ut ligna, sed naturali calori aduersatur. Maior tamen est error, cum dicit hæmorrhoidas non fieri nisi ex multo crassoq; humore: imò persæpè, ut in mulieribus, gignuntur ex crudo sanguine ac tenui, si experimentis credere oportet: tum ob alias causas turpes, uel quia sint hæreditariæ. Scribuntur in libro de

Pag. ult. Humoribus ad amplificationem huius Aphorismi hæc: Qui hæmorrhoidas habent, neq; pleuritide, neq; peripneumonia, neq; phagedæna, neq; tuberculis terebinthi figuram habentibus, corripiuntur. fortassis neque lepris, fortassis neque uitiliginibus. Multi tamen intempestiuè curati, non tardè correpti sunt, & sic perniciosè habuerunt.

APHORISMVS XIII.

A Singultu habito, sternutatio superueniens, liberat.

COMMENTARIVS.

¶ Perinde est ac si dicat, omnem singultū cui superuenit sternutatio, ab illa solui. Nec est ut excipiamus eum qui ab inanitione fit, cui non superuenit sternutatio. sternutatio enim motus est uehemens, hic autem debili ægro non potest superuenire: at debilis est æger, quicunque à singultu ob inanitionem corripitur. Verùm quod singultus maximè ex repletione fiat, indicant pueri, qui cum uoraces sint, maximè singultiunt: & frigus ac rigor, qui causa sunt singultus, humore in tunicas uētriculi infarcto. Sed quomodo hæc liberatio succedat, nemo dixit. fieri enim ob uehementem motum concussionis ex sternutatione educto humore, simile prodigio est. Et si homo sternutamentum cieat, non protinus liberatur, sed si sponte sternutet: quam uis etiam aliqui sic liberentur: nec liquet, quo nam materia illa procedat, si detrudi eam fateamur. Infrà uidebimus quomodo fiat sternutatio, dicente Hip-

5. Aphor. 46. pocrate: Sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato, eo quod in capite est inani. aer enim intus contentus extra erumpit: sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus. Galenus ibi docet, sternutamentum fieri attracto spiritu à pulmonibus, magnaq; compressione facta. Verùm in hoc fallitur Galenus, quoniam putat eum aerem attrahi à pulmonibus, ut fiat sternutatio. Sanè bene fecisset, si hunc modum docuisset. Sed contingit sternutatio ob id, quòd uentriculi cerebri dilatantur, & attrahunt aerem, ut illum cum impetu exprimant: & dum attrahit cerebrum per nares, cogitur etiam pulmo attrahere: sed spiritus, qui à pulmone attrahitur, nil facit ad sternutationem, sed solùm qui à cerebro. hic enim repente per angustum compressus, edit illum sonitum. Indicio est, quoniam uidemus, quòd ante sternutationem aer per nares trahitur: & si trahatur solùm per os obturatis naribus, non fit sternutamentum, aut leue, & imperfectum. Ratio igitur Aphorismi huiusmodi est: dum singultus manet, uapor ille uellicat uentriculum: hic idem attenuatus, ascendit per os & palatum, pungitq; cerebrum, & tunc mouet sternutamentum: igitur sternutamentum superueniens singultui, non est causa, ut credit Galenus, liberandi à singultu (hoc enim nunquam, quomodo fiat, ostendere poterit) sed est signum satis certum, quòd uapor ille qui singultum faciebat, & materia illa iam resoluta est. & ideò etiam patet causa dicti in libro Prognosticorum: Grauedines & sternutationes in omnibus circa pulmonē morbis & anteceßisse & succedere, malum est: at in alijs morbis lethalißimis sternutationes prosunt. Pag. 5. Nam, ut dixi, robur cerebri significāt: at in pulmonis morbis trahi aerem uehementer à cerebro, reluctante pulmonis natura, indicium est, non parum laborare cerebrum, ut sit & signum malum, & causa. ut neque hic, neque ibi, uel etiam in septima Aphorismorum, assecutus sit ueram sternutamenti originem. Fit enim tußis in pulmone, uelut sternutamentum in cerebro, attracto aere, ut quod noxium est expellatur. Verùm tußis per loca latiora materiam trudit, nec necesse est aerem ad cerebrum trahi, dum trahitur ad pulmones: at si trahitur ad cerebrum, eo modo atque impetu ad pulmones deferri necesse est. aliter enim per nares respiratio fieri non posset, nisi hoc contingeret. Quod cum Galenus non animaduerterit, egregium inuentum esse existimauit, aerem ad pulmonem attractum causam esse sternutamenti, cùm ad id parum aut nihil pertineat.

APHOR-

APHORISMVS XIIII.

AB aqua intercute habito, si aqua è uenis in uentrem defluxerit, soluitur morbus.

COMMENTARIVS.

¶ Ὕδρωπος, *aqua intercute uerterunt.* Sed *quid sit* ὕδρωψ *ab* ὑδρωπιάω, *nemo uerè docuit. Pari ratione aquæ intercutis nomen sub eadem ambiguitate reliquerũt. Celsus libro 3. tres* (Cap. 21.) *species facit, ut etiam* Princeps: *cum colligitur aqua in uentre, uocaturq́; ascites: cum flatus, tympanites: cum humor in ambitu totius, anasarca, seu leucophlegmatia. Sed quis sensus erit, si dicamus aqua collecta in uentre, si è uenis in uẽtrem defluxerit, soluitur morbus?* An ὕδρωψ *forsan species tãtum est, ut Galenus ait in libro de Linguis* Hippocratis? *aut per hoc uerbum (è uenis (ad leucophlegmatiam solam contrahitur.* Sed hæc de locutionis modo. Illud *magis arduũ, quo nam pacto si in uentrem defluxerit, soluatur morbus?* Quidam *dixerũt, oportere ut è uentre ducatur postmodum: sed hoc non est sententiam* Hippocratis *ueram reddere, sed falsam.* Alij *dixerunt, priorem morbum solui nõ simpliciter: sed hoc primum artificio caret. deinde uerũ haud est, cum ex hydrope in hydropem decidat, cum utraq; species sub communi nomine cõtineatur.* Dicendum *est igitur, quòd aliud est defluere, aliud deriuari aut descendere.* Quoties *defluit, cum impetu in uentrẽ peruenit, & eodem impetu euacuatur & sanatur æger: si aũt, ut ita dicã, sensim instillarit, retineri potest, & mors sequi.* Plinius *secundus de* Medicina *ponit tres species hydropis hoc modo: uult autem in omnibus communem esse tumorẽ uentris, in qua tumet uenter ex flatu & humore: uocatur, si humor superet, ascites: si flatus seu spiritus, tympanites: si autem cum uentre totum corpus tumeat, leucophlegmatias.* (Lib. 3. cap. 12.) Verùm *si quis conferat quæ scripsit libro de* Internis *affectionibus, inueniet leucophlegmatiam esse pituitam albam ad unguem, quòd Græcum unum sit, alterum* Latinum *nomen.* Et *transitum hunc sensim quandoq; fieri, tuncq́; medici auxilio indigere. uerba eius sunt hæc:* At *si antiquior sit pituita (appellatur autem pituita alba) hæc patitur, grauat hominem magis, & speciem à populari uidetur habere pallidiorem, & totum corpus laxo tumore intumescit. & facies rubet, & os siccum est, & sitis tenet: & cum comederit, spiritus densus incidit.* Inde *subijcit:* Ab *hac in aquam intercutem transitus fit, hoc modo:* Pinguedo *colliquescit, & à calore qui in pituita est fit aqua.* Cognosces *autem hoc, an quis sanari possit, aut non.* His *intelligitur, per hydropem intelligi hic albam pituitam, quæ in aquam intercutem propriè desinit repentè.* (Pag. 13.)

APHORISMVS XV.

A longo alui profluuio habito, spontaneus uomitus superueniens, morbum soluit.

COMMENTARIVS.

¶ In *libro de* Locis *in homine, hæc scripsit.* (Pag. 14.) Et *sic quidem per uomitum uomitus sedatur.* Rursus *autem, propterea quod sedatur, quia infernè deduxit id, ex quo uomitus fiebat, atq; ita contrarijs ambobus modis (scilicet à simili contrarioq́;) homo sanatur.* Quod *cùm uerum sit in artificiosa sanatione, multo magis ac securius contingit à spontanea.* Atq; *id quod ita fiat, & cur ablata scilicet communi causa utriusq;, conspicuum est in artificiosa. in naturali autem non perinde: quoniã per artificiosam etiam alui profluuium recens sanatur.* Per *naturalem autem adiecit longum profluuiũ sanari.* Causa *est, quòd in choleris alui profluuio iungitur uomitus: nec tamen æger sanatur, sed utrumque perseuerat, tum ob summã repletionem circa uentriculum, tum ob influxum uehementem, qui fit ex toto corpore ad illas partes.* At *in longa diarrhœa non est uerisimile plenum esse uentrem, neq; totum corpus, quare nec humorem alium transmissum ad eas partes: sed humorem contentum in uentriculo detrusum per locũ cõuenientem: cùm ibi coactus ob læuitatem ad inferna, & quia ipsi uentriculo annexus esset antea, non potuerit euacuari.* Scribitur *quinto* Epidemiorum: Bianti (Cap. 10.) *pugili, cum naturà uorax esset, cõtigit ut in cholericas affectiones bilis sursum ac deorsum exeuntis incideret, ex carnis esu, maximè uerò ex porcinis crudioribus, & ebrietate uini odorati, & placentis & dulciarijs ex melle, ex cucumere, pepone & lacte, & polenta recenti.* In *choleris enim utraque pars uentriculi & facultas iritatur, & leuia ac cruda magis per uomitum eijciuntur, reliqua per aluum: atq; hæc uel ab initio, uel ex causa externa.* Secus *in profluuio uentris diuturno.* Pariter *ex fluxu uentris curatur diuturnus uomitus, cùm in colo intestino materia resederit corrupta aut biliosa, qua parte uentriculum superequitat.* Scribitur *hic* Aphorismus *aliter in primo de* Morbis, *per hæc uerba:* (Pag. 4.) A *profluuio alui ualido correpto, uomitus superuemens, bonum.* Hic *dicit ualido, pro diuturno, quod etiam congruit. nam tum non ex multitu-*

dine

dine contingit, ac repletione, sed humoris prauitate maxima, qualis est ueneni. Ideo superueniens uomitus liberat. etenim in ualido profluuio non facilè natura conuertere se ad actionem cõtrariā potest, nisi humor ille iam separatus aut euictus naturæ uentriculi cedat: sicut nec in longa alui deiectione ob consuetudinem. Duo enim sunt, quæ permutari non sinunt operationem: magnitudo, aut consuetudo operationis. Non solùm autem uomitus & alui profluuia sic sanantur uicißim, sed ubi utrunq; adsit, ut in choleris per ea quæ euacuant utrinque, uelut per elleborum: quinto Epidemiorum, de uiro illo Athe- Pag.2. *nis curato. Sed & quomodo uomitus & aluum astrictum soluat, & fluentem astringat, docuit in secundo de Diæta, cum dixit:* Pag.2. *Ventrem compactū uomitus soluit, & egerentem magis quàm oportet sistit: illum quidem humectans, hunc uerò siccans. Quum igitur aluum quis sistere uolet, auidè deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infrà detrahatur, & cibis acerbis atq; austeris potius quàm alijs uti.*

Hæc igitur de mutatione utili proposuit facta à natura à decimo usq; ad præsentem Aphorismum, nisi quòd duodecimū interseruit ob continuam narrationem de hæmorrhoidibus. nam cum in undecimo utilitatem superuenientium hæmorrhoidarum proposuisset, in sequenti detrimenta subnectit suppressarum. Decimus autem pendet ex nono, quoniam in reliquis ab initio usque ad nonū manifesta est continuatio. describit enim, qui morbi iuxta essentiam aut naturam patientis, aut coniunctionem cum alijs, aut iuxta alias conditiones mali sint & graues aut mites. quia cum dixisset, quòd latæ pustulæ non admodum pruriunt, supple quia difflantur per insensilem euacuationem: in decimo docet, quod per sensilem euacuationem multo magis morbi ipsi mitescunt.

APHORISMVS XVI.

A Morbo laterali uel pulmonia habito, profluuium alui superueniens malum.

COMMENTARIVS.

¶ *Semper hic noster Galenus Hippocratem sugillat frustra. cum enim generaliter dixisset Hippocrates, quòd profluuium alui superueniens in morbo laterali & pulmonia est malum: addit Galenus, si uehemens sit morbus. nam si mediocris sit, & maximè concocta materia, haud malum erit, sed bonum, cum materia expulsa natura allevietur. Hic uir uidetur immemor eorū quæ scripsit sexto de Locis. nam de hoc uberius in 10 Contradicentium medicorum egimus satis,* Cap.4. in fine. contrad.54. *Hippocratem hic loqui de aßidentibus signis malis, cum hucusq; de bonis tractârit. Est aūt hoc signum malū, quod neq; partē materiæ expurgat natura, & tamen iecur adeò malè afficitur ex consensu, ut fluxus subsequatur. Libenter aūt audirē ex Galeno, cur in magno morbo malum sit hoc signum, in mediocri poßit esse bonum. idem dico de causa.*

Sed mittamus illum, et quæramus potius, cur ex laterali morbo aut pulmonia adeò iecur afficiatur, ut soleat sequi alui profluuium: & non solùm iecur, sed uentriculus malè afficiatur. Id primùm contingit ex uigilia, unde cruditates oboriuntur: inde ex intemperie calida et humida præter naturam. calida quidem præter naturam semper profluuiorum est causa, si non siccitati iuncta sit: humida uerò qualiscunq;, profluuiorū est causa. inter sanguinea enim membra, ut sunt cor, pulmo & iecur, maxima est coniunctio. Pulmone enim uitiato cor patitur: unde uenæ omnes, et origo uenarum iecur, grauiter afficiuntur. Dico ergo profluuium alui esse malum in his morbis, quoniam signum est quod uel iecur malè affectum est, uel uentriculus: nihilo melius si perperam grauata natura tentet se exonerare per eum locum. Et si materia concocta sit, magno uirtutis dispendio, paucißimi sic liberantur.

APHORISMVS XVII.

LIppientem alui profluuio corripi, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Citra suspicionem affectu iecinoris ex lippitudine aduenit alui profluuium, similiter affectus uentriculi. Sed si profluuium incidat, contingere solet materia, quæ ex iecore ad caput ascendebat, ad intestina relegata: quod accidit, quoniam materia ea mitescit: aut quoniam uiæ quæ antea occlusæ erant, ad intestina tendentes, sunt reseratæ: uel quia auxilijs prohibita materia ne ad caput ascenderet, uiolenter retroacta sit ad iecur, & ex eo ad intestina. est ergo causa bona, quoniā reuellitur à decursu in patientē locū materia. Indicant aūt hæc omnia curandi rationē, cū opus naturæ medicus perfectè imitari potest. Debet ergo medicus naturam imitari, cum illa morbum sanat, atq; ea uia quam medicus potest assequi. Ideo & hic Aphorismus præcedentem sequitur: docens, contraria ratione, licet in eodem morbi genere, contrarium effectum consequi.*

Plurimum

Plurimum autem potest purgatio in oculorum morbis, & longè præstantior est sectione uenæ: quoniam humor qui ad oculos deriuatur, licet per uenas descendat, raró tamẽ est sanguis, sed potius bilis aut pituita, aut ichores, uehementius reuellitur, nec adeò ægrum debilitat: quia tamen oculi breui tempore magnas incurrunt calamitates, tum ob contentorum teneritudinem, tum ob multiplicem compositionem, & ob locorum angustiam & operationis nobilitatem, sæpè præsentanea auxilia sunt necessaria, inter quæ est sectio uenæ. Atque eam ob causam medicamẽtis opus est ualidissimis in huiusmodi morbis: et quoniã necessarium est prius totum caput purgare, atq; ante illud & uniuersum corpus: quæ omnia tum ob id quod purgatur, tum ob multiplices operationes, longo tempore indigent.

ὀφθαλμίας uocant Græci lippitudines, atque hæ duplices. humidæ, quæ minus malæ: et siccæ, peiores, quòd humor in oculis contineatur. Diximus autem de hoc in tertia particula. Mor-
Aphor. 11. bus hic fuit familiaris Horatio:
12.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. — Traducitur & ad fauces. Plautus in Curculione:

Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.

Erat sanè alius morbus lippitudo apud Roma-
Cap. 16. nos, ab ὀφθαλμίᾳ Græcorum, quæ est inflam-
sec. 26. matio. Inquit enim Celsus libro sexto, dum de
„ oculorum agit inflammatione: Aspritudinẽ aut
„ inflammatio oculorum ferè sequitur, interdum
„ maior, interdũ leuior: nõnunquã etiam ex aspri-
„ tudine lippitudo fit, deinde aspritudinem ipsam
„ auget. Quod etsi nos alios secuti sumus antea errando, noluimus tamẽ latêre quid esset lippitudo, quid ὀφθαλμία. At lippitudinis futuræ si-
Cap. 6. gnum est, inquit Celsus libro primo: Si tempora
„ sæpe iisdem dolent, & noctu corpora insudant,
„ et frons prurit. Est ergo lippitudo, pruritus cum rubedine: & antequam pruritus ille uehemens sequatur, aspritudo appellatur, in qua palpebræ crassæ ac duræ sunt, & asperæ, unde aspritudo dicta est.

Pag. 5. Excerptus est hic Aphorismus ex libro de Iu-
dicijs, sed & in libro de prædictionibus Coacis.
Pag. 10. uerùm additur, Sua sponte prodiens: fieri enim potest ut per medicamentũ adeò exagitetur corpus, ut etiam lædatur: superuenire autem febrẽ, aut capitis dolorem, cæcitatem indicat. Sed & febris mortem affert, quoniam dolor capitis tantam significat esse materiam, ut necesse sit oculos, antequam finiatur, corrumpi. Febris autem cum ex eadem fiat materia, ex qua lippitudo, ut
Aristoteles innuit prima Problematum: ea su- Probl. 8.
perueniente indicat abundantiam materiæ maximam, quæ si in capite sit, cæcitatẽ gignit: si in toto, mortem: in utroq;, utrunq;, ut ibi dicebat Hippocrates. Sed si materia lippitudinis in febrẽ transeat, hoc bonum est. nam lippitudo ipsa fini-
tur, ut ibidem etiam docet. ὀφθαλμίας ergo Pag. 3.
Græci tumores appellant oculorum, libro de
Glandulis. Dicebat in libro de Visu: Ad lippitu- Pag. 2.
dinẽ annuã et popularẽ cõducit purgatio capitis „
& uẽtris inferni. Et si corpus habeat, sanguinis „
detractio ad quosdã huiusmodi dolores confert. „
cõferunt & curcurbitæ circa uenas affixæ: ci- „
bus modicus, panis, & aquæ potus. Verùm (sub „
iungit) post acria medicamenta, quæ ad dolorẽ „
illinuntur, cataplasmata imponere post dolorem „
cõducit. Ex quo apparet, ὀφθαλμίαν esse tumorem cum dolore, id est abscessum, qualisq; sit il-
lius cura. In sexto Epidemiorum hoc habet: Tu- Sec. 7. seu tabella parua.
mores in palpebris relicti, dum alia circumcirca
gracilescũt, reciduas faciunt. In extremitate ue- „
rò subribicundi, duri & ualde tenaces, & insur- „
gentes ac inhærentes in his sunt. uelut Pharsalio „
Polymedi erumpentes tumores aut liuores in lip- „
pitudinibus aut ulceribus, quia signa sunt. ubi lo- „
co, in lippitudinibus habet ἀντὶ ὀφθαλμίαις: ut „
uideatur in ophthalmia superuenire posse tumo- „
res: generaliusq; esse apud Græcos nomẽ, quàm „
lippitudo apud Latinos, nõ aliud omnino. lippitu- „
do enim aspritudinem terminatur.

Sed postquam in secundo Prædictionum di- Pag. 10.
xit ὀφθαλμίας, eosdem habere circuitus, quos & febres, lippitudines autem etiam annuæ sint, apparet lippitudines non esse ὀφθαλμίας.

APHORISMVS XVIII.

Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale est.

COMMENTARIVS.

¶ Verbum διακοπέντι, Galeno & Philotheo teste, profundius discissum significat. Sed ego mâlo legere solum discissa, tum quia dictio illa non propriè id decernit, tum quia sensus Hippoc. peruertitur. Nam etsi per Lethale, quod plerunq; mortem affert, intelligas, etiã non profunda uulnera in quocunq; horum membrorum lethalia sunt. De corde enim palàm est, & ipsimet fatentur, non plerunq; solùm, sed semper, uulnera mortem afferre, de cerebro etiam rarissimè contingit,

tingit, ut uel exiguo uulnere tactum mortis causam non afferat, corpore partim resoluto, partim conuulso. iecur quoque qua parte profundius mortem affert, eadem etiam uel exiguo uulnere, licet non tam celeriter: uentriculus uerò, & gracilia intestina atque uesica potius ob consensum neruorum & cerebri: & quia non coalescunt, mortem afferunt, quàm ob profluuium sanguinis uel separationem partium, unde etiam in ipsis parua uulnera lethalia sunt. Quod si lethale pro omnino mortẽ inferente intelligas, neq; ullum horum membrorum præter cor (quod, ut dixi, uel exiguo quantumcũq; uulnere certam mortem affert) profundius uulneratũ certæ mortis causam præbet. Recitat Galenus, Smyrnæ in Ionia uulneratum in uentriculo cerebri adolescentem superuixisse: quod etiã ad miraculum refert. De duobus alijs in Commento refert, quibus etiam Smyrnæ cerebrum diuisum fuit, & superuixerunt: si tamen ambo cerebri uentriculi diuidantur, dicit in octauo de Vsu partium, ne momento superuiuunt. Brasauolus autem de hoc sermonem habens, inquit: Nos autem in cerebro uulneratis mira uidimus, in uno primùm, qui patricijs Valengis seruiebat. tanta enim illi cerebri substantiæ quantitas exiuit, quantum est gallinæ ouum, tamen euasit: licet deinceps probè loqui & expeditè non potuerit: stupidus quoque & ineptus reliquo uitæ spacio, quod tamen triennium non excessit, superuixit. Alium uidimus ex Corsica militem, cui fermè capitis dimidium cum sua cerebri portione ablatum fuit, conualuitq;: sed neq; recordabatur, nec loqui poterat, sed stupidus nihil ad proposita respondebat: stercus & urinã demittebat in lecto, nec comedebat nisi quæ in os imponerentur, infantis omnino mores habens: cumq; à socijs in patriã deduceretur, nescio an superuixerit. His itaq; uiris credo ob doctrinã, non secus ac mihi: neq; fuerunt aut sunt, quales aliquãdo in patria inueni, qui neq; per se inuenerint: & mihi quærenti, & in publicã utilitatem insudanti, canum more obstrepuerint. Atq; ex his nõ omnes (sunt enim & probi) sed unus mortalium pessimus, alter paulò melior: quo etiam factum est, ut cum antiquo tempore, & nuper, ut recitaui, Ferrariæ industria ac diligentia medicorum euaderent, etiã præciso cerebro: apud nos neq; membranis uulneratis, imò ne osse capitis præsus (res incredibilis) ferè oẽs pereunt. Cui rei cum bono publico, quòd causam intelligã, uellem occurrere, obstitêre quidam, nolebantq; laboris ac industriæ meæ gloriam & fructum ad imperitissimos transire, ne me uel participe facto. Quod ego intelligens, quamuis forsan alijs secus uideatur, nec probi hominis lege, nec Christiani teneri, existimaui ut pessimis ac malignis uiris talia cõmunicarem. De probo uiro non dicam, quando nec Christianus, qui probo uiro nõ solùm melior est, sed simpliciter optimus, non tenetur. Inquit enim Lucas, de Christo loquens: Non potuit nisi pauca miracula in patria sua facere ob incredulitatem (ut uocabulo Iuriscõsulti utar) eorum. At nõ potuisse ob id nemo dubitat, cum fide illorum uis Christi haud indigeret: immerentibus ergo indignum existimauit. Sed ad ordinem redeo. Neq; iecoris uulnera etiã magna, teste Galeno, prorsus mortalia sunt, imò præcisa extrema parte effatu digna aliqui superuixerũt: quoniam in his neque præ dolore, neq; ob aliud mors, q̃ ob sanguinis exitum, contingit. Quamuis Brasauolus recitet, duos Ferrariæ à se curatos perijsse ex uulnere iecoris: alium repentè ex ulcere, quod ad suppurationem peruenerat: alium ex calce equi in iecoris gibba percussum, ut ex dissectione apparuit. Vt concludat, omnia uulnera & ulcera iecoris, quod ad experimentum attinet, lethalia esse.

Lib. 8. de Vsu par. cap. 10.

Forsan aliquis nos insimulabit, quòd amicitiæ causa Brasauoli experimenta in medium adducam: uerùm decipitur. nam hominem nunquam è facie noui, nunquam epistolam ab eo accepi, uel illi scripsi: nunquam, quod sciam, ille ullo in opere suo, quod multi, quibus debeo, imò omnes faciunt, me inseruit. Sed cùm in publicam, ut dixi, utilitatem scribam, in his quæ mihi uidere non contigit, eorum testimonio uti cogor, qui experimenta multa, & cum iudicio scripserunt. Quod & si idem fecisset Fuchsius, nec adeò solis antiquorum uerbis interpretandis incumberet, aut Cornarius, aut amicus noster A. Vesalius, quod mihi ex usu foret, ab illis sumerem, modò pari iudicio & diligentia scriberentur. Itaque ut ad rem redeam, & parua iecoris uulnera non sunt absque uitæ periculo & grauissimo, & magna, nisi aliquod uas magnum fuerit discissum, non omnino sine uitæ spe esse possunt: in uesica uerò & intestinis gracilibus ac uentriculo par fermè est ratio, nisi quòd cùm hæc sint pura uasa, & tenuia, non ob magnitudinem uulneris fiunt maximè lethalia: sed multùm interest, an transuerberentur,

rentur, quoniam tunc nec excrementa contineri possunt: nec si non contineant, consolidari: nec si transmittant, perpetuò superuiuere homo potest. ob id si quid horum ita uulneretur, interit homo fermè semper. Tantum *uerò abest ut magnitudo uulneris offendat, ut sic uulneratis quanto angustius sit foramen, citius & certius pereant. similiter, et si ualde amplũ: mediocria, securiora.* Hæc *igitur, non ut* Galeno *contradicerem, & antiquis: sed ut* Hippocratis *sententiam, quæ uerißima est, rebus ipsis accommodarem.* Quòd *si quis obijciat, sic intellecto lethalis nomine non fuisse asscribendum cor, quod semper uulneratum mortem affert:* Respondemus, Hippocratem *hîc solùm ostendere, quæ membra uulnerata mortem afferre soleant: nec si certò cor ineuitabilem afferat, ob id falsum esse illius dictum, cùm uulnera omnium illorum membrorum lethalia dicat: falsum tamen dicturum fuisse, si horum omnium uulnera, quamuis profunda, certò lethalia dixisset. uerùm & ex his clarum esse, hæc uulnera quo profundiora fuerint, maiora, aut punctim illata, eo esse lethaliora, quandoquidem toto genere iam lethalia sint.*

Brasauolus *his membris alia quinque adijcit: fellis uesicam, cordis inuolucrum, pulmonem, lienem, & medullam dorsi prope cerebrum.* Celsus *libro quinto addit, pulmonis medium, renes & uenas atq; arterias magnas circa fauces, ac spinalem medullam: lienem uerò, & uesicam atque uterum, & craßiora intestina, ac cerebri membranas inter membra magni periculi collocat.* Nos *in* Antonio Olgiate *ablatam partem pericardij uidimus, & sanatus est: sed suspiria alta ducebat, nec multis annis superuixit. functio tamen cùm ignobilis sit, mortem non necessariò infert.* Quatuor *enim modis membra sauciata mortem inferunt: uel neceßitate officij, ut pulmo: uel præstantia naturæ, ut cor: uel sanguinis profluuio, ut iecur, arteriæ magnæ & uenæ: uel symptomatum prauitate, ut neruosa, uentriculus, uesica.* Nam *quòd insanabilia sint, ridiculum est dicere lethalia. ossa enim & cartilagines & ligamenta sic uulnerata mortem inferrent.* Pericardium *ergo non per se lethale est, sed quia uulnerari non potest, quin multa alia membra nobilia lædantur.* Ex *pulmonis uulneribus neminem sanatum uidi ad hanc usque diem, non tam morbi magnitudine, quàm (ut rectè* Galenus *hîc inquit in* Commento*) quòd medicamenta cõmodè illi adhiberi nequeunt.* Antiquo *tempore sanabantur, ut colligitur secundo de* Morbis, *etsi* Hippocratis *liber ille non sit, ustionẽ: nunc, ut dixi, auaricia medicorum, & negligentia* Principum *talia amissa sunt, nec mihi licet chirurgi officio fungi: scientia autem absque experientia in talibus nulla est.* Antiquo *ergo tempore medium solum pulmonem, nunc totos pro lethalibus subijcere oportet.* Indicio *etiam est, quoniam* Celsus *ut medium pulmonis, ita pulmonem connumerasset inter lethalis offensæ membra.* Tunc *enim & ob gladiatorum munus, & ob frequentia bella non rarum erat exemplum, quinimò tanquam de re notißima* Celsum *locutum fuisse credendũ est.* De *liene & uesica fellis non tamẽ facilè adducor, nisi quia perperàm nunc omnia tractentur.* Nam *ratio uix subscribit, nisi uas in liene aut uesica fellis pertundatur.* Atque *sic uerisimile est, humore effluente post diuturnam tabem eos mori, ut forsan ita melius sit dicere.* Eadem *autem ratione, qua de uesica urinæ locutus est* Hippocrates, *intelligendum est de fellis uesica.* Et *cordis inuolucrum his meretur adnumerari, cùm uix uulnerari queat, quin aliquod etiam nobiliorum membrorum lædatur.* Et *pulmo ac lien ob curandi difficultatem, & artificum imperitiam & spinalem medullam: quam* Hippocrates *prætermisit, quoniam resolutionis, non mortis prima & principalis causa sit: renum uerò & uenarum atque arteriarum magnarum non simpliciter lethales esse, sed cum aliqua adiectione, uelut uenas & arterias interiores magnas, & renes profundius læsos, & pulmonis medium, non pulmonem, ac talia.*

Parum *aũt iuuat scire, quæ membra discissa lethalia sint, cùm non sciuerimus, quando sint discissa.* Celsus *omnium horum luculentius meminit libro quinto his uerbis:* Vesica *uulnerata dolent inguina, quod super pubem est intenditur: pro urina sanguis, aut ex ipso uulnere urina descendit: stomachus afficitur, itaque aut bilem uomunt, aut singultiunt, frigus, & ex eo mors sequitur.* Cerebro *autem, aut membrana uulnerata, quæ illum ambit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, ferè que bilis uomitus insequitur.* Quorundam *sensus obtunduntur, appellatiq; ignorant: quorundam trux uultus est: quorundam oculi quasi resoluti, huc atque illuc mouentur, ferè que tertio uel quinto die delyrium accedit.* Multorum *etiam nerui distenduntur.* Ante *mortem*

Cap.26.

Cap.24.

Cap.26.

autem

autem plerique fascias, quibus uulnus deligatum est, lacerant, ac nudum uulnus frigori obijciunt: corde uerò percusso sanguis multus effertur, uenæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidissimi, maliq; odoris tanquam irrorato corpore, oriuntur: extremis que partibus frigidis matura mors sequitur. Paulus addit, telum non in uacuum directum uideri, sed duriori substantiæ impactum: & nonnunquã pulsatilem motum edit: & si uulnus apertum fuerit, sanguis niger effluit, animoq; linquuntur ægri. At si septum transuersum percussum fuerit, præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, spiritus rarus est, sanguis spumans effertur. Ieiuni uerò intestini, & uentriculi uulnerati communia signa sunt, cibus & potio per uulnus exiens, præcordia indurescũt, nonnunquam bilis per os redditur. Ieiuno tantùm sedes inferior est: cætera intestina icta, uel stercus uel odorem eius exhibent. Iecoris autem uulnerati notæ sunt, multus sub dextra parte præcordiorum profusus sanguis, ad spinam reducta præcordia, in uentrem cubandi dulcedo, punctiones dolorésque usque ad iugulum, iunctúmque ei latus scapularum, os intentum. quibus nonnunquam etiam biliosus uomitus accedit. Sin autem pulmo, spirandi difficultas, sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulq; etiam spiritus cum sono fertur, in uulnus inclinari iuuat, quidam sine ratione cõsurgunt: multi si in ipsum uulnus inclinati sunt, loqui possunt: si in aliam partem, obmutescunt. Si uerò stomachus percussus est, singultus & bilis uomitus insequitur. Si quid cibi uel potionis assumptum est, ea redditur citò. Venarum motus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigescunt. At liene icto, sanguis niger à sinistra parte prorumpit. Præcordia cum uentriculo ab eadem parte indurescunt, sitis ingens oritur, dolor ad iugulum, quemadmodum in iecore uulnerato. Renibus uerò percussis dolor ad inguina testesq; descendit, difficulter urina redditur: eaq; aut cruenta est, aut cruor effertur. Quod si uulua percussa est, dolor in inguinibus & coxis & fœmoribus est. Sanguinis pars per uulnus, pars per naturale descendit, uomitus bilis insequitur. Quædam obmutescunt, quædam mente labuntur: quædam sui compotes, neruorum oculorúmque dolorem urgeri se cõfitentur, morientesq; tandem eadem quæ corde uulnerato patiuntur. Medulla uerò, quæ in spina est discissa, nerui resoluuntur aut distenduntur, sensus intercidit: interposito tempore aliquo sine uoluntate inferiores partes semen uel urinam, uel etiam stercus excernunt. hæc Celsus.

Lib. 6. cap. 88.

Verum Paulus inquit: Facile est dignoscere, si qua pars nobilior ex interioribus percussa fuerit. Nos autẽ animaduertimus peculiare signum esse, si aliquandiu uiuat, febris rigorem, atq; eum sæpius repetitum eadem die: quoniam cùm materia non potuerit perfectè intra uenas tam breui tẽpore putrescere simul, & quia nerui læsi sunt, & maximè in uulneribus neruosarũ partium rigor, natura materiam putrescentem expellente, incidit: & quãuis febres sudore soluantur, nihilo secius tamen recurrunt ob offensæ magnitudinẽ. Contingit etiã hoc quandoq; in cordis uulnerib. nam non statim ex his, ut quidam opinantur, intereunt. Brasauolus refert, abscissa parte mucronis cordis, animal per aliquod spacium uiuere posse. Suemq; in cordis cuspide uulneratum, qui per horam superuixit & comedit: & nisi iterũ uulneratus fuisset, non tam breui interiturum. Quin etiam Galenus 2 de Decretis Hippocratis inquit: (Cap. 4.) Victimas erepto corde in quibusdam solitis sacrificijs arisq; iam imposito respirare, intentè clamare, fugere tantisper donec per sanguinis profluuium conciderit. Et quinto de Locis, (Cap. 2.) uulneratos gladiatores in sinu cordis statim cõcidisse, maximè in sinistro: in quibus uerò uulnus non usq; ad sinum penetrauerat, superuixisse quosdam non solùm per eam diem, sed etiam sequentem noctem, & rationis compotes, donec inflammatione oborta interirent. In his igitur etiam febris aduenire solet. Hi uerò quibus calculus exciditur, sanari possunt: quoniam non uesica, sed illius collum secatur: neque necesse est febrem cum rigore illis oriri: sed si oriatur, non bonum est signũ, non tamen lethale: quidam enim seruati sunt, nemo tamen absq; illa mortuus est.

Iam ergo sententia Aphorismi declarata est, per quam intelligimus, quæ membra maximè lethalia sint. primumq; cor est, inde cerebrum & iecur, uelut principaliora, post uerò uentriculus & intestina gracilia: inde septum transuersum, & uesica. Pulmo similitudine septi, medulla spinalis cerebri, uesica fellis & uterus, uesicæ urinæ, renes iecoris, inter membra lethalia connumerari possunt. Sub uentriculo stomachus uelut eius pars continebitur. Et ea uulnera quo profundiora fuerint, eo lethaliora absq; dubio. Quæ cæsim, quo maiora: sed deteriora quæ pũctim il-

lata fuerint. Atq; haec ex Hippocratis sentẽtia. sed si quis uelit diligentius illum interpretari, ex Celso cum eius aetate & Romae plurima experimenta haberentur, nõ solùm in praelijs, sed ex multiplici ludo gladiatorio, erũt sic determinanda: Seruari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iecinoris portae, cui in spina medulla percussa est, cuiq; aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius intestinum, aut uentriculus, aut renes uulnerati sunt: cuius circa fauces grãdes uenae, uel arteriae praecisae sunt. Vix autem ad sanitatem perueniunt, quibus ulla parte pulmo, aut iecinoris crassum, aut membrana, quae continet cerebrum, aut lienis, aut uulua, aut uesica, aut ullum intestinum aut septum transuersum uulneratum est.

Cap. 26. in prin. ferè.

Reliquum est uerò, quoniã Hippocrates, ut dixi, ex uno nos plura docere solet, ut uideamus an idem quoque, quod in uulneribus dictum est, in ulceribus etiam sit intelligendum: & si ita sit, quae peiora sint ulcera aut uulnera, magisq; lethalia. Constat enim ulcera etiam absq; uulneribus fieri ruptis abscessibus, & ex humore erodente. Et ut uno uerbo rem absoluã, longè deteriora sunt ulcera, quo ad sanationem, quoniam sensim facta, & cum mala intemperie. Inquit enim Hippocrates: Morbi antiqui difficilius sanantur quàm recentes. Oportet aũt ex antiquis recẽtes facere, ut sanentur. unde liquet, eum de uulneribus atq; ulceribus loqui. Vulnera uerò periculosiora & magis lethalia, quia maiorem subitò mutationẽ in corpore faciunt, unde dolores & conuulsiones oriuntur. Ex ulcerum conuulsione rari aut nulli omnino leguntur: ex uulnerũ multi, similiter de febre. Galenus de gallo & simia recitat, qui in corde scirrhum alter, alter aquã habuit uesicis cõtentam. Talia si uiolenta cõtingere possent, statim occiderent animal. Caesar Barbauara iam diu uesicam ulcère perforatam habet, nostroq; beneficio uitam ducit aliquot annis: qui si uulnus ulceri aequale suscepisset, ne uel mensem implere potuisset. Vt uerò lethaliora sunt uulnera, sic maiorem sanationis spem habent, quoniã uiolenter inciderunt: ulcera autem ut sanatione sunt difficiliora, ita lentius mortem afferunt. Verũ quoniam omnino sanationis spe carent, absolutè peiora sunt. Erysipelas quoq; ad cutaneum uulnus referri debet.

Lib. de Locis in homine, pag. 12.

APHORISMVS XIX.

CVm discissum fuerit os, aut cartilago, uel neruus, uel genę particula tenuis, uel praeputium, neque augetur, neq; coalescit.

COMMENTARIVS.

¶ Postquam declarauit membra, quae diuisa mortem afferunt: sic docet illa quae nec restaurantur, nec consolidantur uerè. At prior Aphorismus praecedenti cõtinuabatur, ob id, quod antea locutus erat de his membris, quae ex superuenientibus ad bonum uel malum mutari poterãt. at in his duobus de his loquitur, quae mutari minimè possunt. nam primũ genus si laedatur, mortem affert: secundum est insanabile. Proponit ergo Hippocrates quinq; genera partium similium, quae nõ augentur neq; coeunt, sicut in praecedenti septem composita, seu quae instrumenti uice funguntur. Haec disposuit Hippocrates per ordinem, non ut priora: siquidem os minus cartilagine, & cartilago neruo, ut neruus minus gena, & gena praeputio. Conatur Fuchsius, nihil ueritus autoritatẽ Hippocratis, ostẽdere ex Galeno libro Artis medicae cap. 91. ossa in pueris coalescere posse, ac uerè restaurari, quòd mollia sint. impedimentum autem restaurationis ex siccitate oritur, ut etiam quinto Methodi. Secundum, est paucitas materiae seminalis, quae non permittit ut membrum tam citò restaurari poßit, quin à carnis generatione praeoccupetur. citatq; Galenum in Arte medica, & in libro de Semine: licet non hanc solam, sed etiam aliam. Dicit enim in primo eiusdem, Aristotelem redarguens, non consolidari ossa, nec neruos, carnem autem sic: quia materia oßis & nerui deest, quae est semen: carnis autem suppetit, quae est sanguis. Sed haec omnia falsa sunt, praeter id quod Hippocratem damnent. Primum enim ostendimus in Contradicentibus, membra omnia ex seminis actione in sanguinem generari: carnem autem ex sanguine ipso citra actionem seminis, sed membrorum quae ex semine generantur. Si igitur sanguis perpetuò in corpore nostro est, & semen etiam, non deesse potest materia restaurationis deperditae partis, multo minus agglutinandi diuisas si quae sunt partes, maximè cùm perexigua requiratur. Sed ut ibi docui, duae sunt causae cur non restaurentur. Vna est, quia aliud est gene-

Cap. 7.

Cap. 11.

Lib. 12. Cõtrad. 29.

generatio, aliud restauratio. Cùm ergo membra sint genita in uentre matris, quomodo poterunt iterum generari, si pereat pars? neque enim modus est idem: in generatione enim partes extenduntur æqualiter, at restauratio fit per partem post partem. Et ita dico de modo restaurationis. nam illa fit in ossibus concocto humore per multos menses, ne dicam dies: quomodo ergo poterit tam citò materia illa perfici, tum maximè iam læsa particula atque detecta? Imò corrumpetur prius os, si non restauretur caro, aut aliquid simile; ergo prius præoccupabitur restauratio, aut corrumpetur.

Quod si fieri potest hoc, & non factum est à natura, peccauit. At fieri potest: quoniam nil prohibet, ne materia seminis undequaque confluat ad locum læsum, uelut etiam sanguis. Galenus ergo non excusat naturam, sed damnat, cùm dicit, in pueris hoc fieri posse, quia materia non deest: at cur non effecit id in iuuenibus, in quibus est abundantia materiæ absque dubio seminalis, plus q̃ in pueris? Et ideo dico, quòd dictum Hippocratis est uerum. Et non consolidatur nec os, nec cartilago, nec neruus, aut aliquid illorum prorsus. & hoc paulo pòst uide-
Cap.13. tur uoluisse Galenus in eodem libro primo, ubi tres causas assignat, quare uenæ & arteriæ cùm semen ipsæ generent, omnino tamen à semine possunt restaurari. Prima est, quòd confertim illa materia, ut oporteret, non suppeditatur à natura: quæ ratio nulla est; ut nec reliquæ duæ, scilicet quòd non adest uis quæ format intus permeans: nec etiam calor uteri. quod si ita esset, quare ergo dubitat, an in pueris possint restaurari, cùm omnino non possint? Hoc uitium ei contigit, quoniam existimauit omnes suas cogitationes esse aureas, & nihil debere perire quòd non scriberet. Liquidò enim constat, nihil horum, ut Hippocrates dicit, posse augeri, nec coalescere. Atque in hac sententia debuit permanere. Omisit etiam, ut dixi, quartam causam à nobis adductam, de diuturna mora humoris necessaria, in loco ubi consolidatio fieri debet. & similiter quintam adductam, scilicet quòd in generatione totum fit simul perficiendo, & hic pars post partem. Dico tandem, quod non restaurantur ossa, nec cartilagines, nec nerui: quia nerui non restaurantur, igitur multo minus reliqua. nam nec in senibus coalescunt, nec in nupernatis: quanto minus ergo augentur? nam præciso neruo, si uel momento non cohæreat, sensus & motus perit: igitur dictum Hippocratis est manifestum. Forsan (quod expertus non sum) si statim partes committerentur, posset sanari: nō quia coalescat ex materia superueniente, sed ex propria substantia, quia uix quicquam sensile requiritur: sed ipsa substantia coalescit sponte. Hoc tamen necdum etiam sum expertus. reliqua sunt nugæ Galeni; ad terendum tempus frustrà.

Illud solum scire præstat, quòd ossa agglutinantur per materiam duram, & fit callus. Idem de cartilaginibus, & alijs. & causa est, quia materia quæ deberet transire in os, per longam coctionem cruda cogitur in callum, ideo res est clara: &, si non sic consolidentur, per carnem duram iunguntur & in uenis ac arterijs. huiusmodi consolidatio uocatur à Galeno ἀνύγισμα: qui cùm profiteatur se non curare de nominibus, nullus tamen plura inuexit: adeò ut in osse diuisionem, uocet fracturam: perforationem, cariem: in neruo autem conuulsionem, rupturam in musculo, uulnus in carne, ut in de Causis morborum. Sed uult conuulsionem & rupturam esse citra uulnus, tertio Methodi: & apospasma in ligamentis, segma uerò & thlasma in uasis & musculis ex uiolento ictu. Præterea ecchymosis, cùm rumpitur aliquid ex contusione, & tumorem concipit seu in musculis seu uenis. quod etiam euenit ex anastomosi, & est apertio oris uenarum: at cùm uena eroditur, dicitur anabrosis: quarto Artis curandi. Diapedesim autem dicit fieri resudante sanguine, uel si exigui uasis os aperiatur, quinto Methodi. uocant autem interpretes persultationem, quinto de Medicamentis secundum locos. Docet autem in tertio de Symptomatum causis, quòd in diapedesi non sanguis, sed sanguinis serum solum transcolatur. Hanc curiosam & sublimem diligentiam non uitupero, sed quòd (cùm libet) ipse uituperet pro arbitrio, non laudo: ut alijs nihil, sibi omnia licere uelit. Scribitur hic Aphorismus aliter primo de Morbis in hunc modum: Neruus dissectus non coalescit, neque uesica, neque aliquid ex tenuibus intestinis, neque uena sanguiflua, neque tenuis genæ pars, neque pudendi pellicula. Hic posuit, quasi ambos Aphorismos simul, & hunc amplificauit. Libuit autem hic multa prætermittere, ut intelligere-

Cap.11. Cap.1. Cap.1. in princip. Cap.1. Cap.1. in initio. Cap.2. Pag. 5. seu post medium. Pag.5.

mus de intestinis, quia neruea sunt natura: & de uenis, quòd sint uasa è semine. Multa hic coactus sum dicere, quæ nollem propter Galeni importunitatem. nam si simpliciter dixissem, nec illius dicta redarguissem, nemo mihi ob eius auctoritatem credidisset: quandoquidē nec defuturos scio ad multos annos, qui non credant ob imperitiam. At contradicendo illi, cùm ille sibi contradicat, mihi ipsi etiam uidebor contradicere. At quanto plura dicenda essent, si non in Contradictionibus de his locupletius disputassem: uolo tamen præter morem meum hanc disputationem totam in epilogum redigere: Nullum membrum quod ex semine fit, potest augeri, si uulneretur, aut coalescere. Sunt autem ossa, cartilagines, ligamenta, membranæ, nerui, uenæ quæ pulsant, & quietæ cutis præputij, & genarum uentriculus, intestina gracilia & uesica, tum cerebrum. Indicio est, quòd neruo discisso per transuersum sensus & motus secundum illum perit. Causæ assignantur quinque, Quòd sint sicca. hoc non est uerum in infantibus, nec cerebro, nec uenis. Quòd deficiat materia, ex qua genita sunt. hoc falsum est, quoniam semen est in uiris copiosum. Quòd non sit copiosa in loco illo, quanta esse deberet. hoc est accusare naturam: quia licet non adsit, posset tamen transmittere pro opportunitate ad locum. Veræ igitur causæ sunt, quòd tempus deest ad longam coctionem: & quod formatio sit tota simul, quoad figuram, & sensim quoad crassiciem & perfectionem: & in augmento restaurationis fit sensim secundum figuram, & tota simul secundū quantitatē & perfectionem: & has duas causas Galenus omisit. Duas alias causas adducit uerisimiles, quæ tamen falsæ sunt. Vna, quòd uis illa quæ format, penetrat in totùm, dum infans est in utero matris, & in restauratione non adest: & alia, quòd in generatione adest calor uteri, qui non potest adesse tempore restaurationis. & non recordatur, quòd talia membra crescunt per totam adolescentiam, & tamen non sunt in utero: & si uis, quæ fingit, est in eis, quid prohibet quod ad hoc attinet, ne possit etiam in uulnere augere quod perijt, si non aliunde causa est impedimenti? Ex septem igitur causis, quæ assignari possunt, quinque, quas uidit, falsæ sunt: quæ ueræ causæ sunt, & sunt duæ, eas non uidit. Hippocratis sententiam corrumpit: & quòd dicit, falsum est, uel etiam ipso teste. Vnum, quod rectè adijcit, non prætenbo, scilicet quòd in genis & præputio cutis non coalescit, non solùm ob naturam nerueam, sed quòd labia uulneris in huiusmodi partibus multùm distare solent.

APHORISMVS XX.

SI in uentrē sanguis præter naturā effunditur, necesse est suppurari.

COMMENTARIVS.

¶ Quum dixisset in præcedentibus, quòd membra illa diuisa mortem afferunt, alia sunt insanabilia: hic docet, quid eueniat cùm sanguis diuiso membro in uentrem collectus fuerit. Colligitur autem trifariam, cùm è uenis exierit, uel in concauitate magna, ut pectoris, uentriculi, uteri: uel parua, ut in ecchymosi, scilicet inter musculos: uel in minutissimis concauitatibus musculorum, ut in phlegmonibus tantum, pariter aliarum partium. Vbicunque ergo collectus fuerit, necesse est suppurari, id est corrumpi. nam non suppurant particulæ, cùm copiosus fuerit, & ipsi cauæ, sic ut in uerum pus sanguis transmutetur. Scribitur tamen hic Aphorismus primo de Morbis aliter: Pag. 2.
" Si sanguis ex uulnere aut uena effluxerit in superiorem uentriculum, necesse est suppurari. " Ex hoc exemplo regulam fecit generalem. ideo enim corrūpitur, quia cùm non possit fluere, cogitur & congelatur, ideo que putrescit. Dixit autem præter naturam, propter eum qui in uteros descendit, nec tamen corrumpitur. Et rursus in eodem: Pag. 10.
" Si contingat ut crassarū uenarum aliqua saucietur, & sanguis introfluat ac euanescat, suppuratus fit. " Vnde mihi uidetur demonstratio in hoc constare, quòd cùm sanguis fluit ex uena magna in concauitatem, congelatur totus, aut pars: sed ubi uentres, ibi calor magnus: & ubi calor magnus, facit suppurationem: & ideo patet ueritas Aphorismi. nam si flueret in intestina, non suppuraret: nec in renibus nec in uesica non suppurat. Intelligit ergo de uentribus, qui sunt tres: capitis, pectoris, & naturalium membrorum. in omnibus his necesse est ut ad suppurationem deueniat, nisi per uomitum ex uentriculo reiectet. Cum ergo hoc litera doceat, uerba illius unde accepit,

pit,

pit, & sensus ostendat, manifestum est non debere distorqueri bifariam, & per uentrem intelligendo cauitatem omnem, et per suppurationẽ quemcũq; putredinem seu corruptionem. nimis enim durum est in eodem dicto bis committere solœcismum: neque enim schema esse potest, aut tropus. Sed ut ad rem reddeam, cum sanguis diutius in uentre aliquo, etiam in uteri concauo retinetur, in pus transit, tametsi non omnino præter naturam ibi consistere uideatur. Dicebat Hippocrates in libro de Natura pueri: ubi lunares purgationes quinque aut sex mensibus in utero retinentur, putrefactus in pus transit: & quibusdam etiam pus exit, quibusdam tuberculum circa pudendum excitat. Non ergo improprie locutus est Hippocrates.

Pag.3.

APHORISMVS XXI.

IN insanientibus si uarices uel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

COMMENTARIVS.

¶ Palàm est hunc esse ex genere decimiseptimi Aphorismi, cum ex his quæ superueniunt iudicium sit. Est autem uarix, ut colligitur ab Hippocrate libro de Vlceribus, uenarum in cruribus tumor. Adijciam autem quæ ibi dicit: At ubi uarix inest in tibia aut cõspicuus, aut in carne, & tibia est nigra, & uidetur habere opus sanguine ab ipsa defluente: talia nequaquam pertundere oportet. plerunq; enim magna ulcera ex fissuris fiunt propter uaricis influxum: uerum uaricem ipsum aliàs atque aliàs compungere oportet, ubi opportunum esse uisum fuerit. Antea uerò descripserat tumores in pedibus, qui ab influentibus uenis fiunt, nec cataplasmate sedantur. sed curam eandem, penè similem docet, scilicet compungendo: nec tamen uult esse uarices. Vt uarices solùm appellet, cum cutis tumet cum nigrore. atque id accidit modò plenis uenis in superficie, modò in profundo. Dicebat in libro de Aere, aquis & locis, unum singulare, loquens de his qui palustres ac lacustres aquas, sed stabiles, bibunt, quas necesse est calidas esse, crassas ac male olentes, uiris uarices & ulcera in tibijs accidunt: quare fieri non potest, ut sic longæuæ naturæ sint, sed ante tempus senescunt.

Pag.ult. Pag.6. Pag.5.

Varices ergo cum ex humore crasso & melancholico accidant, translata in oppositum materia insaniam soluunt. Differt autem insania à stulticia. stultos enim uocamus, qui aliquando aberrant grauiter: insanos autem, qui propemodum in erroribus perstant, adeò ut insania sit perpetua stulticia: stulticia, temporanea insania. Sed cur eædem etiam soluant gibbositatem, ut in libro de Articulis: Pag.16. Verticula uerò spinæ quibuscunque in gibbum trahuntur, ex morbis pleraque ut soluantur, fieri non potest: insuper & quæ supra septi transuersi iuncturam gibba fiunt. quæ uerò infrà, eorum aliqua soluunt uarices in cruribus orientes: magis autem uarices illæ, quæ in uena iuxta poplitem fiunt, quibuscunque gibbositas contigerit, eam soluunt. fiunt autem & in uena circa inguina. Galenus ea in parte exposuit, uarices fieri ex humoribus melancholicis, nonnunquam ex alijs crassis humoribus (scilicet crudis) & quæ in uenis crurum, quòd latiores sint, maiores esse, & ab humore crassiore: quæ in poplitibus, angustiores, cum sint à tenuioribus, ideò & ob distantiam maiorem, & quòd tenuior sit humor, salutis magis spem afferunt. Nec est idem hæmorrhoidas & uarices sponte oriri, aut alijs morbis succedere. nam sponte natæ uarices, ut dixi, breuem uitam significant. si ex insania fiant, aut gibbositate, non idem: quod in omnibus est obseruandum. Dicebat etiam secundo Epidemiorum: Vocis gracilitatem soluit uarix ad sinistrum & dextrum testem: absque horum altero fieri non potest ut soluatur. Magni, calui, balbi, gracili uoce præditi, boni. Morbos autem habent balbus, aut caluus, aut gracili uoce præditus, aut hirsutus, uehementer atrabilarios. Consensus igitur cum sit & ex materia, quæ melancholica est, & ex loco genitalium cum membris anhelitus: liquet, depulsa materia solui morbum. Diximus autem de hoc, cur aliter solui non possit, loco suo: dicemus autem & de hoc paulo pòst.

3.de Artic: Com.4. Sec.5. Aphor.33.

APHORISMVS XXII.

QVæcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, uenæ sectio soluit.

COMMENTARIVS.

¶ Non solùm deriuata à natura dicit, sed per artē ritè soluunt morbos, cuiusmodi in hoc deprehenditur exemplo. Antea enim de solutionibus, quæ à natura fiunt, dixerat. Quomodo
Pag.5. autem fiat ruptio, libro de Flatibus apparet, dum inquit: Cum uiolentia quadam inuicem discedunt, & finduntur carnes, fissuram subtercurrit spiritus, ac dolore affligit: dum autem ipsi flatus carnes prægreßi, meatus corporis rarefecerint, sequitur post flatus humida substantia, cui uiam iam antea aer præstrauit. Irriguo itaque corpore ab ea facto, liquefiunt carnes, tumoresque in suras descendunt, atque morbus fit, qui aqua intercus appellatur. Hic ex ruptura generationē pituitæ albæ declarat. Sed antea rupturam ex uenis docuit, dicens: Sanè contingit citra spiritum rumpi: nonnunquam sponte, & nonnunquā propter dolores. Sponte quidem, cum aer ultrò intra uenas receptus, sanguinis meatus coarctat. Multitudine namque sua compressus sanguis meatus perfringit, qua eius copia maximè prorumpit: effusione autem facta uenæ rursus spiritu complentur, & ex eo dolor sequitur. necesse est enim affectum locum spiritu occupari. Quod etiam in
Pag.9. primo de Morbis est, & clarius, dum inquit: Quibusdam, cum debiles facti fuerint tractus, in carnibus aut uenis non suppurant, sed fiunt diuturni dolores, & uocantur ruptiones. Docet etiam, quantum intersit inter ruptionem, ruptamq; uenam, cum laceratur distenta, sanguineq; in carnes effuso, uel confertim in pus transit: uel si tenuis sit scissura, post tempus ut omnino suppuret. Et in Coacis prædictioni-
Pag.13. bus ait, ex ruptura crassarum uenarum. Et in libro de Locis in homine: À ruptura febris non amplius corripit, quàm per tres aut quatuor dies: si uerò corripiat, & quis putet se à ruptura, ab alia sanè quapiam causa corripitur, & non oportet ipsum tanquam à ruptura curare.
Sec.1. Quid intelligat per ruptum, habet secundo Epidemiorum: Pectinum ruptiones, quæ quidem circa pubem fiunt utplurimùm statim, sunt innoxiæ: Quæ uerò paululum supra, umbilicum in dextra parte, hæ dolorosæ sunt & anxiosæ, & stercoris uomitum inducunt: uelut etiam Pittaco accidit. Fiunt hæ à plaga, aut uulsura, aut alterius insultu. Vult ergo per ruptum, quod ex ruptione fit, intelligere: quod cum descendit, ad cubitum secta uena dissoluit dolor, & materia quæ in musculos fluebat auertitur: atque sic statim soluitur morbus. Palàm autem est, illum in
Epidemijs de ramicibus sermonem habuisse. Pag. 6.
Quæ etiam rupta intelligat, docet in libro de Internis affectionibus.

APHORISMVS XXIII.

SI timor atque mœsticia longo tempore perseuerent, tale est melancholicum.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus amplificat statim dictum: Quoniam si absque causa fuerint, etiam quòd non sint diuturna, melancholiam præsagiunt. Sed si cum causa (modò scilicet ea non adsit) diuq; perseuerent, etiam melancholiam prænunciāt: quod se experimēto didicisse affirmat. Sed quid si causam habeant dubiam? Certè natura hominis in hoc consideranda est: mulieres enim & pueri magis timent quàm pro ratione. Et certè timor præter omnem rationem solus est signum melancholiæ. Cum ergo addat, Longo tempore: etiamsi non omnino sit præter rationem: mœror autem debet esse plus quàm pro ratione timoris, atque is melancholiam significat: unde
autem in melancholia fiat timor, dictum est a- Lib.6.Con
liàs. Illud etiam considerandum, an poßit esse trad.55.
melancholia sine timore? Etenim si ob nigredinem fieret timor, esset omnis melancholia cum timore. Certum est aūt aliquā esse melancholiā cum audacia & furore. Dubium est etiam, an
Hippocrates loquatur de signo, an causa. Celsus Lib.2.cap.
putat illum de signo potius loqui: & addit uigi- 7.
lias, ut sint tria signa quæ separari nequeant. quod Brasauolus obseruasse affirmat. Videtur sanè omnis melancholia esse cum timore: uerùm quam uocant maniam, non perpetuò, sed
cū furore: et hoc est quod dixit Princeps: Cumq; 1.3. Tract.
melancholia componitur cum rixa & saltu & 4. cap.18. in princ.
cōtentione seu pugna, mutatur eius nomen, diciturq; mania. Et species illius licet sint numerosæ, magis tamen famosæ sunt quinque: Melancholia, furor, amor, rabies, & hydorolcos: quam Princeps uocat Cutbut, Græci Lycaonē, id est, lupinā. Sed hydorolcos rectius dicitur, quòd sit riuulorū araneus quidā in superficie aquæ stans, uenaturq; muscas: nec unquam eandem uiam tenet, sed per uias diuersas graditur, ut faciunt qui laborant hoc morbo. nam quoties alicui

occur-

occurrunt, declinant ab eorum occursu, atque ita per aliam uiam incedunt, & allidunt pedes lapidibus, & ambulant tota nocte, amantes solitudinem. Et est morbus similis rabiei in pluribus: sed raro occidit, ut illa semper. Rabies uerò est omnium specierum pessima, & uix unquam sanatur, & de ea locuti sumus in quarto de Secretis: nunc autē dicendum est, quan-
Sec. 9. tum ad cognitionem morbi pertinet. Et est, quòd omnes morbi praui ualde, & qui non multitudine perimunt, sunt ex genere atræ bilis, quod ad materiam attinet. Et hic humor abundat, quoties homo uel per ætatem uel per morbum uel uenenum morti appropinquat: & corruptio hæc est multiformis, ideo diuersis modis occîdit. Et huiusmodi homines tristes sunt, & post aquam formidant: quia canes illam formidant, à quibus uulnerati sunt. Simile enim simile generat. Et interficit ob immoderatam siccitatem, coniunctam corruptioni & putredini: et corrumpitur humidum, quod est in uentriculis cerebri, ideo intra quartam diem occîdit: & ægri conuelluntur, at ratio multùm perturbatur. & propter hoc multùm refert, quòd quis in neruo uel in capite morsus sit. Et hæc est causa, quòd aliqui facillimè sanantur, & penè nullo auxilio, & aliqui nullo prorsus auxilio sanantur. Si enim laborans humore atro & corrupto abundet, & canis sit uehementer rabidus, & morsus in neruo uel capite uel cartilagine, & parum aut nihil fluat de sanguine, uix sanatur. Et propter hoc Baldus nostra ætate Iurisconsultus, non ille Perusinus, morsus à catulo suo, quē in delicijs habebat, mortuus est post quatuor menses, Tridenti: quoniam uenenum serò per cartilaginem permeauit, & rabies canis erat nō uehemens. Et si morsus fuisset neruo infixus, qui est calidior & rarior, mortuus fuisset intra uiginti dies. & ideo latitat ut non sentiatur, quia iacet in humido membri seminalis, nec inficit sanguinem. Et in effluxu multi sanguinis eluitur spuma illa, sicut ab aqua calida: & cum permeauerit ad cerebrum usq;, corrumpit spiritus, & cerebri substantiam, & mouet conuulsionem, & occîdit. Et hæc est causa, quòd curetur ab igne candenti: &, si esset uenenum in arterijs uel uenis, parum aut nihil prodesset.

APHORISMVS XXIIII.

ERysipelas ab exterioribus uerti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Simile est hoc Aphorismo illi, Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum. Etenim materia ad locum uiliorem si propellatur, naturæ uictoriam, robur ac rectam actionem significat, ut sit bonum signum, bonusq; effectus. Hoc igitur de materiæ genere est in illo de loco. Vt sit sensus: Quacunque materia & loco, si ab intus ad extrà protrudatur, bonum est. Dixi- 5. Apho.
mus suprà, cum de translatione anginæ ad pul- 10.
mones loqueremur: nec pigebit ex libro Prognosticorum adducere uerba illa: Anginæ diutur- Pag. 9.
niores, & ex quibus maximè euadunt, sunt, si ceruix & pectus ruborem habeant, & erysipelas ignis sacri non intrò recurrerit. Et paulo infrà: Securius est tumorem & ruborem, quàm maximè foràs uerti. Et in Coacis prædi- Pag. 15.
ctionibus: Erysipelas foràs quidem accedere, commodum est: intrò autem uerti, lethale. conuertitur autem intro, cum delitescente rubore pectus grauatur, & æger difficulter spirat. Quibus uerò anginæ ad pulmonem uertuntur, partim in septem diebus pereunt, partim per suppurationem euadunt, si non eductio pituitosa sursum ipsis fiat: ut tres modos hîc declaret, & omnes geminatos. Primus est, intrò, & hic semper malus: & si sit ad membrum ualde uitæ necessarium, & materia praua, lethale est: sin autem benigna, longum morbum. & si ab intus extrà, semper bonum: at si materia benigna sit, securum. Si uerò fiat translatio ad simile, tunc si sit ab intus ad intus, & ex nobili in nobilius, lethale est: si in ignobilius, periculosum tamen. Si autem in ignobile, membrum indifferens dici potest: si autem ex nobili in ignobile, bonum. De hoc autem in adducti
Aphorismi expositione inferius dicemus, quem Par. 6.
locum ut plenè præsentem intelligas, consulere te oportet.

Est autem Dialectica regula, de qua sæpe Aphor. 31.
dixi, ad demonstrationem utilissima, ex specie ad genus, cum ratio fuerit uniuersalis. Velut, si erysipelas fertur extrà, igitur materia à natura uincitur: igitur in quacunque materia hoc uerum est. Sed quia facilius assumpta oratio sensu declaratur in hac materia, quàm in mitiore hu-

re humore, ideo non fit petitio eius quod concluditur: sed si intus feratur ut euacuetur per aluum, tunc si omnino fiat sine molestia, bonum est: quia expulsio ad cutim, & translatio, est signum mediocris dominij naturæ supra materiam, expurgatio perfecti, tertio de Crisi. (Cap.1.) At si cum aliqua molestia, tunc malum est: quia ratio finis licet bona sit, est tamen motus ille periculosus ob media. Ex quo patet, quantum aberrent medici, qui in huiusmodi affectibus hominem purgant, adhuc stante fluxione. Nam nec tam tutò medicus hoc potest facere, ut natura cum uim afferat illi: nec scire potest quando perfectè coccocta sit materia, nec quàm lata sit uia, nec tam perfectè materiam ipsam educere potest. At dices: Eadem ratione periculosissimum est, etiam mittere sanguinem. nam trahemus materiam à superficie corporis ad intima. Respondeo, quòd refrigeratur ex hoc sanguis, nec attractio est adeò necessaria. Et si quis uelit securissimè pro uita agere, utatur pluribus cucurbitulis, & magnis, cum profunda incisione: & singulis diebus utatur aqua lactis, cum tamarindis. Atque altera ratio curandi per uenæ sectionem multo est compendiosior: sed aliqui interficiuntur.

APHORISMVS XXV.

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delyrio soluuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Vtinam Galenus nunquam Aphorismorum opus exposuisset. nam & gloriæ suæ magis consuluisset, & nobis minus inuidiosa foret hæc expositio: qui liberam nacti docendi rationem, non uideremur nec illi contradicere, nec eum accusare. quorum uno nobis inuidia conflatur, tanquam manes clarißimi uiri insectanti: altero difficilius fidem integram assequimur apud illos, qui non perpensis rebus, solùm ambitioni autorum celebriorum student: sufficitq; eis dixisse, hoc Galenus sensit, tanquam Galenus deus aliquis fuerit, & non homo multis modis impeditus, ut modestè loquar: cuius Opera & erroribus scatent, ut nullius alterius claßici autoris. Neque enim Hippocratem, aut Aristotelem, uel Theophrastum, uel Auicennam tot inuenies in locis lapsos. quod seu Dialecticæ ignorantia acciderit, seu ambitione et nimia lucri et honorū cupiditate, quod uerius est, oscitanter huiusmodi tractauerit: siue studio contradicendi & antiquis, & his qui gloria eo tempore florebant: seu, quòd nimis ingenio suo fisus, relegere, considerare ac castigare sua scripta contempserit, aut quòd malis principijs ac falsis innixus fuerit: seu, quod uerisimillimum est, omnibus his ex causis contigerit, adeò mendis totam artem compleuit, & ueterum dicta peruertit, ut paucarum rerum cognitio absoluta relinquatur. Quòd si quis inspiciat inter reliquas expositionē huius præsentis Aphorismi, quàm lacera, in sulsa sit, ipsius Hippocratis non leui miseratione cōmouebitur. Vnus uult, quòd de rigore loco tremoris loquatur: alius, quòd dicat tremorem soluere febrem ardentem: quod ne Hippocrates quidem somniauit. Alius dicit, non debere dici Soluuntur, sed ijs delyrium succedit: ad unguem fermè contrario modo uertendo, ut si calidum dicat Hippocrates, nos frigidum exponamus. Alius uult, ut pro Delyrio soluuntur, non solùm à tremore, sed etiam à febre ipsa ardente sit intelligendum. Coactus sum insanire cum insanientibus, ut si possem, tandem uos ad sanitatem reducerem: aliter enim intelligo, quàm ineptum sit tot stulta commenta cōmemorare. Sed quod magis nos malè habet, est tremoris causa, à Galeno tanquam certißima & ex oraculo Apollinis habita, descripta.

Iam ergo uideamus unde tremor fiat. Dicit Galenus, fit ex duobus motibus contrarijs: imo membri prægrauantis inferius, altero facultatis ex aduerso sursum trahentis. (2. de Symptom. causis cap.2.) Sed id est tremoris, qui contingit in senibus, qui aut morbus non est: aut si sit, fermè est insanabilis. at tremor qui fit in febrientibus, cum etiam, ut dicit Comicus, aduersus octo astutos audaceis uiros ualenteis tremunt, an ille motus erit ab imbecillitate? an tantum pondus additum est corpori illius, ut tremere poßit tanto impetu? Nuper uidimus uxorem Io. Angeli de Monte, mercatoris diuitis, quæ in tremore adeò concutiebatur, ut tres uiri illam continere non poßent. An ergo hic tremor ab imbecillitate fiet? cum quo etiam cor ipsum uehementer palpitabat. Quantum res à re differt, hic fit in iuuenibus ualidis, ille in senibus imbecillibus: hic acceßiones habet ut comitialis & conuulsio, ille continuus est: hic ueloci est cum motu, & uix cōtineri potest, ille lentus & exiguus, ac uix conspicuus: hic si membrū quiescat quomodolibet, nihilo minus agitat membrum ipsum, nec ob id cessat: ille autem superposito tabulæ membro, non amplius hominem uexat.

Rogo

Rogo uos qui hæc legitis, quantorũ & qualium errorum talia causæ sunt? cùm paucis antè annis dux uelitum Zapanta in manus meas uenisset, huiusmodi morbo correptus, solùm ea ut reliqui faciunt cogitans, quæ scripserat Galenus, ac toties repetierat per eadem, ut etiam in Com. 4. libro de Tremore, & primo in tertium de Morbis uulgaribus, tum alibi, ad satietatem usq;: non existimaui aliam esse causam, atque ita incuratus remansit: qui forsan ex his quæ scribentur, non leui lucro meo, & incremento gloriæ, tum illius utilitate, sanari potuisset. At forsan Cap. 3. occurres ex his, quæ scribit in libro de Tremore, exemplo Getulorum, quibus sub magnis ponderibus crura tremunt, quamuis alioqui robusti. Sed hoc ad rem nihil: fit enim tremor, de quo Galenus loquitur, uel sublatis uiribus, ut in timore, senibus, ægris, post multam sanguinis effluxionem: uel prægrauata magno pondere uirtute. At cum neutro istorum, quomodo fieri possit tremor ille à Galeno descriptus, non uideo. Cum uerò Hippocrates tertio Epidemiorum dixisset, ab initio Pythionem laborasse febre ardente, cum tremore manuum, hunc tremorem Galenus in repletionem neruorum traducit. Etsi dicat, pondus illud magnum in robusto fingi posse, ex modica repletione in principio motus, uelut de pondere in cuspide lanceæ, & impedimento in hypomochlio: Respondemus, quòd uires tunc impeditæ non poterunt mouere cum tanta uelocitate, & tanto impetu, ut in istis apparet: & etiam quia si sic esset, motus ille tremulus esset solum sursum & deorsum, non in latera: & tamen hi mouentur plerunq; in latera.

Sec. 1. com. 2.

Dicemus ergo, quòd sunt duo genera tremoris. Vnum, quod fit ab imbecillitate facultatis, & istud in senibus debilitatis: uel addito pondere membro, & est tardum, & cum parua concussione: & si membrum quiescet, in in loco debito cessat: & est aliud uelox, quod fit magno cum impetu, & per accessiones contingit, & fit ex corruptione functionis motricis, non debilitate. Manifestum est ergo, quod fit etiam tertium genus ex his, ex utroque scilicet mistum. Causa igitur corruptionis istius functionis (postquam uidemus, facilè cessare & reuerti) est uapor quidam stimulans & pungens neruos. Et hoc apparet ex duobus exemplis. Primum in conuulsione, cum fiunt illi motus inordinati ac repentini, similes tremori. & etiam uidemus, quòd si quis pungatur, tremit repentè: & ille tremor est motus ualidus. Ergo idem accidet, cum neruus ex uapore punctus erit. Sed dicetis: Cur fit cõtinuus iste tremor, si est à uaporibus? Dico, quod punctio illa fit ex continuo ascensu uaporum, & etiã quòd membrum concitatum non potest quiescere: sed mouetur. sicut etiam uidemus in illis qui currunt: stimulata enim facultas, etiam sublata causa stimulante, adhuc perseuerat aliquandiu in motu. Ergo isti uapores ascendunt ad cerebrum: & nonnunquam etiam à cerebro, non solùm ad neruos, sed etiam ad cor & ad pulmones transmittuntur, & inducunt palpitationem cordis, & spirandi difficultatem, etiam præter tremorem: ut contingit in illa uxore mercatoris, quæ iam triennio subijcitur huic affectui. Et fieri potest quòd sit ex læsione ex frequenti partu. quindecim enim filios peperit, quorum undecim uiuunt, & necdum exegit trigesimumtertium annum. Et huiusmodi casus, quod ad palpitationem & spirandi difficultatem attinet, describitur in libro de Sacro morbo. Pag. 5.

Hoc uiso, Aphorismus iste scribitur ad uerbum in libro de Iudicatione, & in Coacis prædictionibus, ut non sit dubitandum de illo. Pag. 4. 5. Demonstratur ergo sic: Tremores si fiunt in febribus ardentibus, contingunt, quia uapores pelluntur ad cerebrum: & antequam in uentriculos possint penetrare, transmittuntur ad principia neruorum, unde ex illorum punctione tremit illud membrum, uel medietas illa dextra uel sinistra: at si delyrent, uapor ille in uentriculos penetrauit: igitur non est repulsus ad neruorum principia: ergo tremor soluitur. Non dicit quod febris ardens: quis enim tam amens est, qui dicat, superueniente delyrio solui febrem? cùm delyrium uix ex ulla alia causa, uel sine febre, unquam fiat. Sed dicetis: Cur ergo non fit loco tremoris conuulsio, & in quo hæc duo differunt? Respondeo, quòd in tremore materia omnino truditur ad neruos extra cerebrum; in conuulsione uapor ille manet in cerebro: ideo est solùm conatus protrudendi uapores; non effectus. Sed & ob id tremores, si qui citra rigorem fiunt, conuulsionis periculum nunciant. Atque hæc satis pro cognitione rei. Verùm quia nonnulli sunt, qui uel inuitum Galenum seruare student, dicentes talem motum esse palpitationem, operæprecium est ostendere, nõ esse huiusmodi motum palpitationẽ. Dixit enim in secundo de Symptomatum causis: In palpitationibus enim membrũ, nec quod notabile sit

bile sit extendit, nec inflectitur: concutitur autem quodammodò huc atque illuc, quoad musculus palpitare cesset: ad eum sanè modũ motu obito, quo etiam in tremore. Atque si hæc tantùm dixisset, opinionem afferre poterat, quòd ita sentiret. Sed uide quæ statim subijciat: Eo autem differt, quòd per magna fiat interualla, cum tremor incidat per exigua. Siquidem palpitans musculus cum satis notabili magnitudine est, dum dilatatur, sæpenumerò totum membrum secum attollat: dum contrahitur, uelut rei inanimi deorsum totũ ferri permittit, ita ut totus motus præter naturam sit, non autem sicut in tremore missus quodammodò, & compositus: sanè qualis est palpitantium membrorum motus, paucus simul tardusq; & rarus. Et rursus in libro de Tremore & palpitatione: (Cap.5.) Siquidem quæ in palpitantibus particulis eleuationes depreßionesq; apparent, distentiones quædam sunt corporum, quæ ceu replentur: & eorundem subsidentia, quasi rursus inaniantur. Quæ uerò trementibus accidunt, totius membri motus est: qui interim deorsum quidem uergit, rursus ad superiora fertur, sed non dilatatur, neque contrahitur. Eapropter sanè tota pars tremit, cum aliquid facere aggredimur, nullo eorum quæ in ea habentur manente immobili: similiter ut musculi, ita arteriæ & uenæ, nerui, ipsaq; ossa & cutis nunc sursum nunc deorsum feruntur. Palpitant autem non omnia. neque enim neruum aut os, aut aliquid huiusmodi quod uentre non habeat, uideas palpitare. Et rursus, ut ad priora redeamus: Palpitatio est distensio quædam & subsidentia præter naturam: tremor autem, partium motus præter uoluntatem, quo sursum ac deorsum uicibus permutatis feruntur. At non idem est dilatari ac sursum ferri, nec contrahi & deorsum uergere. Etenim quæ sursum & deorsum feruntur, priori loco relicto in alium transeunt: quæ autem dilatantur ac contrahuntur, ueterem sedem conseruantia, partim ambientem regionem occupant, partim relinquunt. Inde clarius: In his qui membrum totum in motu propter musculos palpitantes retinent, proprijs & sensilibus extremis, uterque motus circumscribitur. trementium uerò affectus talis non est, sed altero adhuc motu incipiente, ut ita dicam, contrarium ipsi coniungi deprehendes, ut ad superiora tendentem latio, semper ea quæ est deorsum excipiat, atque hanc illa. Differt igitur palpitatio à tremore, uel teste Galeno, quòd tremor sit motus magnus, uelox, creber, totius membri, sine dilatatione, aut contractione, cum mutatione situs, nec uterque motus suis extremis circumscribitur: non est igitur huiusmodi motus palpitatio. Quòd si quis ad rigorem rem trahere uelit, suprà differentiam documus. (4.Aphor. 58.)

APHORISMVS XXVI.

Qvicunque suppurati, aut aquam intercutem patientes, uruntur aut secantur, si pus aut aqua uniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Duplicem curandi hos morbos rationem habebant antiqui: unam, per sectionem: alteram, per ustionem. Diximus autem modum superius in quinto libro, (Aphor.15.) & signa tabidorum in tertio, (Aphor.10.) ut commemorasse sufficiat uolenti ea legere, repetere superfluum sit: nunc ea quæ sunt necessaria adijciamus. Dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum: (Sec.7.) Hydropicos citius secare oportet, tabescentes urere statim, caput secare, & huiusmodi. Vt cum uideatur duo auxilia proposuisse hydropicorum & suppuratorum, attamen hydropicis sectionem magis conuenire docuit, tabidis exustionem. Neque uerò idem sunt suppurati & tabidi. Tabidos enim uocat, quibus ulcus est in pulmone: uelut suppuratos, quibus sanies est in pectore. Atque de suppuratis hic intelligit, nõ tabidis, quibus sectio nullo modo conuenit, sed ustio sola. Sunt enim multi suppurati, nondum tabidi: & alij tabidi, qui non ex abscessu sunt suppurati. De his ergo intelligit, aut similibus, de quibus antea dixerat: Quicunque morbo laterali laborantes, (Aphor.8.) in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem uertuntur. In qua sententia dicebat in libro de Internis affectionibus, quem Galenus citat in Commento, appellans librum magnum de Paßionibus, alios illum inscribere de Suppuratis: Si in latere tuberculum nascatur, & Suppuratus fiat, quod in quadraginta diebus, aut paulo prius accidit: atque ex eo dignoscitur, quòd cum suppuratus sit, non tamen pus reuomit, nec expuit: hunc, cum sic habuerit, ubicunq; tumor de se significationem præbuerit, secato aut urito, &

postea

postea pus paulatim emittito. totamq; exponit curandi rationem. Vbi duo hæc habes, & quòd secabantur & urebantur suppurati, & quòd pus sensim emittere conuenit. Similiter quod hic tantum de magnis suppurationibus intelligit, præcipuè autem pectoris: cum ex illis uacuato uniuerso pure necesse sit aerem ingredientem non solùm ob spirituum resolutionem, uitiare cor & pulmones, ut mors sequatur. Similiter de hydropicis, quòd & secarentur nonnunquam,
Pag.20. nonnunquam urerentur, docuit in libro de Locis in homine his uerbis: Cum hydrope quis laborauerit, medicamēta in potu exhibenda sunt, quæ aquam purgent, & edulia quàm pituitosissima offerēda: si uerò neque sic leuior fiat, inurendæ sunt crustæ quàm tenuissimæ, & quàm maximè in superficie, quò aquam continere possit circumcirca umbilicum, & unà in umbilicum, & emittere singulis diebus. cum enim morbus periculosissimus sit, in his periclitari oportet. Si enim successerit, sanum faciet: sin minus; quod etiam aliàs futurum erat, idipsum perpetitur. Cæterùm in puero hydropem sic curare oportet: Partes humidæ & aqua plenæ aperiendæ sunt scalpello, & frequenter ac parum educendum est. Educèndum autem est à singulis corporis partibus, & fomentis utendum: & semper locum apertum unde eduxeris, calefactorio medicamento illines. Hic palàm est, ueram curandi rationem Hippocratem tradidisse, quam nemo cum obseruet, nil mirum est si omnes pereunt: tum potissimè, quod Hippocratis mens est in his uerbis expressa, ut confertim medicamentis euacuentur, nec ante urantur aut secentur quàm experti fuèrimus medicamenta: ubi illa non contulerunt, statim uult ut ad sectionem uel ustionē ueniamus, nec expectemus uires esse labefactatas, & uentrem immodicè creuisse: quæ ambo cum medici nūc temporis expectent, tum maximè quòd etiam in curando aberrent; manifestè ægros iugulare dici possunt, non curare. Nec mirum est neminem ætate hac sanari. Has duas auctoritates tam appositè Fuchsius adduxit, ut si se similem ubique præstitisset, nos ab hoc labore liberasset. neq; enim, quod forsan multi putāt, hunc mihi laborem relictum puto, cum horum loco multa magis præclara absoluere potuissem. & mihi longè utilius fuisset, inuenisse scripta tum in hac, tum in alijs disciplinis, ac medicinæ partibus, quàm conscripsisse. Nec similis sim ouibus, quas referunt lentius currere, quòd credant defuturam illis terram: aut bufoni, quē & ob id in edendo luto referunt præparcum esse. Immensa, imò prorsus infinita est materia condendorum librorum: & si quæ nunc ego cōdidi, condita inuenissem, me meosq; seruassem, & nihilominus ad gloriam post mortem multò magis præclara monumenta relinquere potuissem. Quamobrem odio non leui prosequor illos, qui ante nos, cum segetem amplam haberēt rerum inueniendarum, solum alienis suffurandis aut reprehendendis incubuerunt. À quo uitio ut maximè alienum uideo Ptolemæum, Aristotelē, & omnibus etiā magis Theophrastum, ita (habeat modò quotuis præcones) Galenum reprehensione dignum iudico. Sed sequamur. Brasauolus citat auctoritatem aliam non ineptè libro de Affectionibus, quem aliqui uocāt de Affectionibus externis, ut quasi pars sit reliquæ medicinæ à priore, quē Galenus citat. Volunt aūt quidā esse Polybij. sed nō est hic locus hoc declarandi, sed suo in commentario id expositum est. uerba autem planè sunt hæc: Aqua porrò sic fit, Pag.7. cum carnes à pituita & tempore & morbo, & non purgata immundicia & mala curatione ac febribus corruptæ fuerint, liquescunt & fiunt aqua: & uenter quidem non distribuit aquam in seipsum, uerùm in circuitu circa ipsum consistit. Si quidem igitur à pharmacis & alia uictus ratione æger utilitatem percipiat, & uenter ipsius euacuatur, bene est: sin minus, sectione facta aquam emittito. Secatur autem uel iuxta umbilicum, uel retrò iuxta lumbos, effugiunt autem & hinc pauci. Porrò rationem curandi absque sectione antea præscripserat hoc modo: Hunc si à principio curandum acceperis, priusquam superexcrescat, pharmaca bibenda dato, à quibus aqua aut pituita purgatur: bilem uerò ne moueto. cibos autem & potus, & labores ac deambulationes constituito, à quibus gracilis ac siccus euadat, & carnes quàm robustissimæ fiāt. Morbus autem est lethalis cùm aliàs, tum si uenter aqua repletus fuerit. Ecce alium errorem eorum qui rhabarbaro bilem principaliter mouente illos purgant, adductis falsis rationibus, quòd iecori conferat.

Sed uideamus, cur dixerit Omnes: oportet autem demonstrationem inuenire huius communis nomins. Narrat Brasauolus, uidisse mulierē prætumido ex aqua intercutē uentre, cui cum à circulatore tota aqua repentè extracta foret, statim obijt. Alium etiam, cui in spatula ulcus saniosum callosumq; cum esset, detracta tota sanie, simul confestim & ille obijt. Exclamat

autem contra huiusmodi homines, quasi & ipse
nunquam in huiusmodi errauerit. Nec est discri
men nostris tēporibus inter medicos hac in par-
te, & circulatores, nisi quòd medici uelant facta
sua leuibus quibusdam rationibus, & Galeni au-
ctoritate semper in utranque partem accommo-
data: illi nesciunt. Quippe Galenus in Commen
to hæc habet, contra Hippocratis sententiam:
,, Vstione igitur indigent, qui plurimū habent pus,
,, adeò ut desperent per sputiones posse expur-
,, gari: hos uerò ipsos & difficultas anhelitus ue-
,, hementer infestat ex loci angustia, quæ & nos
,, cogit ut eos uramus. Eos autem qui aquam inter
,, cutem patiuntur, per punctiones potius quàm u-
,, stionem medici curare consueuerunt. Ex quibus
uerbis facilè intelligitur, ipsum nunquam hanc
curationem exercuisse, sed solùm circa eas cu-
rationes uersatum, in quibus plus ualerent uer-
ba quàm facta. Etenim totum contrarium ob
seruari debere, & ratio suadet, & Hippocratis
sententia docet. Pueros enim ascite laboran
tes sectione curamus, quia ignē reformidant: sed
longè utilior est ustio, ut quæ sit secura et mode-
rata. Similiter in magna multitudine puris,
quæ utilitas ustionis, cum siccet, cogat pus, &
anhelitus difficultatem augeat? Hoc etiam do-
Pag.16. cet Hippocrates facere, secundo de Morbis. nō
enim urit, sed secat. Sicut in aqua intercute non
secat, sed urit: libro de Internis affectionibus.
Pag.15. Et quia in tertio de Morbis dicit, sæpius (de sup
puratis loquens) secato aut urito: possem illud
Pag.9.&10 dicere, librum esse Hippocratis minoris, Hippo-
cratis nepotis: sed non contendo, tametsi cla-
rum sit, ubi sanies pauca sit, urere debemus:
& ubi timemus de fluxu sanguinis, ob artificis
imperitiam, ustio enim in omni casu securior est,
& terribilior, nō tamē in suppuratis utilior est:
in liene autē suppurato urere debemus, quoniam
perforamus uentrem, non pectus: & ideo ustio
securior est, & utilior. Suppurati enim in pecto-
re debent uitare ustionem, dico quæ illud pe-
netret, & ob puris naturam, ne siccetur, & ob
cōpositionē ipsius pectoris ex tot ossibus, cartila
ginibus, neruis & mēbranis: quæ tanto sunt ini-
mica magis igni, cùm sunt sana, quanto illis, cùm
corrupta fuerint, ignis utilior est ferro.

Cæterùm ut ad rem redeam, dicit Galenus,
in suppuratis mortē contingere, reseratis oscu-
lis arteriarum, quæ ob puris acredinem & di-
stantiam partium conuellente abscessu aperta
erant, sed à pure tanquam opercula conclusa dif
flato spiritu & calore unà cum illo naturali ex-
halante. Quam eandem causam refert esse
mortis, si aqua confertim in hydrope euacuetur.
Sed & aliam in hoc præter eam esse docet mor-
tis causam, uisceris duriciē (et licet dicat σκίῤ-
ῥος, legerē ἀνότης, idest grauitas) quæ subdu-
cta aqua, à qua sustentabatur septum transuer-
sum, cum membris pectoris deorsum trahit. Re-
fert autem ex Erasistrato huiusmodi sectionem
consequi solere febrem, atque inde mortem. Vt
uerò primum dictum commprobaret, affirmat
non solùm hoc uerum esse in suppuratis, sed in
quolibet magno abscessu: ut ex exemplo ulceris
in spatula, ex Brasauolo retulimus. Nos autem
cum uideamus non solùm id contingere in his,
sed in mictu urinæ, in fecum exitu post longam
retentionem, scimus non euenire ob id: etsi for-
san & illæ causæ aliquid faciāt: sed effectus tam
generalis generalem opportere esse causam. Et
est duplex resolutio iam in uirtute debili, ex
longa compreßione facta, quidquid sit quod ex-
primatur: & aeris frigiditas in locum iam adeò
calidum ac confertum uaporibus putridis, ex
quo illi truduntur in arterias & cor, atque ita
occidunt: cuius experimentum est, quòd si quis
calefactu multùm, & in balneo etiam postmo-
dum repentè in frigidißimum locum trudatur,
moritur: ut aliàs recitaui de illis quatuor, qui
dum nouam fornicem sub terra ingreßi sunt,
statim periêre: quanquam nec uires in his sint
imbecilles, nec calor ille sit putridus, nec adeò
feratur per intima ut in his. Indicio etiam esse
potest, quod à mictu adeò quandoque perhorre-
scimus, si multam continuerimus diu urinam:
quanquam per paucas horas rem naturalem non
adeò calidam, nec latus sit uirgæ meatus, per
quam aer fertur: ut opinio Galeni sit speciosa,
uerùm ridicula. oportet enim magnam esse uti-
lis euacuationem, quæ interimat citra affectio-
nem prauam alicuius membri principalis. Cui
etiam opinioni innumera consentiūt experimen-
ta eorum, qui ex specubus lethalem hauriunt
spiritum. Quòd si obijcias: Antequam sece-
tur, multo plures & acriores uapores contine-
ri, quàm secto abscessu: Respondeo, quòd non
truduntur, sed difflantur perpetuò, & calor
naturalis ex altera parte resistit. Pro causis au-
tem mortis specialibus in hydrope, & ut intel-
ligas Hippocratis dictum in libro de Locis in ho-
mine: scias, quòd aqua in ascite continetur inter
abdomen & intestina, & statim penetrat omen
tum cum creuerit, & pòst circumdat uentricu-
lum, renes & iecur cum intestimis: et cùm ascen
derit

derit ad septum trāsuersum, iam sunt prope mortem: antea ergò non solùm impedit operationes horum membrorum, unde efficit urinam cruentam, quamuis morbus non sit ex renibus debilitatis illis: unde urina cruenta est signum, quòd ascites est ex renibus: ac est malū ualde. uel quòd aqua iam corrupit renes, & hoc est pessimū: sed etiam putrefacit illa membra, maximè omentum & iecur ob teneritudinem unam, alteram quòd humidum sit & calidū, & ideò corrumpit utramq; coctionem. unde etiamsi sanentur, semper habēt debilem utramq; coctionē, uitiosamq;. Et ideò nullus est morbus, in quo magis debeamus esse soliciti de celeri cura, quàm ascites.

APHORISMVS XXVII.

Evnuchi neq; podagra laborāt, neq; calui fiunt.

COMMENTARIVS.

¶ Cum de bonis ac malis mutationibus in duobus ante præcedentē Aphorismū, quæ à natura fiūt, in præcedēti aūt ab arte: nūc cōnexionē quorundam operum inter se, seu à natura seu quouis alio modo contingant, enarrare aggreditur: è quibus unum horū est quòd hic dicitur. Continet aūt duas partes, quarū una ad naturæ consensum & sanitatem pertinet: altera similiter, sed euidentem habet rationem, scilicet cur non podagrici fiant eunuchi. Sunt autem duorū generum. aliqui sic nati, alij præcisione facti: quidā à pueritia statim, alij iam grandiores natu: & quidā præcisis genitalibus totis, ut nūc apud Turcas: quidā solum exemptis testiculis, ut apud nos curandæ herniæ causa. Error Galeni & sequentiū, qui putant dictum Hippocratis non esse uerum nostra ætate, ex hoc prouenit, quòd nō animaduertunt Hippocratē intelligere de his quibus genitalia deficiunt tota, seu à natiuitate, seu paulo pòst. Etenim etsi iuueni iam tota adimas genitalia, cum Venereis iam sit usus, latas poterit habere uias, quæ ad articulos deducunt; & nihilo secius in podagram incidere, ut in libro

Pag.6. de Natura pueri. similiter etsi à natiuitate uel paulo pòst execti sint testes, maneant tamen uirga & scrotum, Venere uti poterit, sed non generare. Vt apud Martialem:

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice? uult futui Gellia, non parere.

Si igitur coeunt, cur à podagra debent esse immunes. Castrantur autem trifariam, compres-

Cap.68. so testiculo, aut euulso per scrotum, ut docet Paulus libro sexto, quibus modis nullus perit. Tertius modus est, quem docet Nicolus, quo circulatores utuntur in hernia intestinali, aut testiculorum, & trahunt testiculum suprà, & cum uasis seminis extrahunt suprà inguem, quæ operatio periculosissima est ac uiolentissima. Cum tamen Rasis uigesimoquarto cōtinentium doceat, Tra. 1. cap. 1

curare herniam intestinalem sine exectione testiculi & uasorum seminis: solum compressis intestinis, duro puluinari cum uinculis ferreis in modū freni adurere super inguen locum, per quē descendere solebant intestina, atq; consolidare, ita ut interim per quadraginta dies supinus maneat, nec moueatur, nec intestina descendere permittantur: & ustio fiat cum candenti ferro, & usq; ad os pubis, ut docet idem Nicolus. Et li. 7. Trac. 3. Sum. 2. cap. 39.

est longior cura, sed longè securior & melior. Et potest, ut dicit, fieri in timidis cum medicamento adurente: sed non est adeò tutum ob longitudinem. unde patet, quod medici nostræ ætatis nihil sciunt rerum nobiliorum. Nunc demonstremus ueritatem Aphorismi. Ad podagram faciendam quatuor requiruntur, imbecillitas artuum, latitudo uenarum, materia cruda, & uis impellens, maximè flatus. Vnum horum si desit, nō fit podagra. Coitus aperit uias has: eunuchi coire non possunt, igitur nec podagrā pati: quia meatus habent arctos, sed nec habent spiritum impellentem facilè. Causæ autem, cruditatum sunt; desidia, crapula: impulsus autem uina postea, & coitus. hic uerò, ut dixi, etiam latitudinis pororū: ut sint quatuor causæ in uniuersum in ratione uictus. Sed ut redeam ad institutum, dubiū esse potest, an qui exectis solum testibus sunt, semen emittant. uidetur enim quòd non, exciso meatu qui defertur ad glandulam seminalem. Oppositū apparet ex eo, quòd huiusmodi uiri principibus mulieribus sunt gratissimi, & olim excindi curabant iam adultos, ut membrum uirile magnum esset. Vnde illud Satyrici:

— Ac iustos crescere primùm
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris tantum damno rapit Heliodorus.

Neque enim adeò delectarentur mulieres, si nil emitterent. Secundū est, quòd non fiunt calui. nam caluicies à siccitate cerebri fit. nec potest adeò exiccari cerebrū sine Venere, ut caluiciei causa sit; at eunuchi Veneris sunt expertes. Et ut propositā soluā quæstionē, licet emittant quippiam, fieri tamē nō potest ut semen, cuius maxima pars à cerebro descendit, iuxta Hippocratis sententiam in libro de Aere & aquis ac locis. in- Pag.18.

quit enim: Venæ enim retro aures sunt, quas si

quis secet, sterilitatem inferat his quibus secantur. Et paulo pòst de eisdem quibus sectæ sunt illæ loquens, ait: Quãdo igitur postea uxores adeunt, impotentesq; se factos esse, ut cum illis concumbant, animaduerterint. Vnde patet, nõ solùm illum de sterilitate, sed impotentia ad Venerem loqui, quam facit uenarũ post aures sectio, quòd semen è cerebro descendat. Haud me latet, aliqua posse hic adduci in contrariũ: sed cum constet iam apud illum, semen ex omnibus partibus

Pag. 10.

decidi nostri corporis, ita ut, ait, ex macrocephalis macrocephali gignũtur, cum & cerebrum simile sit substantia semini, ac colore magis quàm ullum aliud ex principalibus membr̃is, & etiam caput magna portio corporis nostri: liquet & semen uerisimiliter debere decidi magna ex parte à cerebro, præsertim cum uideamus post Venerem nihil magis hoc ipso consumi atq; debilitari. Quòd uerò assumpsimus, scilicet caluiciã fieri à siccitate cerebri, docuit ipse sexto Epidemiorum his uerbis:

Sec. 3. in princ.

Cerebri consumptio, quapropter & caluicies (sic enim debere legi, non ut diuisus est sermo in exemplaribus, docet & ratio & Galenus locum rectè exponens) consumpto enim cerebro, ut in senectute, abscedit ab osse, exsiccatoq; osse & cute, decidunt capilli. hoc ergo cum ob humidum abundans neq; mulieribus neq; pueris nec eunuchis accidat, meritò nulli horũ caluicies cõtingit. Verùm longè aliam ipse Hippocrates huius rei docet rationẽ, in libro de

Pag. 6.

Natura pueri, dicens: Quòd in cerebro est multa pituita, quæ à coitu exagitata corrũpitur, & radices capillorũ exedit, atq; ita caluiciẽ efficit. non putat Hippocrates cerebrũ posse adeò exsiccari, ut huius merito debeãt capilli cadere. nã & toto capite caderẽt, & somnũ amitterent calui: quòd tamen uerum non est semper, propterea melior mihi uidetur opinio Hippocratis. Etsi modò alia adeò placuit Galeno, & his qui illum secuti sunt, huius saltem meminisse debuerunt, uel ut uerisimilis, et iudicium lectori relinquere, aut expugnare, modò cum neutrum fecerint, excusationẽ legittimam non habent. Similiter Aristoteles

Cap. 3 iuxta finem.

quinto de Generatione animalium, aliam tertiã causam adducit, frigiditatem. nam senibus hoc accidit, & hyeme plerisq; arboribus, dum frondes amittunt: & superflua Venus refrigerat corpora, sed de hoc in Contradictionibus.

3. Cõtrad. 13.

Sciendum, quòd caluicies iuxta Hippocratem maximè fit à consensu cum genitalibus, & ab atra bile: & uarices, ut superius uisum est, fiunt ab atra bile: uox quoq; consentit cũ genitalibus, ut mox

Aphor. 21.

ostendam. Ideo hæc quatuor, genitalia, uarices, caluicies & uox, quodammodo simul connexa sunt. Quapropter secundo Epidemiorum inquit:

Sec. 5. in princ.

Vocis gracilitatem soluit uarix ad sinistrum & dextrum testem, absq; horum altero fieri non potest ut soluatur. Magni, calui, balbi, gracili uoce præditi, boni. Morbos autem habent balbus aut caluus, aut gracili uoce præditus, aut hirsutus uehementer, atrebilarios. Et rursus: Varices caluorum si non magnæ sint, furiosi sunt.

In fine eiusdem.

hæc uolui adiecisse ad intellectũ illius loci, & etiam ut intelligeremus apud Hippocratem caluiciem maximè signum esse atræ bilis, & ab ea fieri solere. Quamobrem eunuchi raro in eum morbũ incidunt, & parum de eo humore generant.

APHORISMVS XXVIII.

MVlier podagra nõ laborat, nisi menstrua defecerint.

COMMENTARIVS.

¶ Huius & sequentis continuitatem, nisi admodum rudis sit, cum præcedente Aphorismo nõ requiret. Inficiatur Galenus more solito, hoc esse uerum: sed Hippocratem non intelligit. Verbum ἐκλείπῃ, significat apud illum, ut nulla ex parte deficiãt, neq; quãtitate, neq; qualitate: quomodo dicere solemus aliquem defecisse in officio, id est, non exhibuisse, aut minus quàm oportuit, aut non tam diligenter. idq; uerissimum est: nulli enim mulieri, podagricæ menses fluere pro ratione uidebis. Quòd uerò uelint excusare Hippocratem de incontinentia eunuchorum & mulierum posteriore ætate, absurdissimum est, cum nulla ætate fuerint uoraciores. Nam Milonem referunt, iuuencum, quem humeris detulerat, una cœna comedisse. quis huic uoracitati comparari queat? Extat Boriei poetæ epigramma, cuius initium et finem tantum ex Athenæo

lib. 10. ca. 2.

adscripsisse sufficiat:

Talis erat Milo, qui inter certamina Olympi
    Quadrimum è terra sustulit antè bouem.

Inde in fine:

Non taurũ tulit in carnem, qui cõiugis expers,
    Quem cædens solus edit & ille die.
Et Thasius similiter athleta, ut Posidonius ait:
Fœdus erat quamuis, æstus mihi Mæonius bos.

Constat & Herculem & Vlyssem fuisse uoracissimos: & ebrietatem & temulentiam non solùm in usu, sed in honore fuisse.

Com. 49. Aph.

De usu inferius uidebitur: de honore plura sunt testimonia.

Cap. 8.

Inter symposium calices cum sæpe feruntur,
Dulcia nugantem, uinum potare sedentem
Est opus. — Tum illud:

Nestora

Cap. 11. Nestora non latuit clamor, tamen ille bibebat.
Et illud:
Cap. 9. Vina senem cogunt minimè saltare uolentem.
Et illud:
Arcadionis habet tumulus hic ossa bibacis,
Erectusq; urbis proximus ille uiæ huic.
Charmylus & Dorci posuerũt. Mortuus est uir,
Dum magni calicis ebibit iste merum.
Communia autem:
Plurima edens, permulta bibẽs, mala plurima di- (cens
Ipse uiris, iaceo hic Timocreon Rhodius.

Et ne fortuitò hæc quisquam dici putet, subijcit:

Tres minas ferè elixorũ, aliud dic, rostrulum,
Pernam, suillos & pedes, ô Hercules!
Bouisq; tres, gallinam, Apollo? cætera
Dic: ficuum minas duas: quantum simul
Refer bibisti? bis meri senas cotylas
Apollodore, & Sebazi.

Quin etiam ipsi reges, Philippus & Alexander filius, ebrij: certabantq; calicibus. Mithridates Ponti rex, ne quid deesset ad cumulum, uoracitatis palmam meruit in conuiuio: ut credã Galenum symposio illi Athenæi, quamuis ipse eum adscribat, non interfuisse. Sed enim nos hæc per Natalem de Comitibus Venetum translata huc retulimus, nec ulla querela maior. Cessent igitur ista nugari, cum mundus mundus semper fuerit, & homines homines. id quòd etiam affir-
Pag. 10. mat Hippocrates quinto Epidemiorum, de Biante pugili.

APHORISMVS XXIX.

PVer podagra non laborat ante usum uenereorum.

COMMENTARIVS.

¶ Non idem est articulorum morbus, atque podagra. Hoc si docuisset Galenus, melius fuisset, quàm immeritò Hippocratem toties insectari. Arthriticos enim non paucos uidemus pueros, podagricum nunquam uidi: nec qui uiderint, legisse me memini. Dicebat Hippocrates in li-
Pag. 9. bro de Affectionibus: Podagra uiolentior est o-
„ mnis eiusmodi circa articulos morbis, atque
„ longissimus, & difficulter cedens. Et in articulari morbo, ut ibidem docebat, dolor ex articulo in articulum transit, ac mouetur. non sic in po-
Partic. 4. Aphor. 31. dagra: transit enim, sed non spargitur. Visum est autem suprà, quo nam pacto arthritides, non autem podagræ, nisi in his qui eis obnoxij sunt, febres subsequi soleant. Cum enim humor liquatur, defluit ad articulos, non è uenis expressus sanguis, sed iam corruptus: ac per modum cuiusdam puris fit arthritis, non podagra. Ideo arthritis non reuertitur ut podagra: quoniam materia illa aliena est à natura sanguinis, nec prõptè parata semper ut defluat ad articulos: ob id arthriticus morbus non redit, nisi post febrês: podagra redit. In his uerò quibus arthriticus morbus absque præcedente febre aduenit, materia etiam illa pituitosa est ex lassitudine calefacta atque corrupta. Dicit, Ante usum uenereorũ. Alphonsum Tassonũ & Claudiũ Rangonum splendidos adolescentes laborasse podagra quintodecimo anno, Brasauolus uidisse affirmat: Quidam etiam pueri ante tertiumdecimum per lasciuiã atteruntur: quos excipit Hippocrates.

APHORISMVS XXX.

DOlores oculorum nitri potio, aut balneum ante fomentum, aut uenæ sectio, aut medicamẽtum epotum soluit.

COMMENTARIVS.

¶ Postquam docuit, qui nam morbi alijs succedentibus morbis aut signis soluantur, & quonam pacto ars non semper recta, agendo rectè agit, sed modum requiri: deinde qui morbi aut morbis aut naturalibus dispositionibus prohibeantur, curationis modum specialem uno appositiore exemplo docet. In quo demiror satis Galenum, qui dixerit nulla ratione, sed quòd ita accidisset, illum conscripsisse: tanquam aliquid esse possit, quod causam nõ habeat: aut si habeat, quæ nulla possit ratione in digitos, ut dici solet, poni. An quod ipse inuenit, inueniri ab Hippocrate potuisse negare audet? Sed rem paucis accipe: Qui oculorum doloribus laborant, aut influxũ ex corpore patiuntur, aut ex cerebro solum. Si quidem ex toto corpore aut secreti humoris, aut misti & concreti in uenis, aut uaporis. Si quidẽ secreti humoris, purgatione tollitur, & auertitur: sin autem concreti, sectione uenæ euacuatur, & diuertitur: sin autem uaporis, balneo, eadem ratione bifariam patiens iuuatur. At si materia solum in cerebro concreta fuerit, si quidem crassus sanguis, meri potione dissoluitur: si tenuis aut aquosa, fomento super frontem imposito, quod semper nobis iam purgantibus prius corpus bene cessit, sistitur.

Vinum debet, ut Aetius docet libro septimo, esse acre, fuluũ, tenue, antiquum, odoratum, quã quam non omnium meminerit. Quandoq; ad cõciliandum somnum, dulce, flauum, potens: tale aũt crassum necessariò est. At sectio uenæ, qualis à Galeno refertur libro de Sanguinis missione:

Dolētibus oculis humeralis uocata uena, quæq; ex ea deriuata est, in cubito incisæ, luculentū celeriter cōmodum afferunt. Et rursus ibidem: Oculorū persæpe dolores grauißimos, è directo uenæ quam humeralē nominant sectio, intra horæ unius spaciū compescuit. Quantū uerò detraxerit sanguinis, pòst docet dicens: Hora quinta ad me uenit, librasq; tres sanguinis detraxi, hora nona unam. Quod ad fomentū attinet, duplex est.

Cap.17. Vnum, quod solum sistit, frontiq; apponitur, è sanguine draconis, bolo armeno, albo oui rosis & aceto. Aliud, quod super oculos ponitur è sertula campana & chamemelo coctis cū aqua & sapa, addito fœnogræco, rosisq;. Illud animaduertendū diligenter, cuius nos Galenus admouet, medicamenta omnia quæ stuporem inducunt, uisum hebetare: quamobrē ab illis, quantū fieri potest, cauendū. De fomentis etiā aliud nobis præceptū dat Galenus, si prosint, & in melius perficiāt, purgandū esse corpus, atq; in eis perseuerandū: sin aūt postea dolor grauiorĕ reuertatur, amouēda, purgandūq; corpus, quod nō sit exquisitè purgatū: aut dicas caput saltē. Tertiū præceptū est, ubi acria medicamēta oculo admouere propositum est, oportere corpus esse exquisitè mundum. Ego, etiā si nō omnino refertū sit, sed purū, eo in casu nouā purgationē ad diuersum motū in humorib. ciendū faciēdam suadeo. Quod etsi nō tam expreßè præcipiāt medici, faciūt tamē propter mēbri nobilitatem, & stricturæ tenuitatē, ac, ut ita dicā, fragilitatem: cū uerò ab omnibus

Pag 6. immodicis lædatur, ut in libro de Carnibus, & in obscuro collocādus est æger dū curatur, et in pollinē redigi debent ea quæ immittūtur collyria:

7. Epidem. pag.14. solent aūt grauari, dicebat Hippocrates, morbi oēs oculorū ad noctem. Purgatio, inquit in libro de Locis in homine, sit quæ attenuet, id est, ualida. cuiusmodi cū elleboro, sed quæ nullo modo uomitū cieat. balneū uerò, quod lachrymas

Pag.6. uberes ciere poßit. Multos aūt oculorū morbos defluxu lachrymarū curari, docet ibi Hippocrates: tum magis, si eadem aqua per nares poßit purgari. hoc enim melius esse putat. In libro de Vete

Pag.8. ri medicina, concoquendā esse docet, & ut crassescat. hoc aūt, postquam materia fluere desierit. Medicamentum tamen illud in fine libri de

Pag.ult. Victu in acutis, tametsi bonum sit, Hippocratis non est, ut nec reliqua. Nec te moueat, quòd in septima particula corruptus Aphorismus in hūc modum adiectus sit: Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ sectione curato. Rectè enim à Galeno reijcitur: & cum maximè, quòd Hippocrates non soleat de eadem re duobus modis scribere. Porrò quòd

Post 45. in nostro ordine. Pag 1. Pag.2.

non meminerit ustionis, quemadmodum in libro de Locis in homine, et de Visu: id factum est, quoniam ustio longis morbis conuenit: hic autem de doloribus uehementibus agit, qui non adeò sunt insanabiles. Subijcit autem pro intellectu eorum quæ dicta sunt, in hunc modum: Sanguinis detractio ad quarundam lippitudinum dolores confert. Et cucurbitæ circa uenas affixæ: cibus modicus, & aquæ potus: decumbat modò in dextrum, modò in sinistrum latus, procul à fumo & igne. Et loquitur de populari morbo: sed tamen omni oculorum dolori utile est.

APHORISMVS XXXI.

Balbi ab alui profluuio maximè capiuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Τραυλοὶ Latinū nomē nō habent: ψελλοὶ autem balbutio: & ψελλισμὸς, balbuties, & ψελλίζεσθαι, balbuire. Balborū fuit familia Ciceronis ætate, Romana ciuitate donata à Pompeio, cū esset ex Hispania oriūda. Cuius Cornelius fuit senior tātis opibus, tāq; insigni felicitate, ut in affinitatem Cæsaris trāsierit, & in ciuilibus bellis ab eo steterit, Pompeio relicto, cui omnia debebat. Et ne quid secūdæ fortunæ deesset, nepotē habuit Corneliū iuniorē, sui similē. Extatq;, ut ferunt, etiā inter rara uetustatis monumenta Romæ domus integra superstes. tantum potest uitiū. At τραυλοὶ solū sunt, qui ρ proferre nequeunt. Quæ uerò speciei conueniunt, nō uerè dicūtur de genere: uelut, Si parricidis eculeus debetur: uerum non erit, homicidis illū eundem deberi. Neq; ergo si τραυλοὶ maximè capi soleant longo alui profluuio, de balbis hoc idē generaliter intelligendum erit: sed de his tantum, qui ρ simul proferre non possunt. nā & ψελλίζεσθαι propriè est ρ σ non posse proferre: has ut nimis molles, illas ut nimis duras. Ex ἀγκυλωσίᾳ etiā, quæ est duricies, fit ἀγκυλόγλωσσον, linguæ uitiū, teste Paulo Aegineta & Aetio, cū lingua hæret radici, uel adnata, uel ex ulcere obducta cicatrice. Et μογιλαλία, hæsitantia in uerbis, uelut hi qui ex ira aut timore impediūtur. Fit ergo uitiū hoc, ut etiā refert Erasmus in Chiliadibus, in σ & ρ ρ quidē in λ cōmutant: quo uitio laborasse nō natura, sed mollicie referūt Alcibiadē. σ uerò in τ mutant: unde illud, ἡ ψελλὴ οὐ πιθεύει, pro πιστεύει: id est, balba nō credit: cum sonet, Balba nō persuadet. nō ergo τ & π duræ sunt, sed ρ ac σ, quòd liquidæ plenæ sint.

lib. 6. cap. 29. lib. 8. cap. 36. Chil.1.Cent. 6.Adag.51.

nam

nã λ mollis est. alij ergo circa alia elementa collidunt, aut hæsitant. Sunt qui proferre non possunt statim: sed ubi cœperint cõtinuare sermonẽ, liberè loquũtur, ac fermè sine impedimento ullo. Aristoteles secũdo de Partibus animaliũ ait:

Cap. 16. in fine.

Sermo qui uoce promitur, literis cõstat. quòd si lingua agilis esset & humida, labra aũt eiusmodi nõ essent, maxima pars literarũ exprimi non posset: quippe cũ literæ partim lingua producãtur, partim labris exprimãtur. Et paulo pòst:

Cap. 17. in prin.

Ad literarũ etiã explanationẽ & sermonis expreßionẽ, lingua mollis, lata & absoluta accommodatior est. quippe quæ cõtrahere, producere, dilatare, deniq; afformare uariè maximè poßit. Patet hoc in his, in quibus nõ satis absoluta est. blæsi enim, & balbi & torti sunt: quod uitiũ, literarũ defectus est. Et rursus in quarto de Historia animaliũ:

Cap. 9. in prin.

Locutio, nõ nisi uocis per linguã explanatio est. Vocales igitur literæ à uoce & gutture, cõsonantes lingua & labris proferũtur, quibus literis omnẽ locutionem confici nulli dubium est. Quamobrẽ quibus animantiũ lingua libera absolutaq; nõ est, ea neq; uocem emittunt, neq; sermocinantur: at sonus elidi uel alijs partibus potest. Quòd ut intelligatur, quia perdifficile est, paucis explicabo. Vox est animaliũ perfectorũ, ut equorũ & auium: sermo hominis, & si quæ aues loqui didicerunt. In utrisq; ergo lingua distinguit uocem, quoniã in uoce consonantes etiã sunt. Quibus ergo lingua libera nõ est, nõ est sermo, nec uox, quia solas uocales proferre possent, quæ uocẽ nõ perficiũt. Voluit ergo ex demõstratione hac ut intelligeremus, & quòd in uoce consonãtes neceßariò sunt, & quòd perfecta animalia cõsonãtes proferũt: & quòd ubi lingua libera nõ est, uox non est: quæ ut cognoscatur à cognatis animalibus, facta est. Sed ad rem redeo, idẽ undecima Problematũ:


Probl. 30.

Imbecillitas linguæ nõ solùm hæsitantiam, sed balbutiẽ atq; blæsitatem facit: quippe cũ blæsitas sit, literã quandam exprimere nõ posse, eamq; nõ quamlibet, sed certã: balbuties uerò, literã prætermittere, uel syllabã: hæsitantia aũt, alteram alteri syllabã iungere properè non posse. quæ quidẽ omnia imbecillitate eueniunt. Lingua enim subministrare intelligentiæ non potest. Itidemq; etiam uinolenti & senes magis iuuenibus afficiuntur. Placet autem, ut nominibus Græcis potius utamur, ut pro blæsitate, τραυλότης: pro balbutie, ψελλότης: pro hæsitantia, ἰσχνοφωνίαν dicamus. Nam & his utitur Aristoteles, et blæsitatẽ nõ admittit lingua Latina, quando uix blæsum, id est, non perfectè proferentem uerba. Est aũt uitium cõmune, at uox cõmunis prolationi imperfectæ. Hoc ipso differẽs balbus à blæso, quòd balbus quædã proferre nõ potest, aut aliter: blæsus omnia uitiosè, nihil nõ potest. Hippocrates secundo Epidemiorũ inquit, quòd huiusmodi homines sunt boni.

Sec. 5. in initio.

Verba eius: Magni, calui, balbi, gracili uoce præditi, boni. Nõ est intelligendũ collectim, tũ quia paucißimi tales inuenirentur, uidereturq; dictũ pro semetipso: & quoniã quædã repugnant, ut caluicies, quæ à siccitate fit: balbutiei, quæ ab humido abundãte, ut uidebimus. Causam præterea hæc habẽt euidentem, cũ cerebrũ sit instrumentũ sapientiæ, utcũq; frigidũ & humidum fuerit, moderatos, modestos & bonos facit. seu ob distantiam, ergo à corde frigidũ fit & humidum, ut in magnis: seu ob resolutionem caloris innati, ut in caluis, qui naturam senilem ante tẽpus ferũt: seu ob imbecilitatem testium, qui soliti sunt exurere cerebrum, unde barba: quod declaratur ex gracili uoce. seu ob abundantiam humidi, ut in balbis, omnes sunt mites, prudentes ac boni. & certè in pluribus hoc animaduerti. Et Antonius Pezonus Hispanus, uir nobilis, cum aliqualiter balbutiat, optimus uir est, & splendidus & liberalis, ac amicitiæ, si quis alius, cultor, ac gratus: præterea etiam cultor bonarum artium. Vnde uitia quæ ab humido & frigido contingunt, bonos ac simplices efficiunt: cuiusmodi, quæ dicta sunt. Contrà, quæ à siccitate immodica, aut calore, ferinos rapacesq; uiros indicant: cuiusmodi strabi, claudi, gibbi, parui, sicci, crispi, atque eiusmodi. Fieri enim traulos ob abundantiam humidi, & quoniam cerebrum immodicè sit humidum, tum ex Aristotelis, tum ex Galeni sententia deprehenditur. In hoc enim uitium incidunt: quoniam, ut Galenus inquit, in proferendo ρω oportet linguam simul & extendi ad dentes anteriores, & dilatari: unde tum ob duplicem motum, tum quia gracilescere cogitur, imbecillitas primò obstat: secundò humidum abundans, unde traulos esse necesse est. In hac autem abundantia humidi causam duplicẽ adesse putat Galenus. Alteram naturalem, quæ efficiat profluuia alui longa, scilicet humidam uentriculi substantiam, quæ eadem est cum tunica ipsius linguæ: humidum autem uentriculum par est consequi longa alui profluuia. Altera causa est, humidum superfluum, quod è cerebro manat, impediens musculos linguæ, ne fungantur officio promptè & expeditè, ut par est: simul etiam nerui ipsi, qui ex septimo pari

proficiſcuntur: atq; hi ſoli exquiſitè duri ſunt, 9. de Vſu Par.cap.12. quēadmodū ait Galenus, ex cerebri neruis: maxima pārs aūt poſt coniunctionem cum ſexto pari ex illis, inde ſeparationem linguæ inſeritur. Hoc igitur uitiato, ut inquit etiam libro quarto cap.2. pag. 3 & 4. de Locis affectis, motus illius uitiatur, fitq; reſoluta modò dextra, modò ſiniſtra parte: tuncq;, inquit, pars cerebri anterior læditur, qua læſa etiam lædi uentriculum eiuſdem partis, & cum eo rationem ipſam, neceſſe eſt. Quòd conſideratione dignum eſt: at magis, ſi etiam ſenſus citra humorem, quem conſtat ex tertia coniugatione neruorum cerebri oriri, ut ibi docet: hi autem admodum molles ſunt. Sed illud mirum eſt, quomodo etiam dentes ſapores, inquit, diſcernunt, Cap.2. ſextodecimo de Vſu partium: ſicut & omnes aliæ, dicit, oris particulæ. Sunt autem in lingua uenæ, arteriæ & nerui, maiores quàm in cæteris particulis: ipſa uerò illius caro fungoſa, ſecundo Cap.5. de Alimentis. Et in eius radice duæ glandulæ, Cap.11. decimo de Vſu partium, in quibus ſaliua generatur. Muſculi quoq; ſine tendonibus, quoniam ij nullum os mouere debent; ideoq; nec tendo- Cap.3. nibus opus habuerunt: ut primo de Motu muſculorum ſcribitur. Sunt autem muſculi illius, ut aCp.14. in libro de Muſculorum diſſectione tradidit, nouem: duo longi ac tenues, qui ex belonoeideon incipientes, in tranſuerſas illius partes inſerti, eam in tranſuerſum agunt, reliqui ex hyoeide ſeu lambdoeide oſſibus: & qui è ſuperiore hyoeidis in rectū, ſicut qui ex obliquis eius partibus in obliquum. Qui uerò unicus eſt, bifidus eſt, & ex ſuperiore parte hyoeidis oritur, nec linguam mouet, ſed retrahit os hyoeidis ſurſum ad maxillam: quo retracto, & quinq; muſculi, qui ab eo oriuntur, & ipſi elatiores euadunt. Vt uerò ex lib.1. ca.13. Veſalio habetur, os hyoeidis, id eſt, υ literæ



Græcorum ſimile, ſeu lambdoeidis, id eſt λ ſimile ita conficitur, ut A A lambdoeiden, B B hyoeiden propriè conficiant. & lambdoeides apicibus fermè tangit belonoeiden ſeu acus, qui ſunt proceſſus oſſium temporis: ima uerò ſedes ſub laryngе poſita eſt, D litera notata, ut ſit hoc os ſolitarium, et inter oſſa uelut inter maria Caſpiū: cuius imum craſſum eſt, parte anteriore tuberoſum, poſteriore cauum. Primùm igitur par muſculorū ex acubus ſeu belonoeidib. oritur, quod ſurſum, & ad latera linguā trahit: ſecundum, ex ſupremis partibus lābdoeidis: tertiū, ex infima ſede eiuſdem: quartū, ex inferiore maxilla, ubi molares innaſcūtur dentes, quod linguā inferius contrario motu primorum trahit. Ex menti regione ſolus ac latus muſculus, ab inferiore ſede mandibulæ tum craſſus ac carneus oritur. Peculiare autem eſt omnibus linguæ muſculis, cum reliqui omnes unico genere fibrarum contexantur, ut ex omnibus componantur, quemadmodū Veſalius in ſecundo libro ait. Eſt uerò uinculum Cap.19. linguæ ſubſtratum, latum, quantum ipſa eſt, atq; membranoſum: quod ſi uel tātillum decurtetur, aut longius euadat, & mandendi & loquendi functio impediretur, ut Galenus refert undecimo de Vſu partium. Huic tamē membranæ alio Cap.10. tenui ac membraneo uinculo plus iuſto alligari ſolet, quod in medio conſtitutum, in infantibus ab obſtetricibus ungue duntaxat abrumpi ſolet: atq; hoc uel illo non iam τραυλοὶ, ſed blæſi euadunt, de quibus non meminit hoc loco Hippocrates. His igitur tot muſculis & tam uariè fabricatis, lingua omniformi genere motus diſtenditur, atq; contrahitur, ut primo de Muſculorum motu docet Galenus. Eſt autem animaduertendum, Cap.3. quòd Anatomici os hyoeidis & lambdoeidis cōfundūt ſæpius, utroq; nomine quod longius eſt ſignificantes. Fallopius hoc tertium par in homine inueniri tradit, in reliquis cū Veſalio fermè Fol.74. cōcors: cauſa eſt quòd Fallopius primùm muſculum, qui eſt nonus apud Veſalium, uſq; ad os hyoeides extendit. In uniuerſum ergo cum ob humidū abundans in cerebro muſculi per cōſenſum afficiuntur, par eſt & omnes partes ſimiliter oris, & uſq; ad uentriculum affici: & ideo tales obnoxios eſſe longis alui profluuijs, quoniam de breuibus nemo fermè non obnoxius eſt ob alias cauſas. Atq; ita ex morbo quaſi naturali, morbum fortuitum docet, contrario modo ei qui de Eunuchis in- Aphor. 37. ſcribitur.

APHORISMVS XXXVI.

QVi acidum eructant, non ualde morbo laterali corripiuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Cõtrario hoc ut in priori ex naturali morbosa constitutione incolumitatem, ut etiam superius de Eunuchis, ostendit. Hunc Aphorismum sic Galenus inducit: Pituita acida solet mordere uentriculum, & intestina & excretiones irritare, atque ita redundantiam tollere humorum. inflammationes autem ex illorum abundantia fiunt: quocirca qui talem eructant humorem, ad nullum abscessum sunt facilè parati, multo minus ad morbum lateralem, qui est abscessus sub membrana subcingente costas. at non facilẽ aditũ pituitæ illa membrana exhibet, ut nec humoribus crassis alijs. Ob id, duplici ex causa qui acidum eructant, non facilè abscessu sub costis corripiuntur. Morbus sanè hic biliosos corripere solet. at ructu acido qui laborant, duplici ex causa à biliosi humoris copia absunt. Diximus autẽ suprà de hoc. Enarrat Brasauolus, lateralem morbum, qui fit à pituita, esse longum: eosq́; qui ex illo curantur, post sanitatem facilè dolore illius loci corripi; quod ob raritatem membranæ contingit, quæ pituitosum humorẽ transmittere cogitur. locus etiam ille frigidus, à frigida materia deterius habet. Quod autem Galenus dicit in libro de Aere & aquis, sic se habet: Pleuritides & peripneumoniæ, & febres ardentes, & quicunq; acuti morbi putantur, non multum proueniunt. Neq; enim fieri potest ut morbi hi uigeant, ubi alui liquidæ existunt. Imò etiam existimant iam fermè laterali morbo prodesse aluũ fluentem, iuxta illud: Quibus in febre dolore lateris oboriente aluus multa aquosa ac biliosa egesserit, hi alleuantur. Sed & hoc transtulit Auenzoar ad opus medici, dicens: Concordati sunt medici, quòd in habendo uentrem mollem sanitas conseruatur. Hippocrates in libro de Affectionibus ait, ructum acidum fieri ex pinguibus, caseosis, mellitis, & sesamo paratis: quæ eadem solent gignere repletionem, tormen, flatũ, bilisq́; fluxum supernè ac infernè: utq́; eadem fiunt, cùm quis plus ederit quàm concoquere potest. Quare liquet, in huiusmodi hominibus parũ transumi ad uenas: et ob id etiã rarò in phlegmonas incidunt. Vt in summa dicam, ructus acidus eorum est, qui sunt in defectu: lateralis autem mobus eorum, qui sunt in excessu coctionis.

In expositione pri. Aphorismi huius.

Pag. 3.

In Coacis prędic. Pa. 3.

In ca. generali, et de præseruatione ad regem.

Pag. 12.

APHORISMVS XXXIIII.

Quicunq; calui sunt, his magnæ uarices nõ fiunt: quib. uero caluis magnæ uarices superueniunt, ij rursus fiunt capillati.

COMMENTARIVS.

¶ Et hic est eorum, in quibus docet ex mala naturæ constitutione securitatem à morbo, ut in præcedenti: sed hoc habet plus, quòd etiã morbum, curam esse morbi indicat. Diximus autem suprà, quòd de uera caluicie, non solo defluuio capillorum caluiciei simili hîc loquitur, tum in Contradictionibus. Sed qui culpant Hippocratem ex hoc, non intelligunt illum. nam caluicies duplex est, uera etiam dico. Vna, quæ fit senectutis uitio, & hæc est insanabilis, ut etiam reliqua, quorum causa est senectus, non quia talia illa sint. Alia, quæ est ob aliam causam, quæcunque illa sit, arte quidem insanabilis, à natura tamẽ sanari potest. Quomodo autem hoc deprehẽderit Hippocrates, nec Galenus nec alius uspiã intellexit, cũ nemini qui uerè caluus esset, uideret uarices magnas cõtingere. nam post defluuium capillorum, etiam adueniunt: aduenientibus autem uaricibus solui caluiciem, animaduertent: ueram caluiciem ex hoc, non ementitam, & pro capillorum defluuio acceptã solui cognouit: contraria enim contrariorum sunt auxilia. quod delet uarices, est caluicies, nõ defluuim capillorum. igitur uarices contrariæ sunt caluiciei. Aduenientib. igitur uaricibus, caluicies soluitur. Et hoc est unũ eorũ quæ à natura fieri posunt, nõ ab arte. Velut restitutio luxati oßis arte fieri potest, nõ aũt à natura. Ergo caluiciem propriè accipit, cessatq́; prima accusatio. Secũda, quòd caluiciem sanari posse dicat Hippocrates, demiror de Galeno, qui tã inconsultè hæc prodiderit: imò non miror. est enim illi consuetum. negantem propositionem quomodo probabit? aut si probare potest, quare nõ probat? sufficit enim illi dicere aduersus Hippocratem, Ita est. Quæ nam potest caluiciei esse talis causa per se (dico per se, ut senectutem excludam) quæ caluiciem faciat insanabilem? humor malus tolli potest, siccitas cutis potest humectari, astrictio illius potest aperiri. Nascitur pilus in cicatricibus casu uel uiolẽto ex medicamẽto, cur nõ in caluicie? Deficit humor, cur ergo non totum caput, sed partem duntaxat anteriorem, neque totum neq; à lateribus occupat? cerebrum, ut inquit dehiscit. Quæ fabula: etsi antè dehiscit, cur nec post, nec à lateribus? Vna ergo est causa, quòd in senibus humidũ est cõsumptum, nec restitui potest, ideo nõ possunt sanari: at in alijs restitui potest, igitur sanari possunt.

Aphor. 27.

lib. 3. contrad. 13.

possunt. Tertia accusatio; caluis magnæ uarices fiunt: nec est uerum, non fieri. At miser uidet, quòd legi debuit diuisim, coniunctim legit, & Hippocratem prorsus stultū facit. Nam dicit Hippocrates: Caluis uel nū accidunt magnæ uarices: uel si accidant, caluicium soluitur. at Galenus ita legit: Caluis nunquam accidunt magnæ uarices: & si caluis magnæ uarices accidāt, caluicium soluitur. Quid opus erat dicere, Et si accidant uarices, caluicium soluitur: si caluis uarices accidere non possunt? Decepit illum modus loquendi Hippocratis, quòd non interponat n, ita ut legatur hoc modo: Quicunq; calui sunt, his magnæ uarices nō fiunt: uel, Si caluis magnæ uarices fiant, capilli renascuntur. Quarta accusatio, quæ tertiam interimit, est hæc: Falsum est quòd, si caluis uarices magnæ fiant, capilli renascantur. Quomodo hoc probas? cur non aliquē adducis in mediū caluum, cui cum uarices magnæ acciderint, caluus tamen manserit? An uis hoc solo credi tibi, quòd caluicies sit morbus insanabilis? at de hoc ipso est tota quæstio. Oraculū reuelauit, quale? Auctoritas. cui maior quàm Hippocrati? Ratio. quæ'nā? Experimentū non adducit. At per caluiciem intelligo, quibus nō renascuntur capilli: sic omnia obtinebis. Pauper nullus ditabitur: per pauperem intelligo, qui nūquam diues futurus est. At tu me dicis cōniuere? facile. Nullus est morbus, qui toto genere sit insanabilis: non carcinoma, non tabes, non elephātiasis, quomodo uis ut morbus in capillis toto genere sit insanabilis? Deinde, cur non explicasti, in quo tua hæc caluicies à defluuio capillorū distinguitur: ut intelligeremus quid hoc esset quod posset sanari, & quod nō posset? Caluicies, dicis, est profluuium capillorū omniū. falsum est. nā multis senibus aliqui relinquūtur capilli in ipso loco: & necesse est ut saltem per initia calui aliquos habeant capillos, si non toti simul excidere debeant: quod est monstro simile. quibusdam etiam, quibus omnes exciderunt, renati sunt: nō igitur caluicies. Caluicies, dicit, à siccitate fit, ut

Cap. 6. iuxta mediū.

secundo de Temperamentis: sed defluuiū ex humorū prauitate. Verùm primò de Compositione pharmacorū secundū locos, ponit auxilia ad caluiciem. Idē in principio dubitat, an caluicies ab

Cap. 7. Sec 9. iuxta medium: & ca. 2. Sec. 1.

initio sit sanabilis, an'non? Quid tandem nō est sanabilis, dicit, quia à siccitate prouenit: at defluuium sanari potest uaricibus, quia humores praui ad contraria deferuntur. Nihil minus, ecce ruditatem: non est hic error in uerbis, sed in re. Nō hoc unquā cogitauit Hippocrates. Hæmorrhoides fluentes, ulcera crurum, purgationes natium, lōgè magis diuertunt à capite: nec tamen de

Cap. 1. 8.

ullo horum dixit Hippocrates, nec experimentum docet, quòd caluis capilli renascantur: sed ob retentionem & collectionē terrei humoris circa genitalia nascuntur capilli caluis, ut etiam in retentione mensiū mulieribus quādoq; barba, ut sexto Epidemiorū. At quod maius miraculū,

Par. 8. in fine.

caluis capillos nasci, an mulieribus barbam? qualem ego uidi. Fit ergo ex retentione & collectione terrei humoris circa pudenda, non distractione: qui etsi purgaretur, non is humor educeretur, qui corrūpit radios capillorum, nempe salsa pituita, sed alius.

APHORISMVS XXXIIII.

AQua intercute laborantib. tussis superueniens, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Quàm ridicula sit rursus expositio Galeni hac in parte, ut uelit Hippocratem loqui de ea tussi, quæ superuenit aqua iam ingressa arterias, non est ut dicam, cum uel puero hæc patêre possent. Primùm, quid absurdius quàm malum uocare, quod lethalissimum est? Deinde, quis eò peruenit unquam, ut in asperas arterias aqua permeet, superato sic septo transuerso, ut totum obruatur, & immobile reddatur; & statim ob id homo suffocetur? Et quis hydropicum aquam expuere uidit? Non'ne prorsus hæc anilibus fabulis sunt similia? Itaque neque si dicat Hippocrates lethale, uerum dixerit, cum nemo eò usque perueniat, ut aqua in asperas ingrediatur arterias: in lethalissimo autem morbo dixisse malum, longè absurdius. Hæc sunt Galeni uitia, aliò manum, aliò mentem, dum scriberet, applicantis, adeò ut in re clarissima & nullius negocij etiam caligauerit. Inquit igitur Hippocrates secundo Prædictionū, eum qui ab aqua intercute corre-

Pag. 4.

ptus est, si superstes esse debeat, oportet bonis uisceribus esse præditum, it aut natura se exerat, simulq; facilè cōcoquat, & bene spiret, sitq; sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatū. Melius est aūt, ut tumores habeat in extremis partibus. Optimum uerò est, neutrum horum habere. nam molles ac graciles conuenit esse extremas partes: itemq; uentrem ad contactū mollē. Tussim uerò adesse nō oportet, neq; sitim, neque linguam resiccari: tum reliquo tempore, tum post somnos, quando hæc ualde fieri solent. At cibos libenter accipere oportet, & cum quantum satis est,

tis est comederit, non affligi. aluum autem ad medicamenta celerem habere, & reliquo tempore recrementum egerere molle efformatum. Vrinam autem apparere conuenit pro potuum ratione, et uinorum mutatione, transitionéq; laborem quoq; facilè perferre oportet, & lassitudinis esse expertē. Optimum autem est, si horum nihil deficiat, securissimè enim restitui poterit sanitati. Si plurima autem ex his habeat, spes etiā est: si nullum, sed contraria, is desperatus est. Si pauca bona, exigua spes. Cum ergo inter tot signa tussim reponat, lethale non est signum, sed malum. Indicat enim creuisse aquam, & corruptam esse, adeò ut uaporibus & consensu qualitatis læsus pulmo ad tussim excitetur, nō quòd aqua ipsa eò usq; attingat.

APHORISMVS XXXV.

A B angina habito, si tumor fiat in collo, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Verba illa, Foras enim morbus deducitur, tametsi uerissima sint, & causam dicti reddant: Hippocratis tamen grauitate indigna sunt, & reliquis sententijs imparem continent sensum. Aphor. 24. Diximus autem suprà de hoc: nunc quod reliquum est doceamus. Videtur primùm inconstās Pag. 9. sermo Hippocratis in libro Prognosticorum, cum inquit: Anginæ quæ similiter dolorem exhibent, attolluntur autem, & in faucibus rubores faciūt, perniciosæ quidem ualde sunt, uerùm prioribus magis diuturnæ, si rubor fuerit magnus. Quibuscūq; uerò fauces & ceruix simul rubræ fiunt, hæ anginæ diuturniores sunt: et ex ipsis euadunt maximè, si & ceruix & pectus ruborem habuerint, & erysipelas ignis sacri non intro recurrerit. Videtur ergo non sufficere, quòd materia extrà protrudatur ad ceruicē, sed exigit ut rubor ad pectus usq; extendatur. Sed dicendum, non hic solum de rubore, sed tumore loqui Hippocratē, qui rubore securior est. Sed si quis animaduertat illius dicta, quatuor constituit genera expulsionis, ab intus extrà. Primū, cum nullo manifesto rubore, nec tumore, nec extrà, nec in faucibus, pòst apparet rubor in eisdem, tunc morbus protrahitur: sed tamen æger perit. Hic dubitandum esset, an posset dici signum bonum, cum mors producitur, nihilominus æger moritur? Dico, quòd Hippocrates hoc signum non appellat bonum, quia ipse non est captiosus: & ridiculum est dicere signum bonum, quod mortem significat. est enim, uel dici potest minus malum. Secundum est, cum fauces (intus enim esse dicūtur respectu cutis, & quia non tanguntur ab aere, & extrà comparatione spinæ dorsi, circa quam iacet anginæ materia) & ceruix rubræ sunt, & hæ ancipitis sunt indicij, & nō tamen securæ: nam ob materiæ abūdantiam & partes illius minus prauas, pars etiā ad ceruicem detrudi potest absq; naturæ magno robore. Hic tamen modus est ab intus extrà, partim primo modo, partim secundo. Tertiū est, cum rubor extenditur ad pectus, & ita non solùm extrà secundo modo, sed etiam procul materiæ portio truditur. Atq; hic modus proximus securo est, non tamen securus prorsus: quoniam & robur uirium, & multitudinem materiæ decernitur. Quartum significatur per illa uerba, Et erysipelas ignis sacri non intrò recurrerit. Et est, cùm tumor apparet in collo, & fit tertius modus expulsionis foràs, scilicet materiæ ipsius: & est signum bonum, ut hic etiam in textu, non tamen est omnino tutum. Quintum genus, quod est per se manifestum, & est quartus modus expellendi, ut cessante dolore & difficultate omni, circa guttur ceruix tumorem cō trahat. hoc enim est signum prorsus securum. Ex quo patet, quam sicco pede Galenus, & qui eum secuti sunt, tam pulchra documenta prætereríerint. Et si quis dicat, quòd hæc sunt explicata tertio Prognosticorum: Dico primùm, quòd non ut debebant: deinde quod spectabat ad illum tantū, ex eo loco traducere ad hūc, ut Aphorismus planè posset intelligi, uel melius erat omnino nō exponere, quàm sic exponere. nā Exterius trifariam dicitur: uel extra intima, ut in fauces: aut extra corpus ad cutim, ut in collo: uel procul, ut usq; ad pectus. Et unusquisq; modus bifariam dicitur: uel ut etiam materia expellatur cum tumore, uel solum ut color diffundatur. Et rursus quilibet bifariam: uel ut relinquat priorē locum, uel ut remaneat etiā in illo. Et unusquisq; etiā bifariam rursus: uel ut simul protrudatur in utrūq; locum, uel ut prius materia intus cōsistat, inde extrà trudatur. Vt materiæ, quæ truditur extrà, sint uiginti quatuor modi. Sunt præterea alij modi modi, de quibus dictū est aliàs, & tanguntur ab Hippocrate loco adducto, cum intus ex loco in locū propellitur.

Quibus uisis, considerandum in phlegmone erysipelato de faciei, qui morbus est quasi endemius ciuitati nostræ, an conueniat sectio uenæ, atque purgatio: huiusmodi enim in usu sunt apud illos medicos. Et uidetur quòd non, quoniam utrumque horum auxiliorum trahit ab extrà intus, ideo

tus, ideo malum est: & tum maximè, quoniam adest tumor exterius. Opponunt ipsi, quòd multi breui sanantur his auxilijs, quos certum est in longum producendos sine his: quandoquidem nullus breui sanetur, si nihil horum agas. Forsan etiam perituros. Deinde quòd febris uehemens adest, & continua & sanguinea, quæ indiget uenæ sectione, ut apertè habetur nono
cap. 4 & 5. Artis curandi. Præterea in his apparent uigiliæ, dolor capitis atque delyrium, si ergo nec purges, nec uenam seces: periculum est ne in abscessum cerebri deueniant. nam materia illa non tam repit ad faciem, quàm ad totum caput, ut indicant Symptomata. Dictum etiam hoc Hippocratis intelligendum esse de motu ad extrà, cum iam materia fuerit intrà: sed in hoc morbo non prius fertur intrà, inde extrà, sed simul intrà & extrà. Respondeo, quòd oportet distinguere. Vel enim materia fertur solum extra, & sine ullis symptomatibus: & tunc adhi-
Aphor. 24. bendæ sunt cucurbitulæ, ut dictum est suprà. Vel iam intus erat, & foràs transmittitur, & fit tumor magnus: & tunc eodem modo solum adhibendæ sunt cucurbitulæ, & purgandum, ut ibi diximus. Aut materia fertur simul intus & extrà, uel ab extrà intus, & eo in casu considerandum est an sit materia pestilens: quod dignoscitur ex multitudine pereuntium, & tunc est etiam reuellenda cum cucurbitulis, ra-
Contrad. 70. tione dicta in decimo Contradicentium, dando alexipharmaca lenientibus, si ea necessaria sint, iuncta. Sed si materia pestilens non sit, & hoc modo feratur, aut etiam feratur solum extrà, sed adsint indicia copiæ magnæ sanguinis, aut febris sit uehemens, aut magnitudo caloris: tunc quod est in uenis curam postulat, & ideo sanguinem mittere oportet. Et quoties in huiusmodi casibus mittere sanguinem conuenit, manifestum est quòd magnam copiam detrahere oportet. nam sanguinis detractio in huiusmodi casibus non conuenit ratione motus, sed damnum affert: igitur oportet tanto magis detrahere, ut noxæ motus per quantitatis diminutionem satisfaciamus. Qui ergo parum detrahunt, omnino damnum in quouis casu afferunt. De cucurbitulis autem manifestum est, quòd nõ in loco phlegmonis, sed propè sint affigendæ, uelut in spatulis aut maxillis, non tamen prope guttur in ceruice, ob anginæ periculum, maximè uerò in humoris & brachiorum parte superiore. meliores enim sunt quàm in spatulis: quanquam & illis, ob magnitudinem morbi, & instans periculum, affigere cogimur.

APHORISMVS XXXVI.

Carcinomata occulta omninò nõ curare melius est. curati enim citò pereunt: nõ curati uerò, lõgius tempus perdurant.

COMMENTARIVS.

¶ Non cancri, qui sunt ulcerũ corruptiones, lib. 4. cap. 15.
ut à Celso: Si quando autem ulcera oris cancer inuasit, considerandum est, num malus corporis habitus sit, deinde ipsa ulcera curanda. quòd si in summa parte id uitium est, satis proficit αὐθηρᾷ. Et rursus inquit: Timuæs autem ad lib. 5. cap. 22 titulo Timei cõpositio.
ignem sacrum uel ad cancrum. Et rursus: Hæc citra cancrum sunt, qui cùm in reliquis partibus, tum in his quoque uel præcipuè ulcera in- lib. 6. cap. 18. Sec. 3.
festat. Clarißimè tamen ibi: Omnis autẽ cancer non solùm id corrumpit, quod occupauit, sed e- lib. 5. cap. 26 Titulo de uulneribus.
tiam serpit. Deinde alijs atq; alijs signis decernitur. nam modò super inflammationem rubor ulcus ambit, isq; cum dolore procedit: ἐρυσιπέλας Græci uocant. modò ulcus nigrum est, quia caro eius corrupta est. Carcinoma autem est uerè, quod Græci, & hoc in loco Hippocrates καρκίνον uocant, dicente Celso rursus: Car- lib. 5. cap. 28 Sec. 2.
cinoma fit maximè in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum. E iecore autem aut splene hoc nascitur. circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur, isq; immobilis atque inæqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum inflatæ uenæ quasi recuruantur, hæq; pallent aut liuent: nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt, tactusq; is locus alijs dolorem affert, in alijs dolorem non habet. Et nonnunquam sine ulcere durior aut mollior est, quàm esse naturaliter debet: nonnunquàm ijsdem omnibus ulcus accedit. Interdumque nullam habent proprietatem, interdum simile his est quæ uocant Græci κονδυλώματα, aspredine quadam & magnitudine sua, colorq; eius ruber est, aut lenticulæ similis. neque tutò fertur: nam protinus aut resolutio neruorũ, aut distentio sequitur. Sæpè homo ictus obmutescit, atque eius anima deficit. Quibusdam etiamsi idipsum pressum est, quæ circà sunt, intenduntur & intumescunt. Ob quæ peßimum id genus est. fereq; primum id fit quod κακοήθης à Græcis nominatur. Deinde ex eo id carcinoma, quod sine ulcere est: deinde ulcus, ex eo thymum. Tolli nihil nisi κακοήθες potest, reliqua curationibus irritantur. Et quo maior uis adhibita est, eo magis quidam usi sunt medicamentis aduren-

» » adurentibus. Quidam ferro adusserunt, quidam
» » scalpello exciderunt. Neq; ulli unquam medi-
» » cina proficit, sed adusta protinus concitata
» » sunt, & increuerunt, donec occiderent. Excisa
» » etiam post inductam cicatricē tamē reuerterūt,
» » & causam mortis attulerunt: cum interim ple-
» » rique nullam uim adhibendo, qua tollere id ma-
» » lum tentent, sed imponendo tantum leuia medica
» » menta, quæ quasi blandiantur, quo minus ad ul-
» » timam senectutem peruenirant, non prohibentur.
» » Discernere autem κακοήθες, quod curationem
» » recipit, à carcinomate, quod non recipit, nemo
» » scire potest, sed tempore & experimento. Hæc

non tam uolui adduxisse, ut declararē καρκίνου apud Hippocratē, esse carcinoma apud Latinos: sed quoniam tam bellè Celsus hunc locum explicat, ut parum ad interpretationem, & ueritatis demonstrationem addi possit: nisi quòd uidetur unum atq; aliud dicere, atq; in primis κακοήθη facere speciem carcinomatis cum ulcere, postremò diuersum quippiam, sed facit κακοήθη proculdubiò carcinoma esse, nō tamē uult omne ulcus κακοήθη esse carcinoma, sed omne carcinoma cum ulcere; licet dicat quædam esse κονδυλώματα idest flexis digitis in pugnum similia, κακοήθη appellat. Discernere ergo κακοήθεις à carcinomatibus κακοήθεσι, quæ prorsus sunt insanabilia, cum illa sanari, etsi difficulter possint, non possumus. Patet etiam ex hoc, quòd Aphor.26. per curare intelligit, quod dictum est supra, ferro uel igne. Præterea uerba illa, Curati enim citò pereunt, & reliqua: indigna sunt Hippocratis breuitate. Cōstat sanè, referente Galeno, nō fuisse in codice Artemidori & Dioscoridis, cum per se ex illis prioribus sint manifesta. Si enim melius est non curare, clarum est quòd non ob aliud, quàm quòd celeriùs pereunt. Sed modò si admittamus ea, Curati enim citò pereunt: omnino alia quæ sequuntur, Hippocrate sunt indigna. quamobrem existimandum est, ab aliquo in margine adiecta, inde textui cuncta. Mouet præterea Galenus triplicē difficultatem. Prima est, postquam in intimis partibus curati citius ad mortem perducunt, & nō solum in intimis, sed etiam in palato & ano, & muliebri uulua, dubiū est, si in superficie corporis extent sine ulcere, dicantur occulta, atque ita curari nō debeant. Secunda, si ulcerata sint, nec possint cum radicibus auelli, an præstet curari? Tertia, an dato quòd possint auelli ex toto cum radice, an curari debeant? nam refert, claros medicos huius esse opinionis. Videtur autem de non ulceratis omnibus intelligere Hippocratem, quoniam ea operatio multum excruciat & debilitat ægrotantem, nec finit morbum, cuius sedes est in iecore: igitur noxia est. quæ ratio uidetur etiam cō cludere de omnibus generibus carcinomatū. Et si quis dicat, quòd possunt curari mēbra, ex quibus originem ducit, ut quartodecimo Methodi. Sed & ulceratorū & nō ulceratorū uidetur uel le admittere curationem, cum dixit: Cæterùm si Ca.9. inde in fine capitis.

„ quando carcinoma per chirurgiam curare au-
„ debis, cœpisse quidem ab uacuando per purgatio
„ nem melancholico humore oportebit; ubi uerò
„ totum quod uitiatum est, prorsus excideris, sic ut
„ nulla supersit radix, sines effluere sanguinē, nec
„ properè eum inhibebis, imò premēdo potius quæ
„ circum sunt uenas, exprimes ex his crassiorem
„ sanguinem. Et septimo Epidemiorum: Cui carci
„ noma in faucibus exustum est, à nobis sanus eua Pag.21.

sit. Antonius quoque Castellioneus, patricius Mediolanensis, paternus amicus, cum ex calli curatione per allium impositum in carcinoma digiti minoris pedis dextri incidisset, præciso digito planè sanatus est. Respondeo, nulla carcinomata debere curari per ignem uel per ferrum, nisi quæ iam ulcerata sunt, & absciendi omnino cum sua radice possunt, & aduenerunt ex mala cura: & talia si curentur, sic celerius sanantur: sed omnia eiusmodi etiā sine præcisione curari possūt purgādo exquisitissimè, et super ulcus, aut etiam si ulceratum non sit, apponendo medicamentum Plinij secundi: Thyrsum & folia uiridia cucubi herbæ cum duplo herbæ pastelli tundes, & cum panis medulla in formam emplastri redige, & frigidum impone manè & serò. Est autē pastellus herba, quæ ex una radice prodit, & in quatuordecim aut plures ramos spargitur super terram. Est è genere, imò ipsum polygonon masculū, carcinetris uocata ob id: quanquā Plinius Li.27 ca.11 addubitauerit, quòd masculum quod uæ fœmina sit in hoc genere. Iuuat sanè hoc: quanquam nō ignorem contra Plinium intellexisse carcinoma ac debuit à Celso, causamq; alijs præbuerit erroris. Hippocratis dictū & experimentū Castellionei de κακοήθεσι ulceribus, quæ carcinomatibus similia sunt, intelligendum est. unde Celsus imponi iubet his acria medicamenta. At non ex ulcere, sed duro abscessu, uerum oritur carcinoma: ex ulcere autem malè curato, κακοήθες similis carcinomati. Galeni uerò sententia uel ad breuiorem curam respicit eorum, quæ etiam sine chirurgia curari possunt: aut si modò aliqua sic curari posse existimat, quæ nō secus possent,

reuertuntur tamen. Vnde Dominicus Senus, chirurgus Patauinus, amicus meus, narrauit quendã, fuisse peregrinum, qui circuiret urbes, & carcinomata curabat, præscindendo oliuæ surculo in aciem formato, oleoq; chalcanti illito, qui cõualuerũt: omnib. tamẽ post annũ uel biennũ rediijt morbus, qui sanari non potuit. Hippocrates tamen hoc cum non dixerit, qualemcunq; uitam meliorem laudat. In profundis autem nulla est melior uita ex curatione. Quinimò in illis blandiendo, & in alijs curãdo interim filij nasci possunt, ac superuiuere, non ut in tabificis, quorũ filij non superuiuunt, aut omnio ægerrimè. nam puella Hieronymi Tiboldi superuiuit in interuallo siccati ulceris genita, licet ægrè: nõ sic in carcinomate. at nos omnes quid aliud agimus quàm uitam trahere? Quæ aũt iuuant, præter dicta in carcinomate, sunt, succus solani in plumbeo mortario, ficus ualde pingues, & cancrorum fluuialium cinis. Oritur ex atra bile, scilicet exusta, ut apud Paulũ libro quarto. Et ob id in rarioribus corporis partibus, ut mulierũ mamnis, præcipuè
Cap. 26 suppreßis mensibus. Idẽ libro sexto Hippocratẽ
Cap. 45 interpretatur, generaliter per occulta carcinomata, exponẽs etiam quæ in corporis sunt superficie, modò nõ ulcerata. Cũ igitur ex atra bile gignantur, usus cancrorũ in lacte asinino coctorũ, & raparum, & origani orientalis, atq; epithymi præseruat, & cum eodem lacte Theriaca. Et oleum resaceũ cum eodẽ lacte extrinsecus appo-
Li. 16 ca. 45 sitũ, cõducit. Aetius uerò ulcerata curare docet ex Leonida. Et dolor eius qui est in mammis, similis est morsibus canum.

APHORISMVS XXXVII.

Conuulsio fit ex repletione, uel ex inanitione: ita uerò & singultus.

COMMENTARIVS.

¶ Galenus docet rectè conuulsionem fieri, ui quadã trahentibus neruis. ipse putat ad principium retrahi: sed utrumq; contingit, scilicet ut et contrahantur, & ut cerebrũ trahendo conuellant. unde conuulsio dicta est. Sed & id rectè, quod uelut in fidibus & à siccitate & humore imbutæ, sponte disrumpuntur, factæ breuiores ab utraq; causa. Impletæ enim liquore dũ dilatantur, breuiores fiunt: atq; id perspicuũ. sed cur ex siccitate idem contingat, cum sensui, dum ad ignẽ coria exponantur, pateat, ratione non est adeò compertũ. beneq; fecisset Galenus inter tot quæ scripsit docere. Dicamus ergo, quòd quæ siccantur, primùm flectantur, ideoq; cum recta sit breuißima ab extremo ad extremũ, ut Euclides docet: inflexa ergo breuior euadet. itaq; si extremis cõtineatur, disrumpetur. Hæc aũt plana sunt Geometris, alijs contrarium inferre forsan existimabuntur. Filum enim rectum si flectatur, breuiore spacio capita illius distabunt. Et licet tensum sit quod siccatur, dum siccatur: flectitur tamen calore, ad se quod propius est humidũ trahente. Alia causa est, quòd humidũ dũ extruditur, foramina quæ illud continebant, concluduntur, eo quòd aer non potest ingredi ob humidũ, quod adhuc adest. quare sublatis locis uacuis, necesse est, quod siccatur, decurtatum euadere.

Est autem conuulsio motus quidã, quia attra- De Diebus Iudic. Pag. 2
ctio, sed duplex. alius occultus, & tunc distentio uocari solet, cuius triplex est genus: Emprosthotonos, in anteriora: opisthotonos, in posteriora:
& Tetanos, in utrãq; partẽ. Quinta enim Apho 21
rismorum τετάνον, uertit distentionẽ. Differentiam aũt esse inter utrũq;, apparet quarta Aphorismorum: ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλου-
μένῳ πυρετὸς ἐπιγινόμενος, λύει τὸ νόση- 57
μα. Hippocrates ergo conuulsionem solũ appellat eam, quæ familiaris est pueris, quæq; cũ motu fit manifesto, & est uitiũ cerebri neruos contrahentis: τετάνον aũt, distentionem in neruis. Vnde clarum est, Galenum confudisse duo morborum genera in unum: cum neq; causa una sit, nec forma, nec exitus. Quippe conuulsio celerius soluitur, & occidit: distentio autem difficilior est morbus, & non potest, ut conuulsio, in longum protrahi. Ergo de conuulsione ipsa agamus, de qua in primis quinque Aphorismis quintæ Particulæ egit: considerantes, quod cum uideatur fieri ex quinq; causis, duodecimo Artis curandi, Repletione, erosione, frigore, siccitate atq; inanitione: clarum est, quod dixit causas remotas, non propinquas, ut Hippocrates. nã siccitas per se, & frigus & erosio ad inanitionẽ referri debent. Cur ergo & non dolorem connumerauit, & metum, & uermes? ut fiant propemodùm causæ infinitæ. Frigus enim, eo teste, si modo frigus conuulsionẽ facere potest (quin potius facit distentionem) astringendo exprimit, & facit inanitionem. erosio quoq; eodem modo. Sed forsan hæc somnia sunt, cum distentionum hæ sint causæ, non conuulsionis. Hucusque uerò, cũ clarißimè Hippocrates locutus sit, Galeni error proceßit, ut puerorũ affectui tam uulgari, quẽ Hippocratem cõuulsionẽ appellare haud dubiũ est, non audeamus nomẽ imponere: atq; id, quoniam existimamus cõuulsionẽ esse distentionem,

stentionẽ, non tam quod Galenus in hoc erret, quàm quòd perplexè loquendo, & unũ sæpe pro alio contra Hippocratis doctrinã accipiendo, cõfusionis causam manifestã attulerit. Est ergo distentio morbus per se proprius neruis, nõ cerebro: cumq; nũc distenditur neruus, idẽ cõtingit, Cap.6. ut bene dicit Galenus tertio de Locis (sed ut dixi, de distentione, nõ de cõuulsione debet intelligi) ut uelut in planta uno ramo uehementius attracto trahitur caudex: ita attracto uno neruo uehemẽter, aut tota medietas anterior uel posterior uel utraq; trahitur. Ergo conuulsio morituris & pueris familiaris est: in morituris siccato cerebro, & tunc impoßibile est ut prorsus sanetur: at distentio cum non in cerebro siccitas uigeat, propterè cataplasmatibus & unctionibus humectando, quanquam rarò, nonnunquã tamen sanatur: conuulsio aũt quæ in pueris fit, ab humido replente semper fermè fit, & à superueniente febre nonnunquã liberatur: nonnunquam ob nimiam repletionẽ, & maximè statim à febris initio augetur, & occidit. Et distentio quidẽ iuxta Galenũ (sed ille, ut dixi, cõfundit cũ conuulsione) fit in musculo et in neruo, ut quarto de Dif-
Cap.3. ferentijs pulsuum habetur: in neruo quidem ratione originis detrimenti, quo cerebrũ trahit, & diuisionis: in musculo aũt, quo ad sensum & attractionis ratione. Et licet conuulsio ex siccitate, sit species eius quæ ab inanitione est: tamen longè deterior, quia siccitas solidas etiam partes euacuat à proprio humido. Est etiam notandum, quòd distentio sæpe sibi associat, cum confirmata fuerit, conuulsionẽ: nam diuulso cerebro fit cõuulsio. conuulsio etiam aliquando, transmutata materia quæ in cerebro erat, parit distentionem: nec tamen sunt idem morbus, ut nec angina & lateralis, qui tamen inuicem trãsmutari solent: aut hectica & putrida, exemplo propiore, cum una in aliam mutata, non cesset reliqua. Contingit aũt conuulsio frequentius in neruis cerebri, et anteriore parte, quod laxius ibi sit cerebrũ: distentio uerò in neruis, à spina exorientibus. Nam nerui musculis non inserti, non possunt mouere, ob id quod non habẽt proprium instrumentũ, nec tendere membrum ob molliciem: ideò conuulsio maximè uiget circa faciem, distẽtio in membris magnis: conuelluntur tamẽ & manus & pedes, quãdo materia adeò uexat spinalem medullã, ut contrahat neruos. Erunt ergo conuulsionis duo genera. Vnum, à cerebro: aliud, à spinali medulla. & totidem distentiones, cum tenduntur nerui & musculi, orientes à cerebro: & cum tenduntur nerui, orientes à medulla spinali.

Ex hoc quærendum est, cur omnis conuulsio sit cum motu, non autem distentio nisi occulto? Et respondeo, quòd conuulsio cum sit affectus in cerebro nimis repleto, uel nimis exiccato, uel in spinali medulla, contrahitur principiũ; sed non potest diu permanere contractũ ob neruos uicißim retrahentes: qui cũ sint duri & carni alligati per longum spacium, non possunt diu manere contracti, ideo fit uicißitudo, ergo motus. Nec contrahi existimes totum cerebrum aut medullam, sed partem solam, neruo qui contrahitur propinquam. Igitur cum nerui ferant distentionem, non fit ibi motus: & etiam quia nerui toti conuelluntur, non sic in cerebro: sunt enim nerui res parua & gracilis in comparatione ad cerebrum. Ideo distentio cum interficit, gignit conuulsionẽ: conuulsio aũt non semper (etsi interficiat) distentionem. Motus ergo pinnarum nasi, cum immodicè dilatantur, prænũciat conuulsionem, ut habetur libro de Ratione ui- Pag.17.
ctus in acutis. Vbi nescio quo modo Galenus reprehendit Hippocratem, dicens quòd motum cõuulsorium appellat conuulsionem: imò conuulsio nihil est aliud quàm motus ille, ut dixi. nam quæ affectio sine motu est, distensio dici solet. Igitur operæprecium magis fecisset docere, cur in ampla illa dilatatione, qua multus aer è naribus exsufflatur, conuulsio originem ducat: neque enim Hippocrates dicit eam dilatationẽ esse conuulsoriam, sed conuulsionis futuræ indicium: id uerò contingit iam concalefacto cerebro: unde diu perseuerante calore, siccitas succedens conuulsionem parit. Ita etiam uigiliæ & dolor capitis uehemens, mortis cum cõuulsione, non distentione, indicia sæpe sunt.

In quo uerò differant conuulsio & distentio à resolutione, nunc dicendum est. nam resolutio est omnino sine motu, & nerui elongantur, & non fit nisi à repletione. Sed conuulsio & distentio fiunt ab inanitione etiam: quanquam illud de inanitione ad distentionem non extendatur, secundũ Hippocratem. & credo esse commentum Galeni: uix enim possum imaginari, distentionem neruorum posse fieri ab inanitione: quãdoquidẽ quid est quod debeat homini alioqui sano adeò exsiccare neruum, ut distẽdi ipsum necesse sit? humectari enim primo principio consentaneum est. Ergo in duobus tantum resolutio à distensione, in tribus à conuulsione differet. Sed à distentione etiam differt dolore: à conuulsione autem non differt, cum

cum conuulsio sine dolore nerui prorsus fiat. Ergo dicemus, quod conuulsio differt à resolutione in tribus, quòd cum motu sit, et contractione, & quòd ex inanitione contingere poßit: distentio à resolutione in tribus, quòd cum motu sit, & contractione & dolore, quorum nullum est in resolutione. at conuulsio à distentione in totidem. Nam conuulsio est cum motu manifesto, & sine dolore, & à siccitate fieri potest: distentio cum motu occulto, cum dolore, nec à siccitate fieri potest. Quibus omnibus quarta differentia addatur, quoniam in conuulsione cerebrum per se afficitur, in distentione per consensum solũ: sed in resolutione nullo modo, sed soli nerui sunt affecti. Solum illud dubitatione dignũ relinquitur, in quo differat distentio à resolutione, cum utraq; affectio ex repletione contingat? Dices: In resolutione neruus extẽditur, & sine dolore: in distentione contrahitur, & quandoque cum dolore. non enim semper. nam multos distẽtos alios opisthotono, alios tetano interrogaui, qui nutu, alij submissa uoce dixerũt, se solũ sentire distentionẽ, inter quos Christophorũ Bolatũ. nõ tamẽ semper fit sine dolore, saltẽ præcedente. Vera refers: sed cur hoc cõtingat quod dicit, quæro? quòd cum in utraque affectione neruus repleatur, in una contrahatur, in altera extendatur. nam de dolore causa per se manifesta est, cum contractionem extensam per uim dolor aliquando sequatur. Rectè fecisset mehercle, si talium aliquid explicasset Galenus, & non in manifestis adeò tãta ad fastidium scriberet. Hoc uerò etiam in fidibus cernimus. humectæ enim aliquando inflantur, & sonum acutiorem edunt, quãdoq; extensæ remittũt acutiorẽ: qui ergo huius causam ostenderit, docebit et qđ quærimus. Ergo si spacia solũ repleantur, necesse est dilatari: ergo decurtata fient. hoc enim præter rationem experimentum docet: diducto enim corio in latitudinẽ, breuius redditur, atque sic conuulsio fit. Sed si in substantiam ipsam ingrediatur, humidũ distenditur, fitq; resolutio: cum uerò in utramq; partem, etiã utrũq; fit: ideo sæpius uidemus cõuulsos, simul & resolutos. Ergo ut cauitatem ingrediatur materia, contingit ob craßiciẽ: ut in substantiam, ob subtilitatẽ. Quoniam uerò subtile non impedit, ut resolutionẽ pariat, lentũ esse necesse est: ob id esus ouorum resolutionem maximè parit. lentum enim plurimum, & tenue eorum est alimentum. Manifestũ est aũt, quòd cũ quodam calore fieri resolutionẽ necesse est, ut materia attenuetur: et quòd non tam repentè ob id resolutio fieri potest, ut distentio: sed resolutionem stupor, distentionẽ dolor antecedit. stupor autem diuturnus necessariò, dolor aũt sæpe per breuis. Sed & hic solet quæstio oriri, cur non, quemadmodũ in musculi pũctura ex podagra cõuulsio, dicit Galenus, nos distentionem dicemus, oriantur? id sciemus, si quemadmodũ fiat distentio ex punctura musculi, intellexerimus. Sed & hic debuerat Galenus illud docere, an in pũctura musculi, an solius nerui, distentio oriretur? Videtur autem, quòd postquam non semper id contingit, quodq; ex acus punctione nonnunquam, ad neruum magis quàm ad musculum id pertinere. Et ipse quidem de neruo solo affirmat, causam tamen non refert. Mortuus est ex distẽtione trapezita Ioannis Marini Genuensis, & 6. Artis cur. cap.2 duæ mulieres: quarum una in manu puncturam ex acu passa est. Id uerò non alia ratione fieri potest, quàm quod neruus maximo sensu præditus sit, & exanguis: quare cum pungitur, ob sensus magnitudinem contrahitur: & quia exanguis est, distentionem facit, & eo modo interficit. Sed si inflammetur, non adeò interficit. hinc fit, ut per transuersum sectus liberet à conuulsione & mortis periculo hominem: uerùm perit functio. Et ob dissectionis ignorantiã non solùm neruum, sed totum musculum cogũtur incidere: qui cum iam per se magnum sectus periculum afferat, ob alios neruos qui non sunt læsi, & uenas & arterias: tamen magis si magnæ sint, eo maius etiam affert, cum inflammatus iam ex dolore dissecatur. Hoc autem docuit etiam Galenus in Cap.1. primo de Motu musculorum, & in tertio Metho Cap.9. di, quo'nam pacto scilicet distentione orta, si secetur musculus; & à distentione & à delyrio liberatur æger: ille tamen ad suam conuulsionem distentionis loco recurrit. distentio enim, non conuulsio, uulneratos sequi solet. Sed si conuulsio distentionem sequatur, maius longè malum est, tum duplici morbo laboret æger, scilicet & distentione & conuulsione: & maior necessariò multo sit distentio, quæ tanta est ut cerebrum conuellendo, conuulsionem moueat: propterea si conuulsum præcideris, nullum fructum sperando hominem occides. Vitium enim conuulsionis in cerebro est, non in neruis. Sed in distentione quamuis se contrahat, quia tamen liberatus est incisione ab altera parte, cerebrum uellere nõ potest: quare æger à uitæ periculo liberatur. Vnde in distentione ex uulnere licet unicus neruus sit punctus, tota tamen pars illa trahitur, & omnes nerui eius, maximè qui prodeũt

à spi-

à spina, quia neruus trahit cerebrum, et illud neruos omnes eiusdẽ partis: & etiam, quia uirus illud quod est simile ad unguem morsui canis rabidi, in omnes neruos spargitur. his duabus causis tota pars distenditur: ideò cum mors accidat in his ob distentionem spinalis medullæ, & ex ea cerebri: existimo quòd uitio candentis ferri in spina dorsi inter primam & secundã uertebram, uel inter secundam & tertiam, aut paulò inferius, longè melior est medicamentis adurentibus super locum puncturæ, & securior, ac minus damnosa præcisione musculi.

Ex hoc patet, cur in luxatione cum uulnere repositio sit ualde periculosa, iubeatq; Hippocra-
Pag.18. tes in libro de Fracturis, prius nos curare ulcus quàm reponamus: quia facto ulcere contrahitur neruus ob dolorem, & reponendo distenditur, igitur distentio excitabitur. Et ideo oportet prius sanare ulcus, ut neruus ualidus, & omni affectione liber, quamuis extendatur, distentionem non excitet. Sed dices: Hippocrates dicit conuulsionem, non distentionẽ. inquit enim, Σπασμὸμ μὐ τοι ἐμβάλλοντι: & alibi pluribus in locis σπασμοῦ, non τετάνου meminit. hocq; est quod Galenum decepit. nam Hippocrates non primæ dispositionis, id est distentionis, sed cõuulsionis, quæ interficit, rationẽ habuit. nam si conuulsio superuenit distentioni, id est quod dicimus: sin autem conuulsio est quæ superuenit, & hoc est quod dicimus. quanquam rarò id accidat in uulneribus, ut sine distẽtione fiat. Quòd si distẽtione perire ægros Galen⁹ putat absq; cõuulsione, sed distẽtionẽ ab Hippocrate nominari putat cõuulsionẽ, & Hippocratẽ paruæ diligẽtiæ arguit in tãta causa, & experimẽto repugnat. Ergo cõuulsio fit puncto neruo ob cõtractionẽ, quæ oritur ob uehementiam doloris, cum sit instrumentum sensus: qui dolor maximè sedatur à calore humido, ideo fomẽta plurimùm prosunt, & concursus sanguinis. unde plerumq; facto abscessu, si non prius conuulsus est, non conuellitur in posterum.

Ob id patet, cur in podagra non excitetur conuulsio: nam non distentio, igitur multo minus conuulsio, quæ ad uehementem in his casibus, ut dixi, distentionem sequitur. Tum uerò, cum ex inflammatione fiat, ut ab Hippocrate
47 habet sexta Aphorismorum, in inflammatione autem nerui non refrigerantur, ergo neq; conuelluntur. cum enim humidi natura sint, idem contingit quod ceræ: quæ si frigore indurata sit distenta frangitur: sin autem calore emollita, minimè. Idẽ certè & in corijs, & cornibus, atq; alijs huiusmodi. habes ergo causam, cur podagrici non distẽdãtur. At dices: Galenus euphorbiũ & medicamenta calida & sicca adhibet, non calida et humida? Respõdeo, ab huiusmodi magis tolli inpressam intemperiem, & melius distendi neruos. nam à calidis, & aqueo humido redundantibus læduntur, & franguntur. Porrò inter causas quæ distentionem excitent proprias, sunt & dolor, & febris, et frigus, & medicamẽtum, & repletio, et uenenum, & uini potus, & phlegmon, in extremitatibus maximè, ut quarto de Præsagio ex pulsibus, & in septo transuerso, ut Pag.18
in introductorio de Pulsibus ad Tyrones, & ex Cap.9
punctura extremorum. At conuulsio fit ex ti- Cap.11
more, & uino antiquo potenti, febre diuturna, abscessu septi transuersi, uermibus, distentione confirmata, ueneno, et medicamento erodente.

Quod etiam dicit Galenus primo de Præ- Cap.4
sagio ex pulsibus, quòd qui ex conuulsione moriuntur, ex præfocatione moriuntur; ideoq; à morte diu calidi remanẽt: ut contrà, qui ex syncope, dum uiuunt, antequam moriantur, diu manent frigidi: magis de distentione intelligi debet, quàm de conuulsione: cum in conuulsione ultima pars quæ offendatur ac deferatur, sit pectus. Præterea illud de caliditate mortuorũ est rarum: mors autem ex cõuulsione frequens est, ut dixi, propter febrium malignitatem. Illud enim de calore, uerum est in his solùm, qui ex distentione moriuntur, aut abscessu magno præfocãte. Sed his omissis, quæramus aliud pulchrius, quare scilicet resolutio occupare soleat dimidium corporis ex latere, distentio autem ante uel retro? Ratio est, quoniam distentio fit repletis neruis, ut dixi, ex circũiacẽte materia, ideo caput trahitur secundum naturalem consuetudinẽ (est enim affectus ex neruis in cerebrum) sed resolutio est affectus ex cerebro in neruos. & cum sit necesse materiã esse in altera partiũ, dextra uel sinistra, ob id etiam necesse est alterum latus tantum affici. ita uerò & singultus. Iam dixi, singultum, cùm sit cum motu, non distẽtion, sed conuulsioni debere comparari. ut etiam quinta Aphorismorum: Ex superflua purgatio- "
ne cõuulsio aut singultus superueniẽs, malũ. Nõ "
est tamẽ cõuulsionis species, ut stridor dentiũ, et strabositas, & spiritus offendens, ut secũdo de
Symptomatum causis, nam talia contingũt quã- Cap.2
doq; in febribus ob latentem conuulsionem: sæpius, ut dixi, ob distentionẽ musculi mouentis oculũ, aut pectus, nã stridor dentiũ fit à cõuulsione,

cũ sit cũ uehemẽti motu. Sed omnia hæc affectus sunt neruorũ, et cũ cerebro participãt: singultus autem est affectus uentriculi, & ab ipso originẽ sumit, ideo rectè conuulsioni cõparatur: cum & ab eisdem causis fiat, & eodem modo, scilicet ex repentina contractione principij sui: in conuulsione quidẽ cerebri, in singultu aũt uẽtriculi. Vnde narrabat Galenus de seipso, quòd cũ deuorasset piper, & biberet insuper uinũ, confestim singultu corripiebatur. Aßimilatur etiam qui ab inanitione fit singultus conuulsioni in periculo, sed non ex repletione. nam conuulsio ob eam persæpe lethalis est, singultus uix unquam.

APHORISMVS XXXVIII.

QVibus dolor circa hypochondriũ fit absq; inflãmatione, his febris superueniẽs dolorẽ soluit.

COMMENTARIVS.

Aphor. 33. ¶ Hic Aphorismus ex his est qui curam morbi
per morbum docet, ut suprà docuimus. Etenim
cum doloris proprium sit excitare inflammatio
Pag. 11. nem, libro de Veteri medicina: si non excitetur,
necesse est ut frigida sit causa: cum ergo frigida fuerit causa, febris superueniens duo semper habet bona, nõnũquã aũt tria. Primùm, quòd caliditate sua intemperiẽ, proprer quam fit dolor, temperat & tollit. Secundũ, quòd tuta est. neq; enim inflammationẽ significat, cum plerũq; inflammationibus succedere apta sit. Tertiũ, quod absumit materiam, quæ est causa doloris, seu ob intemperiẽ, seu flatum generando, seu obstructionẽ. hoc aũt nõ semper, ut dixi. neq; enim cũ in alia materia quàm quæ fecit dolorẽ, accensa fuerit: sed et tunc materiam etiã frigidam calore suo ac siccitate dißoluit, attenuat atq; difflat. Opportunè ergo in huiusmodi casib. febris dolori superueuit,
Cap. 10. Et si non superueniat, censet Celsus libro tertio,
similibus utendum auxilijs, quæ calefaciunt, & siccant atq; discutiunt. Verùm non tam tutò administrari illa possunt, quàm febris tutum est auxilium: si quidem caliditas illa ei loco solum admota, dum plenum est corpus, multo plus materiæ illuc trahere potest, & morbum reddere deteriorem. nec fomẽtum exterius id potest, quod calor intimus: sed resoluta tenuiore parte craßiorem relinquere, quæ postmodum dolorem efficiat, qui nunquam finiatur. Præterea febris flatum discutit undequaque, & meatus cutis aperit: at calida medicamenta, tum lintea, sæpe illos obstruunt, & augent flatus, ut deterior fiat conditio priore. Quamobrem si flatus sit, tutiora sunt tepida calidißimis: si frigiditas, contrà. Ob id etiam qui rectè consulunt, in huiusmodi casibus potius humida fomenta & ex oleo, quale è lini semine, admouent, quàm sicca. Illud operæprecium fuisset, si id quæsissent, quamobrẽ Hippocrates dixerit, circa hypochondria & non generaliter? & an uerum etiam sit de capite & pectore, alijsq; partibus. Neque idem puto intelligendum in pectore, neque capite: cum membra naturalia plurimum habeant caloris, periculi minimum: pectoris plurimũ periculi, & plurimum caloris: ut capitis minus caloris, & minus periculi, quàm pectus. ob id dolores in naturalibus membris melius habent à febre, quàm ulli alij. facile enim concocto illo humore febris excitatur: at in capite & pectore periculum est, ne ipsa doloris acerbitas suscitet febrem. quod si fiat, nihil est quod laudare eam debeamus. Etenim doloribus diuturnis in pectore factis, quos constabat ortos ex materia frigida, superueniens febris hoc attulit commodi, ut interirent. suppurata enim collectio illa, nec exitum habẽs, hominẽ ad talem deduxit, unde mors subsecuta est. Sunt enim in pectore quamuis calidißimo, loca quædam frigida, quæ non sunt in uentre. Eadem ratio in capite. Ex longo enim dolore auris, superueniente febre Cydis filius tandem obijt. In capi 7. Epid.
te enim præter cætera neq; tantum est caloris, ut pag. 8.
securus sis de concoctione: nec locus adeò patens, ut materiae duci cõmodè queat. Quare de solo uentre, uel alia ignobiliore parte intelligendus est Aphorismus.

APHORISMVS XXXIX.

QVibuscunq; suppuratio in corpore facta non innotescit, ijs ob loci crasitudinem nõ innotescit.

COMMENTARIVS.

¶ Videtur Galenus dupliciter hunc Aphorismum inuenisse conscriptum: posteriores uerò ex duplici lectione, utraque iuxta illius sententiam cõmendata, unũ sub diuisione constituerãt. at perspicuum esse debet, non posse tres modos dicendi ueros esse. Si enim uerus est hic, quod lateat propter puris craßiciem: non potest uerum esse, quòd ob loci, & si loci, non puris. Et quocunque eorum pro uero assumpto, fabulosa est illa coniunctio. Quomodo loci craßicies pus abscõdat, satis manifestũ est ratione & experimento: quomodo aũt puris, è re fuisset, ut nobis stupidis, & Galenus, & qui eum sequantur, docuisset. cũ enim in corpore dicat Hippocrates, suppurationem pectoris excludit. Neq; confugiendum ad 2. Aphor.
signa illa superius ab eo conscripta: Dum pus cõ 47.
ficitur,

ficitur, dolores ac febres magis fiunt quàm iam confecto. Præter reliqua enim, illa nec docent certum locum, nec ea nunc prodesse uult, postquam iam supponit suppurationem non innotescere. Pag.8. Ipse in primo de Morbis hæc de suppuratis habet: Cæterùm inferno uentriculo suppurati fiunt, maximè quidem cum pituita aut bilis aceruata inter carnem & cutim collecta fuerit. Fiunt aũt & à conuulsionibus, cũ uenula conuulsa rupta fuerit, sanguis effusus putrescit, & suppurationem facit. Si uerò caro cõuulsa, fuerit aut contusa, sanguinem ex uenis sibi ipsi propinquis trahit, atq; hic putrescit, et in pus transit. iis si quidẽ foràs de se significationem præbuerit, & pus eruperit, sanantur: si uerò sua sponte intro proruperit, pereunt. at uerò diffusum pus in uentriculo inferno, ueluti in superno dictũ est, generari haud quanquam poterit: sed ueluti à me dictũ est, in tunicis & in tuberculis innascitur. Etsi quidem intro notas habuerit, cognitu difficile est. neq; enim ex cõcussione cognoscere licet. cognoscitur aũt maximè ex dolore, ubi fuerit. Et si terram figulinam aut aliud quid huiuscemodi imposueris, breui id resiccat. Manifestum est ex hac serie, non nisi profunditatem loci obesse ad cognitionẽ. Quòd si dicas per illa uerba, secundi de Mor- Pag.16. bis: Si uerò præ crassitudine & copia pus strepitum non edat, quo illud dignoscere possis: indicari prorsus, crassiciem puris obstare quin innotescat. Respondeo, etiam illud de multitudine obijci posse. Quare illud dictum ad suppuratos in pectore solum pertinet, ubi multum colligitur puris. Hic ergo intelligit de alijs locis suppuratis, maximè de uentre: admonens nos nõ debere abstinere à dissectione, sed eam efficere profundiorem, donec pus exeat, tametsi tactu non deprehẽdatur propter loci crassiciem: ut cum latet sub musculis uentris. Et ego sic uidi liberatos non paucos à peritis chirurgis magna cum astãtium admiratione, cum constaret certè illos iam morti esse deuotos. Talia docuisse expositores præstabat, non nugas in uerbis. Demiror etiam hac in parte medicorum ignauiam, qui suppurationum ipsarum exteriorum signa non docuerint, sed ea aucupãtur ex præcedente inflammatione, cum plures ad frigidos abscessus sequantur. Pag.3. quale illud in Prognosticis: Tumor in præcordijs durus cum febre, si utrũq; post uiginti dies manserit, ad suppurationem deuenit. Et rursus: Molles tumores & doloris exortes, quiq; digito cedunt, diuturniores iudicationes faciunt. Inde ponit signa, suppurari post sexaginta dies. Et illud: Tumores in uentre minus faciũt abscessus, quàm qui in præcordijs continentur: minus etiam, qui sunt sub umbilico. Et rursus: Omnium autem tumorum diuturnorum circa hos locos suppurationes considerare conuenit. Inde docet, quòd earum quæ extrà uertuntur, paruæ, eminentes & fastigiatæ in acutum, minimo cum periculo sunt: quæ uerò magnæ, latæ, nec in acutum tendentes, pessimæ. Atque hæc facilè dignoscuntur, si antea in cura fuisti, et duriciem percepisti. At ut nobis accidit, cum delatus fuisset Patricius Nouariensis Mediolanum, chirurgici hæsitabant an suppuratio facta esset: & seniore Gabriele Cuneo affirmante & incidente effluxit sanies, sed ille ea die obijt. Sequenti aperuerunt eum, & inuentus est totus uenter sanie plenus, & corrupta etiam pars uiscerum. Quoties affui, dum disputarent de hoc, an in uentre esset suppuratio? Et cum secti fuissent, omnes periere. quòd constaret ante longè factam suppurationem, quàm si incidissent tempestiuè, dum litigabant, liberati proculdubiò fuissent: litigabant autem, quia certa signa deerant. Paulus tria uidetur commemorare, molliciem cum inundatione lib.4. capi 18. in fine. quadam, cui maximè Chirurgici omnes confidunt: oportet autem tactu atque iudicio præcellere: tumor fastigiatus in mucronem: & cutis, quæ in uertice auellitur. Sed hæc in suppuratione ex phlegmone. Brasauolus præter primum signum, ponit splendorem quendam albicantis cutis. Sed & ipse in eandem foueam, in quam Paulus et Princeps, decidit. uerùm accuratius Princeps sanè, ut sui moris est, sed non suo loco hæc 3. Quarti Trac.1. ca. 29. signa posuit: ut cum pluribus digitis comprimendo innudationem deprehendas, & cutis colorẽ corruptum. Veritas ergo est, quòd inundatio est signum præcipuum: inde sciscitari de duricie, ubi phlegmon non præcesserit. Cutis quoq; colorem ad circumuicinæ comparare, interrogare an põdus in loco sentiat, & pruritum quendam intus.

APHORISMVS XXXX.

Morbo regio laborantibus, si fiat epar durum, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Demiror ubique Galenum adeò oscitanter huiusmodi Aphorismos tractasse. nam cui dubium esse poterat, durum epar semper esse malum? quare ergo dixit, hoc specialiter in morbo regio laborantibus? Neque est idem dicere, quòd morbo regio laborans habeat durum epar. hoc enim non adeò malum est, quando simul & duricies & regius morbus inchoauerint, ut suprà uisum est: &, durum fieri epar ex morbo regio. Fit duricies in hypochondrio 4. Par. Aphor.64.

dextro quinq; modis: uel in musculis, et de hac nõ intelligit, cum explicet epar in litera: uel ob inflãmationem: neq; de hac. nam consequitur febris acuta, & quum uis fiat, lethalis est morbus ualde: & etiam febris ipsius meminisset: & ex abscessu duro, & ex duricie substantiæ solum absque tumore, refrigerato ipso iecore, & condensata illius substantia etiam, & impletis uenis sanguine crasso atq; melancholico. Palàm autem est, quòd, ut dixi, durities omnis iecoris mala est. Sed cum dicit malum, in aliqua mutatione, Hippocrates semper intelligit ultra id quod est ex natura ipsius morbi. omnis enim morbus, etiam Hippocrate non dicente, malus est. fieri ergo epar durum quomodouis istorum trium modorũ, ex regiò morbo, dupliciter malũ est, & ratione signi, & curationis. Curationis quidem, quoniam in iecore duro debentur calida & sicca, quæ attenuent & calefaciant: hæc autem maximè aduersantur regio morbo, qui est à flaua bile, & in quo iecur est supercalefactum, & exiccatum. Ratione autem signi, quia omnis morbus causæ contrarius, & per se factus est malus, eo quòd non potest fieri nisi per corruptionem naturæ, ut in hoc casu, & in hydrope ex febre, & in ardore ex humoribus frigidis. non enim fieri potest, nisi quatenus suffocant. Fit autem epar durum in huiusmodi, quandoq; ex intempestiua uenere uel ebrietate, & transit in in-
Pag.17. flammationem, ut in libro de internis affectionibus. Distinguuntur autem hæc: Si inflammatio adsit, adest febris acuta, tussis sicca, dolor, & furculam pertingens, singultus etiam plerunque. Si in musculis, separatur tactu à profundo, & color non est malus. Si durities sola, caret grauitate, et dolore omnino, atq; tumore. Si scirrhus, adest tumor, grauitas & durities maior: sin autem durities per se est cum dolore leuissimo, & pondus ac magnitudo maiora sunt duritie, & leuatur à medicamentis. Differt durities à scirrho, communi illa ratione, quòd in duritie materia est in uenis, in scirrho iam detrusa extra illas.

Sciendum, quòd in morbo regio urinæ tenues plerumque significant abscessum in ieco-
Pag.5. re. Et colligitur in Prognosticis: Quicunque u-
,, rinas tenues & crudas mingunt multo tempo-
,, re, si alia uelut superstitibus futuris signa fue-
,, rint, his abscessum expectare oportet ad locos
,, infra septum transuersum. Si uerò urinæ tales
,, fuerint ante regium morbum, illum significant,
,, etiamsi diu nõ perdurauerint. ut in Hermocrate, tertio Epidemiorum. Sunt autem morbi regij, in quibus urina plurimùm tingitur, ut etiam libro de Internis affectionibus: raró, cum obstructio est inter iecur & uesicam fellis, frequentius autem in alia obstructione, inter uesicam fellis & intestina: quoniam tunc materia iam est separata à sanguine, & habet rationem exerementi. Languẽte 21. const. Pag. 20 & 21.

Redeundo ad propositum, cum morbus regius calidus sit & siccus, si ex eo fiat durities in iecore, oportet adeò absumptum esse calorem naturalem, aut siccatos humores, ut in eam duritiem peruenerit: quorum utrumque malum est, cum epar sit calidum & humidum: & tale etiam esse oporteat, si sanguinem debet generare.

APHORISMVS XLI.

QVicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his longa superueniente intestinorũ difficultate, aqua intercus aut leuitas intestinorum superuenit, & moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Quod sæpius facere sum aggressus, & nunc communis utilitatis causa facere non desistam: scilicet ut ostẽdam, Galenum, inde alios, solum corticem sensus Hippocratis fuisse assecutum. Cui enim imperito non arridebit hæc Galeni præsens ac speciosa enarratio in hunc Aphorismũ, in quia primùm ordinis coarguit Hippocratem, quòd non ante hunc scripserit il- 46.
lum: Lienosis difficultas intestinorum superue- ,,
niens, bonum. Quod non reprehendo, neque laudo: sed satis friuola sectari uidetur. Velim tamen ut quisqne etiam, dum hunc uel illum legit, reliquum etiam legat. Deinde quòd meminerit causæ, cur hanc difficultatem intestinorum quandoque longa sequatur difficultas: & cur illam læuitas intestinorum, aut aqua intercus, nimirum addere debuit: cur etiam post alterutrum horum mors sequatur. At mihi uidetur, quæq; obuiam erant, et facilia, sectatus: quæ ad rem maximè spectabant, & erant difficillima, omisisse. Cuius indicio est, quòd uix unquam continuationem assecutus est: eam igitur primùm sic accipito.

Dixerat antea: Quib. dolor circa hypochõdriũ Aphor. 38.
fit absq; inflãmatiõe, et reliqua. Deinde docet in Aphor. 39
sequẽti, q aliquãdo eiusmodi dolores nõnũquã p- ,,
ueniũt ad suppurationẽ. Dixi enim, q Aphoris- ,,
mus ille, Quibuscũq; suppuratio in corpore facta non in-

non innotescit principialiter, factus est ob suppu
rationes quæ duriciebus uel etiã obstructionib.
Aphor. 40 in uentre fieri solent. Pòst dat exemplũ de iecore
duro pro parte dextra, in præcedenti: et hic de si-
nistro loquitur hypochondrio, lienem durũ sup-
ponens. tales enim lienosos appellat, ut etiã Phi-
lotheus ille Græcus, dicẽs lienosos appellari, qui
in liene habent tumorem ex melancholico hu-
more natũ. Et rursus in eo, Quibuscũq; suppura
tio, docet morbũ hypochondrij febre nõnunquã
finiri plenè, nonnunquã uerò in aliũ transmutari
morbũ, etsi ille sensui non pareat. In præceden-
ti aũt morbũ morbo quãdoq; malè superuenire:
uelut & in illo, Aqua intercutem laborantibus,
tußis superueniens, malũ. sed ibi de symptomate,
Aphor. 34 Aphor. 16 hic aũt de morbo. De morbo aũt, ut in illo: A
morbo laterali uel pulmonia habito, profluuium
alui superueniens malũ. In præsenti aũt docet,
morbũ morbo quandoq; superuenientẽ immodi-
cè mortẽ afferre: eundẽ aũt modicè, salutẽ, ut di-
Aphor. 46 xi. Circa expositionẽ uerò Aphorismi, cũ lieno-
sis ater sanguis plurimus adsit in liene, si defluxio
cesset, & lien, quod cõtinetur in eo, concoxerit:
4. de Vsu habet enim maximas arterias, ut dicebat Gale-
par cap. 15 nus, & multas ad hoc ipsum institutas. Si ergo
uincitur materia illa, dysenteria cruenta non ero
dens exoritur, in qua sanguis niger & crassus
eijcitur. sicq; finitur uterq; morbus non longo tẽ
pore. At si plenus lien non habet quò amplius re
cipiat, cogitur exonerare nihilominus quandoq;
se: quãdoq; præ imbecillitate non recipit, quia eij
cere non potest, tuncq; redũdat humor adiecur,
fitq; aqua intercus satis lethalis, eadem ratione
qua etiam quæ dysenteriam subsequitur. Non-
nunquam lien satis robustus est, & qui transmit
titur humor modicus: ideo tales uiuunt, infelicẽ
satis ducentes uitam, nam & ægrè spirant, &
immodicè appetunt cibum, aut prorsus non appe
tunt, & color totius corporis uitiatur, & totũ
corpus arescit. hi quandoq; quinq; aut sex an-
nis uiuunt iuxta robur, & uitæ regimen: quos
tamen necesse est aut sanari per dysenteriã, aut
quartanam, aut morbum regium nigrũ, aut per
medicamenta, digesta in halitum materia: aut
ingrauescente morbo incidere in aquam inter-
cutẽ, ut prius, aut dysenteriam prauam, in qua
sanguis effluit tenuior. Hæc differt à priore quæ
salubris est, quia sanguis tenuior est, & paucior
est, dolores maiores comitantur, nihil concretũ
exit, æger non alleuatur, lien non detumescit.
Habes modos iam, quibus dysenteria hæc fit
& dignoscitur, ut eam lethalem dicere poßis.

Nunc quomodo læuitatem intestinorum, aut a-
quam intercutem sibi asciscat, doceamus. Liene
enim exonerato, non tamen perspicuum est un-
de hæc iecoris imbecillitas oriatur, quæ causa
est aquæ intercutis. Vnde Galenus bifariam &
manifestè peccat. Primùm, quòd dicit ad hanc
dyserteriam sequi intestinorum imbecillitatem,
ex qua etiam iecoris: nec probat ullum horum,
cur uel quomodo contingat. Secundum, quia di-
cit quòd huiusmodi fluxum & imbecillitatem
intestinorum mors sequitur. Et in hoc uno dicto
rursus bifariam peccat. Primùm, quia Hippocra
tes non dicit mortem sequi ad dysenteriam,
seu imbecillitatem ex ea factam, sed ad læuita-
tem intestinorum, aut aquam intercutem, quæ
ex difficultate intestinorum orta est. Secun-
dò, quia non est necesse ut imbecillitatem ex
dysenteria factam in intestinis mors sequatur.
Primùm, quia uidemus epaticum fluxum,
cum quo est maior, necessariò debilitas ieco-
ris, & magna intestinorum, qui durat per mul-
tos annos. Adeò ut Bernardus Caluscus biblio-
pola, amicus meus, & qui causa fuit omnis no-
stræ in edendis libris existimationis, labora-
uerit per quinquennium fluxu epatico, & sana-
tus est iam multis annis à Thoma Iseo Brixia-
no, medico, amico nostro: tametsi ex secta eßet
empericorum. Imò dicebat Rasis tertiodeci- Cap. 1. fol.
mo Continentium, Iudæi auctoritate, quòd flu- 152. col. 4.
xus melancholiæ non excoriat intestina, nisi
post quadraginta dies, & sæpe multo serius.
Deinde quæ ratio esse potest efficax, quæ me
doceat, quòd post longam dysenteriam lienis
causa factam, & etiam ubi æger ad summam
peruenerit imbecillitatem, non poßit finito mor-
bo sanari, cum illud uideamus in febribus &
omnibus alijs morbis? Et accidit Galeno atq;
alijs expositoribus, quod accidit equis con-
ducticijs, qui in initio itineris satis strenuos se
ostendunt: post emensum spacium, necdum ter-
tiam itineris partem cum attigerint, ægrè admo-
dum ambulant, calcaribus opus est, nec sufficiũt:
& si uia uel minimum impedita fuerit, cadunt.
Primam quidem particulam satis egregiè expo
suit, & secundam satis etiam mediocriter, tertia
etiam tolerari potest: in reliquis, quòd putaret
paucos eò peruenturos, miserè sanè se geßit, uer
ba pro rationibus exhibens. Sed iam rem do-
ceamus, nam constat Hippocratem uelle, quòd
hi qui eò perueniunt, moriantur. Quòd igitur
aqua intercute occupati, & dysenteria & lie-
nis tumore, nullo horum imminuto, perire de-
beant;

beant, satis apertũ est. Similiter & læuitate intestinorum, cum difficultate eorũdem, & lienis tumore nullo horum imminuto, & illud apertum est: quandoquidem si potuerunt hæ causæ hos ultimos morbos generare, quanto magis fouere et augere, donec perimãtur. Reliquum igitur est ut doceamus, quomodo necessariò horum alterum pariat longa difficultas intestinorum: & quòd, dum hæc parit, ipsa nec duricies lienis imminuatur. Tunc enim mortis causam uenabimur, & si quid præstantius ex hoc conijcere licebit. Sanè quòd dysenteriæ morbos inter longos sua natura adnumerentur, docuit Hippocrates in primo Pag.2. de Morbis: ut nihil sit ex longitudine periculi, sed ex causa. Cum enim, ut dixi, humor ille crudus sit, ac frigidus, corrumpit intemperie sua intestina, & erodit etiam, quod concoctus non facit: unde ex consensu, & etiam quoniam lien uentriculum tangit, & scyrrhosus est, corrumpit concoquendi uim, quæ calido constat innato. quare necessariò in læuitatem intestinorum transeunt, ex qua non nutrito corpore & aßiduo surgendi labore ac uigilijs mori tandẽ necesse est. Quòd si uis uentriculi ualidior sit, nec lien recipiat quantum oportet ex transmißo à iecore sanguine, iecore ob sanguinem impurum ad imbecillitatem & corruptionem adducto, sequitur aqua intercus. Diuersimodè igitur sequitur leuitas intestinorum, & aqua intercus ad intestinorum difficultatem. Aqua intercus solum signi ratione. nam ostendit adeò degrauatum lienis corpus, ut cum per dysenteriam non poßit se exonerare, uel omnino non recipiat atrum sanguinem, ob illius nimiam copiam, cogaturq; iecur succumbere, atque aqua intercus superuenire: aut ut recipiat lien quidem, immodiceq; ad intestina effundat, atque inutiliter, quia cruda: & tunc signum est, iecur satis ualere, quòd propellat quicquid nocet. cæterùm defatigatum uentriculum ex lienis uicinia, & consensu refrigeratorum intestinorum, & plerunque exulceratorum (nam cruenta dysenteria longo successu necessariò in ulcerosam transit) destitui concoquendi facultate oportet, unde læuitas intestinorum ut eueniat necesse est.

In his omnibus præsupponit Hippocrates omnia peracta, quæ iure peragi debuerunt: cumq; ita sit, necesse est ut non aliud sit huiusmodi dysenteria, quàm emanans cruor, uelut à rupto carcinomate. Quòd si id insanabile est etiam in exterioribus partibus, ut uisum est, quanto magis in phor.36. liene? Itaq; uides uerißimum esse, quod dicitur: Sed si cura nulla interim adhibita sit, non est necessarium hominem interire. Dicemus autem de hoc suo loco.

APHORISMVS XLII.

QVibus ex stillicidio urinæ ileos superuenit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis urina fluxerit.

COMMENTARIVS.

¶ Et hic Aphorismus præcedenti similis est, in quo ex morbo superuenienti mors nonnunquam, nonnunquam & salus accidit. Stillicidio enim urinæ, de quo sæpius sermo habitus est, superueniens ileos mortem affert in septem diebus: nisi tertius morbus accedens, febris cum symptomate, id est, urinæ prrofluuio, uniuersos soluerit morbos, stillicidium, ileon, tandem & febrem. Accidit autem hac in parte Galeno, quod equis & hominibus ociosis, ut cum exercere se cogantur, mirum in modum torqueãtur. insuetus enim attingere difficultates, quæ in alijs erant Aphorismis, atq; illorum sensa, non uerba exponere: sic cum nimis turpè eßet rem quasi præstigiosam non attingere, delaßatur rei magnitudine. Et certè in hoc indulgentia dignus esset, ut qui supra humanas quasi uires sit, si se in alijs uirum præstitißet: uerùm ea dignus non est, cùm Grammaticum in alijs agat, non medicum. Adeò ut ausus sit dicere primo de Fracturis, cõmentatoris officium non eße, demonstrare, quæ dicuntur ab auctore, eße uera, aut illum à calumniatoribus tueri, posse tamen nos id facere. Com.1. in initio. Et primo de Victu in acutis: Nam si quis demonstrationes inter exponendum scripserit, expositionem protrahet. Et alibi: Officium boni expositoris non esse, demonstrationes dictorum afferre: sed solũ quæ ab illo dicta sunt, uerba explicare. Com.8. Interrogo te, ô Galene, in quo opus est medico ad interpretationem librorum medicinæ, si solum uerba auctoris sunt explicanda? nã si de dictionibus agendum est, ac sensibus, Grammatici hoc opus est. namq; & Seruius & Priscianus, omnesq; alij insignes Grãmatici, quantũ opus fuit, in omnib. scientijs attigere. Hoc idẽ de logico, de rhetore et architecto dicit Vitruuius. lib.1. cap.2. Sed uide hominis stuporẽ: an quæso omnia sine inquisitione rationis sunt legenda? aut si non, ad quem pertinet eam reddere, nisi ad expositorem? Sed quid ad hoc coegit Galenũ, ut omnia in suos libros cõgereret, dißimulato eo à quo didicerat? Nos aũt duplici laude ob hoc digni sumus,

& quòd

& quòd Hippocratis scripta redenda omnia suis locis illustrauimus, & quòd gratiã illi reddimus per quē profecimus. Sed hoc ille fecit inopia inuētorū, ut cui nihil prorsus suū esset, sed omnia ab alijs surrepta: nisi forsan Methodus illa medēdi, & medicamēta examinandi, in qua certè plurimū ualuit. Necest ut qui in ea proficere uelit, aliū quærat ut imitetur, cū in cæteris & inutilis & negligēs & ridiculus uideatur. At illud sanè, quod meritò illi tribuo, maius est quàm hoc totum, quod nunc hi decepti adscribunt. Sed ad rem redeo (cupio enim his Cōmentarijs homines ad infinitum illud sapiētiæ pelagus incitare, ut exeūtes ex hac obscura fucatæ scientiæ catasta, liberatiq́;, nebulã ignorãtiæ discutiãt) Ileos, dolor est tertij intestini tenuis ac inuoluti colo superioris, dū nihil per inferiorē partē potest excerni: impeditur aūt excretio aut ob phlegmonē, uel tumorē durū, aut stercus, aut crassam pituitam. Quo concesso, nō quidē ex stercore uel duro tumore, si fiat ileos, febris illū sedabit: sed neq; de phlegmone est intelligendum, quã semper acuta cōsequitur febris, ut nō sit necessariū superuenire: sed de pituita crassa intelligēdū est. Nō est ut
Aphor. 38. reprehendã Galenū hic, qui censet febrē nō posse esse bonū signū, si ileo superueniat, sed solū remissam uel solutã. sed uelut superius de hypochōdrio, quandoquidē hæc ipsemet uerba subiūgat:
„ Melius est igitur, ut fateamur nos ignorare, quæ
„ in hoc Aphorismo scripsit Hippocrates, quæ nec
„ rationi nec experimēto cōsentiūt. Sed audi quæ
27. etiã diximus suprà, dū explicaremus Aphorismū
„ illū: Eunuchi neq; podagra laborãt, neq; calui fiunt. Antiquo tēpore uoraces erãt, et cibos deuorabãt crudos et crassos, ut etiã in libro de Veteri medicina. Vnde uiolētissimi morbi his accidebãt,
1. Epidem. quos nec pósterior ætas uidit: ut de Critone in
langué. 9. Thaso, & de Aristone, septimo Epidemiorū: & de alijs multis, maximè circa dentiū corruptiones. Igitur intestinū Ileon cum repletur, pituita
Pag. 12. crassa, antequã obturetur, dolorē facit nullū, præsertim si potus sit humor quidã crudus terreus, medius inter pituitã fermè ac melancholiã: in cuius maxima copia pars defertur ad uesicam, & urinæ facit difficultatē. Quòd si cū hac affectione totū impleatur intestinū, obturato meatu, & quod in loco calido sit, dolores insurgunt acerbissimi, & uomitus fecis, & reliqua quæ sequi solent talē morbū, unde æger omnino strãgulatur, suppressa omnino urina ob dolorē & cōpressionē intestini: & quoniã totus uenter flatu distenditur, & ob uesicæ dolores obstruitur omnino meatus intestini ad inferiora, unde fit morbus ualde acutus & perniciosus, nisi febris ualida superueniens dissoluat pituitã crassam utrinq;, & urinam multam emittendo, primum uesicæ tumorē dissoluat, ut nec cōprimat intestina, nec comprimatur ab illis: quo impedimento sublato alleuiata natura, pars pituitæ à iecore tracta per renes et uesicã, expellatur tenuior scilicet, crassior aūt colliquata per intestina descendat: atq; tandē cū fecibus cōpresso à musculis uētre exeat, & planè à morbo æger liberetur. Quæris forsan, quæ febris excitabitur? Ephemera sanè, ob doloris uehementiã, & ob cruditates, & ob malos uapores qui in uentre retinentur. palàm aūt est ob tot causas febrē semper superuenturã. Sed an tanta ob uiriū imbecillitatem, quæ possit colliquare pituitã, urinam multam excernere, dubiū est. Morientur igitur cōualescentes senes, quiq; multa uenere usi fuerunt, & huiusmòdi. Videtur aūt hæc opinio proxima Philothei opinioni: sed ille in hoc decipitur, quòd putat obstructionem iecoris esse causam stillicidij: sed hoc est falsum. bene enim diceret, quòd pauca mingitur urina. at non bene dicit, quòd patiatur æger difficultatem meiendi, quandoquidē urina in hoc casu colligitur in uesica. deinde ubi ad iustam peruenerit quãtitatem, liberè eijcitur. Sed nec hoc modo necesse esset fieri morbum adeò sæuum, quia nec uesica premeret ileum, nec ileos uesicam: cū tamen causa maxima periculi sit, quòd membrum maximè dolēs comprimatur. quod qui non credit, experiatur: non enim conduplicatur, sed decuplatur dolor. Hæc tamen opinio post nostram, & nostræ & ueritati proximior existit. Quod uerò dixit Princeps sextadecima Tertij: Nisi effundatur Tract. 4. c. sudor plurimus. uult dicere, urina plurima. Et 29. clarum est, quòd ipse non errauit, nec reprehendit Galenum: sed dicit, quòd ignorauit causam huius. & uerum dixit, cum ipsemet illud fateatur. Sed iam factus sum similis his quos reprehendo, sequens friuola: quamobrem ad utiliora transeamus.

Quale illud, quòd monet nos Hippocrates, ut cū sentimus grauitatē & frigiditatē uentris cū quadam alui duricie, & sequitur difficultas in meiendo, statim debemus cauere, ne in ileum incidamus, quia esset morbus maximè lethalis. Et quod dixit de ileo, de colica etiam uerum est. hoc tamen rarius accidit, quòd ad hanc attinet causam: quia colon ratione uenarū, nō est ita e regione iecoris. alijs autem ex causis, ut propter lapidē, frequētissimè hoc cōtingit, ut colica

sequatur stillicidium urinæ. Sed non est adeò lethale propter crassiciem coli, & illius latitudinẽ in comparatione ad ileum.

APHORISMVS XLIII.

VLcera quæcunque annua sunt, aut etiã diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices fieri cauas.

COMMENTARIVS.

¶ Tria fuere ulcerum genera antiquo tẽpore, quæ nomen proprium habuere. Herpes, cũ summam cutem depascendo ulcus amplificatur: phagedæna, cum carnem ipsam profundius inuadit, atq; ulcus dilatatur erosa carne: & antrax, cũ feruet particula, & ulcus quasi igne exustum æscharas gignit: reliqua genera nomine uniuersali ac communi ulceris significantur. Cum ergo in annum producuntur, corrumpitur os, ita ut totum uel pars uel squamma abscedat, unde ulcus consolidatum cauum redditur. Dubitatur ergo primum, an hæc necessitas abscessus ossis ac corruptionis (unum enim ex altero pendet) fiat ob temporis diuturnitatem, scilicet etiã quòd productio sanitatis ab errore contingeret: aut dolo medici, quòd non rarò contingit, omnino hoc sequi necesse sit: aut solum, ubi omnia ritè peracta fuerint, nec tamen ulcus potuerit consolidari ob propriam prauitatem, quæ contingat merito affectæ partis, uel influentis per circuitũ humoris. Secunda dubitatio est, si hoc accidat uitio humoris, cur sibi anni spacium præscribat ad ossis corruptionem? Tertia dubitatio, cur quamuis os abscedat, non possit caro tantum superexcrescere, ut æquetur reliquæ parti, atq; sic nulla sequatur cauitas. adijcere etiã deberet continuationem ad præcedentia. Et non obscurum est, quòd his ex natura morbi temporis auxilio causam illius uenatur, & ex causa successum. dictum est enim, quòd liber hic de consequẽtibus ac signis est, & totus fermè prognosticus.

De prima dubitatione, dicit Galenus loqui Hippocratem de ulceribus bene curatis: adeò ut uideatur nolle, ut temporis diuturnitas ullam exhibeat indicationem. quod manifestè docet
Cap. 4 quarto Artis curandi: Tempus (inquit) ad curã-
post princ. di rationem nullam habet indicationem. Cum ergo impeditur curatio ulceris propter ignem sacrum, tunc oportet purgare ualido medicamen-
Pag. 2. to, ut in libro de Vlceribus, per inferna uel superna. necesse est igitur ut in anni spacio curetur ulcus, nisi corruptum sit os subtus: ut annuũ tempus sit signum corruptionis ossis, non autem causa. nam de causa, non declarata est ulla nisi cum detegitur. necesse enim est ipsum desquammari, ut in libro de Fracturis, aut abscedere. in- Pag. 11.
quit enim: Quæcunque ossa repositionem effugerunt, & quæ à carnibus penitus nudata sunt, ea abscessura scire oportet. quædam quidem post sexagesimum diem, ut tibiæ: quædam octuagesimum, ut femoris, libro de Articulis. Signum est
nigredo. Intus uerò nullum est signum, quod cor- Pag. 34.
ruptionem ossis futuram indicet, præter fracturã absque repositione. Præsentis autem est dolor in loco, qui nullis sedatur auxilijs: inde etiam corrumpitur caro circumambiens locum. Et si sentitur punctio fixa, nil certius: & si læditur ab astringentibus, et sequitur eam phlegmon. Causa igitur corruptionis ossis est, quia non nutritur (et hoc sensit Hippocrates loco adducto) & non nutritur, quoniam mala intemperies impedit facultates naturales: & illud impedimentum aduenit ex fractura uel aere. cum enim caro ab osse separatur, os propriam amittit temperiem.

Ad secundam dubitationem respondeo, quòd fieri potest, ut ulcus non sanetur ex mala fluxione, quæ foueatur à tempore. & ita cogimur expectare, si sumus in æstate, hyemem, & illius finem: & inter initium æstatis & finem hyemis sunt decem menses. & antequam sanetur ulcus, requiruntur aliquot dies, & ita peruenitur ad annum: multo tamen antè potest detegi ossis fractura, & desquammatio. Sed dices: Non ne potest esse ulcus Chironiũ absque ossis corruptione, ob callum quod non poterit consolidari? Pau-
lus libro quarto distinguit in fistulis, quoniã quæ Cap. 49.
ad os finiuntur post annum, necesse est os abscedere: at si non finiantur, non est necesse. Quis enim dicat ulcus in pudendo non sanari, aut in uẽtre, nisi os excidat, cum nullum subsit os? Hippo-
crates in libro de Locis in homine, docet huius- Pag. 11.
modi ulcera curare putrefaciẽtib. medicamẽtis, inde deducto callo astringere ac nutrire corpus, ubi mundum fuerit ulcus. Dico quòd in huiusmodi locis non potest ulcus tam diu, si bene curetur, perseuerare, ut annum superet. Et demõstratio huius est, quia uel impedimentum sanationis est in humore influẽte, uel in parte in qua est ulcus: si in humore influente, necesse est ut rectè purgando, mittendo sanguinem, uictu exquisitè utendo sanetur intra annum, aliter morbus erit insanabilis. morborum enim continuorũ sanabilium spacium, quod longissimum est, est unius anni. Si uerò sit in parte patiente, cum caro perpetuò fluat & refluat, in uno anno & antè tota

mutabitur

mutabitur ac generabitur, præsertim in ulcere, quod deprehenditur ex quãtitate fluentis saniei: igitur sanabitur rectè curatus, tum maximè, q. licet abducere callũ ferro & igne, quæ celeriter operãtur, & citius medicamento putrefaciente. Galenus existimat ulcera chironia & cacoethe & telephia eadem esse, licet nõ apertè expresserit. nam cacoethe genus est: telephiũ, ab eo qui passus est: chironium, ab eo qui sanauit: secundo Methodi. (Cap. 2.) Quarto enim de Cõpositione medicamentorũ secundũ genera, ulcera cacoethe uel de praua & maligna, & quæ difficillimè sanantur chironia uocantur. Vbi uerò minus malignũ est ulcus, oræ uerò prætumidæ & duræ, à Græcis (inquit) uocatur Ochthodeis. (Cap. 4. & 5.) sed quod Galenus non expreßit, Paulus apertè docet, (Lib. 4. cap. 46.) chironium & telephiũ idem genus esse ulceris.

Tertia difficultas pulchra est. uidemus enim cicatrices plerasq; cauas esse, etiamsi os nõ sit ablatum, & caro perpetuò crescit: cur ergo nõ tantum crescere permittitur, ut cauitatem perfectè impleat? (Cap. 5. in fine.) Galenus tertiodecimo Artis curãdi reprehendit medicos, qui nimis serò sinunt cicatricem induci, ut iam caro æquata sit cuti: & ideo, dicit, extuberat, ubi cõcreuerit: consuluiq; cõpri mendam. Id si uerum est, cur nõ falsum erit quod dicit Hippocrates, cauas fieri cicatrices osse deducto? nos tamẽ ita uidemus fieri. Propterea dico, locum subducta squãma oßis fieri debiliorẽ, carnem aũt generari naturali ui uenarum atque arteriarum, tum loci ipsius. Cùm ergo locus ab osse remotior fuerit, & os imbecillius, non poterit generare carnem solidam, sed fungosam: cui si superinduceretur cutis, non maneret. unde medici cùm hoc uident, cicatricem inducunt. & hoc est quasi quod significauit Hippocrates libro de Locis in homine, (Pag. 13.) cùm dixit: Verùm eleuatam aut leuem carnem cibis gracilem reddere oportet. Natura enim ad certam distantiam robur suum extendit, & ultrà non potest. Alia causa est, quòd cùm ad metam caro oßis comparatione peruenerit, tẽporis diuturnitate caro resiccatur, & ita in cutim transit. quòd si prohibeas, duorũ alterum efficies, uel magis cauum ulcus carnem exedendo efficies, uel carnẽ euanidã generabis, quæ cuti inducendæ inutilis erit.

Vtilitas quæ ex hoc Aphorismo habetur, nõ est sola prædictio, ut quidam putant, sed curandi ratio. Namque ubi uideris non sanari ulcus post annum, quamuis omnia ex arte egeris, tunc non debes procurare sanationem. excitabis enim phlegmonem, & maiorem induces corruptionem & oßis & aliarum partium, ex quo etiam infirmus forsan morietur: sed ut Galenus docet, siccato ulcere, debes ad os ipsum peruenire, atque ipsum curare separando medicamentis, uel ferro, uel igne (quod optimum est, ut peßimum ferrũ) partem corruptã à sana. nam propriũ hoc est ignis in oßibus curãdis, ut * quanquã id obseruandũ quod Hippoc. docet, ignẽ esse neruis inimicum. (Lib. de Artic. pag. 6.) Porrò & illud considerandũ, quod dicebat in libro de Fracturis: (Pag. 19.) Si caput oßis excidat, necesse est membrũ euadere breuius.

APHORISMVS XLIIII.

QVi gibbi ex asthmate aut tußi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Non quiuis gibbus breuis est uitæ: cũ quidam, imò plerique nimis longa senecta tales euadant. Qui autẽ gibbi ante senectutem fiunt, (Lib. de Artic. pag. 17.) sed iam aucto corpore (utar autem uerbis Hippocratis) multi sanè iam facilè, ac ut sani morbum usq; ad senectutem sustinuerunt: & maximè hi qui carnosiore ac pinguiore habitu corporis fuerunt. pauci tamen taliũ 60 annos transgreßi sunt: pleriq; uerò breuioris uitæ fuêre. quibusdam etiam in latus aut hac aut illac uerticula obliqua fiunt. & omnia aut pleraque talia propter collectiones intra spinam fiunt: quibusdam unà cum morbo etiam figuræ insuper cõferunt, ad quas reclinari cõsueuêre. Processu aũt ætatis huiusmodi uiri aliquid ex ijsdem incommodis cõtrahunt: quæ qui ante incrementum absolutũ gibbi facti fuêre, subire solent, quanquam minus malignè afficiãtur. Qui enim ante perfectũ augmentum gibbi euadũt, siquidem supra septum transuersum gibbi fiunt, his & costæ in amplitudinem augeri nõ solent, sed in anteriorem partẽ: & pectus acutum fit, sed nõ latum: ipsiq; & difficulter spirãt, & stridulã faucium asperitatem habẽt. Nam uentriculi qui spiritũ suscipiunt ac emittunt, minorẽ amplitudinem habent. Sed & iuxta magnũ uerticulum ceruicem repandã habere cogũtur, ut nec caput ipsius pronũ sit. Multam igitur angustiã faucibus exhibet, etiã hoc os intrò uergens. Nam & his q natura recti sunt, spirãdi difficultatẽ hoc os inducit, si intrò uergat, donec regressum fuerit. Ob talem igitur figurã eiusmodi homines eminẽtis gutturis magis q sani apparent, & tuberculis circa pulmonem duris ac crudis plerunq; tales affecti sunt. Nam & gibbositatis occasio, et distentio plerisq; propter tales collectiones fit, cũ quibus uicini nerui

» cõmunionem habent. Quibus uerò infra septum transuersum gibbositas est, horum quibusdam morbi renum ac uesicæ accedunt: sed & absces- sus ad suppurationem, & circa laterũ mollitudi- nes & inguina diuturni, ac ægrè curabiles: & neutri horum gibbositates soluunt. Coxæ uerò his magis excarnes fiunt, quàm his quibus su- pernè gibbositas contigit: uniuersa tamen spina his longior est quàm supernè gibbosis: pubes ue- rò et barba tardior ac imperfectior. Sed & in- fœcundiores hi sunt, quàm supernè gibbosi. Ve- rùm de his in diuturnis pulmonis morbis dicitur. illic enim de his quæ futura sunt, pulcherrimæ prænotiones habẽtur. Hæc ille. quæ nõ alio in- digent, nisi forsan ut paulo clarius explicentur. Dicem' igitur, ꝙ curuitas corporis quinq; est spe cierum. prima retrorsum, & qui sic curui sunt, di cuntur gibbi: & antrorsum, repandi: in latus al- terum, obstipi: & antè ac retrò utrinq; gibbi: & inclinati antrorsum sine dorsi aut pectoris uitio, quos curuos uocamus: cuiusmodi sunt pleriq; de- crepiti, de quibus sermo nõ est. At reliqui omnes cõmuni nomine gibbi dicuntur. Fiunt aũt cõtra- ctis intrò aut extrà distractis dorsi uertebris. Cùm enim sterno costæ altera parte sint alliga- tæ, reliqua ut magis intrò deducãtur, ita necesse est ut posterius etiam magis incuruentur: uel si extrà luxentur, partẽ anteriorem sinuent: quan- doque uerò utrinq;, dum costæ sinuantur. Cau- sa ergo quòd gibbi fiant, quandoque est in pul- mone tubercula, quæ uel suppurant breui, at- que ita citò homo moritur: aut diu cruda re- manent, longius'que superuiuit. Atq; hæc sunt manifesta. Sed & illud, quòd facto pectore an- gustiore, & crescente corde atq; pulmone, quòd qui ante absolutum incrementum fiunt gibbi, cre brius spirant, uocantur'que asthmatici, seu cre- brius ac difficilius spirãtes. Vt etiam illud, quòd aliud sit ob spirandi difficultatem, qui crescunt fieri gibbos: aliud, qui tum fiunt gibbi, omnes crebrius spirare.

Verùm ista non sunt ex æquo perspecta, ue- luti cur omnis sinuatio angustius pectus reddat. cùm enim costæ in rotundum obliquentur, ma- ius spacium complecti debent. & rursus nec il- lud clarum est, quònam pacto tubercula pulmo- nis pariant gibbositatem, seu suppurata seu non Sec. 4. suppurata: cùm constet, Agesis filiam sexto E- pidemiorum habuisse omnia signa tuberculi in partibus pectoris, nec tamen fuisse gibbosam. Quòd si quis dicat, fuisse tuberculum pectoris, & non pulmonis: dico quòd excusatio hæc non est bona, quia Hippocrates in primo de Morbis, Pag. 4. ubi ponit signa tuberculi pulmonis, dicit: Dolor exilis ab initio & tussis sicca: postquã aũt ma- turũ fuerit, dolores acuti antè & retrò, & tus- sis uehemens & calores. idem fermè secũdo de Morbis, & nõ meminit gibbositatis. Tertia dif- Pag. 12. ficultas est, quia dicit generaliter in libro de Ar- ticulis, quòd'ꝗ fiunt gibbi ante pubertatẽ in su- periore parte, patiuntur difficultatẽ spirãdi: atq; ita breuis essent uitæ, quacũq; causa sint. Quar ta dubitatio est, quoniã Hippocr. ibi distinguit de gibbositate superiore & inferiore: hic uerò fa- cit sermonẽ generalẽ. Respõdeo breuiter, quòd hic præsupponit adesse læsionẽ in pectore, tus- sim scilicet, uel spirãdi difficultatẽ, & ita gibbo- sitatem esse in parte superiori. & sic patet solu- tio ultimæ dubitationis. Ad tertiã respondeo, ꝙ tales nõ sunt gibbosi ex asthmate. asthmatici ex gibbositate quãdo sunt ex alia causa, utpote ca- su, sicut uidi in Mazenta sutore calceorũ uete- rum, ꝗ cecidit ex arbore, & uixit prope 70 an- nos: sed erat iam iuuenis, quãdo cecidit. Sin autẽ cadãt ante pubertatem, licet sint breuis uitæ, nõ tamen necesse est ut moriãtur ante pubertatem: & in hoc decipiuntur expositores, damnantes Hippocratẽ, dicentes quod uiderũt gibbosos, qui superuixerũt usq; ad pubertatẽ & ultrà, & ta- men facti erãt gibbosi ex asthmate. nõ erãt ex asthmate, sed cũ asthmate. aliud aũt est hoc Ex, aliud Cum. Id secundam dico, quod nõ omnia tu bercula pulmonis sunt causa gibbi: sed quando sunt magna. & hoc innuit in secũdo de Morbis, cùm dixit, quod dolor ante & ad latera, & in primo antè & retrò. Pulmo enim alligatur co- stis à lateribus per fibras, ut ait Vesalius, & su- Lib. 6. cap. 7. perius dorso per asperam arteriam, & cordi per duo uasa, arteriam uenalem, & uenam arteria- lem: & hoc factum est à natura, ut esset li- berior propter respirationem. Lateribus autem alligatur in homine fermè usque antrorsum. cùm ergo laborat tuberculis, gibbositas gene- ratur hoc modo. Materia quæ descendit à ca- pite, cruda est, & partim deriuatur ad spinam dorsi, quoniam fluxio admodum contumax est: ideoq; cùm non tota poßit in unum locum deri- uari, pars ad spinam dorsi, & pars ad pulmones peruenit, & ideo causa asthmatis & gibbosita- tis simul incipiunt. sed asthma celerius senti- tur quàm gibbositas, quia pulmo celerius im- peditur, quàm uertebræ luxentur: luxantur au- tem sensim spacio mensium, & aliquando anno- rum: cumq; initium recipit hæc luxatio spontè

augetur

augetur ob obliquitatem & pondus capitis. ligna enim incuruata facilius ad maiorem curuitatem deducuntur, quàm è rectis fiant curua. Postquam uerò cœperit asthma ex tuberculis, quoniam assidua est spirandi difficultas: ideo laborante nimis pectore, & præsertim in pueris, musculis trahentibus costas imperio cerebri, et costis uerticula, fit luxatio maior: hæc autem auget spirandi difficultatem propter pectoris coarctationem. Quod ad primam attinet dubitationem, malè intellexit Galenus, & qui eum secuti sunt, Hippocratem. nam cùm Hippocrates loquatur de forma pectoris expressè, quæ permutatur & minor fit comparatione ad cor & pulmones: crediderunt ipsi, minorem necessariò in gibbis, qui ei pectoris cauitatē, quod uerum non est. licet enim quandoq; contingat, & persæpe, non tamen semper: quinimò aliqui, ut facile est cōiectari, ex dorsi & pectoris magnitudine ampliorem: sed cùm pulmo sit naturaliter conformatus & figura & magnitudine, ita ut utramq; pectoris cauitatem impleat ad unguem: sequitur, ut mutata forma necessariò aliqua in parte cōstringatur, licet alia in parte uacuum relinquatur: illud nō solùm nihil prodest, sed etiā nocet. Quod ad continuitatem attinet, manifestum est, ex his hunc esse, in quibus morbus morbo superueniens mortem affert, uelut in
40.41.42. tribus superiorib. in quorū primo posuit exemplum morbo succedentis, malū significantis: in secundo modò mortē, modò salutem, ratione diuersitatis ipsius morbi succedētis: in tertio, modò mortem, modò uitā, sed ratione tertij morbi, ut sit malum per se, & bonū per accidens: ut in alio bonū per se, & malū per accidēs: in hoc uerò omnino ad mortē: & in his qui uidētur sani.

APHORISMVS XLV.

QVibuscunq; uenæ sectio uel purgatio cum medicamento conuenit, hos uere purgare, uel uenam secare oportet.

COMMENTARIVS.

¶ Tria cùm sint genera hominū, sanorū, ægrorum, & neutrorum ad morbos paratorū, ut
Cap. 2. & 6. in initio Artis medicæ habetur: sanis nihil horū debetur, quæ proponūtur: ægris, dum necessitas adest: neutris, pro ratione tēporis cōmodioris, quod est uer. Quoniā & corpus humidius est ob hyemis nutritionē, & uires robustiores, & tēpus magis moderatū, quod aptius est ad omnē
Cap. ult. euacuationē, primo ad Glauconē: & humores
20. in uere magis mouētur, tertia Aphorismorū: & æstas succedēs periculū maius affert: & restaurari corpus melius ab euacuatione potest, prima 15.
Aphorismorū. His tot causis purgatio, et uenæ sectio uere primū congruit. Post purgatio in autumno, hic in Cōmento & quarta Aphorismo- Com. 7.
rum: quāuis addat etiā æstatem. Euacuātur aūt, q soliti sunt incidere in podagrā, arthritim, comitialem & attonitū morbū & insaniā, graues hæmorrhoidas, sanguinis sputū, asthma, peripneumoniā, pleuritidē, elephantiasim, renū dolores, hepaticos & auriginosos, febres sanguineas, phrenitim, anginā, ophthalmiā, mingēdi difficultatē & abortus: præterquā si ex debilitate sint, tum carcinomata, carbūculos & ulcera, omnia praua atque difficilia, tum etiam destillationes. Quid est, si dicant non tot morbos ēnumerasse Galenū? cogar ne loca adducere singulorū, ut impetrem non errasse, nec pudet ingratitudinis ex accepto beneficio: malūtq; homines perdere, quàm sauciare dictū mortui? O improbā & nefariam stulticiā. In his itaq; sumus concordes.

Iam uerò quod dicat, Biliosos humores in fine ueris, pituitosos in initio: Galenus ob hoc uidetur dicere, quod à neutro horū in alia parte ueris periculū immineat. nam pituita finē ueris & æstatē sua præsentia temperat: & si antea ferri potuit, tunc etiā minori erit cū periculo. Bilis aūt tēperat ueris initiū, quod frigidius est. Nec et si speciosa uideantur, ut pleraq; Galeni, & in quibus tanquā nouo inuento quodā & subtili (si uiueret) gloriaretur, falsa non solùm sunt, sed absurdissima. Cui enim bono purgare pituitam tēpore ueris, nisi propter morbū? nam propter tempus utilis futura est. at ob morbum, cùm liquefacta fuerit, purgare oportebit: id est, medio saltem uere, uel in fine. At dices, Periculum imminet attoniti morbi, uel comitialis. Præparare oportet corpus interim cibis atque aere cōtrarijs, tum inedia: q si uiginti dies sic expectare nō potest, grauius tibi erit, ut frustra conatus eos morbos uidearis excitasse, nō curasse. Scitis quāta mala ex humore nō præparato, dū purgamus, soleant euenire, tū maximè, cū hic de purgatione agat ualidorū medicamentorū, ellebori, peplij, elaterij, colocynthidæ. In bile quæ celerius liquescit, facili educitur: cur uult expectare finē ueris? an scilicet, ut prius deueniāt in furores, anginas, lepras, impetigines, articulorū dolores: in quos si modò incidere debēt, & ante finē ueris maior pars pculdubio incidet. Ita perdet nos ob suā ambitionē. Respōdet Brasauolus, illū defendēs, quòd in initio ueris bilis nondū genita est,

nita est. Digna magistro respõsio: ubi inuenit, bilem uere generari, & tantã ut morbos ueris efficere poßit? Genita est autũno, & æstate præcedẽte. At propter morbos æstiuos, nõ ueris, purgatur? Cur fiet in æstate morbi biliosi ex bile in uere genita, si nondũ eo tẽpore genita est? Adijcit, quòd ex aeriũ humorũ purgatione aperiũtur uenæ hæmorrhoidarũ. Hoc quidẽ uerũ est: sed nõ illud, quod etiã aloes nõ illas aperiat, cùm magis ex aloe q̃ scãmonio. Et si quis obijciat, q. sistit sanguinẽ foris manantem: Respondeo, quòd uis ignea nõ deducitur ad actum, sed terrea, qua
Vide 10. Contrad. contr. 88. astringit cũ aquea iuncta, qua tota substantia fit emplasticũ medicamentũ. Euacuare aũt oportet sanguinẽ, aut parũ propter multitudinẽ: aut prauum, sed nondũ secretũ, & hoc uenæ sectione. Secretos aũt humores iam, aut in uasis proprijs, uel alijs etiã purgatione bilẽ flauã & nigrã, & exustã & pituitam & humorẽ crudũ, qui maximè noxius est toti corpori, & humores semicorruptos & mistos. nam iã plenè corrupti pariunt morbos. Continuatur hic Aphorismus futuro illi, in quo docet podagricas affectiones quomodo fiãt: anteriori uerò, ut intelligeremus tales affectiones purgãtibus crudos humores præcaueri posse. Videtur aũt Galenus sequutus rationẽ
Pag. 2. & 3. Hippocr. tertio de Diæta, q uictũ finis ueris æstati similẽ facit, initij aũt hyemis. Sed alia est ratio purgationis, in qua nõ solùm quæritur quod contrariũ est, ut in ratione uictus ipsi tẽpori, sed alia quæ purgationis operationi sunt propria.

APHORISMVS XLVI.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ Nihil hic putauit Galenus, nec eius sequaces, esse dicendũ: mihi aũt multa superesse uiden
Com. 41. tur. Si enim, ut antea dixi, materia dẽsior exiguo cũ dolore alleuãs, & morbũ & ægrum fluat, sinendũ. sed tamẽ bono utendũ regimine, ne productus morbus falsam redderet nostrã prædictionẽ. Sin aũt tenuis materia erodens sine ægri & morbi alleuiatione, tunc cõsiderare oportet, an omnia ex arte facta sint. si sic, alteri prognostico est relinquẽdus: nec expectandum ut more imperitorũ ad longã deueniat difficultatẽ intestinorũ: quæ cùm ad mortẽ tendat, ægrũ debilitabit: uideberisq; perdidisse illũ, q secus eodem peruemurus erat. At si nõ oĩa ex arte facta sint, sed
Lib. de Locis in homine. pag. 10. defuerint plura, tunc anceps est iudiciũ, tentare tamẽ oportet curã ex Hippocr. præcepto potius q̃ ægrum certæ morti relinquere. Ex præcipuis aũt auxilijs est uenæ sectio in brachio sinistro, et inurere per fungos, quorũ amborũ meminit in libro de Internis affectionib. utẽdo cibis q maximè attenuãt, ut auiculis ac uino odorato, leni, & scolopendro atq; capparibus, & scillitico oxymelite: sicq; forsan auertetur difficultas intestinorum in illis, aliaq; uia æger seruabitur. Pag. 19.

Hoc etiã Aphorismo nos docet curãdi modũ in lienis duriciebus, quãdo nõ affuerit intestinorum difficultas. semper enim per eadẽ sanatur à medico, per quæ à natura, modò finem assequi poßit. Quòd si obijcias eodẽ in periculo uersari, ne scilicet in diuturnam difficultatem intestinorum æger deueniat, & illum dicaris occidisse: Respondeo, Curationes medici si ritè fiant, semper tanto esse securiores naturæ curationibus, quo sunt etiam minus ualidæ. cùm enim fiat irritamento medicamentorũ, non habent significationem propè nullam, sed tantùm damnum afferunt, aut utilitatẽ. Hos igitur prius diu præparatos, et emplastris molliore reddita duricie, purgabis ellebori nigri radice, florem purpureum reddentis, sæpius, ac donec ad difficultatem intestinorum æger perueniat: si modò ille fert, & morbus alleuationis indicia det.

APHORISMVS XLVII.

Quibuscũq; morbi podagrici fiũt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Morbos podagricos inflãmationes esse, ex hoc Aphorismo liquet. fiunt aũt propriè in articulis pedum primò, unde nomẽ habent: tum etiã manuũ, sed rarius, quia locus arctior est: nec tantum laborat grauib. motibus ut iuncturæ præter naturã dilatẽtur, atq; sic infirmiores fiãt. Fit et in omnib. oßibus, quæ inter se iũcta sunt, ut alterũ sine altero moueri poßit, siue in ἐναρθρώσει septimi cum secũdo osse carpi, & humeri cũ cauitate scapulæ: seu in ἀρθρωδίᾳ superiorum ossium pollicis, uel metacarpij, aut tarsi pedij, & συναρθρώσει γιγγλύμῳ dicta, & συνδέσμῳ modò sit cum motu. nam aliqua est, siue ut inter ossa pubis. & generaliter potius fit, dum inflammantur tendones, seu sint oßiũ uincula, seu musculorum fines, quàm cauitates articulorũ, licet ab illis soleat ob latitudinem inchoare. modò enim locus frigidus, et doloris capax, podagræ simile accidit. uidi in tarso pedis et carpio & metacarpio et spina dorsi et faucib. quæ ualde malè sunt ac dẽtibus, in articulo pectoris cũ iugulo in sterno. Causa mutationis loci, est uel repletio

prioris

prioris, uel imbecillitas noua posterioris, uel materiæ multitudo uel uarietas, quod est frequentissimum: uel robur uirium mutatum, uel locus alius generationis eius.

Fit autem omnis podagra sanguine ex uenulis restagnante crudo, & cum ichoribus: & si purus est, sanguinea uocatur, & ad uigorem usque perpetuò urget: aut est pituitosus, affligitq; quotidie, à meridie maximè, uocaturq; pituitosa: aut est biliosus, diciturq; biliosa, affligitq; alternis diebus, sed & intermedijs post meridiem. estq; melancholica à sanguine melãcholico, quæ uesperi quotidie affligit: sed quarto die magis commune est, ut uesperi & nocte & hora coctionis sæuiat, & omnes sint calidæ, quia sunt inflammationes, & à bile mouentur: & omnes frigidæ, quia fiunt ab humore crudo.

Soluuntur omnes quadrifariam: aut resolutione insensili, quod optimum est (materia enim est quasi spiritus) parum durat, nec uestigium relinquit. uel antequam cogatur intus quod premit, extrà truditur, & locus inflatur: quod uerò intus est in tendonibus, à naturali calore, qui semper agit, resoluitur: uideturq; homo sanus, sed nondum est. & hæc exiguũ relinquit uestigium. Aliæ suppurant, quæ acerbos generant dolores, imò etiam febres: & locum inficiunt, suppurare ichoris instar resudant extrà, & carnem ac cutim erodunt, ulceraq; faciunt. Aliæ profundiora, aliæ in superficie tantùm. Nec unquam fermè eò perueniunt, ut uerum pus generent: sed antea erumpit, natura magnitudinẽ doloris non ferente. Quartus modus omnium pessimus, cùm ob loci debilitatem materia gelascit, & concrescit in tophum. Mitis dicitur podagra, quæ breuem habet statum, ac uix diem superat: mitior, si etiam declinatio breuis sit: mitissima, si cum his omnibus etiam inclinatio. Acerba autem est, quæ statum & initium habet longum, breuem declinationem: acerbior, quæ cum hoc habet longam declinationem: acerbissima, quæ breue habet incrementum, statum autem & declinationem sæuã, quia his temporibus parum prosunt auxilia. at si par sit longitudo status & declinationis, ac uehementia in longo ac breui incremento, auxilijs admotis incrementum breuius & mitius reddi potest, & cum hoc totus ipse morbus.

Pag.3. Sensus Aphorismi ergo est, qualis in Decre-
» torio, ubi sumptus est: Ὁκόσα ποδαγρικὰ
» νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἐν τεσσαράκοντα
ἡμέραις ἀποφλεγμήναντα καθίσαται. "
loco ἡμέραις καθίσανται, legit Cornarius etiã ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσανται, ut in textu. Sentẽtia ergo est in Decretorio: Quicũq; morbi podagrici fiunt, hi intra quadraginta dies sedata inflammatione finiuntur: ut etiam bene a-
nimaduertit Fuchsius. sic Celsus libro quarto, Cap.24.
& Aetius libro undecimo, & Philotheus in Cap.9.
Commento. Paulus & Alexander hoc præter- Lib. 3. cap. 78.
miserunt, quoniam in singula genera podagram Lib.11.
diuiserunt, nec existimarunt ei posse esse com- cap.1.
munem terminum. ambo etiam arthritim cum Com. 29.
podagra pessimè confuderunt: hoc aũt falsum huius.
esse, superius demonstraui. Cæterũ etsi in quadraginta diebus inflammatio tendonum cesset, aut circa illos, non tamen in eodem spacio necesse est omnem tumorem uicinarum partium aboleri, sed cessat dolor & febris, si qua est. Dubitatione aũt dignũ est: quia si quadraginta dies hos ab initio morbi cõputat, cũ morbus diuersa habeat incremẽti spacia, quomodo tam celeriter necessariò finiatur. tametsi enim nõ infinita permittatur incrementi longitudo, uelut in adenum abscessibus, quæ quãdoq; per annos durat, non tamen circũscribi posse uidentur hæ, ueluti quæ in uisceribus fiũt, quæ ab acumine febriũ nõ possunt esse lõgiores, cùm tamẽ Anaxionis pleuritis ad trigesimumquartũ diẽ peruenerit: sed ut inflãmationes interiores febres circumscribunt acutæ, ita articulorũ dolores ipsi. Non possunt tamẽ tam celeriter finire suas articuli, ut interiora membra, tum quia exangues, tum quia lõgius à corde et iecore positi: unde etiã quæ circa pectus podagræ, & in spina dorsi, celerius finiuntur, & in gutture, mandibulis, dẽtibus, q̃ quæ in manibus: & quæ in manibus, hac causa, q̃ quæ in pedibus. Tertia causa est laxitas loci, ubi multa materia colligitur. sed neq; uerũ est, & demiror de Galeno quòd inflãmationes in carnosis partibus, in 14 diebus sedentur. plerunq; enim ita est, non tamen semper, ob uaria spacia incrementi. At dixisse, quod Hippocrates intelligat intra 40 dies à fine incrementi, etsi uerissimũ sit, nõ est artificiosum, nec Hippocratis maiestate dignũ. Quamobrẽ intelligit ipse, ut incremẽtum, q̃ celerrimè possit, à medico finiatur uenæ sectione, purgatione, reuulsione, impedientibus transitũ materiæ, & inedia. Generant aũt eam cruditates: & si dum cibus est in uẽtriculo, uel purgatus uẽtriculus nõ sentiatur: cibi alij, maximè qui multũ nutriant, & potus potẽtis uini, &

 Venus,

Venus, & ualida exercitatio adiungantur. ut cõtrà, si sic habito aqua tepida epota reijciatur totum quod sentitur, nec antea edat q̃ fame prematur, securissimũ est, illa semper deuitãdo. Atq; hæc longè meliora sale & oleo inunctis membris, quæ pati solita sunt. nam ubi genita fuerit materia, nullibi minore periculo potest deriuari quàm ad solita loca. At curationem eius in die una, quæ non fallit (unquam demonstratione enim à me inuenta est, & experimento confirmata, quæ etiam sola tutissima est, & producit uitam) in libro de Dentibus scripsi.

Paulus lib. 3. cap. 79.

Cæterùm duo hac in parte difficillima esse uidentur, & à Galeno posita, scilicet nõ cõuelli. Superius dictum est hoc ad rem nõ pertinere, sed nõ pati distentionẽ podagricos: quod uerissimũ est. Ob id arbitratur Galenus, & ex èo posteriores oẽs, in ipso cõcauo articuli, nõ in tendonibus fieri inflãmationem. At cõstat in tendonibus fieri, nõ in cauitate. nam primũ experimentum docet, fieri, ut dixi, etiã in musculorũ tendonibus, ubi multa est cauitas, & nihilominus distentionẽ non pariũt. Et etiã quoniã materia manifestè defertur per uenas ipsas, quæ nõ in cauitates, sed in tendones, quos palàm nutriũt, leniuntur: & etiã sensus podagræ incipiẽtis & reliqua symptomata id ostendũt. Nõ negarim illis implentis materiã, & etiã multam persæpe in cauitates resudare: sed prius tamẽ implẽtur & inflãmantur ligamẽta, & nerui etiã. sed iurè instat Galenus, cur ergo nõ ut in uulneribus opisthotonos, aut tetanos sequitur? quod tamẽ nunquã in podagra uisum est. Respõsum est ad hoc superius, quòd distentio non fit ex abscessu, sed cõtracto neruo ob malam qualitatem frigidam. De cura autem podagræ suo loco dictũ est.

Com. 37. Aphor. 20. Prædict. Pag. 6.

APHORISMVS XLVIII.

QVibuscunque præciditur cerebrum, ijs necesse febrem & bilis uomitum superuenire.

COMMENTARIVS.

¶ Duorũ quæ proponit Hippocrates, Galenus alterius nullã reddit causam, scilicet cur febris superueniat: alterius siquidem uomitus solam affert experientiam, quocirca labor hic nobis, ut plerisque in alijs, relinquitur. Dicamus autem prius de secundo. Constat fieri posse uomitum bilis quadrifariam: uel cùm meatus ex felle ad uentriculum in ipsum effundit illam. Sed Hippocratis dictum generale est. hic meatus in quàm paucissimis hominibus inuenitur, ut Galenus secundo de Temperamentis, & Vesalius in quinto libro docet: ipsa'que experientia testis est, quare non sic contingit euomi bilem. Alter modus est, ut ex uenis, quæ à iecore ad uentriculũ ueniunt, deferatur. Sed huic obstant plurima. Primùm, quòd uenæ illæ usque ad cauam uentriculi partem non pertingunt: deinde, quòd sanguis ille qui defertur per eas, purus est, & à bile defecatus, non solùm in sanis, sed etiam plurimis morbo regio laborantibus. Quandoquidem iecur regium est membrum, & ualidam habet uim expultricem, ut nisi omnino corruptum sit, aut obstructionibus magnis laboret, non uelit aut possit retinere sanguinis ulla incrementa: præterea quòd bilis illa sanguini admista esset, uel sanguinei coloris. Tertius modus est, ut genita in uentriculo iam euomatur. nam prassina omnium consensu, multorum etiã æruginosa in uentriculo generatur. Hic modus etiam quæsito non satisfacit, quoniam rarò, non semper, hæc bilis generatur ibidem, præsertim in hyeme. nam æstate quandoque & ob horarios fructus, & potum aquæ, & uigilias, & aeris calorem generatur. Aeris enim calor corde calefacto arterias calefacit, & exacuit caloris uim: is repercussus à frigidis tam potestate quàm actu, ut aqua & horarijs fructibus, tum uigilijs crudos humores, quorum copia nunquam deest in corpore, exassat atque exurit, unde in bilem uertit. Hinc est quòd manè sæpe fructibus in cœna assumptis amarus quidam sapor, nõ ut absinthij, sed ut glandiũ acerbarũ in ore sentitur. Accidit hoc corrupta multis modis cõcoctione, & aere externo putrefaciente, quod corruptũ est. Omnia enim quæ putrescũt, amara fiunt. Quãobrem hoc symptoma febres solet generare, si perseueret, aut diarrhœam. Reliquũ est ut dicamus de quarto modo: & est, ut ascẽdat ex duodeno per pylorũ in uentriculũ: quod etiã accidit in ieiunio, maximè picrocholis. Et hic desideramus causam, cur materia hæc tam horribilis trahatur ad uentriculum. solent enim utilia & iucunda trahi. uerùm & in tertianis solet hæc materia (non ita atra bilis, quæ minus malum habet saporem, & cuius uas est propinquius uentriculo) in illum eructari, adeò copiosè cum seroso quodam humore eructari. Quamobrem necesse est fateri, serosum illum liquorem esse in uenis mesaræi, per quas bilis tum transit, atque in uentriculum ascendere. Cur autem tunc ascendat, cum aliàs soleat ad intestina

Cap. 6. Cap. 8.

descen-

descendere, & cur eijciatur, quæstio duplex est. Atque secunda sanè non est admiratione magna digna, hunc humorem ut leuem, calidum & irritabilem à quauis causa iecur concutiente, perturbari. In tertiana quidem cum putrescat, effunditur, ut abominandum à natura & confertim, cumq; seroso humido: nec descendere potest totus, sed pars uelut in lebete feruente ebullit: quodq; spumosum est, ascendit impedientibus intestinorum circumuolutionibus, tum fecibus, ne totus ad inferiora transeat. nam nihil ad inferiora transire penè miraculo simile esset: tum etiam, q. in multis per accessiones aluus mouetur nõ secus ac uomitus, & in omnib. generaliter feces croceæ atque biliosæ ob id apparent: cum uerò sani sumus, non feruet, & sensim emittitur, unde ad imum petit, & cum fecibus euacuatur. Cum ergo cerebrum præciditur, necesse est membranas etiam grauiter uulnerari, ex quibus, uel etiam si membranæ solæ, sed non adeò generaliter (neque enim dixisset, præciditur cerebrum, sed in capitis grauibus uulneribus, & quæ ad interiora penetrant,) ob dolorem & arteriarum magnum consensum necesse est cor affici, & iecur, quod cum utrisque consentit, uibrariq; corpus: neruis autem sexti paris, qui maxime affectis ob cerebri consensum simile quid accidit, ac si quis quippiam horridum deuorasset: acciditq; tunicæ ipsi uentriculi similis titillatio, qualis in his qui pennam auis in gulam immittunt, tum etiam cum hoc motus tremulus, omnia uomitus irritamenta. quamobrem uehementer uomitus excitatur. Est autẽ inditũ cuiq; particulæ, ut eum humorẽ ad se trahat, qui tamen ad illam actionem sit accommodatus. cum ergo bilis uomitui apta sit, maximè. unde illud
Pag. 9. *Prognosticorum: Quicunq; in febre non lethali dixerit sibi caput dolere, aut etiã præ oculis obscurũ quiddam apparere, si et osculi uentris morsus accesserit, ei biliosus uomitus aderit. Et primo*
Pag. 14. *de Morbis: Plerũq; quod ex bile est in uentriculo, primis diebus per uomitum eijcitur Trahit igitur natura uentriculi bilem ad se, atq; cum ea serosum humorẽ, qui cum bile mistus, cum iam per se salsus sit, amarus totus efficitur. Concutitur etiam ob hoc corpus, quòd offenso cerebro respiratio uitiatur, atq; ideo cor. Repetitur hic Apho*
Pag. 2. *rismus primo de Morbis: Si cerebrum sauciatum*
,, *fuerit, febrem necesse est superuenire, & bilis*
,, *uomitũ, & aliquam corporis partẽ syderari atq;*
Pag. 22. *perire. At in Coacis prædictionibus, quas Galenus negat Hippocratis esse, uerecundius scriptus est hic Aphorismus sic: Quibus cerebrũ uulne-* cc
ratur, febris plerunq;, ac bilis uomitus accedit, et cc
corporis syderatio: atq; tales perniciosè habent. cc
Quin etiam in secundo de Morbis uult, cerebro Pag. 2.
corrupto sanguinis uomitũ sæpe subsequi. Quæ omnia uera sunt. Accipit autem, ut dixi, quod frequentius accidit. nam uomitum subsequi læsis uel etiam membranis cerebri, ipso autem cerebro longè certius experientia edocemur, idq; statim aut prima die contingit: bilem autem euomi, ut si pauca sit in uesica, non est necesse: sed, ut dixi, quodcunq; obuiam fuerit in uentriculo, eijcitur, seu bilis seu pituita, aut serosus humor, aut cibus, ob rationem dictam. Bilem autem uocat, quodcunque inutile ibi est: ut etiam dixit, omnes febres à bile fieri.

Cæterùm febris sequitur non necessariò statim, sed quandoq; usq; ad quartũ diem differtur. Putridam enim ipsam prima die fieri nõ est possibile, nisi sit humor ipse iam paratus: quamobrẽ uel ad quartum diem usq; illius aduentus differtur: uel, quod plerunq; fit, anticipat ephemera, quæ etiam quandoq; perpetuò perseuerat, nulla succedente putrida. nam si purum sit corpus, & uulnus exhalet, non potest tam parua sanies ad cor deferri, sed calor solus: qui toties repetitus, quoties sanies generatur (dum pus enim conficitur: febres fiunt, dicebat Hippocrates) con- 2. Apho.
tinuatæ ephemeræ plures, putridæ continuæ i- 47.
maginem præbent. sed & has solet horror & rigor intermittentis subsequi lethalißimo signo.
Porrò huiusmodi uulnera mortem sequi, suprà Aphor. 18.
docuimus. Verùm quæ isti addunt signa, ut Celsus & Paulus, de sanguine exeunte per nares uel
aures primùm, non sunt incisi, sed contusi potius, Lib. 5. cap.
ut in bobus, cum malleo percutiuntur: unde e- 26.
tiam oculi rubri fiunt, atque sanguinei. Casus Lib. 6. cap.
quoque in terram neque proprium est, neque in- 88.
separabile: quidam enim cerebro uulnerato, multo plures membranis, non cadunt: multi uerò cadunt in capitis uulneribus, etiam non perforato osse: qui tamen plerunque pereunt, ut offensæ cerebri, non uulneris illius signum sit. At non uidere, non audire, nec intelligere, non tam uulneris cerebri signum est, quàm magnæ uentriculorum offensæ, etiam si cerebrum non sit uulneratum: ut in his qui grauem ictum securi excipiunt.

APHORISMVS XLIX.

QVicunq; sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim

 muti

muti fiunt, & ſtertũt: in ſeptem diebus pereũt, niſi febris apprehẽderit.

COMMENTARIVS.

¶ *Admirabilis ſanè Galeni interpretatio, qui uult Hippocratẽ intelligere de attonito morbo, cùm plurimi intra momentum, nedum intra paucas horas aut dies ſeptem pereant, nec ullus uideatur à febri liberari: quinimò cum difficultate maxima ſpirandi laborẽt, celerius febre correpti intereunt. Nec defuiſſet Hippocrati nomen, quo uſus eſt in ſecunda particula, rei pro-*
Aphor.42. *prium, ἀποπληξίᾳ, ſine tam lõga circũlocutio-*
ne. Et certè malè fecit Galenus, relinquens nos in tanta rerum obſcuritate ſine duce, præſertim quòd ætate ſua Hippocratis libri magis integri erant, & ſermonis conſuetudo, & expoſitorum copia bonorum, qui ob Galeni famam immeritò exciderunt. Nam quid mirabilius, hoc intellexiſſe Hippocratem, cum intra pauculos
54.& 55. *Aphoriſmos bis repetat nomen ἀποπληξίην. Sanè eum eſſe, cuius meminit ſecundo de Mor-*
Pag.8. *bis, haud dubium eſt, cum inquit: Sanum repen-*
,, *tè dolor circa caput inuadit, ſtatimq; uox inter-*
,, *cipitur, ſtertit, & os hiat: ſi quis ipſum uocet aut*
,, *moueat, ſolum ſuſpirat: nihil autem intelligit,*
,, *& multum mingit, & ſe mingere non animad-*
,, *uertit. hic, ſi non febris ipſum corripiat, in ſeptem*
,, *diebus moritur: ſi uerò corripiat, plerunque ſa-*
Pag.3. *nus fit. Et rurſus de eodem, & explicatius: Re-*
,, *pentè dolor occupat caput, & uox intercipitur,*
,, *& ſui impotens fit: hic in ſeptem diebus mori-*
,, *tur, ſi non febris inuaſerit: ſi enim hæc inuaſe-*
,, *rit, ſanus euadit. Paritur autem hoc, cum atra*
,, *bilis ipſi in capite commota fluxerit in partes,*
,, *ubi uenæ plurimæ ſunt: in collum inquam, ac pe-*
,, *ctus. poſtridie autem ἀπόπληκτος fit, atque*
,, *impotens, ſanguine nimirùm perfrigerato. Vnde liquet, ab initio hunc morbum non eſſe attonitum: ſed qui ſi perduret, poſt unam diem in illum tranſire poſſe. Hic idem Aphoriſmus eiſdem*
Pag.5. *penè uerbis in libro de Decretorio ſcribitur. At*
Pag.3. *in tertio de Morbis inquit: Quum à capite initio*
,, *ſumpto, dolor acutus ſtatim uocem intercipit,*
,, *tum aliàs, tum ſi ex ebrietate hoc contingat: qui*
,, *ſic affectus eſt, ſeptima die moritur: minus ta-*
,, *men moriũtur qui ex ebrietate tale quid perpeſſi*
,, *ſunt, & uoce priuati permanſerunt. nam ſi ea-*
,, *dem die, aut poſtera, aut tertia uocem edant, ſani*
,, *euadunt. faciunt autem hoc aliqui ex ebrietate,*
Aphor.5. *& neutri moriuntur. Et rurſus quod ex ebrie-*
Partic.5. *tate fieret, uiſum eſt ſuprà, & in ſecundo de*
Morbis: ut clarum ſit, hunc morbum non fuiſſe Pag.8.
apoplexiam ſeu attonitum, ſed ſpeciem caros, quæ erat frequens antiquis ob ebrietatem, adeò ut non ſolùm poſtmodum ebrijs ipſis adueniret, ſed etiam illis eiſdem, etiamſi ebrij non eſſent, alijsq; qui ab ebrijs deſcendiſſent: fuiſſeq; morbum endemium illi regioni, in qua tum degebat Hippocrates: idq; rectè animaduerſum eſt à Braſauolo, qui etiam auctoritates has citat. Verùm ut ad rem redeam, morbi hi non tam fuêre endemij ætati ac regioni Hippocratis, quin etiam noſtro tempore appareant.

Neceſſe eſt igitur ante ſeptimam diem interire, *quia ante tertiam deueniunt in attonitum morbum: attonitus autem non ultra quartum diem uiuere hominem permittit, ante ſeptimum igitur mori hominem neceſſe eſt. Sed ſi superueniat febris, antequam in attonitum decidat morbum, incaleſcit qualiſcunq; crudus humor fuerit, ſeu pituita ſeu melancholia: quamobrem ut euadat neceſſe eſt, niſi in abſceſſu materia cogatur per febrem, dum liquefacta eſt: atque tunc nihilo ſecius perit, non tamen neceſſariò ante ſeptimum diem. euadit autẽ in lethargum, ſi fuerit pituita, & quandoque etiam ſanantur: & aliquando in catalepſiam, ſi fuerit atra bilis, & moriuntur. Cura igitur partim ex his, partim ex illis quæ dicta ſunt ab Hippocrate ſecundo de Morbis, duobus iam adductis locis habetur. Verùm non tam tutum eſt febrem excitare (id autem fiat quàm celerrimè) ut ſi à natura generetur.*

APHORISMVS L.

Oportet uerò & conſiderate oculorum in dormientibus ſuſpectiones. nam ſi quid album commiſsis palpebris ſubinſpicitur, neq; ex alui profluuio, aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & lethale ualde.

COMMENTARIVS.

¶ *Neminem tam rerum mearum iniquum æſtimatorem eſſe crediderim, qui me coarguat continuationis in huiuſmodi Aphoriſmis: quam & ſi relinquerem, ut manifeſtam relinquerem: neque enim dubium eſſe poteſt, ut prior Aphoriſmus de bene ſuperueniẽte morbo eſſe, ita hũc de malè accidente ſymptomate.* Exſcriptus eſt hic Aphoriſmus ex uerbo, ut dici conſueuit, ex
primo Prognoſticorum, ubi tamen additur (aut 7.Com.11.
nec ita dormire ſolitus eſt) uerùm Hippocrates ,,

cum

cum aliquid in Aphorismis semper adimat, adijciat autem uix unquam, nihil est quod potius adimere posse existimarit illis uerbis: satis intelligens, quòd quæ nobis naturalia sunt, aut firma consuetudine iam familiaria, ut stertere in somno, hiare ore, strabum esse, lamentari & flere, nihil absurdum significant. Meritò uerò adijcit (neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione) quoniam in loco, ex quo decerptus est, hæc aderant, & ibi iam antea commemorauerat. oportet aũt per hæc duo exempla, omnia talia quæ siccant corpus, & debilitant, non solùm debilitant, ut Galenus exponit. nam Hippocrates excipit duntaxat illa, quæ siccando debilitant, uelut coitus nimius, sanguinis fluentis copia, inedia & uigilia. Exiguus tamen est hic Galeni error, quandoquidem pauca sint quæ debilitent, nec siccent. Sunt tamen quædam, è quibus principale est balneum: tum uerò soporifera medicamẽta. Hic uerò duo peccata Fuchsij detegere necesse duxi, ut homines uno intelligentiam, altero diligentiam animaduerterent. De diligentia illud, quod cum in Brasauoli commentarijs iaceret, primo Prognosticorum 14, & debeat dicere 11. qui fuit (ut reor) lapsus aut scriptoris, aut impressoris: Fuchsius recitans eundem locum, adscribit etiam 14 pro 11. ut appareat, de quo minimè dubito, exscripsisse omnia ex ipso Brasauolo: neque enim si memoria commentarios Hippocratis de Prognosticis, ac diuisionem illorum tenuisset, aut saltem uidere locum uoluisset, in eundem numerum erratum incidere ullo modo poterat. At hoc parui momenti est, sed supinæ tamen negligentiæ signum. Verùm illud magni est momenti, & ex quo sensus totus Aphorismi planè peruertitur: quòd cum dicat Hippocrates, Σκοπεῖν δὲ χρὴ, quod est, considerare uerò seu autem oportet: uisum est sapientissimo Fuchsio, dictionem illam δὲ, seu autem, esse superfluam, cum Aphorismi iuxta plurimorum imperitorum sententiam sint sermones seiuncti & præcisi. Sed non est ita, ut ostendi, quinimò continui sunt: atque id tantum refert in hoc casu, ut uoluerit Hippocrates, quod & Philotheus animaduertit, hunc Aphorismum præcedenti prorsus connectere, & uerum efficere, qui alioquin falsus foret. neque enim dictum hoc de oculis uerum est, nisi ubi morbus in capite sit, et cum febre. Vnde cessant dubitationes Brasauoli: quoniam hoc signum in pueris est fallacissimum. sed non quia in pueris, sed quoniam morbus in capite non est, sed à uermibus, uel alijs causis, alioq; in loco.

Causam huius symptomatis, dicit Galenus esse siccitatem, uel imbecillitatem. De siccitate dicit Galenus, quòd hoc accidit, quia membrana palpebrarũ est naturâ sicca: & iure quidem, ut esset durior pro oculi custodia: quæ cum tenuissima sit, & nulla carne, aut omnino exigua, sed sola cute obducta, nihil mirũ est si quauis minima causa contrahatur. Est enim membrana tenuis, quæ toti obducitur palpebræ: inde circulus quidam arctus in fine earum, ubi una alteri cõmittitur, planè cartilagineus, ut in primo de Fabrica humani corporis à Vesalio habetur. Musculi uerò duo sunt. Cap.35. quorum unus oritur, unde musculus oculi, qui rectà sursum illũ trahit, à caluaria, ex dura membrana (cuius inuentor fuit Fallopius) In obseruationib. Anatom. fol. 66. & latiore chorda implantatur cartilagini superiori, oculiq; palpebra superius trahit: alter aũt in palpebræ inferioris medio originẽ habet, & per minorem angulum prærepta, inseriturq; cartilagini eidem superioris palpebræ, ut illam cum opus est, & uolumus, deorsum trahat. Etenim cartilago illa obducta extremitatibus palpebrarum, tres euidentes habet utilitates. Prima, ut illis partib. superiore & inferiore pili ciliorũ implantẽtur firmiter. Secũda, ut dum palpebra superior sursum aut deorsum trahitur, tota simul & æqualiter trahatur. nam si ex molli esset substantia, & toti palpebræ circulo musculũ inseri necesse fuisset: nec tamen satisfecisset, quoniã obliquæ partes illæ clauderẽtur. Tertia, ut simul palpebræ æquales inter se & ad oculum essent, atq; earũ motus et usus, musculosq;. Idem attigit in 2. libro, Cap.10. aliquid etiam de cartilaginis usu in primo. Cap. 2. in princ. Mouentur enim palpebræ cõtrario modo, quàm genæ. in genis enim superior semper quiescit, & inferior manifestè mouetur: at in palpebris superior manifestè mouetur, inferior quiescit. nihilo minus quia, ut dixi, musculus q superiorem palpebram trahit deorsum, inferiori palpebræ ad mediũ implantatur: & omne quod mouet, mouetur in corporibus, necesse est ut dum musculus in situs in inferiore palpebra se cõtrahit, ut superiorẽ palpebram ad se trahat, ut inferior palpebra se infra paululũ diducat: & ita nõ occurrat superiori, dum oculus clauditur, sed paululum diffugiat. Hinc est qđ Oribasi⁹, quẽ (ut dixi) post Hippoc. omnibus longè præpono: atq; utinã illius scripta Galeni loco, si min⁹ nõ posset, inuenirẽtur, negat lib. 25. Collectionũ, musculũ illũ in angulo maiore Cap.29.

iore inueniri, qui palpebrã superiorem deorsum trahat, neque in incisionibus loci, neque ustionibus ægiloparum, quæ angulo illi adhibentur, motum contractions palpebræ ad superiora deperire. Causa igitur quod alba oculorum appareant, non est siccitas tunicæ oculorum, quia oporteret prius siccari carnem & cutim, quàm membranam illam, deinde cum non sint annexæ cerebro, sed foràs promineant, oporteret esse uehementem siccitatem in cerebro: & ideo Galenus satis inconsideratè hoc dixit, ut pleraque alia, & fallitur. Est enim causa, quod musculus qui palpebram superiorem sursum trahit, cum oriatur à dura membrana cerebri, & ipse tenuis facilè exsiccata mẽbrana, uel neruo secundi paris qui ei adiunctus est, ipsam palpebram superius trahit, & ita non potest perfectè claudi. Et si etiam inferior trahatur ob siccitatem (quod rarò accidit) quia, ut dixi, implantatur exterius, nec oritur à membrana cerebri, nec à caluaria, sed inferiore palpebra: tunc non solùm apparet album oculorum, sed etiam obliqua fit superior palpebra, et foramẽ illud per quod uidetur oculus in dormiente est sinuosum: & uocatur ab Hippo-

In Prognost. Pag. 2. crate palpebra retorta, καμπύλος. Et manifestum est, quòd hoc est longè deterius quàm primum, cum proueniat ex duplici contractione, scilicet superioris musculi, ut in priore: & inferioris, quæ est longe peior. Et hoc peius est, si oculus ipse propriè distorqueatur.

APHORISMVS LI.

Desipientiæ quę cum risu fiunt, securiores: quæ uerò cum studio, periculosiores.

COMMENTARIVS.

¶ Quod aliud sit atra bilis, id est exusta, & ater humor, quem melancholiam falsò uerterũt quidam, cum nihil aliud sonet Latinè q̃ eandem atrã bilem: propterea Græci cùm μελαγχολι-

Contradict.n. κὸν dicũt, χυμὸν addũt, uisum est septimo Contradicentium. Quòd etiam ex qualitate morbi prædicere doceat, uelut in priore ex symptomatis qualitate, & id perspicuum est. Reliquum est ut uideamus sententiam Aphorismi. Galenus in Commento tria facit genera desipientiæ, cum risu mitiorem, cum studio deteriorem, furibundam, pessimam. Ita etiam illarum statuit triplicem materiã: quæ cum risu, à sanguinis fece: quæ cum studio, bile flaua: quæ autem furibunda est, à flaua bile superassata. Singulæ harum fieri possunt compatiente cerebro, quod minus malum est: uel materia in cerebro ipso morbum faciente. utrum uerò ex sola intemperie, absque materia, indiscussum reliquit. nam exemplum eius quæ fit ab ebrietate, licet ostendat desipientiam, quæ sine materia fiat in cerebro: fit tamen à uaporibus & materia uini, quæ humoris habet rationẽ. Hæc ille satis confusè, & sine demonstratione.

Verùm Hippocrates hoc non sentit, & suo more extremarum meminit, ut medias intelligeremus. Quæ cum risu fiunt, fiunt cum affectu perturbante rationem: quæ cum studio, absque affectu, & illæ sunt pessimæ. Furibundæ autem & lachrymosæ, ut deteriores sunt prima, quia affectum habent deteriorem: ita minus malæ sunt his, quæ cum studio fiunt. nam affectu omni carent. Propterea non uapores qui mutant & mouent, sed impressam ostendunt qualitatem. omnis enim desipientia fit intemperie in cerebri substantia, ut colligitur septimo de Decretis Hippocratis & Platonis. Ego uerò uidi ex furiosa desipientia plurimos euadere, ex studiosa paucissimos. nam cum dixit securiores, palam est quòd loquitur de febribus, non de melancholia, quæ est morbus sine febre. Et hoc etiam non est animaduersum à Galeno, aut saltè prætermissum. Deterior etiam est illa quæ est cum tristicia multa, & cogitatione mortis inter studiosas: quæ uerò est cum lachrymis & magna perturbatione, deterrima est earum quæ fiunt ab affectu, & non cum studio. Si desipientiæ genera per nomina distinguere uelim, rem aggrediar infinitam: et neque hic locus est, sed in Contradictionibus, & in Commentarijs primi Prædictionum. Dicamus autem hic generaliter, enumerando species affectuum, quibus homines desipiunt. Quarum prima & mitissima est hebetudo, cum quis non intelligit intelligenda, fatuumq́; huiusmodi hominem dicimus. Secunda, cum uidet non uidenda: estq́; uitium facultatis, quæ imaginatur, quandoque oculorum. estq́; id minus: nam ratione tunc peccare non est necesse, appellantq́; alienationem mentis. Cum uerò nihil noui affert, sed malè iudicat de his quæ rectè cognouit, stulticia dicitur: estq́; tertia species. Quòd si in utroq́; peccet, siquidem perpetuus sit affectus, insania apud Latinos dicitur, at in febricus delyrium. Sexta species est, cum timor adest, & mœror, uocaturq́; melancholia: quòd si adsit ira & audacia, dicitur furor. Porrò fatuitatis cum à frigore fiat, duæ sunt species. Vna, qua parum cognoscunt quæ cognoscenda sunt, rudesq́; uocantur: alia, qua cognitis parum Cap. 3.

recte

rectè ratiocinantur, cuius propriè est nomen fatuitatis: sicut & illius, in qua parum cognoscũt, et minus ratiocinãtur: uocant etiã huiusmodi homines stupidos. Cum calor mentem percellit, *qua parte imaginatur: nec perpetuò adest, sed uelut ex febribus uel uino* (dico autem intermittentibus) *fit alienatio.* Perpetuus non potest esse *hic affectus, quin rationem concutiat.* Si tamen *sit, melancholiæ sub nomine continetur. Si calor turbet cogitationem, nec sit perpetuus, desipientia: si perpetuus, ut dixi, stulticia.* Mentis quoq; *perculsæ in utraque ui uitia, quæ diximus, à calore ortum habent. At si materia biliosa sit, furores facit temporaneos, ut in delyrijs & mentis alienatione: si uerò atra bilis, fit furor, sicut & melancholia ex sanguinis fece.* Desperatio *uerò ultima fit exusta fece sanguinis, & hæc plerunq; insanabilis.*

APHORISMVS LII.

IN acutis passionibus, quæ cum febre fiunt, luctuosæ spirationes, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Similitudinem captauit Hippocrates *more magnorum uirorum, qui & ipsi aliquando remissioribus animis aliquid dicunt, uulgarem, si ad priorem Aphorismum hic præsens referatur. nam cum antea de risu, sed ille est symptoma animalis uirtutis: hic agit de luctu, qui est symptoma uitalis. uerè tamen coniungitur illi, docens symptoma hic superueniens, ibi symptomatis dif-* Partic.2. *ferentiam de morbi exitu iudicare:* Sexto Epide*miorum uocat illam duplam respirationem, di-* ,, *cens:* Dupla intrò reuocatio uelut superinspiran ,, tibus. *Quæ uerba referuntur eodem modo in* Partic.3. *secundo.* Dicebat in Coacis prædictionibus: ,, Extendens & urgens et obscurus, & dupla in- Pag.10. trò reuocatio ueluti superinspirantibus. *Et pòst* ,, *etiam:* Spiritus qui cum suspirijs extrà feruntur. Pag.23. *De hac igitur potius quàm de dupla hic intelle-* 4.Aphor. 68. *xisse reor, cum antea iam de ea egerit. Sed dicas eundẽ esse: quid lucramur? & necesse facere Hippocratẽ obliuiosum, aut nugatorem. Deinde quæ ars, cum dixerit conuulsionẽ significare: hic nõ dicit, nisi malũ: cum etiam hic addat acutas esse febres, ibi non. aut igitur eximere hunc oportet ut minus generalem, & absq; causæ commemoratione, aut quòd alius sit præsupponere.*

Videtur ergo mihi primùm per luctuosas spi*rationes intellexisse, quod propriè uocamus suspiria, atque id conuenienter: aduersantur enim suspiria delyrijs lætis, de quibus in præcedenti Aphorismo egit: & minora sunt intercepto spiritu. Fiunt autem suspiria quandoque ex melancholicis cogitationibus atq; tristicia, quandoque ex calore cor præfocante.* Dicebat Hippocrates: Quæ suspiriosum in febribus spiritum emittunt, abortiunt. Coac. prędict. pag. 24. *Sunt etiam quidam morbi suspirio familiares, & præcipuè tussis, ut apud Pliniũ:* Lib. 20. cap. 9. *Tussimueterẽ cum suspirio. Dicit ergo in acutis passionibus, ne nõ intelligeremus asthma, ut dolores podagricos, in quibus suspiria sunt quasi pathognomica: quæ cum febre sunt, ut attonitum morbum & comitialem accessionem excluderet, in quibus suspiria nihil portendunt eadem fermè ratione. Sed cum sint hi morbi natura suspiriosi, nihil nouum prædicunt. Quosdam etiam morbos cum febre nec acutos esse constat, uelut regius: quandoq; & ulcera pectoris atque pulmonis, & renum & uentriculi plerunque, de his non loquitur. An uerò de Ardentibus febribus, incertum uideri posset, quia præsupponit alium morbum ultra acutam febrem: uerùm credo fuisse modum loquendi. nam seu suspirium fit ob cogitationem malam, cum simus in casu desipientiæ, quæ non est cum risu, ualde malum est: omnis enim desipientia, mala est: cum febre, peior: cum mœrore, pessima, uel cum studio. Si uerò sit ex calore circa præcordia, significat impotentiam uitalis facultatis, aut impedimentum, quo tempore æger liberiore indigeret refrigeratione: quod malum est. Demiror de hoc qui scribunt, in operibus artis minimè exercitati, cum non hoc rarum sit, sed frequentissimum, suspirare scilicet in febribus, ut sit malum signum, adeò ut paucos euadere uiderim.* Dicebat Galenus Cap.6. *secundo de Spirandi difficultate:* Qui in luctu sunt, suspirant calore circa præcordia collecto duabus ex causis. una, quod calor ob tristiciam intus coit: altera, quod obliuiscuntur ob curas respirationis.

APHORISMVS LIII.

DOlores podagrici uere & autumno magna ex parte mouentur.

COMMENTARIVS.

¶ Dolores podagricos fieri natura excer*nente, quod molestũ est à locis iecori uicinis ad iuncturas, haud dubiũ est: sed neq; illud dubium est, humores modò qualitate, modò quãtitate uel utroq; modo esse molestos. Et illud quoq; condonemus, hyeme plurimos humores & qualitate etiam peccantes generari, unde uer maxime podagras excitat: æstate autem, etsi pauciores gene-*

generentur humores: tamen qui qualitate sua in
festent, præcipuè ob esum fructuũ, ideoq; etiam
autumno podagras generari, sed pauciores quàm
uere. Vnde & inter ægritudines ueris, ut Galè-
nus inquit hic in Commento, Hippocrates tertia
Aphor.20. Aphorismorum commemorat articulorum mor
bos, sub quibus podagra continetur: licet etiam
Aphor.22. ibidem, dum de autumno loquitur, connumeret
coxendicum dolores, qui & ipsi sunt è podagræ
genere. Cum uerò morbos ad res præter naturã,
tum etiam naturales comparauerit, hic ad res
non naturales etiam confert.

Verùm dubitationes plurimæ supersunt. Pri
ma, quomodo natura sentiat illam molestiam seu
de multitudine, seu qualitate? Secunda, cur non
potius expellat illos humores extra corpus &
ad cutem, quæ est imbecillißima, quàm ad iun-
De Causis ćturas? Tertia, cur non potius æstate quàm ue-
mor. cap.5. re, cum plures sint humores colliquati, podagræ
excitentur? Quarta, cur in his & illis podagra
excitetur, non aũt omnib. Quinta, qui nam ma-
gis singulis temporibus sint obnoxij? Sexta, de
auxilijs generaliter. Quòd ad primam attinet,
Pag.2. dicebat Hippocrates quarto de Morbis: Trahit
,, unumquodq; de terra alimentum, quale etiam i-
,, psum existit. nam & rosa de terra trahit talem
,, humorem, qualis ipsa potentia existit, & allium
Pag.3. similiter. Idem in libro de Natura pueri: Vnum-
,, quodque ad suum simile abit. Et illud in libro
,, de Alimento: Naturæ omnium nullo doctore
Pag.3. usæ sunt. Quasi dicat, quæ conueniunt, trahũt,
contrariaq; expellunt. hic est ergo sensus natu-
ralis. Et huiusmodi expulsio in animalibus habet
instrumentum, scilicet uillos, cum tamen & in
plantis fiat, de quo aliàs. Ad secũdam dico, quòd
humor non expellitur extra corpus, uel propter
malam dispositionẽ, ut quòd sit uiscida uel cras-
sa: uel ob locum, qui sponte trahit, ut in dolore
& caliditate: uel ob consuetudinem factam à
Pag.10. natura. Hippocrates in libro de Aere docet, tan
tùm posse consuetudinem, ut homines mutent
formã naturalem capitis in generatione: uel ob
impedimẽtum in uia uel actione, ut si quis aluum
astringentibus utatur. Cur autem potius uere
quàm æstate: Dico, quòd in æstate fit multa re-
solutio ad partes exteriores, ideò nec ratione
motus, nec materiæ apta est æstas ad podagrã.
Cùr uerò hi uel illi magis sint obnoxij, plurimas
Com.27. causas aliàs adduximus.

Nunc uerò rem planam facere ex toto uolu-
mus. Est enim forma humoris podagram faci-
entis cruditas, facta ex raritate caloris natu-
ralis, ut in libro de Dentibus docuimus. Fit au-
tem calor rarus aut ob partem pinguiorem quæ
educitur, ut in coitu, & multa sanguinis efflu-
xione: aut ob dissolutionem à calore, uelut hi qui
frigus nullum experiri uolunt, & qui aromati-
bus & uinis potentibus utuntur: uel ob id quod
ei permiscetur non coctũ, ut in desidibus, & cra
pulæ deditis: aut enim adijcitur quod adijci non
debet, aut non consumitur humidum aqueum. Et
non uidetur plures esse posse modi. nam uel ex
seipso fit rarius, ut à calore: uel per detractionem
utilis, uel additionem inutilis. Videtur autem de-
tractio utilis causa difficilior, quæ curam uix
admittat. nam quod rarescit, potest densari: &
quod impurum est, purgari: at quod est deficiẽs,
non potest restaurari. Vnde uidemus multos po
dagrosos pingues: nemo tamen potest esse tantæ
uitæ, quantæ esset si podagra non laboraret: ni-
hilominus sunt uiuaciores reliquis hominibus,
quoniam plus facit ad uitam abstinentia, quàm
noceat caloris raritas: si tamen fuerit magna ra-
ritas caloris, uix possunt senescere. Securiores
ergo sunt, qui ex ocio & crapula ad illam deue-
nerunt, quàm qui ob resolutionem partis pinguio
ris caloris. Si ergo calor sit potens, & humor
crudus, minimè siccus, poterit concoqui: &
ita per inediam tales multum commodi conse-
quentur, et incommodi parum aut nihil. Hæc igi
tur cruditas potest euenire in quacunque parte
sanguinis, & ita fiunt podagræ genera iuxta nu
merum humorum. Quibuscunq; igitur cruditas
aduenit in bile, fit podagra æstiua: & si in pitui-
ta, hyemalis: & si in omnibus humoribus, uere:
& si in humore exusto, in autumno, qualiscunq;
humor fuerit. Sunt et aliæ causæ uarietatis tem-
porum, utpote in imbecillibus fit in hyeme ex
ratione uentorũ. & Brasauolus bene dicit, quòd
apparent omni tempore. Vbi enim materia plu-
rima congeritur, nisi succedat auxilium, necesse
est ut podagrici deueniant in podagram. Dictũ
autem Hippocratis est generaliter uerum, quia
istis temporibus maximè rarescit calor natura-
lis, quia expanditur: & licet in æstate rarescat,
à calore tamen aeris concoctio iuuatur, non in
quanto, sed in quali. nam ex ratione quantita-
tis & perfectionis sine dubio melior fit in uere
quàm in æstate, prima Aphor. Ex quo patet, cur Aphor.15.
aliqui obnoxij podagræ, transeuntes à Mediola
no uersus Romam sanantur: & redeuntes Me-
diolanum, iterum corripiuntur. sicut contigit
fratri Pauli Taegi iurisconsulti. Et ex hoc pa-
tet, quod morbus iste est maximè hæreditarius,
tum

tum propter raritatem caloris, tum ob debilitatem iuncturarum, tum ob consuetudinem transmittendi. dicebat Philosophus exemplũ de cane uenatico, filio uenatici canis.

Cùm igitur podagricus uir dicatur trifariam: potestate, & est qui habet calorem naturalẽ rarum in iecore primùm, & suis uenis: secũdò etiã in corde. nam quæ est raritas caloris in uẽtriculo, non facit ad podagrã nisi ratione præparationis: & ideo omnis talis est sanabilis. Secundo modo præparatione: & est ille, in cuius uenis est humor ille crudus iã genitus. Tertio modo actu: & est ille, ad quẽ podagra iam peruenit: & hoc est, quia iam habet debiles iũcturas, latas uias, et consuetudinẽ recipiendi humorẽ, uel tres primæ illæ causæ cõputata cruditate supplent pro consuetudine. iuxta hos ordines quæritur sanatio. Dico ergo, q̃ si sit ex crapula & quiete, poterit sanari per longam abstinentiã & exercitationẽ quacũq; ætate, ut legitur apud Porphyriũ de senatore Romano. Et similiter si sit à raritate propter calorẽ aeris uel ciborũ, quandoq; poterit sanari, si sit iuuenis, ex habitatione in frigida & sicca regione, uel ex diuturno potu aquæ. & hoc secundum affirmant medici, sed primum obseruarunt. Et quando raritas fuerit magna, non curatur à podagra ex his auxilijs, sed adijciet alios morbos deteriores: Si uerò sit ex resolutione, ut dictum est, non sanabitur.

In uita Plotini.

22. tertij Tract. 2. cap. 23. & Alexander de Cura sanguineę lib. 11. ca. 1.

Vt uerò prohibeatur præparatio, oportet ut tantum possit leuitas cibi, quantum raritas caloris: exerceatur ergo, fricetur, dormiat, bibat aquam, comedat cibos unius generis, carnem bubulã, quia parũ nutrit, et ualde coctam, tum quia faciliter subigitur. & nos diximus præter naturalem calorem locum naturalis subire, tum quia per se dura est: quies post cibum: quæ roborant uentriculũ, absinthium, menta: uomitus cùm repletio sentitur, abstinentia cibi.

Quæ autem prohibent, sunt quæ humorem educunt, quæ auertũt & repellunt, & quæ iuncturas cõfirmant. Equidem maximè exacerbatur fluxio his quæ excalefaciunt: unde à uino potenti, tum propter aquam ardentem quam cõtinet, & dum uentriculus in concoquendo laborat: ideo hac concoctione cibi, & maximè durioris, crescit dolor.

Quæ uerò educunt, securiora sunt: reliqua tria, nisi paucula, morbum ad iecur & lienem, et pulmones & uentriculum præsenti uitæ periculo retrahũt. cũ enim materia genita fuerit, quorsum minore periculo, si non euacuetur, aut ad cutim trahatur, deriuari potest? Iuuãt autem, quæcunq; humorem illum crudum educere possunt. Oportet autẽ rarò id facere, quoniã ex gibba in cauam iecoris cum maximo periculo traducere oportet: quamobrem & maximã copiam, ut in plures annos sufficiat. Itaq; et exercitationibus & frictionibus, et inedia & attenuantibus, & dissecantibus, & somno, præparãdus est. Medicamẽtum aũt, elleborus aut colocynthis cũ uino mombasio dulci colliquata. Auertunt fomentationes sub genibus tutò, tũ uerò frictiones: quæ uerò prohibent nulli fermè sunt usui, nisi quatenus dolore etiã materia nõ cruda trahitur: & ne nimis cõsertim descẽdat, ut locus sit interim auxilijs: fit aũt ex aqua, aceto & furfure. Iuncturas cõfirmamus, si admodũ debiles sint, nõ ut repugnent, sed ut nõ trahant. In ipsa accessione ubi sedata est fluxio semper, plerũq; antea exterius reuocare licet. Cæterũ sectio uenæ & cucurbitulæ & hirudines, ut præsenti uidentur esse auxilio, cũ sectio uenæ auertat sanguinẽ, refrigeret, & quandoq; materiã minuat: cucurbitulæ uerò uehiculũ subtrahant, & etiã auertant: infinita tamẽ curãdi ratio est, et calor semper fit rarior, & mẽbra debiliora. Sed neq; antidota illa adeò celebrata prodesse possunt nisi ad tempus. mutãt enim calorẽ, sed nõ restaurãt, sedatáq; podagra cũ alijs morbis pereunt, eã præueniunt, nõ fugiũt: mutatio tamẽ aeris in calidã & siccã regionẽ, & uictus, ut reliquos magnos morbos quãdoq; sanare potest. Qui autẽ uerè purgãdo, aut sanguinẽ detrahendo curare aggrediuntur, nisi delicta uictus, crapulæ & ebrietatis emendare uelint, nõ propriũ naturæ lapsum, nõ rectè agũt, quanquã iuuare uideãtur. Præsertim eorũ fit manifestus error, quib. sub fine æstatis uel hyemis podagra præoccupat: id cõtingit, cũ multa materia abũdat, uel ob uictus errores, uel naturalem plenitudinẽ, uel intemperiei magnitudinẽ. Cũ uerò materia pituitosa est et crassa, quouis modo citra magnã purgationẽ aut fomẽtationes podagra cessauerit, periculũ est ne lapidis morbo æger cõflictetur. Securißima aũt podagra est, cuius accessiones perbreues sunt, & operationes naturales nõ uitiãtur: sed manet bonus color, corpus carnosum, appetentia sine siti, somnus quietus, urina bona & ualde clara, splendida: & cutis facilè exulceratur, tum maximè in loco affecto. Peßima aũt est, in qua cutis fit coriacea, id est crassa, dura, nigra: & post ipsam cui subest œdema, minus mala, & cùm abscessus manet. Quæ uerò cum sudore resoluitur, non est digna no-

mine podagræ. Securißimus aũt ſanãdi modus eſt, ut homo exerceatur ieiunus uſq; ad ſudorem uehementẽ: inde ponat ſe in lecto calido mutata interula, & ſudet cõtectus pãnis quouſq; poteſt: & hoc faciat quotidie, uel bis aut ſemel in hebdomada, & prandeat parum, & in loco frigido ac ſicco & perflato: ſed dum ipſe adeſt, concludatur locus uitreis feneſtralibus: & ipſe ſit contectus bene ueſtibus, & continuet per annum. deget enim ſanus, & forſitan curabitur in perpetuum. denſat enim calorẽ naturalem, euacuat materiam podagræ, auertit naturæ conſuetudinem tranſmittendi ad iuncturas, & illas confirmat. Quòd ſi mens ſit reuocare podagram propter deteriorem morbũ, ponatur in balneo calido, & inungantur pulſus oleo ſulphuris. Hæc uolui ſcribere uberius, ut intelligant homines, nõ eſſe podagræ cognitam rationem: nec mirum eſſe, ſi non curentur.

APHORISMVS LIIII.

IN morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiã corporis uel cõuulſionem uel furorem uel cæcitatem ſignificant.

COMMENTARIVS.

5.Apho.19.

¶ Intelligit, quòd morbi quidam fiũt ex mala uictus ratione, de quibus non dat exemplum, quia ſunt conſpicui, locutus tamen eſt: alij ex temporibus, ut podagra, de qua in præcedenti Aphoriſmo. & dedit unum exemplum, quia erat res nota, & de his diſtinctè ſuprà. alij ex alio morbo, & hoc declarauit in præſenti Aphoriſmo per plura exempla, quia non erat adeò conſpicuum. alij fiunt ex ætatibus, & dedit exemplum in ſequenti Aphoriſmo de apoplexia. nam apoplexia ſola fermè eſt morbus ætatis: quoniam nullus eſt morbus qui non adueniat omnibus ætatibus præter apoplexiam. ea enim non fit in pueritia, neque in iuuentute, ſed in ætate quæ eſt à quadrageſimo uſque ad ſexageſimum annum, adeò ut etſi inclinata ætas ad mortem pronior ſit, non tamen eius morbi ratione. Et de hoc etiam ſuprà, adeò ut comprehenderit hic morbos omnes enarratos ab illo Aphor. Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: uerùm non explicuit hic primum modum, neque ibi tertium, qui eſt, cùm morbus fit ex morbo. Inſinuat ergo, quod morbi melancholici, ſi propriè & malè terminentur, quadrifariam terminari poſſunt: aut in apoplexiam corporis, translata materia in uentriculos cerebri, aut in furorem corrupta, & translata ad cerebrum & membranas eius, aut conuulſionem longius propulſata ad neruorum initia, aut cæcitatem tranſmiſſa ad neruos cauos oculorum. Appellat autem apoplexiam corporis, quoniam hoc nomine apoplexiæ cùm tria intelligerentur ſea ætate apud Græcos, ut nunc apud Latinos reſolutionis nomine, totius medietatis & partis, uoluit ut intelligeremus de proprio ſignificato, id eſt totius, quam uocamus attonitum morbum. In hoc Aphoriſmo præterea uoluit nos docere Hippocrates, quod etiam præter ſequentem continuat uſque in finem totius libri: unum ſcilicet, quod morbi ſunt ſæui, uel ratione patientis particulæ, uel ratione materiæ peccantis. Porrò in melancholia afficitur cerebrũ, quod maximè periculoſum eſt, tum ob nobilitatem, tum ob teneritudinem: propterea dicebat Hippocrates, quod cerebrum eſt ſubiectũ frequentißimis & uiolentißimis morbis. Quo ad materiam, nulla poteſt eſſe deterior melancholia, cum utraque qualitate ſit inimica naturæ, & inſuperabilis: & uidemus quanta mala producat quartana, tametſi affligat tam longis interuallis, & ſit mitißimus morborum melancholicorum. Et ſi quis quærat, cur tamen pauci ex inſania moriantur? Reſpondeo, quòd omnia membra principalia depellunt melancholiam à ſe, quantum poſſunt: & plerique morbi qui accidunt, ſunt ex conſenſu & uaporibus, & non ex ſubſtantia. Nec ſubſtantia melancholiæ ingreditur membrum ullum principale, niſi repleto iam toto ſplene, uel ex aliquo magno caſu: & ideo natura fecit meatum à iecore ad ſplenem magnum, ut non poſſet obturari: & in ſupplementũ addidit uenas à iecore ad anum, quæ uocantur hæmorrhoides, ut tumultuariè poſſet efferri. Fecit etiam ſplenem magnum, nõ ſolùm ob cauſam dictam à Galeno, ſed principaliter, ut poſſet multa materia recipi antequam membra regia infeſtarentur. nam cum illa ingreditur, uix ullus euadit. Quin etiam quod malus eſt, adeò extenditur ſubſtantia huius uiſceris, tam laxa eſt horum metu, ut ad pubem quandoque deueniat. Hic etiam Aphoriſmus eſt continuatio ad ſeptimam particulam ſequentem, in qua docetur tranſmutatio & generatio morbi ex morbo: licet plerunque addatur aliqua conditio, ut malum, uel lethale. Galenus uerò dicit, quod unus ex his morbis ſolus eſt ei proprius, ſcilicet furor. nam attonitus & conuulſio & cæcitas poſſunt fieri ex pituita, ſed magis ex humore crudo. Et hoc ex parte uerum eſt, nec eſt

contra

Margin notes (left column): 5.Aphor. 20. & ſequẽtibus. — 3.Apho.14. & ſequentibus.

Margin note (right column): In epiſtola ad Demetrium regem.

contra Hippocr. Quòd uerò dixit, significant, ut legamus, Periculosi de cubitus significăt, intelligit de decubitus speciebus malis, de quib. in Pro-

Pag. 2. gnosticis ait: Decumbentē ægrotū à medio deprehendi cōuenit in latus dextrum, aut sinistrū, & manus, & collū, & crura modicè inflexa habentem, & totū corpus flexibile situm. ita enim plurimi ex sanis decumbūt. Optimi aūt sunt decubitus, qui sanorū decubitibus similes existūt. At uerò supinum iacere, & manus, & collū, & crura extenta habere, minus bonum est. Si uerò etiā pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum est: si uerò nudos quoq; pedes habere cōperiatur, nec admodū calidos: & manus & collum, ac crura inæqualiter disiecta ac nuda, malū est. anxietatem enim significat. lethale est, et hiantē semper dormire, & crura supini iacētis ualde incuruata esse ac cōplicata. At in uentrē decumbere, si quis nō sit adsuetus dum sanus fuit, ita dormire delyriū significat, aut dolorem loculorū circa uentrē. Cæterùm erectum sedere uelle ægrum in morbi uigore, in omnibus morbis acutis malū est. Hæc igitur sunt quæ de decubitu, tum aliàs etiā dicta intelligere oportet: neq; enim omnia undecūq; traducere oportet.

APHORISMVS LV.

Apoplexiæ autē fiunt maximè à quadragesimo anno usq; ad sexagesimum.

COMMENTARIVS.

¶ Demiror sanè ue cordiā tot expositorum, qui Hippocratē à Galeno bis iniustissimè in hoc Aphorismo, tanta etiā cū humani generis iactura, accusatū nō uindicauerint. Censet enim Galenus, ut Hippocrati cōtradicat, quē errasse gaudet, non quòd illū oderit, sed ut restituisse & excusasse uideatur apoplexiā, magis aduenire post sexagesimū annum, q̃ à quadragesimo ad sexagesimū. deinde ut uideatur defendisse Hippocr. intelligendū ducit esse de ea apoplexia tantùm, quæ ab atra bile fit: ut longè turpior sit excusatio Hippocrati, q̃ accusatio. Quod enim dicendi genus est, apoplexiæ fiunt maximè à quadragesimo anno usque ad sexagesimū? id est, Licet pauciores sint quæ fiunt apoplexiæ à quadragesimo ad sexagesimū, earum tamen quæ fiunt ab atra bile, maxima pars fit à quadragesimo ad sexagesimū annum. deinde dicit, quod plerunque apoplexia fit à pituita, & non ab atra bile: ut quasi sugillet Hippocratem, qui uideatur innuere per illud uerbū Autem, quod coniungit duos Aphorismos, præsentem cum præcedenti: ut sit sensus unus, quemadmodū Galenus in Cōmento frustra tot uerba repetens scribit, hoc sensisse. Piget me adeò lōgum esse, sed ueritatis amor, & utilitas humani generis, & ignauia tot autorum qui uinctis oculis illum secuti sunt, ad hoc nolentē me adegēre. Quid enim uulgatius, quàm quòd apoplexia fiat à pituita? & tamen falsum est. nec me latet tamen, in ea sententia fuisse quotquot post Galenum in Medicina ex Græcis, Arabibus, Latinisq; scripsere. Vides quanta fides, in quibus discutiunt, aut pauci idem sentiūt, sit adhibenda, postquam ea in re in qua omnes idem sentiunt, toto cœlo aberrant. In causa est summa ambitio unius uiri, qui propèranter multa scripsit, & quæ nec emendare, nec constanti animo, sed ut alijs contradiceret, multum que persuadens sibi scire, quorum uis rudimenta prima attigerat, in quibus tamen se excellentem putabat: uerùm cacodæmone admonente, ut rectè rebus prosficeretur humanis, somnio delusus, cùm id spectare ad magnam gloriam existimaret, decimo de Vsu partium præsertim suam prodidit infantiam: cùm uerò qui illum secuti sunt, Paulus ex professo se eius nomini totum deuouit, qui propter claritatem, breuitatem & ordinem gratior factus, magnam iniecit cupiditatem Galenum legendi: ut similis fuerit his mercantibus, qui ex Sarmatia ueniunt, pulchrásque pelles deferentes, pauculosq; speciosos lapides, uotum ingenerant hominibus, Sarmatas inuisendi: apud quos cùm peruenerunt, nihil inueniunt quod iucundum usu sit, præter hoc ipsum quod ipsi uiderunt, sed omnia horrida, squalida, fœda: & neque hoc ipsum quod hic uiderunt, tam facile inuentu, quàm hic. Alexander uerò Trallianus, hostis quidem, sed ignauus & purus empiricus; uelut & Actuarius: Aræteus parum fœlix: soli Oribasius & Aetius paulò post Galenum floruère, atque ideo Marini, Prasagolæ, Agatini, Herophili, Erasistrati, Heræ, Dioscoridis, Serapionis, Asclepiadis, cæterorumq; uirorum insigniorum scriptis innixi, nec à Galeno detraxère, nec plus quàm illi deberetur tribuere: uerùm pensitatis omnibus illum secuti sunt, nō admirati. Cætera turba Arabum cùm nihil inuenisset præter Galenū, & Ruffum quendam, alterā Galeni simiam, Galenū nō pro medico, sed pro deo coluit. cuius facti autor fermè primus fuit Rasis: inde Arabica simia illa Haliabbas, malè comperta, & Princeps: sed Princeps & Auenzoar & Auerrões non tam oculis clau-

sis assensi sunt, uerùm Auerroes suo Aristoteli intentus erat, Princeps parum uoluit, Zoari parum erat quod obijceret: ita uenit ad Latinos is, ut prius admirarentur illum quàm intelligerent. Hæc igitur historia rei est: nunc uerò aggredior quod sum pollicitus. Dico nullam fieri apoplexiam ex pituita: proximũ huic, oẽm apoplexiam ex atra bile fieri. Cùm dico nullam aut omnem, intelligo modò medico, nõ geometrico. neq; enim negauerim in centum unam aut alteram ex pituita fieri, non ex atra bile, quod sic ostendo: Morbi uiolentißimi fiunt ab inuictis humoribus ac peßimis: sed atra bilis peßima est, & apoplexia morbus uiolentißimus. conueniet igitur atra bilis apoplexiæ, & non pituita. Deinde infantibus plenum est cerebrum pituita, ut nulli alij ætati: & tamen nunquam uisus est infans (quanquam etiam comitialibus morbis tot ex his sint obnoxij) qui correptus sit apoplexia. Præterea si apoplexia ex pituita præcipuè fieret, & hi maximè senes corriperentur apoplexia, qui pituita abundarent in cerebro, atque ita soliti grauedinibus & raucedinibus laborare: sic & aquæ potores, & non uini: somnolenti, & non uigiles: at nihil minus horum. accidit enim hic morbus uinolentis, sollicitis, uigilibus, capite carnoso, sed non pituita redundante ex naribus, nec ex palato. Quòd si omnino fieri uelis à pituita, adeò replente uentriculos: cur non antequam in hunc morbum incidunt, grauedinem sentiunt? neque enim tanta fieri repletio potest confestim, sed multo indiget tempore: at hoc non uisum est. quin potius ante & per multos dies sentiunt acutos dolo-
Lib. 3. res capitis, teste Paulo. Signa quoque alia à
cap. 18. Paulo ibidem descripta, id non attestantur, uenarum sphagiritidarũ, id est soporariarum toruli eleuantur: oculis tenebræ modò, modò splendores obuersantur: urina æruginosa & atra. quid hæc rogo cum pituita? si nõ ultima primis miscere uolumus. Rursus si pauca materia collecta est, cur dolores magni? si tota, cur non colliquescitur? est enim quasi principium in medicina & philosophia, humidum à calido colliquescere. Rursus, si pituita est causa apoplexiæ, cur iubent mitti sanguinem? cùm nec ratione loci, cùm sit extra uenas: nec qualitatis, cùm sit ualde frigida: nec originis, cùm orta sit in cerebro, & non illuc deducta per uenas & arterias, conueniat? Cùm etiam pituita descendit per nares & palatum, deberent alleuiari, sicut in comitiali. At tantum abest quod alleuientur, ut signum sit lethalißimum, materia illàc descendens. neq; enim talis pituita est materia morbi, sed humidum ipsius cerebri, quod colliquatur ex atrocitate morbi: sicut etiam in morientibus ex acutißimis & siccißimis febribus, in quibus sentitur recmon: quod nõ tam est causa mortis, imò leuis causa, quàm certißimum signum: quia significat colliquationem substantiæ cerebri, & ideo nullus horum prorsus audit, aut uidet. At illi qui patiuntur recmonem ex destillatione pituitæ, licet propter illius multitudinem moriantur, uident tamen, audiunt, & ratione pollent. Modò intellige quàntum referat hoc scire, si quis paratus sit ad apoplexiam: uel quia maiorum aliquis ex hoc morbo interierit, uel quia in ea regione plures ex eo morbo moriantur: uel quia eo tempore consulent isti inclyti medici, sequuti suum Galenum, ut utantur carne, ouis, uino, parum indulgeant somno, abstineant ab aqua & piscibus: tamen ex illis generatur hic morbus, cùm his tribus impossibile est decidere in eum, nisi præoccupauerit. Quo ad ætates, & uidi & obseruaui, esse uerum dictum Hippocratis, & à sexagesimo ad octuagesimum annum nullus fermè moritur, nisi qui sunt in extremo uitæ: ita ut uelint appellare finem uitæ, & mortem naturalem, apoplexiam, quia utraque repentè contingit. sed apoplectici ut primùm ceciderunt, sunt calidi, & respirant aliquantisper: qui moriuntur morte naturali, postquam ceciderunt, non respirant, & sunt frigidi iuxta carpos, pectus & pedes, cum tibijs, uelut in syncopi. Sed quod decepit Galenum & sequaces, est, quòd aliqui moriuntur ex l. 3. Trac.
caro, quod uocant Arabes subeth, post sexage- 4. cap. 1.
simum annum, & idem morbus certè fit à pitui- & 2.
ta. sed multum differt ab apoplexia, licet pleriq; medici propter imperitiam credant eundem esse morbum. sed est magnum discrimen: quia qui laborant caro, sentiunt tormenta, mouent etiã aliqualiter mẽbra, & præcipuè palpebras, & stertunt: apoplectici uerò patiuntur recmon, & nec sentiunt tormenta, nec mouent nisi pectus: & hoc pauci, & parum. etsi sanentur utriq;, discrimen etiã apparet manifestißimum. nam qui ex caro resurgunt, remanent stupidi, & non resoluti: ut Hieronymus Archintus iurisconsultus, patricius Mediolanensis. & qui resurgunt ex apoplexia, remanent resoluti: sed non adeò stupidi, ut pater Ioannis Angeli Ferni. Et caros, licet sit grauis morbus, aliquando tamen accidit ex solo consensu uentriculi, & sanatur

facillimè,

facillimè, & etiam quod sit ex cerebro propriè: multi tamen sanantur adhibita diligentia, si robustus æger, & medicus peritus sit.

Cùm uerò dicat Galenus, & hòc (ut uisum est) sentire uidetur Hippocrates, quòd apoplexia fiat ex atra bile, & atra bilis duplex: naturalis, quæ est frigida omnino & mitis: & calida atq; exusta, furens. Vnde illud cùm dixisset Philosophus trigesima Problematum, cur sapientes omnis generis fuerint melancholici, & distinxisset atram bilem in naturalem, & eam quæ præter naturam est, causam solùm morborum: naturalem in duas species distinguit, frigidã scilicet, & calidã. ex frigida stupidos & attonitos solùm generari refert: at ex calida sapiẽtes, prudentes, artifices, poetas. In Rhetoricis ait ad Eudemum, cùm ad feruorem intenderint, qui ex illis progenerantur, ad insaniam degenerant, uelut qui ab Alcibiade & Dionysio priore originem duxerunt: si uerò ad frigiditatem ex stabilibus pacatisq; ingenijs parẽtum sapientum, in stoliditatem & ignauiã. uelut à Cimone, Pericle, Socrate. Vt uideatur tam calidam quàm frigidam atram bilem, naturalem cõstituere. Galenus autẽ naturalem semper frigidam, quam uult esse sanguinis limum ac fecem, Secundo de Naturalibus facultatibus: quærendũ est, de qua intelligãt? Et sanè mihi uidentur nõ de naturali intelligere, quoniã illa qualibet ætate fit ac generatur: nõ à quadragesimo anno ad sexagesimũ, imò nec magis, ne forsan eò recurras: sed quanto magis homo senescit, potius. Quinimò generatur illa præternaturalis ea ætate in calido & sicco iecore. Quamobrem de his præcipuè intelligendus est Aphorismus.

Probl. 1. *Lib. 2. de Nobilitate agens.* *Cap. 9.* *Cap. 41.*

APHORISMVS LVI.

SI omentum excidat, necessariò putrescit.

COMMENTARIVS.

¶ Res ratas collegisse, & admirabiles in his libris Hippocratẽ, sæpius diximus: inter quas est hæc, quòd cùm tot sint membra interna, & aliqua etiã molliora omento, utpote cùm sit membrana: nulli tamẽ imposita sit hæc necessitas corruptionis, uelut omento. Est omentum res notissima, mẽbrana adipe plerunq; multo redundans. Omnis uerò membrana fibris omnis generis referta est, ut docuimus in quarto Contradicentium, continens intestina, uentriculo etiã ac alijs partibus adhærens, mirac zirbum Arabes uocant. Sed de mirac ipsimet ambigunt, cùm tres essent tunicæ, illi duas tantum existimarent. Peritoneum siquidem & omentum & membrana carnea, quæ totũ corpus ambit passim obducta musculis. Excidit etiam quandoq; usq; in scrotũ, cùm distenditur, ut superius uisum est. At non hic de illo casu intelligendus est Hippocrates, sed ubi ex uulnere prociderit. etenim etsi frangatur, uulneretur, loco exeat, modò non exeat sic ut ab aere lædatur, non putrescit. At non uiolatum ab aere si tangatur, tamen corrumpitur, cuius corruptio ostendit ipsum resecari oportere.. Modum ponit Galenus sexto Methodi: eo amputato, quod non sine periculo fit sanguinis effusionis, intestina minus firmiter continentur, & totus uenter frigidior redditur, præsertim uentriculus, quod ei adhæreat ex parte: quæ etsi non amputetur, amputatione tamẽ alterius partis læditur. Nota est historia gladiatoris, qui ob hoc lanas multas deferre cogebatur super uentriculum, quia malè concoqueret præcisa uulnere parte omenti. Est etiam illud obseruandum, celerius putrescere intra repositum, quàm si extrà maneat: certius tamen corrumpitur, cùm diu extrà manserit. Causa est, quoniam extrà si maneat, magis afficitur à causa quæ ipsum ad corruptionem adigit, & ob hoc certius est putrefactum iri. Si aũt remittatur intrò, celerius putrescit: quia cùm iam sit corruruptioni obnoxium, à calore celerius putredo ipsa absoluitur. Quod aũt per uerbum Excidat, de uulnere intellexerit, ostenditur ex contextu in primo de Morbis, ex quo loco Aphorismus hic desumptus est. Excidit autem, quoniam inferiore parte non est annexum corpori: laceraretur enim in prægnantibus. uerùm obtenditur omnibus intestinis, dum uiuimus, ut ea foueat. Sed omnes anatomici cùm soleant suspensos & securi percussos dissecare, cõtractum fermè ad umbilicum inueniunt: cùm constet mihi, in morbo extinctis frequenti experimento ad pubis os extendi. Verùm his descriptis, ad causam Aphorismi deueniamus. Nam chirurgi id obseruant, ut omentũ, quando liuidum est aut nigrũ (quod tamẽ celeriter euenit) excidant: secus, reponãt. neq; enim, si reponatur celerrimè antequam uitietur, putrescit, sed restauratur. quod ex sententia Galeni esse uidetur. Brasauolus autem bis contigisse dicit. Causa ergo est, quia omentum est calidæ & humidæ substantiæ propter pinguedinem annexam, & tenuis substantiæ. Calorem autem habet ab alijs membris, non ex se: & est quasi madefactum sordicie intestinorum: ideo cùm ad aerem prodient illa sordicies, cor-

Contradict. 9. *Apho. 44. quintæ par.* *Cap. 4. in fine.* *4. de Vsu par. cap. 9.* *Pag. 2.*

rumpitur, & putrescit, & ea putrefacta corrumpitur pinguedo, inde membrana. & si quis bene cogitet, sicut illud de corruptione est speciale in omento, ita etiam causæ. Quòd uerò quandoq; *non putrescat, non agam more illorum qui pertinaciter, ut hominum placita tueantur, in perniciem humani generis consentiunt.* Dico quod *in Thracia hoc uerum erat, non autem in nostris regionibus: quia aer ibi est corruptioni magis obnoxius. idem de Thessalia: & hoc comperitur ex narratione, quæ habetur ab* Hippocrate

Sec.3.cõst. temp. pestil. tertio Epidemiorum. *cui in nostris regionibus, quanquam fuerint pestilentiæ maximè lethiferæ, non tamen eò unquam uentum est ut frusta membrorum exciderent, ac si essent arborum rami qui putrescerent.* Est *enim ille aer & corpora sicciora, quæ cùm putrescunt paululum, adeò corrumpuntur ut excidant. & hoc non mirabitur quispiam, qui uiderit* Mediolani *uulnera crurum difficilè curari, capitis contrà facilius: quod aer sit crassior Papiæ, crurum facile, capitis perniciosiora ob tenuitatem: & tamen non distant plus quàm uiginti miliaribus.*

APHORISMVS LVII.


QVibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, & rursus incidit, ijs mucores superueniunt.

COMMENTARIVS.

¶ *Ex situ & natura membri docet prædicere. Sed ut historia melius intelligatur, adijciam anatomen partis illius, ad uerbum descri-*

Cap.30. in initio. *ptam ex Vesalio, in primo de Fabrica humani corporis, hoc modo:* Femoris os magnitudine » *cũctis humanæ fabricæ oßibus præstat: in aui-* » *bus autem, & omnibus ferè quadrupedibus ti-* » *biæ oßi & fibulæ (quum hæc adest) longitu-* » *dine cedit.* Hoc *suprà quidem coxendicis oßi,* » *infrà autẽ diuersa articuli ratione oßi tibiæ co-* » *arctatur. Superiori enim parte, qua similiter at-* » *que inferiori appendice donatur, robustißimum* » *caput obtinet, prolixæ quidẽ ceruici ad interio-* » *ra inclinatæ adnatum, coxendicisq; oßis aceta-* » *bulo exquisitè congruens.* Vniuersum *hoc ca-* » *put læue & cartilagine incrustatum uisitur: at* » *in sui medio nonnihil inferius, quàm ipsius uer-* » *ticis (ut sic dicam) centrum consistit, angu-* » *stum profundum'que & inæqualem commonstrat sinum, cui teres ligamentum à coxendicis oßis acetabulo enatum, ualidißimè implan-* « *tatur.* Ex *hac descriptione liquidò apparet os coxæ, quod est in superiore parte iunctum oßi pubis antè: ilij autem pòst, cui firmiter implantatur (ut ab eodem habetur, uocatur i-* Cap. 29. in prin. *dem etiam coxendix) habere acetabulum, quo excipiat ab inferiore parte oßis femoris caput seu appendicem, sicut aliud in superiore, quo ilij os, unde hoc præsidio coarticulationis, tum etiã ualidorum musculorum quasi immobile manet, femoris autẽ circumagitur.* Mirum *spectaculum præbet hic* Fuchsius, *dum persequitur uerba quædam* Brasauoli. Tursionem, *quem ego in* Neustria *uidi, imitatur. is enim prægrandi uastoq; corpore, non sui memor, dum lupum non satis magnum sequitur, in piscatorum manus a qua in littore destitutus incidit.* Inquit Fuchsius: Dearticulationem *iunctorum oßium* Galenus *appellat articulum, non sinum, sed ipsum caput quod sinui inferitur. & iam dixerat, articulum coxæ potius esse intelligendum, non os ipsum quod incidit & excidit. ex quo palàm est, arbitrari* Fuchsium, *qui forsan nunquam uidit anatomiam, coxam esse quæ capite intrudatur femoris cauitati, non femoris caput, quod coxæ sinui dearticuletur. Tales errores parit ardor nimius alios insectandi, qui homines excæcat.*

Meritò *autem dubitandum esset, cur natura non potius coxæ os intrusit femori, firmius futurum in tanto pondere, quàm femoris coxæ oßi?* Causa *igitur est, quoniam longè facilius sic mouetur, quàm si femori tantum pondus immineret. fieri enim non posset ut celeriter moueretur: quare homo currere non posset. at multo magis confert hoc ad motus facilitatem, quàm ad luxationem obsit. nam de firmitate postmodùm natura multis modis prospexit, ut etiam* Galenus *docet tertio de* Vsu *partium.* Dices *forsan, cur* Cap. 9. A *facilius mouetur quàm* B? Quia *quod mouetur, uicem agentis retinere oportet. at tam in* A *quàm* B *mouetur pars inferior. oportet*



igitur, quod inferitur, facilius moueri, quàm id cui inferitur: & ob id A, *quàm* B. Atque *hæc ratio naturalis est, alia Mathematica.*

Cum

Cum A imminet, nõ adeò se coaptat: sed ut faci-
lius elabitur, ita facilius etiam diuersis partibus
occursat: quare nec tanta fit impreßio in cauita-
te, nec adhæret adeò. quare nec motum impe-
dit. diuiditur enim pondus iuxta latitudinem.
Sunt & aliæ subtiliores rationes, sed difficilio-
res: de quibus nunc dicendum non est, sed ad sua
loca relegantur.

Nunc aũt uideamus quid de luxatione huius
articuli senserit Hippocrates. in lib. igitur de Oßi-
Pag. 1. bus hæc de illo scripsit: Femur foras & in an-
teriore parte incuruum est. Caput autem eius
appendix est rotunda, ex qua neruus, qui in co-
xæ acetabulo est, nascitur. Subobliquus autem
etiam hic annexus est, minus uerò quàm bra-
chium. Coxa uerò magno articulo, qui iuxta
os sacrum est, ex ligamento cartilagineo ac ner-
uoso adhæret. Et de defluxione ipsa hæc
Pag. 4. habet in libro de Glandulis: Alius morbus ori-
tur ex defluxione capitis per uenas in spina-
lem medullam: inde autem in sacrum os im-
petum facit, quò medulla ipsa fluxionem per-
ducit, & in coxendicum acetabula siue iun-
cturas deponit: & si tabem fecerit, homo mar-
cescit, atque hoc modo contabescit, & uiuere
non expetit. Statim enim scapulæ dolent, am-
boq; pedes ac crura consequuntur, & semper
tandem pereunt multo tempore curati, atque
sic deflorescit homo ac moritur. Excidit au-
tem femur quadrifariam, ut inquit Hippocra-
tes. Sed quid melius, quàm ut ipse ait, dicere
Pag. 24. possunt? sunt autem uerba eius libro de Arti-
culis: Si uerò femoris articulus ex coxa excide-
derit, excidit autem iuxta quatuor modos: in-
trò quidem sæpe, foras autem præ alijs sæpe:
uerùm in posteriorem ac anteriorem partem
excidit quidem, sed raro. Illud notandum, quòd
quanquam parerga dici poßint, diligentiæ ta-
men Hippocratis magnum est argumentum, &
ad intellectum rei facit, quod paulo pòst subdit:
scilicet femoris os esse ita coarticulatum, ut ad
genu extendi non poßit, nisi etiam ad coxam
extendatur, aut totum crus multum eleuetur.
Et similiter, inquit, inflectere articulum circa
genu non possunt, nisi superiorem articulum e-
3. de Articulis. com. 99. tiam inflectant. Quo Galenus in loco causam
perpulchrè reddit. Sed ad rem redeo. Cum igi-
tur & antè & pòst, raro etiam per uim oßis
femoris caput extra acetabulum luxetur (ut
uisum est) accidit ut luxationes, de quibus
Pag. 26. hic agit, frequentius accidant in partem exte-
riorem, crusq; breuius apparet, ut ibidem do-
cet: inde in interiorem, & inter se differunt,
quòd non tam bene ferre corpus possunt (est e-
nim grauior luxatio) reliquæ autẽ, ut dixi, gra-
uißimæ, ut etiam rarißimæ. Demiror Brasauo-
lum, alioquin oculatum uirum, duos errores hic Pag. 27
admisisse. Vnum, cum uult luxari frequentius
intus femur quàm extrà, contra Hippocratem:
alterum, cum dicit; Hippocratem intelligere de
elongatione articuli coxæ, non exitu femoris:
cum dicat Hippocrates expressè, quòd excidit
coxa: & quod clarius est, cum curam doceat in
sequẽti. Sed mittamus hæc: & doceamus, quòd
causa huius est; tum etiam generaliter cuiusque
luxationis spontaneæ, ex humidi abundantia.
Vnde ibidẽ: Multos uideas q adeò humidi sunt, Pag. 3.
ut quando uelint, articuli ipsis citra dolorem
excidant, & citra dolorem etiam restituantur.
Et paulo pòst docet, quòd hoc contingit maxi- Pag. 4.
mè, cum muccus abundet in articulis. Est au-
tem hoc proprium discrimẽ exterius luxati, &
interius, ab Hippocrate positum, quòd inte- Pag. 25.
rius luxati obliquè magis incedunt, & minus
crus eis luxatum decurtatur: exteriorem au-
tem in partem breuius habent crus magis, sed
rectius incedunt. De hoc morbo agit in libro de Pag. 9.
Affectionibus, dicens: Coxendicum morbus
cum fit, dolor corripit coxæ iuncturam, & sum-
mas nates ac coxendicem, tandem uerò etiam
per totum crus dolor uagatur. In libro etiam de
Internis affectionibus proponit huiusmodi loci Pag. 29.
morbos quatuor, contractum à sole, à bile, pi-
tuita, & sanguine. Demonstratio ergo constat
in hoc, si dolor affuit, & femur excidit, non
nisi ab muccosum humorem id cõtingere potest,
quoniam longius factum est crus: at dolor po-
tius contrahit. Atque hoc dixit, non ut in cæ-
teris, ad prædictionem solùm, sed ad cu-
ram, quemadmodum in se-
quenti.

APHORISMVS LVIII.

QVibuscunque à coxendicum dolore diuturno uexatis excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non urantur.

COMMENTARIVS.

¶ Tria hîc proponit ex priore assumpto: as-
sumptum est autem, quod afficiantur diuturno
dolore in loco illo, & quòd femur excidat ex
coxa: hoc enim idem est, seu dicas coxam è
femore, seu femur è coxa excidere: tunc

crus primum tabeſcit, ſcilicet quoniam nutriri nequit bene. Hoc etiam dictum eſt in libris de Articulis, ubi Galenus ponit duas cauſas Com.61. huius. Vnam in primo: & eſt, quòd membrum non exercetur, & ideò refrigeratur, & refrigeratum non nutritur. omnes enim operationes fiunt à naturali calore: nõ exercetur autem propter imbecillitatem, & quia emotum eſt è ſuo loco, & ob doloris metum. Dico non exerceri, id eſt, more ſolito nec motibus ualidis, nec diutur- Com. 65. nis. Altera cauſa ponitur in tertio libro: & eſt, quòd ob dolorem & imbecillitatem generantur mucores, qui coctionem ipſam impediunt. De claudicatione expoſita eſt cauſa, & eſt triplex: breuitas, exitus è loco, & imbecillitas: quo fit, ut neceſſe ſit ut claudicent. Dicit, Si non urantur. Modus uſtionis, dicit Galenus in Commento, eſt uelut in brachio. De brachio autem ha- Pag. 5. betur in libro de Articulis, et conſtat in his præceptis: Trahatur cutis ad partem, in quam facta eſt luxatio, non ex aduerſa parte, atque uratur candentibus ferramentis, oblongis, non ualde craſſis neq; caluis, ut quàm celerrimè cutem penetrent. Quòd ſi ſit lata cutis, transfodienda eſt candenti ferro, atq; etiam in medio urenda, ſic ut omnino periculum non ſit ne committantur ulcera: quod ſi cõtingeret, tamen fœdius uiſu eſſet, quàm inutile aut periculoſum. Cauere autem oportet primum, ne omnino neruos lædas (eſſet enim maxima iactura) inde, ne uenas magnas excalefacias: tertiò, ne glandulas tangas. cruſtas autem ulcerum tegere oportet, & membrũ mediocriter extendere, ſic ut ulcera & cicatrices dum coaleſcunt, non diſrumpantur: cum uerò cruſtæ ceciderint, & ulcera pura fuerint, membrum quietum, & ut pondere ſuo ſeipſum non diſtrahat, continere oportet. Et tendines quidem calefacere, ſed non tangere debemus: cutim calefacere, & tangere glandulas, ut dixi, & neruos & uenas magnas, neque tangere neq; calefacere. Aetius libro duodecimo dicit facien- Cap.3. dam uſtionem prope locum. Celſus præcipit, ut Lib.4. cap. 22. ſuper coxam fiat: non dicit, in articulo (nam hoc definitum non eſt ab Hippocrate) additq; præceptum, ut diutius conſolidatio ulcerum differatur. Paulus tamen libro tertio dicit, quòd ſuper articulum urere oportet. idem quoque repetit in ſexto libro. Et quanquam dicat, Vetuſtæ autem Cap. 77. in fine. luxationes coxæ nullo modo conſaneſcunt: intelligit, & eſt uerum, cum iam diu femur extra locum ſuum fuerit: non autem, ſi ex diuturno dolore articulus tamẽ nuper luxatus fuerit. Cap.76. tunc enim non ſolùm igne, ſed etiam alijs auxilijs, quan Cap.118. quam non adeò certè, ſanatur. An uerò hoc ſit ultimum, non ſolùm efficaciſſimum auxilium in Aphor.ult. hoc morbo, ut Celſus ibidem dicit, in fine ſequentis libri dicetur.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, IN SEPTIMAE SEctionis Aphoriſmorum Hippocratis librum ſeptimum Commentariorum,

PROOEMIVM.

AB initio cùm declaraſſem Hippocratem in exilium actum, in Lariſſea Theſſaliæ, ubi etiam mortuus eſt cum filijs ac genero Polybio, conſenuiſſe: non perperàm, ut neque alia multa, à me commemoratum eſt: ſed longo examine ex omnibus libris, quæ pulchriora erant, & non tam obuia cuiq; eſſe poſſent, extracta atque in unum collecta fuiſſe, ad exercitationis commodum non ſolùm ſuum qui ſenex eſſet, ſed etiam filiorum atque generi, tum etiam nepotum duorum qui Hippocrates ambo uocati ſunt, cum omnes medicinam exercuerint, præter primam ſectionem, quam totam continuato curſu uelut librum unum compoſuit, ac præpoſuit cum procemio totius medicinæ: tametſi Galenus aliter, ut quibuſdam qui bene hoc animaduerterant contradiceret, ſenſerit. Perabſurdè nimis, neſcio quò illud reijciens, ut neque hîc, neque in libro de Morbis, ubi maximè conueniebat, eſſe uoluerit. Sed hæc obiter: illud ex propoſito, curaſſe diligenter Hippocratem, ut hi libri, qui coronidem medicæ artis continebant, eſſent perquàm emendati. Itaq; & loca ex quibus exciperẽtur, uoluit uicem obtinere Commentariorum: quæ autem hîc ſcriberentur, poſſent memoriæ commendari. Quod non animaduertens Galenus, & Hippocratem quaſi nugacem

cem facit, & præcipuam ansam interpretationis omisit. Etenim Hippocrates cum utriusque Philosophiæ tam naturalis quàm moralis, tamē medicinæ principaliter fuerit studiosus, omnes suos libros, tres ad fines conscripsit: aut ut medicum in moribus instrueret, aut in principijs philosophiæ naturalis, aut in artis ipsius medicæ operibus. Quocirca de moribus quidem quinque conscripsit libros, uno argumento contentos: scilicet Iuramentum, de Lege, de Medico, de Decenti ornatu, atque Præcepta. In naturali philosophia quinque proposuit sibi fines. primùm, ut de omnium rerum initijs disputaret, idq; in primo de Diæta ostendens, quod & nos declarauimus, nihil corrumpi aut interire, sed omnia manere: tria quidem quòd sint elementa, terram, & aquam, & aerem, sed diuidi ac segregari: unum prorsus immortale, quod ignem seu calidum uocat, seu cœlum. quod apertè in libro de Carnibus docet, In prin. his uerbis: Et uidetur sanè mihi, id quod calidum uocamus, immortale esse, & cuncta intelligere & uidere & audire & scire omnia tam præsentia quàm futura: huius igitur plurima pars cum turbata essent omnia, in supernam circumferentiam secessit: & uidetur mihi ipsum ueteres æthera nominasse. Altera pars inferna appellatur terra: frigidum quid, & siccum, & multis motionibus obnoxium: & in hac sanè multum calidi inest. Tertia pars aeris medium locum occupauit, calidum quid ac humidum est. Quarta uerò pars proximum terræ locum cepit, humidissimum quid ad crassissimū, scilicet aqua. Vnde nos ab illo non discrepasse de elementorum numero ac substantia, quamuis tum hæc non sciremus, tum etiam de cœli qualitate satis perspicuum est. Pòst principia mortalium rerum, ex quibus hæ componerentur, docuit: atque ea quatuor, in libro de Humana natura. elementa siquidem seu calidum, frigidum, humidum atque siccum: seu quatuor humores, qui in hominibus pluribusq; alijs animalibus uicem quatuor elementorum obtinent. Nec tamen idem est huiusmodi partes in corpore animalis, & quæ his respondent in alijs mistis inueniri, atque in orbe esse elementorum moles segregatas numero, & qualitatibus similes. Ab his tota philosophia Peripatetica defluxit, adeò ut quicquid habemus traditum ab Aristotele de huiusmodi sensilibus principijs, id totum ipsi Hippocrati debeamus. At uerò tertiam compositionē animaduertit, animalibus quidem propriam, ut ex continentibus, contentis atque impetum facientibus constituerentur. Atq; in primo genere de simplicibus quidem partibus tres scripsit libros: de Ossibus, ubi etiam de neruis ac uenis egit, de carnibus ac de glandulis: de compositis autem in libro de Resectione, de locis in homine, de corde. In secundo, de Humoribus: in tertio, de Flatibus. Quintam in ordine omnium seu Quartam naturalium de origine naturæ conscripsit in quinque qui extant libris, in quibus se præstitit inimitabilem, non in omnibus, sed in duobus, scilicet de Natura pueri, & de Septimestri partu: reliqui tres sunt de Natura seminis, de Octimestri partu, et de Superfœtatione. Sexta classis est de Natura moribusq; gentium & hominum: in libro de Aere, aquis ac locis. Pòst sunt libri purè medici una in parte, sed classibus decem diuisi: atque hæ classes quatuor particulis continentur. namq; in prima, in qua tantum est una classis, duo sunt libri in quibus probat medicinam artem esse: hi sunt, de Arte, & Veteri medicina. Sed in libro de Arte medicinam probat esse artem: atque omnes qui sanantur, Medicinæ beneficio sanari. In libro autem de Veteri medicina, quomodo medica ars inuenta sit, ostendit. Secunda pars aliam classem, & ipsa solam continet. Intentum est per unius morbi qui maximè superstitioni obnoxius uidetur, omnem ex medica arte superstionem tollere atque id in libro de Sacro morbo, quamuis aliud agere uideamur. At tertia pars sex continet classes, quarum prima est de Sanorum conseruatione atque custodia. id uerò agit in duobus libris de Diæta ultimis, et de Victu priuatorum, de Alimento, de Humidorum usu. Secunda de cura generali in quatuor libris de Morbis, nec nō in libris de Affectionibus, atq; etiā de Internis affectionibus: tum etiam in libello de purgatione. Tertia est de morbis, secundum ætatem aut sexum de Dentitione, morbis mulierum & uirginum, de Natura muliebri ac sterilibus. In quibusdam horum se inimitabilem præstitit, ut in libris de Morbis mulierum, quos nec tota posteritas potuit plenè uel imitari, uel intelligere. ut nec librum de Articulis, qui ad quartam pertinet classem, scilicet chirurgicam, ad quam & liber de Medici uulnerarij munere, de Fracturis, de Capitis uulneribus, de Vlceribus, de Fistulis, hæmorrhoidibus, de Exsectione fœtus, de Visu. Quinta, est ab eo condita ante omnes, de Morbis uagantibus, quãuis serò absoluta, cõtineturq; septem libris Epidemiorum: quorū tres

solum

solùm ut scripti sunt, iacent. Quartus, quem non emendauit: primus & tertius, quos emendauit. Reliquorũ quatuor q pòst uenêre, ut carius uendereut Ptolemæo alijsq; uiris operum studiosis, quæ in secundo erant, ad sextũ transtulêre: quæ in sexto, ad secundum, ut mutuis incrementis augerentur. Forsan quæ in neutris erant, à diuersis, in secundum & sextum addita sunt, ut qui imperfecti haberentur. Quæ ratio etiam obseruata est in quinto & septimo: adeò ut si è septimo quintum detrahas, iusta magnitudine septimus euadat, qui nunc maximus præter consuetudinem habetur. Fieri potest ut is sit, in quem Hippocrates omnes obseruationes usque ad extremum uitæ congesserit. Sexta classis est de Acutis morbis, in qua non ut in cæteris alios secutus est, scilicet Cnidios: uerùm sparsas illorum sententias collegit, inordinatasq; in ordinem redegit. Quod uerò maximum fuit, errata illorum (quæ plura erant quàm dogmata) castigauit: hunc librum uocamus de Victu in acutis. In quarta parte duæ classes generales continentur. una, quæ est de Prædictione, multos habens libros: de Prædictione, Prognosticorum, Coacarum prædictionum, de Insomnijs, de Iudicijs, de diebus Iudicatorijs. In Prognosticis atque Coacis prædictionibus rursus se inimitabilem adeò præstitit, ut dicere poßimus cum Horatio Flacco:

—Ceratis ope Dædalea
Nitimur pennis.

Vltima classis est Selectorum dictorum, septem digesta sectionibus, ut dixi: ex omni congerie operum Hippocratis selecta, præter primam. Quo fit, ut cum Aphorismum aliquem alibi exscriptum inuenerimus, illinc uera sit expetenda interpretatio: si uerò nullibi inueniatur, perijsse librum illum, in quo scriptus erat, credendum sit. Velut liber de Septimanis, tum etiam alij non pauci, qui ab ipsomet recensentur Hippocrate, & de quibus suo loco dictum est. At septima hæc particula cum exigua esset, quidam repetitis alijs Aphorismis, ut non iam Aphorismi ex libris seligerentur, sed ex Aphorismis Aphorismos consarcinauêre. Itaque ne quis prætermissos huiusmodi Aphorismos admiretur, cum planè ijdem essent prioribus, quidam etiam nec perfecti: Galenus uerò cum audacter quosdam non repetitos subtrahat, demiror cur huiusmodi, qui nulla ratione relinqui poterant, tamen reliquerit. Itaque ut ad hanc usque particulam nobis satisfecit communis liber, quòd ijdem numero essent & in Textu quem Galenus exposuit, & in alio Hippocratis germano: ita in hac ipsa, quam expositituri sumus, parte, aliquos superaddere necesse fuit, nec tamen multos. licet enim post sexagesimum primum in communi numero, seu quinquagesimum secundum ex præsentibus, tres alij inter serantur in codice Hippocratis, illos tamen expunxi: & post sexagesimumquartum multi, è quibus sexagesimumoctauum & septuagesimum, atque alios quinque, tum duos qui ascribuntur à Galeno expositi, adieci. Vt Tex.19. sit omnium qui extant ex hac particula Aphorismorum summa, sexaginta quinque. Tot igitur exponemus. Horum autem omnium summa collecta est, trecentorum octuagintaquinque, qui in septem libros diuisi sunt.

APHORISMVS I.

IN morbis acutis frigus extremarum partium, malum.

COMMENTARIVS.

¶ In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre & hyeme, & ætate senili, partes extremas corporis, uelut pedes, manus, nares, aures frigidas habere, nihil absurdum. at in acutis non leue malum existit. At superius dixerat: In 4. Aphor. febribus non intermittentibus, si partes exte- 48. riores frigidæ, interiores urantur, & sitim habeat, lethale est. Melius profectò fecisset Galenus, si hunc scrupulum exemisset, quàm alios culpare expositores breuitatis in fine, cum ipse nec satis longam fecerit expositionem: nec superfluos exemerit Aphorismos: cum alios damnet, quòd id non fecerint. Cum ergo prætermittat illa interiora uri, & sitim habere: nec dicat lethale, sed malum: palàm est, alium longè hunc Aphorismum habere sensum, quàm habeat ille alter, et quàm Galenus illi tribuat. Nec modò loqui, Cum abscessus urit, interna & extrema refrigerat: uerùm loqui de hemitritæis cuiusuis generis, uelut de semitertiana in uxore Theotimi, septimo Epidemiorum. Et tertiò Pag.19. in primum de Morbis uulgaribus, habuit in textu hoc: In febre, quam semitertianam uo- Tex.5. cant, cùm morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras hæc est lethalis. Ac tabidi, & qui alijs longis morbis detinentur, hac maximè ægrotant. Et supra etiam dixerat: Non- Tex.2. nullæ

nullæ semitertianæ sunt. Et in secundo super (Tex. 16.) primum etiam in textu habuit, semitertianas fe- (Tex. 23.) bres à tertianis synceris distinctas. Et in Primo super eundem: "Febres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes: modus erat semitertianus uno die leuiores, altero grauius iterum inuadentes." Porrò non omnes febres continuas cum frigore etiam constanti, lethales esse (In primũ Epid. Tex. 28.) docuit, cum dixit: Frigebant hic multum extremitates, ac uix calor eis reuocari poterat: non tamen dixit quòd omnes interirent. Vo- (Cap. 8.) cat autem Galenus in libro de Morborum tem- (Cap. 7. in princ.) poribus τριταιοφυεῖς. Cum uerò in secundo de Febrium differentijs constituisset quatuor species hemitritæi, ex mistione biliosæ febris cum pituitosa, scilicet continuæ pituitosæ cum continua uel intermittente tertiana, & intermittentis rursus pituitosæ cum intermittente aut continua tertiana: solùm deinceps (Cap. 8.) Hippocratem uult intulligere per febrem horrificam continuam semitertianam, quæ fit ex continua quotidiana cum tertiana intermittente. eam uerò quæ ex duabus intermittentibus constat, non uult esse hemitritæum, quòd non sit continua. Rectè inquam fecisset, si duos modos difficiles, ex quibus postea nemo se explicuit, dissoluisset: & Agathinum seu nugantem, ut ipse ait, seu recta dicentem, omittere, cum utraque ratione esset omittendus. Primus, cur non febrem ex atra bile his miscuit? fuissent enim duodecim species, non tantum quatuor. Quòd si ex duabus intermittentibus non poterat fieri uerus hemitritæus (nunc de nominibus non pugno: scio enim, illas febres hemitetartæos potius esse nominandas) saltem nouem species fiebant. Sed etsi tres illas, in quibus utraque continua est, eximere uelis, quòd horrificæ non sint: erunt saltem hemitritæi seu hemitetartæi, seu compositæ febris, seu malis appellare asinum, non curo, sex asinorum species. Alter modus, cur tertiana continua cum intermittente esse non poßit? Atque itidem dico de febre ex atra bile aut pituita, ut futuræ sint nouem omnino compositarum ex continua & intermittente species. Omitto modò alias tres species, quas imaginari licet, cum sanguineam febrem intermittenti coniunxerimus. Talia quæ ad artem pertinebant, docere præstitisset, & non in infinitum cum Agathino iam mortuo ad fastidium usque, & absque utilitate certare. Sed eos libros iuuenis ualde, atque fermè ante omnes alios conscripsit. at nos de his suo loco dicemus: neque enim omnia cuique loco congruunt. Sed ad contradictiones nunc, quantum est opportunum dicamus: Hippocrates in primo Epidemiorum hæc habet: (Pag. 6. in const. temporis 3.) "Plurimi autem quarta die maximè laborabant, & sudores plerunque subfrigidi, extremitates ad calorem non redibant: sed liuidæ erant & subfrigidæ, & neque sitiebant." Hæc autem exitialia signa, & moriturorum iam dixerat, ut in summa omnia colligamus, frigus extremorum bifariam lethale est; uel cum fuerit cum æstu maximo interiorum uiscerum, & siti: uel cum fuerit cum sudore frigido, & liuore eorundem. Aliter licet non sit lethale in acutis, semper tamen est malum, & tunc distinguere oportet: nam si sit in omnibus extremitatibus, & non perseueret, pathognomicum est signum febris compositæ, cuius etiam meminit Galenus primo ad Glauconem: & iu- (Cap. 5.) dicium est iuxta naturam febris. nam si quartanis circuitibus affligat, aut exacerbationes sint quartanæ, quod deterius est, lethale est. Sin singulo die, malum ualde: si autem alternis diebus, minus exitiale. Cum uerò fuerit sine siti & magnis symptomatibus, & superiora multùm calescunt, & inferiora refrigerantur solùm: tunc est signum breuitatis morbi, quia significat materiam tenuem, quæ rapitur ad superiora cum pauco calore naturali, & facilè exoluto: quæ cum adsint, res non uacat periculo, & ideo est etiam signum malum. Ex hemitritæis autem, qui fit ex continua pituitosa, & tertiana intermittente, leuißimus est. Post hunc est, qui fit ex continua pituitosa & quartana intermittente, & est tabificum genus febris, & occidit per hydropem, ex se tamen non est admodum lethalis. Qui fiat ex tertiana continua, & quartana uera, rarißimus: & rarior etiam quàm ex quartana continua, & tertiana intermittente, qui ualde malus est, & plerunque perimit. At ex continua tertiana & quotidiana uera non frequens est, quoniam si pituita potuit expelli, cur bilis retinetur? accidit tamen, & est deterior primo: cæteris ut frequentior, ita mitior. Ex continua etiam biliosa & intermittente, qui accidit, nomen

men non habuit, quandoquidem tertianæ extensæ sit simillimus: sed tamen longè grauior, atque huiusmodi etiam in alijs. Sunt autem mediæ febres inter mistas & simplices natura & periculo. Decet autem maximè frequentes obseruare, & sunt, pituitosa cõtinua, & biliosa intermittens: inde contraria, continua biliosa, & intermittens pituitosa: pòst, singulæ continuæ cum suis intermittentibus, è quibus biliosa, inde pituitosa aliquando uidentur: tertium genus nondum uidi. Inde quartana continua cum tertiana, quod frequentius est: aut quotidiana intermittente.

APHORISMVS II.

In osse ægrotante caro liuida, malum est.

COMMENTARIVS.

¶ *Quid mirum, si caro liuida est signum ægrotantis oßis, si ægrotans os efficiat carnem liuidam? Sed intelligit per os ægrotans solùm læsum, non corruptum. Putrescentis enim oßis caro liuida, signum est pathognomicum. Dicebat in libro de Fracturis, loquens de oßibus discessuris:* Pag.14. „ *Quorundam superna pars denudatur, quorundam carnes circumcirca mortificantur. Contigit, ut inquit in septimo Epidemiorum,* Pag.10. „ *Phaniæ Euergetis filio, ut liuefactis oßibus & febricitanti cutis ab osse discederet, & pus subtus depascebatur: et dum perforaretur, egressa est sanies ex ipso osse tenuis, serosa, subpallida, graueolens. Ex quibus (licet extra propositum uideatur his qui non exactè assequuntur à nobis dicta) intelligitur, cum os corrumpitur, cutim & carnes liuescere, aut separari: cum uerò corruptum abscedit, succrescere bonam carnem. Sed ut facilius rem declarem (plures enim sunt indocti quàm docti) omnis liuor in carne fit ex extinctione naturalis caloris, is uel in toto uel in parte extinguitur: si in toto, mortem significat: si in partè, cum præsupponatur non contusa caro, (aliter non ex osse, sed contusione liuesceret) significat os putrescens. at hoc est malum: igitur utrouis modo malum est. Os enim putrescens uel abscindere necesse, uel eximere oportet. licet autem os malè affici ex causis alijs, nec tamen putrescere discissum, fractum, perforatum, collisum, loco motum, desquammatum, teredine uitiatum, nudatum membrana integente, exustum, nimio plus refrigeratum.*

APHORISMVS III.

A Vomitu singultus & oculorum rubor, malum.

COMMENTARIVS.

¶ *Si causa quæ morbum soluere consueuit, illum irritat, malum est: uelut fluxus febrem aut cruditatem, tremor delyrium: aut contrà, uomitus singultum. Singultus ergo cum similis sit affectus (non dicam conuulsioni in toto, hic enim error est Galeni: accidit enim toti distentio, non conuulsio) conuulsioni in cerebro, uel inflammationem uentriculi, uel nimiam ex uomitu uacuitatem, aut cerebri phlegmonem significat. At oculorum rubor non ex simplici inanitione fieri potest: reliquum est ut existimemus, aut inflammationem uomitus & singultus causam fuisse, cum in uentriculo fuerit: aut ex longo uomitu & uiolento affectis neruis sexti paris inflammationem in cerebro (non dico propriè appellatam, id est abscessum, sed feruorem absque tumore) excitatam: aut quod reliquum est ex inflammatione cerebri uera, uomitum, singultum, & oculorum ruborem excitatum. Sed hic modus febrem, cuius non meminit, præsupponit, uelut etiam uentriculi phlegmon. Ex quatuor igitur causis tribus euersis, phlegmone cerebri, uentriculi, & eius nimia uacuitate: reliquum est ut dicamus ob nimiam conturbationem uexatis partibus uentriculi, & neruis ad eas uenientibus, cerebro concalefacto, & singultum, & in oculis ruborem superuenisse, quod malum est, & conuulsionis indicium. Dicebat in Coacis prædictionibus:* In meracis uomitionibus singultus malus, similiter & conuulsio. Pag.25. „ *Loquitur de inflammatione, quæ fit propter uiolentem motum. nam ad uomitum concurrit solùm tunica exterior uentriculi, cum suis fibris (caret enim musculis uentriculus) ad deglutitionem trahit, etiam gula & grauitas cibi & potus ad descensum iuuat: unde pronus sinus conducit ad facilem uomitionem. Cum ergo meraca sunt quæ uomuntur, difficilius mouentur, & sua qualitate praua etiam uexant uentriculũ: & ideo si singultus accidiat, malum est. Quod uerò ibidem dicitur,* Pag.24. *Ex uomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem lanuginosam habentes, furiosa, uexationem ab exusta bile hoc significat, & inflammationem cerebri, ut diximus. Porrò consensum cerebri & uentriculi, superius alio exemplo explicauimus.* Par.6. Aphor.48.

APHORISMVS IIII.

A' Sudore horror, non bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Signa decretoria quæ non decernunt, mortem aut morbi longitudinem ſignificant: ſecun-* Sec.1. *do Epidemiorũ. Sudor eſt ſignũ decretoriũ: horror ſignificat nõ decreuiſſe, ſed manere materiã, quæ febrẽ facit: igitur ſudor aut mortẽ ſignificat, aut morbi lõgitudinem. Quare ergo non dixit, Malũ: et nõ, Nõ bonũ? quia cõtingere poteſt in duplicibus tertianis, cũ finẽ unius acceſsionis, alterius initiũ excipit. tunc enim malum nõ eſt, quia decernit pro primo morbo: non eſt tamen bonũ, quia tantũ mali oſtendit ſuccedens acceſſio, quantũ boni præcedens quæ ſoluitur. Quare liquet, Galenũ nõ exponere Hippocratem, ſed expoſitoris fingere perſonã. Accedit, quòd nõ oportebat dicere, A' ſudore horror: ſed ſufficiebat, A' ſudore febris nõ ſoluta. cum enim dicat horror, aliquid maius indicat. Sedenim neq; illud perſpicuũ eſt, an uelit ſudorẽ cõtinuò ut horror ſubſequatur, uelut uerba ſignificare uidẽtur: an iuxta rationẽ dictũ ſufficiat, quod poſt duos aut tres dies horror ſubſequatur. uelut in Epicra-* Languẽs 5. *tis uxore, primo Epidemiorũ: et in Cherione, ter-* Languens 5. Primę narrationis. *tio eiuſdem. nam omnino & id uerum eſt in his. ſed uidetur aliquid plus ſignificaſſe Hippocrates, nec exẽplá ſunt adeò huius frequentia, ut in prio-* Languens 6. ibidem. *re. Euryanactis filia poſt ſudorem in ſeptima à iu-* Languens 12. ibidem. *dicatione riguit nonmultũ, inquit Hippocrates,* Languẽs 1. *& mortua eſt poſt hæc nona die. Expreſſum exemplũ habemus de muliere, quæ in Mendaciũ foro decũbebat, de qua ait in undecima: Sudor, rigor. ea autẽ mortua eſt in quartadecima. Rurſus in ſecundo ordine ægrorũ de Pario in Tha-* ›› *ſo dicit: Vndecima ſudauit nõ per totum: circum* ›› *friguit, uerùm breui rurſus incaluit. Cõſtat eum cẽteſima uigeſima die perijſſe. Itaque uidetur mihi Hippocrates per illud Non bonũ, potius uoluiſſe aliquid maius ſignificare, quàm per Malũ: id eſt, nihil prorſus boni hoc habet, nec quicquã continet in ſe uel utile uel ſpei. quod etiam ratione docetur: nam contrariũ contrario ſuccedere, et maximè frigus ſudori, cũ iam aperti ſunt meatus cutis, magnam naturæ perturbationẽ atque iacturam affert. Si enim ſolum febrem manere poſt ſudorem, mortem aut morbi longitudinem ſignificat: quãto magis, ſi horror ſuccedat? Indicat & hoc ratio. nam horror ſuccedens alijs euacuationibus, tametſi malus ſit, non tamen adeò malus eſt, ut in multis ægris uidere licet, maximè primo Epidemiorum. Et ſpecialiter uirgini illi in Lariſſa, tertio eiuſdem, cui in ſexta contigit flu-* Languens 12. ibidem. *xio ſanguinis copioſa è naribus, inde rigor, et tamen cõualuit ſtatim. Quod ſi dicas Nicodemum* Languens 10. ibidem. *in Abderis die uigeſima multũ ſudaſſe, inde eadem die horrore correptum etiã deliraſſe, & tamen in uigeſimaquarta iudicatũ: Dico, quòd fuit febris intermittens. unde etiã dicit, Viſus eſt ſibi à febre liber eſſe. Et etiam dicit, quòd exacer-* ‹‹ *bationes erant in diebus paribus. & ideo illa fuit* ‹‹ *dies acceſſionis, quia par: & ſudoris, quia indicatiua. ſudauit enim in uigeſimaquarta ſudore copioſo: præterea horruit, ſed non riguit. Quid uerò dicendum de indicatione, de qua toties Galenus, maximè ſecundo de Diebus creticis, ſuper* Cap.5. *uerbis illis memoria dignis Hippocratis primo Epidemiorum: Quum dolores poſt iudicationẽ* Conſtit. 5. ſeu pag. 5. ab initio. *fierent, & urinæ tenues prodijſſent, parum ſanguinis profundere cœperunt: uerùm circa quartam & uigeſimã abſceſſus ad ſanguinis eruptionem fiebant Antiphonti Critobuli filio. quæ ſedata eſt, & perfectè indicatus eſt circa quadrageſimam. Si ergo indicatiuus ſudor appareat in undecima, ut per ſudorem copioſum iudicari debeat in quartadecima, & ſit febris ſemitertiana, cuius acceſſio incidat in undecimam diem: rigor ex ordine morbi ſuccedet ſudori, & nihil abſurdum ſignificabit. propterea dixit, Non bonum: ut utrumq; ſignificaret ſub una ratione, ſcilicet nũquam hoc eſſe bonũ, quia nihil cõtinet boni: quãdoq; aũt lethale eſt, quãdoq; neq; malũ. hæc aũt declarata ſunt ab Ariſtotele in Categorijs.*

APHORISMVS V.

AB inſania difficultas inteſtinorum, uel aqua intercutem, uel mentis alienatio, bonum.

COMMENTARIVS.

¶ *Tres magnos morbos proponit, in quos ſi cõuertatur inſania, bonũ eſſe dicit. Quærat forſan quiſpiam, quomodo bonũ dici poſsit morbis lethalibus, tum maximè cũ dicat Hippocrates in libro de Affectionibus: Cũ morbus unus alteri* Pag.7. *ſuccedit, plerũq; occidit. Propterea ſciẽdũ, quòd* ‹‹ *tribus modis morbus morbo ſuccedit: uel caſu* ‹‹ *quodã, & tũc ſemper malũ eſt, quoniã uirtus afflicta iam eſt. Dico, cõparando ad ſecundũ morbum, cum per ſe oritur: uelut colica ſuccedens fluxui, deterior eſt quàm quæ per ſe oritur, data æqualitate in cæteris. Secundus modus, cũ morbus morbo ſuccedit prauitatis ratione, ut ſuprà uiſum eſt in aliquot exemplis: ut cum melancholiæ ſuccedit apoplexia: & qui gibbi, ex aſthma-*

te: & morbo regio laborātibus, durities epatis. Et in sequētibus: A pituita alba, aqua intercutē: & rursus ab alui profluuio difficultas intestinorū. Tertius modus est, cū fit per uiā crisis imperfectæ, aut quia humoris qualitas permutatur in melius, ut hic depulsa atra bile ad intestina fit intestinorū difficultas: ad iecur aqua intercus, transmutata in frigidius temperamentum, mentis alienatio. ἔκστασις, ἀπὸ τοῦ ἐξίστασθαι: quod est, extra seipsum esse. μανίαν dicimus insaniā Græcè. Græci μανίαν unde appellent, non facilè dixerim: eam tamen ipsam distinguimus nos melius quàm illi. hanc enim insaniam, quæ iuncta stulticiæ patet latius, à furore distinguimus. Græci uolunt illi quidem, sed parum ualent uerbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν illi uocant, quasi atra bili solum mens, ac non sæpe uel iracundia grauiore, uel timore, uel dolore moueatur. quo genere Athamantem, Alcmæonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum rerū suarum esse uetāt duodecim Tabulæ. Itaq; nō est scriptū, Si insanus: sed, Si furiosus esse incipit. Stultitiam enim censuerunt, id est inconstantiā sanitate uacantē: posse tamē tueri mediocritatē officiorū, & uitæ cōmunem cultum, atq; usitatū: furorē aūt esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatē. quod cū maius esse uideatur quàm insania, tamē eiusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Reliquū est ut uideamus, cur morbi per se lethales, succedentes alijs morbis, uia crisis sanari possint. Et dico quòd causa est, quoniā materia illa iam exicta fuit: & licet trāsmittatur ad membrū nobile propter cōsensum, tamē & antequā figatur, expellitur à natura. Fallitur aūt Galenus, qui putat fieri aquā intercutē ob atram bilē in iecore (esset enim lethalis omnino) sed fit ob malā temperiem relictā in iecore, propter transitū atræ bilis super illū: & hæc est magna clauis in actu medēdi. nā nō solūm hoc, sed multos uidi infantes, qui in extenuationē corporis uenerūt ob morbū comitialem, & tamen sanati sunt: quia non fuit ob retentionē illius materiæ (perijssent enim) sed ob transitū: adeo sanati sunt à nutrientibus & calefacientibus atq; humectantibus, nec indiguerunt purgatione.

6.Aphor. 54. — 6. Aphor. 44. — 6.Aphor. 40. — 7.Aphor. 53. — 7.Aphor. 54. — Tusculana 3. pag. 5.

APHORISMVS VI.

IN morbo diuturno fastidiū cibi, & deiectionis sinceræ, malū.

COMMENTARIVS.

6.Aphor. 3. ¶ Dictū est in superioribus: In lōgis difficultatib. intestinorū cibi fastidia, malū: et cū febre, peius. Ibi speciem addit morbi, scilicet difficultatē intestinorū: hic addit aliud, deiectiōes sinceræ. neq; enim separatim intelligendū est, tum quia superfluus esset Aphorismus sextæ Particulæ. nā si fastidiū cibi est malū in omni morbo diuturno, quis dubitat quin in longa difficultate intestinorū malū nō sit? tamen quia nō solet Hippocrates hoc modo diuersa signa cōiungere (essent enim duo Aphorismi) sed alio sermonis genere utitur: ut in eo Aphorismo, Lac dare caput dolentibus malū, malū uerò & febricitātibus. Oportebat igitur Galenū hæc duo signa in unū cōiungere, & nō separatim rationē reddere. nā sinceras deiectiones appellat, quæ nihil habent humidi (ut ita dicā) utilis secū. Meracæ egestionis sæpius meminit in Coacis prædictionibus. ut cū dixit: Viscosa meraca aut alba alui egestio, mala est. Et paulo pòst: Egestiones desinētes in spumosas meracas, oēs quidē exacerbant: cōuulsos aūt, etiā ualde. Ex talibus abscessus iuxta aurē emergūt: at quæ ualdè liquidæ fiūt, & rursus cōpactæ, meracæ stercoraceæ egestiones, longitudinē morbi significāt. Inde illud etiā: Alui egestio pura superueniēs, soluit febrem acutā cū sudore. In tertio Porrhitici habet rūrsus, quod dictū est in Coacis: Syncerae desistentes purgationes, alibi quidē exacerbātes: his uerò & ualde si fuerint, ex talibus parotides exurgūt. Antea quidem, ut (his) referatur, dixerat: Vrinæ deterio, & quib. rigores, ex his & cōuulsiones. Vbi patet, quòd Galenus per sinceras, prauas exponit, quæ postmodū in mites desinere possūt, sed cessantes antè quàm debeāt: cōuulsos quidē magis exacerbant, quàm reliquos, omnes tamē exacerbāt, & in parotidas desinūt, cōsensu earū partiū, ut aliàs dictū est, cū aluo. Et illud etiā secūdo Epidemiorū: Fines in meraciora desinētes, putrefactionē significāt, uelut Dexippo. Ex his cōiectari facile licet, uerum esse quod hic & infrà dicit Galenus: & partim, nō adunguē sic debere intelligi, sed per sinceras et meracas egestiōes, quæ sunt omnino sine humore, nō solūm alio, sed et prorsus sine fece. Et cū dicit meracas stercoraceas, contrario modo, quæ prorsus sunt sine humore. Constat enim tales longitudinem morbi significare, cum nihil euacuetur eorum quæ illius sunt causa. Sensus ergo est: Meracæ deiectiones corruptionem humorum significant, qualem ut in primo de Venenis. Nam si ex sola putredine ichorum humores descenderent, cum ichoribus essent permisti, quippe solum supercalefacti: cum ergo mera descendant, humor corruptus est: qui si nō resolutū sit humidū, uehementer fœtet, ut in colliquatis: sin uerò humidū exhalauit, haud fœtent,

Quinta Aphor. 61. — Pag. 27. 28. — In ultimis uerbis. — Tex. com. 18. — Tex. 17. — 4. Aphor. 28. — Sec. 2. in princ. Aphor. 25. — Cap. 7.

tent: ut ibi dedimus exẽplũ de carie ligni. Cum ergo ad tantam peruenerint corruptionem humores, ut quo tempore maximè ob morbi longitudinem corpus indiget cibo, cibum fastidiat: euersam ob corruptionem non solùm functionẽ, sed etiam facultatem significat: quocirca et morbum esse lethalem, plusquam malum. non tamen pronunciauit lethalem absolutè: quoniam ratione speciei morbi fallere id potest.

APHORISMVS VII.

EX multa potatione rigor & desipientia, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd in præcedẽti Aphorismo animaduertere Galenus debuit, eò usq; distulit, scilicet ut in hoc Aphorismo primùm intelligeret, duo signa simul cõplecti ad pronunciãdũ de periculo. differunt hæc à præcedenti, quòd hæc soleant à cõtrarijs fieri causis, rigor inquã à frigore, & est medius inter horrorẽ & tremorẽ, ut docuit
Pag.12. in primo de Morbis: Tremor enim ab extremo, horror ab exiguo, rigor à magno fit frigore. Desipiẽtiæ autem, id est, repentina delyria à calore omnia fiũt. Cũ ergo utriusq; causa sit una ebrietas, docet nos nõ hoc solùm, sed quotiescunq; ab eadẽ causa duo fiũt cõtraria, prauaq; symptomata, malũ significare. nã unũ per se fit: aliud non, nisi succũbẽte natura, necessariò accidit, ob idq; malum indicat. Propterea philosophus de hoc
Prob.1. tertia Problematum querit, cur multa potatio uini primùm frigus pariat, cum uinum calidum sit? Respondetq;, quòd humidum plurimùm non calefacit, sed sponte refrigeratur, ut sudor ex ueste calida cũ plurimus fuerit. Ergo cum ob multitudinem à calore naturali uinci non possit, ad naturam suã, qualem habet antequam hauriretur, redit: sicq; totũ corpus refrigerat. atq; hæc est una
Cap.3. causa, quam solam uidit Galenus tertio de Temperamentis. Per alia enim uerba idem explicat dicens: Proinde nec uinum ipsum semper calefacit animal, æquè ut nec oleum flammam accendit, tametsi aptissimum sit ignis nutrimentum: imò, si imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, suffocabis eam, prorsusq; extingues potius, quàm augebis. Sic igitur & uinum, ubi plus bibitur quàm ut uinci possit, tantum abest ut animal calefaciat, ut etiam frigidiora uitia gignat. Differt aliquantisper hæc ratio à Philosophi ratione: sed quanto differt magis, eo est absurdior. neque enim par exemplum est de oleo extinguente flammam, quia illam suffocat: & de uino in corpore nostro, quòd non nisi quia frigidum, refrigerare potest, non prohibere respirationem & exhalationem, ut oleum in igne sanus mente dicat? At de uino loqui Hippocratem hic, planum est, cum addat desipientiam. illa namque ab aqua nunquam fiet. Intelligitur autem non solùm de uino, uerùm de omnibus quæ inebriare possunt potibus, à nobis in libris de Subtilitate descriptis: scilicet ʒetho, mi- lib.8.
gnol: & destillata aqua è granis segetum, ut oriʒa, maximè cum uino quod ex palmarum fructibus conficitur, potione ex oriʒa & Scotorũ hala, itèm potu illo quod è floribus ericæ conficiebant, tum alijs multis. neque enim numerus talium assignari potest. Sed maximè omnium uinũ, & quod destillatione è granis conficitur, inebriare potest, & huiusmodi parere symptomata. & de his etiam propriè Aphorismus intelligitur. Sed, ut dixi, Philosophus, cum hæc de causa Probl.6.
frigoris dixisset paulo pòst, cur etiã rigorẽ idẽ potus pariat, qui est frigoris species, quærit: eãdẽq; reddit causam, quã de frigore: immeritò tamẽ sugillatur à Brasauolo, tũ de hoc, tum etiã de his quæ nunc subijciã: cũ non eadem quæsierit, sed in uno de frigore, in alio de rigore, & in alio de tremore. Quamuis de tremore duo problemata Prob.5.
conscripserit, atq; in posteriore quædam etiã addit. Proponit ergo in his tremoris causas alias Probl.25.
duas quàm prius, sed ita, ut nõ de quantitate multa, sed potius de ui loquatur. Harum altera est, quòd calor uini extinguit calorem naturalem, sicut sol flãmam, cũ sint alterius generis: altera, quòd uinũ potens consumit humidum, tenue, copiosum, quod est fomentũ caloris naturalis: atque ita refrigeratur corpus, sicut in senectute & à ueneno: ita si sit multum, erunt tres causæ cum prima. In secundo aũt Problemate præsupponit, multum & potens esse uinum: res uerò eò tendit, ut secundam causam & tertiam approbet, quoniam de potenti uino loquitur. Sed cum non sit hic locus ut de his agamus, nisi quantum satis est: dico quòd desipientia fit supercalefacto cerebro, rigor refrigerato corpore: quod si uel ob motum sanguinis fiat, quod minus est detrimentum, seu extincto innato ob abundantiam præternaturalis, magnum malum est.

APHORISMVS VIII.

A tuberculi intus ruptione, exolutio, uomitio, aut animi defectio fit.

COMMENTARIVS.

¶ Tuberculũ quid sit, in secũdo libro docui- Com.15.
mus: hic tria sub diuisione & quasi alternando

pponit. Cũ tuberculũ rũpitur, exolutionẽ, quãdo materia ad cor fertur, aut tuberculũ fuerit magnũ. propter uehementẽ enim expurgationẽ ac repentinã, uires exoluũtur. At si mediocris fuerit, aut uiolẽta disruptio, animi fit sola defectio: sed si in locis iuxta uentriculũ, & etiã in caua iecoris, redũdante sanie, uomitus fit, nõ tam saniei q̃ eorũ quæ in uẽtriculo cõtinentur. Nã si tubercula solũ quæ in uentriculo sunt, uomitus consequeretur, rarißimi omnino uomitus appareret. In quo etiã differat exolutio seu syncopis ab animi
1.Par.23. Et 2.41.
defectione, in alijs locis uisum est. Appellat aũt tuberculũ φῦμα, quod uerius dixisset ἐμπύημα, id est suppurationem, dicit Galenus. Sed &
Sec.4.
quãdoq; tubercula rũpuntur, uelut sexto Epidemiorũ. absq; suppuratione, & nihilominus sequũtur magna detrimenta tũ, uel pòst. Experimento aũt cũ didicerit ita esse Hippocrates, uidẽdũ est, an in methodũ aliquã redigi poßit hæc doctrina: siquidẽ ita euenire cõstat, et quàm minus mirũ tũ etiã, sæpe ruptis externis tuberculis homines animo linquãtur. Ergo si prope magnã cõcauitatẽ frãgantur, uomitũ excitare solẽt: si in intimis et circa cor, exolutionẽ: si remotius, animi delinquiũ. Illud animaduersiõe dignũ, quòd animi de-
2. de Morbis pag.2.
liquiũ iuxta Hippocratẽ non fit, nisi cõmunicato detrimẽto cerebri ipsi cordi. Quòd si animi deliquio obscuritas oculorũ accedat, dicebat Hippo-
Pag.9.
crates in Coacis prædictionib. cõuulsionẽ sequi: quod uerißimũ, ubi post animi deliquiũ ea obscuritas maneat, aut antecedat. nã semp comitatur.

APHORISMVS IX.

A'Profluuio sanguinis desipientia & conuulsio, malum.

COMMENTARIVS.

5.Partic. Aphor.3.
¶ Scriptũ est suprà: Vbi sanguis multus fluxerit, singultus aut cõuulsio superueniẽs, malũ: ita ut uideãtur ijdẽ, cõmutata desipiẽtia in singultũ. Duo igitur sunt explicãda: primũ, cur repetierit de cõuulsione: secundũ, id quod ad desipientiã attinet. Dicebat ergo Galenus in Cõmento, quòd hic Aphorismus utilis est ad intelligendũ, quòd desipientia aliquãdo fit ex defectu, uelut & tremores manuũ & pedũ. dicitq; eße desipientiam hãc, mediocrẽ insaniã, qualis in delyrio. Nã insaniã mediocrẽ, id est παραφροσύνην μέτριον, appellare Hippocratis solet ληρώδην, id est, delyriũ. Vt uerò cõiũctum legatur, Galenus suadet:
Com.6.
quod suprà etiã docuimus. atq; ita à superiore differt, in quo pro (&) ante legitur. Malũ igitur est: ac si dicat, ualde malũ, imò propè lethiferũ. Est enim mos Hippocratis, cũ se referret ad superiora. Si enim conuulsio sola ubi sanguinis fluxerit multitudo, malũ est: si cõuulsio accedat, peßimũ erit. Vel sine distortione uerborum ac sententiæ Hippocratis, distingue, αἵματος πολλοῦ ῥυέντος: quod est, à sanguinis effluxu copioso, ab ὑπὸ αἵματος ῥύσει, quod est, à sanguinis profluuio: ut nõ supponatur hic iã effluxus factus, sed fiens: ideo indiget desipiẽtia & cõuulsione, ibi iam factus altero eorũ, scilicet singultu aut cõuulsione. At dices, Cõuulsio hæc nõ ne erit ex inanitione, ideo p se mala? Dico, nõ necessariò. poterit enim ex cõmotione fieri: at ubi iam effluxerit, non ita. Sed iã ostẽdamus, quomodo ex defectu fiat desipiẽtia. Fuchsius grauiter peccat, putãs ob siccitatem id accedere. cõstat enim, nullã desipientiã facilius curari, quàm quæ ex effluxione sanguinis. epoto enim uino aut ptisana statim resipiscit, ut etiam si fuerit ex inedia. At affectus ex siccitate, difficillimi omnes sunt. Neq; etiam in hoc Galeno consentit, qui cum exemplum afferat de pedũ & manuum tremore, nihil adducit simile siccitati: imò uerò causam docere non est ausus.

Verùm nil mirũ: quippe quòd nõ nisi altißimis ex principijs id poßit intelligi. Vt ergo à Prisciano Lydo habetur, internæ facultates animæ, quas Galenus rectrices uocat, tres sunt, omisso intellectu q parũ cõsideratur à medico: Memoria, ratio, & uis imaginãdi, quã phãtasiã Græci uocãt. Cõmunia sunt duo singulis earũ: unũ, ut sint in actu primo & secũdo, quod etiã dicit Aristoteles secũdo de Anima: & quod unaquæq; ad actũ secundũ uenit, uel ex imaginibus prius seruatis, & ex primo actu, uel ex imaginibus à sensibus ad animam nuper uenientibus. Quæ igitur per sensum fit cognitio, dũ sensus spiritibus abundãt & ex se & ex iudicio interiore, distinguitur falsa species à uaporibus repræsentata, & uana à uera, quàm efficiunt sensilia: ideo si spiritus desint, uacuusq; sit sensus, uapores imaginem sensiliũ animæ referũt. ob idq; homo fallitur: ut appa ret in uisu, postquã uires uel lõgo morbo aut inedia supflua, aut sanguinis euacuatiõe defecerint. At hũc sentiẽdi modũ, in quo sensus ipse decipitur, Galenus refert in nimis exquisitã sentiendi uim, primo de Symptomatum causis. quod quomodo intelligi debeat, non satis perspicuum est. Fit enim sensus error, deficiẽte spiritu. At forsan excusari potest, q illa exquisita sentiẽdi natura principiũ quoddã sit, ac quasi materia sensus falsi, non ipse sensus, nec eius causa plena. Etenim ad sensus deceptionem duo modò, modò tria requiruntur, pro ut duplex est falsus sensus.

In libro super Theophrastũ de Sensu & phantasia, Cap.1.

Ca.2. post medium.

Primum

Primum est uapor, qui sub imagine sensilis mouet sensum, in oculo quidem ut rei uisæ: quemadmodum etiam & nubes, diuersas animalium dū sunt in aere, imagines referunt: & in auditu sonorum, & in olfactu odorum. nam reliqui sensus nō adeò ex quibusq; falluntur, quòd inati nō obuiēt huiusmodi uaporibus. olfactus enim exigit, ut uapor in illius instrumentum incumbat: & gustus etiam, cum præter id latitet in abdito. Priores autē tres sensus omnino etiam procul sentiūt: & ita etiam falluntur, quasi procul sentiant. Secundum est, ut spiritus sit exiguus atq; uis in oculo, ut non possit discernere falsum sensile à uero: & tunc fallitur sensus exterior. Quòd si sensus interior uigeat, non fallitur homo, sed exteriorem sensum solum falli dijudicat. Atq; id non iam est delyrium, sed sensus uanus. Quòd si cū hoc etiā imbecillis sit interior sensus, iam falsum sensum pro uero existimat, & deceptus delyrare homo dicitur. Cum igitur ex euacuatione sanguinis superflua contingere possit, ut & sensus exterior, & ut interior uiribus destituantur: apparet etiam, quomodo ex illa hac prima uia delyrium contingere possit. Sequitur secundus modus longè difficilior, dum ex imaginibus iam seruatis, & ad mentem reuocatis delyrium fit. Nam seruari imagines in memoria, inde ad actū deduci, patet in nobis, dummodo nil cogitamus de carminibus Vergilij, quæ iam didicimus: inde, cum de illis cogitamus ac recitamus: atq; in huiusmodi iam manifestum est discrimē, cum idem eodem modo ex actu primo ad actum secundum deducatur. At enim esse hunc actum primum aliquid liquet: quia quæ didicimus, dum uolumus, recitamus: quæ non didicimus, non possumus. At in alijs duabus facultatibus, actus quidem primi & secundi discrimen est manifestum: at assumptio specierum dubia est. quidam enim existimant, imò plerique, ex memoria cuncta sumi: alij ex propria ui, ut imagines quibus uis imaginandi utitur, in ipsa facultate imaginandi repositæ sint: hoc præcipuè argumēto, quòd multi qui memoria parum ualent, promptè tamen imaginantur. atq; id melius est, atq; conuenientius, quàm duo genera memorabiliū constituere, quòd necessarium est his qui has imagines in memoria collocant. At facultati quæ ratiocinatur, non est necessarium imagines ullas proprias tribuere: quandoquidem uel inter ea quæ imaginati sumus, iudicat, uel quæ non sumus imaginati. Est enim ratio iudicium. uelut si dico, Homo est iniquus, uult me decipere: ratio iudicat, uel quòd connectuntur, uel quòd non. Non est igitur aliud ratio, quàm iudicium. Quòd si obijcias, aliquos ratione ualere, qui malè iudicent (hoc enim in hominum opinione communiter institum est) uerum nō est omnino: sed quos in ratione ualere putas, hi celerem habent cogitationem, sed nō bonam. Aliud enim est, equum esse celerem, & securum in ambulando: & aliud est, oculum prospicere longius, & exquisitè uidere. Dicas igitur, rationem & iudicium idem esse proculdubiò, nec indigere imaginibus seruatis in propria facultate, sed in memoria uel φαντασίᾳ habere tamen utrumque actum: primum, cum potest, sed non operatur, uerùm quiescit, ut in profundo somno: secundum, cum operatur cogitando. His sic acceptis, bifariam etiam ex inanitione delyrium ab interna causa contingit: nam sumptis imaginibus ab altera facultatum, perperàm connectit quæ separata sunt, aut separat connexa proprijs destituta uiribus: atq; ita iudicat, filium, quòd habeat gladium, illum uelle interficere. Nam iudicat id rectè, quòd qui gladium habet, interficere potest: sed ob imbecillitatē nō rectè iudicat, quòd filij primùm nō est interficere patrem: nec etiam, quòd etsi filius non esset, non est coram tot testibus ut patrem interficiat. Cum ergo ob imbecillitatem uacuitate spirituū factam omittat has duas iudicij partes, & una duntaxat utatur, ut delyrare uideatur necesse est. Alter modus est, ut uaporibus dominantibus imagines eleuentur, sed à ui sua non possint contineri ob imbecillitatem, atq; ita malè imaginetur uel memoretur: uelut qui lapidem quidem eleuant, at neq; ipsum retinere possunt, nec ut decet continent. Ita uides, quomodo quadrifariam delyrium contingat: bifariam scilicet ex exteriore, bifariam ex interiore principio. & quomodo in singulis facultatibus interioribus seorsum, alijs non læsis, ex sola superflua euacuatione cōtingere possit: & quomodo omnia hæc delyriorū genera statim cibo assumpto possint & consueuerint aboleri, aut interquiescere. tum uerò quòd ratio & iudicium unum sint: & quòd bene Galenus egit, qui ut huius rationem redderet, nō se intromisit. Neq; enim omnibus datū est, ut rectè dici solet, adire Corinthū.

APHORISMVS X.

A Bileo uomitus, singultus, desipientia uel conuulsio, malū.

COMMENTARIVS.

¶ Hic tria illa quæ ex duobus Aphorismis in præcedenti citatis commemorauit, uomitu præterea

terea adiecto, in unum coniunxit, ut tamen singillatim intelligerentur, nam Græcè ἢ, quod est uel, seu aut, ubique interponitur: interpreti autem ob Latinæ elocutionis formam sufficit, ut ultimam inter atque penultimam disiunctionem illam poneret. Est autem ileos morbus, ut 6 par. 42 uisũ est, suauissimus: quocirca unum horum symptomatum ad mortem significandam sufficit, seu uomitus seu singultus, & cætera. Singulorum igitur rationem reddere oportet, cur scilicet magis in illo quàm in quouis alio morbo mortem significent. Nam horum quatuor signorũ unum est per se perniciosissimum, scilicet conuulsio, et est etiam morbus & symptoma: aliud desipientia perinciosa est, non tamen adeò ut conuulsio, & est symptoma, morbus tamen non est: uomitus symptoma, & contra naturam etiam, non tamen per se perniciosum. Singultus uerò per se symptoma etiam, quod sanis nobis contingere solet. Esset igitur forsan eadẽ ratione id uerbũ Malum, iuxta horũ naturã distinguendũ: at non distinguit Hippocrates, propter cõparationẽ morbi ad illa. sunt autẽ omnia symptomata & præter naturam, & signa: atq; in his tribus inter se conueniunt, in cæteris differunt. Dicamus ergo primũ, cur uomitus malũ sit signũ. inquit Galenus in Commento: "In ileis nihil descendit ad inferiora, & hoc est proprium inseparabile huius affectus: uomitus autem non semper adest." Reprehenditur perperàm à Brasauolo, qui contendit omnem ileon esse cum uomitu. At hoc falsum est, quinimò & falsum est nihil in ileo descẽdere ad inferiora: sed propriũ ilei est dolor eius intestini quod longissimũ est omniũ quæ sunt in corpore, nec satis crassũ. Secũdũ, ut difficilius descẽdant excrementa. Secundus ordo est, ut non descendant excrementa, nec tamen euomantur feces: sed solũ si quid superingeratur, quod necessariũ est, si nihil prorsus descẽdat. Tertiũ est, ut Cap. 2 uomitus sequatur secum, quod dicit Hippocrates esse malũ signum. Et Galenus tertio de Locis dicit, uix unquam euadere ægrum ex huiusmodi morbo. Quòd si εἰλεὸν intelligamus dolorem eius intestini ex phlegmone, ut plerumq; Galenus ipse accipit hoc nomen, & nil descendere & euomere, necessariò consequentur nõ obstrusa uia (hoc enim impossibile est) sed natura uerita aliquid super locum adeò dolentem admittere. Cap. 13 ante mediũ. Quo in sensu dixit tertio de Naturalibus facultatibus, ileon fieri cum intestinum phlegmone laborat, ut nec pondus nec acrimoniã sustineat excrementorum. Atq; in hoc etiam error est: non solùm enim ex phlegmone contingit, sed ex erysipelate, ex tubercubo, ex carbunculo, ex anthrace: imò frequentius contingit iste morbus. nam nec febris ualida associatur, nec uenæ amplæ ad intestinum illud ueniunt: nec quæ ueniunt, sanguinem calidum aduehunt, sed imperfectum. Quinimò frequentius contingere solet ex duris fecibus, aut crassa pituita: hac quidem per se, & etiam impediente transitum fecum: ex illis uerò dominante flatu. In omnibus uomitus indicat præclusam esse uiam omnino ad inferiora. atque ob id rem esse in magno discrimine: deterius tamen longè, si febris adsit. nam sine febre phlegmonem adesse quis dixerit? Quòd si febris adsit, ut etiam in uentriculi morbis similibus, nihil melius est exquisita inedia. Sed si non adsit febris, & sitis magna urgeat, refrigerantibus potionibus utendum est: aliter oleum molle & pingue auxilio est. Præsupponitur autem, ut dixi, uomitum excitari ægro bene curato, id est nil dando corpulentum, imò nec sorbitionem, sed solum potum, atque eum perexiguum.

Secundum symptoma, est singultus hic, si fiat ab ileo, non cum ileo: ideo dixit rectè, "Ab ileo uomitus uel singultus ex conuulsione fiet, ut declarauimus antea: ideò iam processisse morbum ad perniciem denunciat, uentriculumq; superatum, cerebrum autem consentire: aut ut antè uisum est, ex iecoris inflammatione. & hoc idem dicet infrà. solet enim ileos obstructa inferiore uia, & ob dolorem plurimũ corrumpere iecur: unde urinæ in his inflammari solent, uelut & in colicis doloribus. si uerò fiat acri humore, ac quasi sanie ad uentriculum redundante, uelut secũdo Prorrhiticorum dicit Galenus, cum uentriculus quod continet, eijcere non potest, adhuc malum est.

6 Par. 37

5 Par. 57 Aphor. 17

Com. ult.

At desipientia & conuulsio affectis neruis sexti paris fiunt atq; ex uaporibus qui ad cerebrum ascendunt. sunt autẽ perniciosa in hoc morbo, eo quòd magis aliena. namq; intestina à cerebro procul absunt, oporteq; graue esse detrimẽtum quod cogat illud affici. Quòd si delyrium cum singultu accidat, in huiusmodi morbo lethalius est, ut in Coacis predictionibus. Pag. 3

APHORISMVS XI.

A Morbo laterali, pulmonis inflãmatio, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Aliàs dictũ est ex libro de Affectionibus: Pag. 7
Cum in morbis alter alteri succedit, plerũq; occi

&

dit. Rursus dictū est, cū deterior minori, malū: cū magnus morbus succedit alteri, malū. At his & morbus morbo succedit, ut fatigatum inueniat corpus, & magnus morbus: & deterior mitiori, unde indicium est naturā perperam agere, itaq; malū nō esse nō potest. Habet & hic textus aliū sensum, quē Galenus adducit in Cōmēto: scilicet quòd à morbo laterali sæpe subsequitur pulmonis inflāmatio, quia facilè ex costis trāsumitur in pulmones: ut cōtrà ex pulmonibus ob duriciē succingētis mēbranæ, rarò in costas materia deriuatur. Sed hic sensus nec uerus est, nisi rarò,
Cap.7. nec Hippocratis ordini cōueniens. Quāuis Celsus libro secūdo dicit: Post lateris dolores, pulmonū uitia: post hæc insania. Verùm de angina illud
Pag.15. dixit in Coacis prædictionibus: Quib. uerò angi-
„ næ ad pulmonē uertuntur, pars in septem diebus
„ pereunt: partim euadentes suppurati fiūt, si non
„ eductio pituitosa ipsis sursum fiat. Hoc idem ex
Aphor.10. quinta particula superius sumptū est. Sed cū patēret ibi modus, quo talis trāsmutatio fit, hic haud liquet, quomodo cū pulmo à pectore sit seiunctus undequaq;, nisi per fibras in lateribus materia illa ex membrana lateris ad ipsum trāsumi possit. Nam quomodouis legatur Aphorismus, hoc scire intererat, hocq; Galenum declarasse. Per fibras illas deferri tantam copiam sanguinis, uix uerisimile uidetur. Quòd si dicas, prius effusam materiam in concauum pectoris exugi: nec hoc esse potest. nam excerneretur per tusses, aut fieret phthisicus potius quàm quòd inflammatione corriperetur. Melius est ergo, ut quemadmodū ibi dictum est, id cogitemus, quod etiā ad Aphorismi præsentis intellectum facit: scilicet ut materia illa dum pectoris redundat sanguine, per uenas retrusa ad guttur perueniat, & inde descendat in pulmones, & efficiat inflammationē. Alter modus, qui mihi uerisimilior uidetur, est, ut inflāmato pectore, nec potente se dilatare quātum oportet, inflammetur pulmo, & supercalefiat: & cum sit totus refertus sanguine, oppressis feruēte sanguine uenis extrudatur portio in carnem, quæ laxa est, & fiat phlegmon. neq; enim locus ullus ob tres causas huic morbo aptior uidetur, redundantiam sanguinis, laxitatem carnis, magnitudinem caloris. Experimento compertum est, eos quibus pulmo anterius annectitur, plerunque ex morbis ad pulmonem pertinētibus interire.

APHORISMVS XII.

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Phrenitidē aliquādo uocat abscessū in cerebro, nōnunquā assiduū delyrium. Habet ergo Aphorismus quadruplicē sensum: ut ex pulmonis inflāmatione subsequatur delyriū, ut ex pulmonis inflāmatione subsequatur abscessus in cerebro, ut post pulmonis inflāmationem subsequatur paraphrenitis: qui solus sensus absurdus est, & indignus Hippocrate. Galenus secundū recipit tantū: qua ratione, nō dicit, cum nec ille sit uerisimilis: ut simul constante peripneumonia, accidat abscessus in cerebro. Hoc tamen contingere sic putat, ut materia calida uapores ad cerebrum mittat ex pulmonibus, faciatq; phrenitim. Contingere etiam istud bifariam potest, uel ut uapores illi in unū cōcrescant, uelut in nubibus: uel, quod uerisimilius est, ut inflāment cerebrum, & ex ea inflāmatione abscessus exoriatur. Vtrum autem peripneumonia fiat à bile, in undecimo
Contradicentiū uidimus. Verùm alia uia potius hoc contingere crediderim, dicēte Hippocrate: Cōtrad.7. In prognost.pag. 7.
Quibuscunq; ex inflāmati pulmonis morbis abscessus circa aures fiunt & suppurantur, aut ad „
inferna partes, ac fistulantur, hi superstites euadunt. „
An ergo hoc ex uaporibus? Per uenas igitur id contingit. Modus autem est, ut ex corde transmitti solitus sanguis, per carotidas uenas ascendat.

APHORISMVS XIII.

A B æstibus ualidis cōuulsio aut distentio, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Quantum intersit inter conuulsionem atque distentionem, et quomodo, diximus in præcedenti particula. Intelligit autem ualidos æstus
febriles. nam de ambiente, licet Galenus hūc sensum non repudiet, absurdum est cogitare. non Com.37.
enim causam diceret Hippocrates, sed casum, quod alienum est ab illius grauitate. Morbos enim connexos nemo ignorat tam magnos esse, quantū quisq; est. Podagra enim & uulnus unūquodq; pro sui magnitudine indicat, utrumq; aūt pro illorum aggregato. Et similiter quod referatur ad ustiones, quanquam hoc sit propius, læsis scilicet neruis, nec tamen credēdum est. Vt ergo ad æstus febrium referatur, bonum est. cū enim in mitibus febribus hoc ex humorum multitudine contingere possit, in æstuosis solū ex siccitate fiet, atq; ob id perniciosum hoc erit signum. Dictum est aliàs, per Malum intelligi debere propè perniciosum. Nam de æstate non numerantur hi morbi inter proprios, tertia Particula:

Aphor. 21. nec in libro de Humoribus, cùm dixit, Aestatē
biliosam sequuntur splenetici: nō dicit, conuul-
Pag.4. sio, neq; distentio. Sed quomodo distentio fiat in
æstu febrium, siccato humido neruorum, satis cō
spicuum est: rarò tamen accidit. De conuulsione
autem in morituris, cum propè mortem sunt, ge-
nerale est exemplum.

APHORISMVS XIIII.

A' Capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum.

COMMENTARIVS.

Pag.5. ¶ In libro de Capitis uulneribus hæc habet:
Pag.8. Nam magis ac minus sauciati signa hæc sunt: si
„ uulneratus soporem altiorem inciderit, & offu-
„ sa caligo fuerit, & uertigo, & ceciderit. inde, dū
morituri signa recitat, interponit delyrium. Ca-
uillatio est illa, quam Brasauolus obijcit Hippo-
crati, scilicet quòd ἔκπληξις fiat nobis non co-
gnoscentibus, desipientia uerò cognoscentibus,
ut quasi alternatim sit legendum. Constat enim
ex ipso rerum euentu uerè, quòd inclinante stu-
pore illo decidunt in desipientiam: & desipientia
quasi cessante, superuenit stupor. Dico stuporē
nunc, non qui proprius est corpori; sed commu-
nis animæ cum corpore. constat enim unū quasi
continuum symptoma efficere cum desipientia.
Similiter & illud absurdißimum, cū putant pos-
se legi & hoc modo, & sine adiectione, Malū:
lib.2.ca.7. ut uidetur Celsus legere, scilicet, Vbi caput uul-
neratum est, delyrium. At non animaduertit,
„ quòd si utraq; lectio admittatur, A' capitis ictu
„ obstupescentia & desipientia, malum. & rursus:
„ A' capitis ictu obstupescentia & desipientia,
„ sequetur confestim à capitis ictu malum: quod
est absurdum, & agricola, nedum Hippocrate,
indignum. Et Galenus ob id rectè monet nos in
Commento, etiam si nō adesset hoc uerbū (Ma-
lum) adijci debere, scilicet ut sic intelligamus:
A' capitis ictu si contingat obstupescentia aut
desipientia, cerebrum esse affectum: indicat &
magnitudinem paßionis eius. Quod probo, &
demiror cur superius hunc eundem errorem nō
Com.11. subterfugerit. Neq; enim plus potest legi, A'
„ morbo laterali, pulmonis inflammatio, malum:
„ &, A' morbo laterali, pulmonis inflammatio:
quàm, A' capitis ictu, cum gemina illa significa-
tione. nam ut hic sequitur, ut dictum est, omnem
capitis ictum esse malum: quod aut falsum est, si
pro malo periculosum intelligatur: uel ridiculū, si
malum in suo accipiatur significato. sic in illo se-
quitur, omnem morbum lateralem esse malum:
quod ut dixi, uel falsum est, uel ridiculum. Cæte-
rùm cum dicat Galenus, ostensum esse, in ce-
rebro esse animæ principatum, nihilminus. hoc
enim est euertere uniuersam philosophiam: est e-
nim solum cordis instrumentum. Sed de hoc a-
liàs diximus. Nec solum huiusmodi sunt mala si-
gna, sed in secundo Prædictionum hæc habet: 1.Contrad.
Porrò ex capitis uulneribus lethalißima sunt, 5. Et in Ar-
quæ ad cerebrum pertingunt. Grauia etiā sunt, te meden-
in quibus os magnum, nudum, aut infarctum, di parua pag.1.
aut disfractum. Sed & si ulcus paruum fuerit, et Pag.8.
oßis fissura magis processerit, periculosius est.
Et etiam grauiora sunt hæc omnia, si iuxta su-
turam sint: ex lobis quoq; periculosiores, qui in
summo capite existunt. Cæterùm in omnibus
memorabilibus uulnerib. interrogare oportet, si
adhuc recētes fuerint plagæ, aut etiā iactus, an
cōciderit homo? anq; in soporem altiorē sit colla-
psus? Si enim horum quippiam factum fuerit,
ampliore custodia opus habet, nimirum cum ce-
rebrum tunc uulnus perceperit. Habet autē exē-
pla ex Epidemijs, & ex Quarto: In Aeno qui- Pag.9.
cunque capite uulnerati, horridi erant. & in Pag 6.
Quinto: Autonomus in Omilo ex capitis uulne-
re in media æstate accepto, lapidis ex manu ia-
ctu, die decimasexta mortuus est. Fuit autem uul-
nus in sutura media sincipitis. primùm quidem ad
clauiculam, postea ad latus ualde doluit, & ex Pag.9.
utraque parte manus conuulsæ sunt. Oportuit
autem secari celerius. nam quintadecima die so-
lum illum dissecui, quòd læsio iaculi in sutura cū
esset, ab initio me latuit. Et in septimo: Qui lapi-
de in capite percussus est à Macedone supra tem-
pus dextrum, ita ut scißura facta dissectione ap-
paruisset, uertigine affectus, & cecidit. Tertia
die uoce destitutus erat, anxietas, febris non ue-
hemens, pulsus in temporibus uelut caloris te-
nuis: nihil audiebat nec sapiebat, nec quiescebat:
humida frons, & sub naso ad mentum usq;, quin-
ta mortuus est. Apparet ergo, non necesse esse e-
tiam morituros in capitis uulnere, nec obstupe-
scentiam, nec multo minus desipientiā pati: sed si
accidant, eße mala signa.

APHORISMVS XV.

A' Sanguinis sputo, puris sputum.

COMMENTARIVS.

¶ Duobus in casibus pus non consequitur
sanguinis sputum. Primus, cum non ex profun-
do pectoris, neque pulmone: sed ex ore, capite,
gutture. Secundus, cum phlegmonem præuenit
sanatio, quinto Methodi. Ergo si pus exeat, & Cap.8.
in pro-

in profundo ulcus est, & non potuit probè curari, quare malum est. Neq; enim, si nō curatum est, dum recens esset, uulnusq́; non ulcus, cum iā factum est, ulcus curari poterit. Obstat enim perpetuus motus, necessitas tussiendi, si expurgari debet: oportet autem expurgari, si debet sanari: & stilla decidua, & longitudo uiæ, per quam medicamenta ex uentriculo, ad ipsum præsertim pulmonem deferuntur, ut secūdo ad Glauconem. (Cap. 2 pag. 4. Aphor. 9.) At uerò de his satis in tertia Particula diximus, quo loco etiam multa ad sequentem Aphorismum pertinentia continentur. unum satis est coniunctum esse sequenti, nec debere adijci malum.

APHORISMVS XVI.

A Puris sputo, phthisis & fluxus: cum uerò sputum retinetur, moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Dixit, sputū saniei sequi sanguinis sputū: hoc autem phthisis, quam alij phthoen uocant, sequitur, & moriuntur. Fluxus autē uel alui, uel capillorum intelligitur: Superius loco adducto, necessitatem unius ex altero docui ab Hippocrate descriptam. hoc interest, quòd fluxus alui, uelut & phthisis, non tam est signum, quàm etiam causa: defluuium autem capillorum, solum signum. Non necessarium fuit hoc loco (malū) addere. quia ipsa re edocet, dicens: Cum uerò sputum retinetur, moriuntur. Et modum mortis, & signum, & cautionem, & auxilium, uno uerbo docens. Modū quidē, quia sputo retēto suffocātur: auxilium, quia ob id expectorantibus opus est, incidentibus, lenientibus: signum, ut cùm uidemus sponte sisti, mortem proximam iudicemus: cautionem, ne ut imperiti medici uidentes sputum imminutū, eo gaudeant signo, quo maximè mors aduentare ægro declaratur. Porrò & an insanabilis hac in conditione sputi puris morbus sit, satis loco allegato dictum est.

(12. & 14.) Conscripti sunt & duo alij Aphorismi suprà in quinta Particula in eandem sententiam: Quibuscunq; tabe laborantibus, capilli à capite defluunt, ij alui profluuio superueniente, moriuntur. Et: A tabe habito profluuium alui superueniens, lethale. Quomodo autem fiant purulenti, & ex purulentis tabidi, & phthoe laborantes, & consumpti, in primo de morbis longa serie ab (Pag. 5) Hippocrate declaratum est: quorum quidem uerborum ut in præsenti maximè necessariorum, exemplar subijcere placuit. neq; enim melius Hippocrate dixisse, mihi persuadebo unquam. Quicunq; suppurati fiunt pulmone, aut superiore uel inferiore uentre: aut tubercula habent siue in superiore uētre, siue inferiore, aut in pulmone, aut ulcera intrinsecus, aut sanguinem uomunt aut spuunt, aut dolorem aliquem habent uel in pectore, uel in dorso: hæc omnia habent ex his quidem quæ in corpore insunt, à bile & pituita: ab externis uerò, ab aere insito, calori ammixto, sed & à laboribus ac uulneribus. Et quicunq; quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt. Si peripneumonia correptus in indicatorijs diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum ac pituita, suppuratus fit. Et si quidem statim curatus fuerit, ut plurimùm effugit: si uerò neglecta fuerint illa in pulmone, corrumpitur, illis & inhærentibus & putrescentibus: ulceraturq́; pulmo, & suppuratus fit, & non amplius intro ad seipsum nutrimentum memorabile trahit: neque quicquam depurgatur ab eo sursum, sed suffocatur, & semper amplius difficulter spirat: & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore: tandem uerò obturatur à sputo, & moritur. Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet. & primùm quidem utplurimùm latenter defluit, tussimq́; tenuem exhibet, & sputum paulo amarius solito, & aliquando tenuis adest calor. Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente ac putrescente, & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum antè & retrò: caloresq́; acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore trahit ad se pituitam ex toto corpore, & maximè ex capite: caput uerò calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit. Quanto uerò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerū spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens ac fortis, & inedia uexat, & tandem aluus infernè turbabatur: turabatur aūt à pituita. pituita uerò i de capite descendit. Hic quū ad hoc peruenerit perit, quemadmodū dictū est in superioribus, purulento ac putrido pulmone, aut uentre infrà erumpente. Fit præterea & ab his pulmo suppuratus, quum uenula uidelicet aliqua in ipso fuerit rupta (rumpitur autem à laboribus) & ubi rupta fuerit, sanguinem fundit: siquidem crassior fuerit, amplius: sin tenuior, minus: & sanguinē quidē ipsum partim confestim spuit, partim

partim uerò nisi uena adstringatur, in pulmonē funditur, & in ipso putrescit: & ubi putrefactus fuerit, pus facit. progressu uerò temporis aliquando pus sincerum, aliquando pus subcruentum, aliquando sanguinem: & si magis repleta fuerit uena, ipsam sanguinis copiam aceruatim à seipsa reuomit, spuiturq; pus crassum ab accessoria & inius putrescente pituita. Hic si anticipetur incipiente morbo, priusquam uena sanguinem fundat, ac uehementer laxetur: & priusquam attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari, superstes ab hoc morbo euadit. Si uerò neglectus fuerit, & hæc ocuparint, ut ea perpetiatur, aut omnia, aut plurima, perit: perit autem hic, aut ex iisdem quæ superius dixi, aut à uomitu, sanguine multo, multoties per uomitum reiecto. Si uerò uena omnino quidem rupta non fuerit, uerùm acutus tractus in ipsa fiat: fit autem maximè uelut uarix, qui etiam statim, ubi factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, ac tussim aridā. Si uerò diu durauerit, & neglectus fuerit, primùm quidem sanguinem modicum ac subnigrū dimittit ac reiicit, deinde uerò adhuc copiosiorē & sincerissimum, deinde pus, patiturq; quæcunque in superioribus dicta sunt. Conducit autem talibus, si ab initio curandos suscipias, ut & uenæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, è qua quàm siccissimus & exanguissimus fiat. Eodē porrò modo etiā uenæ in latere afficiūtur, quæ intus in superficie sitæ sunt. Quam igitur affectæ fuerint, uaricosæq; factæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint, hæc perpetiuntur. Erumpunt & spuunt à se sanguinē, et aliquando etiam uomunt, & suppurati fiunt, & ut plurimùm pereunt. Si uerò curentur incipiente morbo, rursus in loco uenæ considunt ad latus, humilesq; fiunt. Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso etiam talia perpetiuntur, & sic moriuntur. Cæterùm superiore uentre suppurati multipliciter fiunt. Nam quum pituita de capite copiosa & aceruatim in superiorem uētrem fluxerit, putrescit, & in pus uertitur: putrescit autem maximè in diebus uiginti una. Hic si uratur aut secetur, priusquam diuturnum fiat pus, sanus plerunq; euadit. Fiunt autem & superiore uentre suppurati ex pleuritide, quum magna fuerit, & in iudicatoriis diebus neq; putruit, neque sputo reiecta est, sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile: & quum ulcus factum fuerit, reddit de se pus, & ex uicinis locis præ caliditate in seipsum pituitam adducit, & hæc computruit, pus spuitur: aliquando uerò etiam ex uenis sanguis, si in ulcus ingerit, & putrefactus pus fit. Hic si e uestigiò assumatur, sanus plerunq; fit: si uerò negligatur, perit. Fiunt præterea suppurati etiam, si pituita de capite delapsa, ad latus adglutinata fuerit et putruerit. Tūc enim latus utplurimùm inflammatur, & patitur eadem quæ ex pleuritide suppuratus. Fiunt & quum præ labore, aut exercitiis, aut alio quopiā modo, uena antè aut retrò fuerit rupta: & sic rupta, ut non statim spuatur sanguis, sed in carne acutus tractus siue uarix fiat, & caro tracta ac conuulsa humiditatem modicā traxerit, & sublinida facta fuerit: & statim quidem sic affectùs nō percipit præ robore ac bona habitudine: aut si etiam sentit, nihil molesti esse putat. Hic ubi deprehēderit, quum iam præ febribus, aut potu, aut uenere, aut aliqua alia re correptus fuerit attenuatus, caro sauciata subresiccatur & subcalescit, & humiditatem in seipsam à uicinis tum uenis tum carnibus trahit. Vbi autem attraxerit, intumescit & inflammatur, & dolorem exhibet tenuem, & tussim raram & siccam primùm: deinde adhuc magis trahit in seipsam, & dolorem inducit uehementiorem & tussim frequentiorem. Et primùm quidem suppurulentum spuit: aliquando uerò liuidum & subcruentum. Et quanto magis tempus progreditur, amplius in seipsam trahit ac putrefacit: & de ipsa carne quā tum ab initio liuidum erat, hoc pus fit, & dolorē acutum exhibet, & febrem, & tussim multam ac frequentem, & per sputum sincerum pus expuit. Quinque morborum ac symptomatum genera proponit Hippocrates, ex pectoris partibus sumpta: suppurationem, ulcus, sanguinis sputum, tubercula & dolores. hæc duo ultima, ut extra propositū, præsens nūc relinquo: ulcus uerò sanguinis aut saniei sputum comitatur. quapropter Hippocrates uerba de suppuratione præcipuè facit, & sanguinis sputo, prout ulcus aut non significant. Triplicem autem innuit suppurationem: primam, quæ fit in pulmone: secundam, quæ cum ulcere aliarum partium pectoris, sed non in pulmone: tertiam, quæ neque in pulmone, neq; cum ulcere aliquo fit. Has duas ultimas miscet. nam prima illa est, de qua propriè loquitur hic Aphorismus, & ad quā phthisis et fluxus & mors sequitur: ut dictum Aphorismi præsentis propriè de puris ex pulmone sputo intelligatur. Quocirca & prior Aphorismus legi poterat disiunctus ab hoc: sed oportebat addere, Malū; ut plerique legunt. aut coniunctus huic, ut nos fecimus.

cimus.nam clarior est ſenſus, dum puris ſputum illud ſolum phthiſim & fluxum ac mortem afferre ſignificamus, quod à ſanguinis ſputo factum eſt. Declarat enim Hippocrates, ulcus in pulmone fieri, & ſuppurationem primæ ſpeciei quatuor modis: Ex peripneumonia rupta, non purgata: ex pituita à capite deſcendente, ac in pulmone putreſcente: ex uena rupta in pulmomone, ſeu magna ſeu parua: ex uarice rupta in pulmone. Addit & quintum modum, qui perducit & ipſe ad tabem, licet non faciat ulcus in pulmone. At uerò ſuppuratio in ſuperiorem uentrem, id eſt, in pectore, non in pulmone propriè, quæ non per ſe lethalis eſt, fit quinque modis: ex defluxu pituitæ à capite, dum putruerit: ex laterali morbo, dum non repurgatur: ex uena in in pectore aperta: ex morbo laterali pituitoſo: ex uarice in pectore. His ergo uiſis, conſtat, puris ſputum non ſemper phthiſim parere, ut ſi ſuppuratio ſit in pectore. Quare hic Aphoriſmus præcedenti coniungendus erit. Sed neque in laterali morbo, licet fiat à ſanguinis ſputo: quia cum dixit, A' ſanguinis ſputo ſaniei ſputum: intelligit citra febrem. laterali autem morbo ſemper eſt annexa febris. In reliquis aũt caſibus, & ſunt duo, poſteriores primæ diuiſionis, & caſus etiam uaricis in latere. Et tertio ac quinto ſecundæ diuiſionis, alij magis neceſſariò, alij minus afferunt mortem: præcipuè autem tertius primæ diuiſionis, & quartus: pòſt tertius ſecundæ diuiſionis.

APHORISMVS XVII.

IN iecoris inflammatione ſingultus, malum.

COMMENTARIVS.

Aphor.56.

¶ In quinta Particula dixerat: Hepati inflammationem patienti, ſingultus aduenit. quomodo ergo dixit, quòd ſingultus ſuperueniens, malum ſit? Concluditur enim ex hoc abſurdum, ſcilicet ex inflammatione iecoris ſimpliciter malum. quod, ut dixi, abſurdum eſt, ſeu malum abſolutè intelligatur (hoc enim nemo neſcit) ſeu malum, id eſt mortale, quod & falſum eſt: & ſi uerum eſſet, non ob id malum cenſeri deberet, quia ſingultus res propè ridicula ſuperueniret. Non enim ob ſingultum tales pereunt: at ſingultum mortis eſſe ſignum in pluribus morbis, ſparſim ſcripſit Hippocrates. Cauſam refert ergo in abſceſſus magnitudinem & prauitatem, cuius conſenſu, ſeu, ut dicit in Comento, comprimẽdo, ſeu bilem effundendo, ſeu neruorum ſexti paris tranſitu, excitatur ſingultus. Hos breuiſſimos ex ſecundo Epidemiorum appellat Galenus. Verba eius Sec.41 ſunt: Duo uerò nerui à cerebro ſub os magni uerticuli, ex ſupernis, & ad gulam magis ab utraque parte arteriæ deſcendunt, & uterque in ſeipſum incidens uni ſimilis, ubi uerticula & ſeptum ſunt, ibi deſinunt. Et quidam ambigui ex hac ſocietate, ad epar & ſplenem ipſos tendere putauerunt. Videtur autem mihi conſenſus potius quidam naturæ, cum uentriculo iecur quaſi imperet, & eo affecto uentriculus afficiatur. facultatis enim quæ uentriculo ineſt, iecur auctor eſt. Manifeſtum eſt ergo, Aphoriſmum quintæ Particulæ ſignificare non actum & neceſſariam conſecutionem: ſed ſi morbi ſæuierint, quænam ſymptomata conſequi ſoleant.

APHORISMVS XVIII.

IN uigilia conuulſio, uel deſipientia.

COMMENTARIVS.

¶ Supple, malum. In quibuſdam Galenus exemplaribus, hiſq; fidelioribus, dicit, legitur ſolum Conuulſio. Vtcunq; ſit, in diuerſum trahit ſenſum, dum uult ex uigilia deſipientiam fieri, & conuulſionem: quorum utrumque falſum omnino eſt, & abſurdum. nam ſi ſic eſſet, ſemper ad longas uigilias utrumque aut alterutrum ſequeretur: at ex longiſſimis neque ullum horum quandoque ſequitur. Quare ex, ſeu ὑπὸ, nõ cauſam, ſed terminum ſignificat, hoc modo: Si poſt uigiliam deſipientia aut conuulſio ſubſequatur, malum. Nam ſignum eſt, uigiliam, ipſam cauſam habere, quæ hæc poſſit parere ſymptomata. Cum enim diu conſtiterit, nec cauſam habuerit externam, interiorem huiuſmodi habeat neceſſe eſt, potentem, fixam, ualidam, immutabilem, ex qua aut deſipientia, aut conuulſio fiat. Videamus ergo, ex quot cauſis uigilia fiat. Et conſtat, quòd præcipuè ex curis & triſticia, ut primo de Symptomatum cauſis: ubi etiam docet quòd à calore & ſiccitate. Cap.8. Vnde tertio de Locis: Vigiliæ & ſomnus primùm à calore & frigore fiunt, inde ob qualitates paſſiuas ſiccum & humidum. Cap.5. Et quomodo docebat ſecundo de Locis, dicens: Calor uigilias excitat, quia motum. Cap.9. in fine. Quarta cauſa eſt cruditas, ſeu cibi intempeſtiuè exhibiti, ut ſecundo Porrhitici. Maximè à cibis poteſtate calidis: Com.29. quia dicebat, ipſæ calidæ ſunt, ſecũdo de Victu in acutis.

Com.44. acutis. Et à fluxionibus, maximè ad loca ſenſu
magno prædita, ut ad fauces, ubi moleſtiam af-
Cap.2.Sec. 7. ferre ſolent: ſeptimo de Compoſitione medica-
mentorum ſecundum locos: nemini dubium,
quod etiam à doloribus. At ex his ſeptem cauſis
quatuor externæ dici poſſunt, dolor, cruditas,
cibus poteſtate calidus: & affectus animi, ut tri-
ſticia, ira, metus, curæ, ſpes. Tres autem cau-
ſæ ſunt morbificæ interiores: calor, ſiccitas &
fluxio. Immoderatus calor amentiam facit etiam
in ſanis, atque eo magis, ſi ſiccitati iunctus fue-
51. rit, ut docet Galenus ſuper illo Aphoriſmo ſex-
tæ particulæ. Idem, ut ibi docet, facit aut face-
re poteſt bilis: ut etiam in tertio in ſextum de
Com.36. Morbis uulgaribus. Sed uult, quòd ſit cauſa tan-
tum per accidens, uapores eleuando. Et libro,
Cap.4. in fine. Quòd animi mores corporis ſequantur tempe-
raturam, ait Galenus: Hippocratis filij à Comi-
cis mordentur, tanquam quod ob immodicum
calorem inſani eſſent. Conuulſio ſimiliter fit
aut à ſiccitate, aut ab acri humore ſicco: duode-
Cap.8. cimo Artis curandi. Et in tertio de Locis affe-
ctis docet, per exemplum piperis conuulſionem
Cap.7. & ſingultum excitari: & quarta Aphoriſmo-
rum docet, conuulſionem ex ſiccitate fieri a-
pertiſſimè, ut in ardentiſſimis febribus. Si ergo
Com.57. dicat: Non'ne etiam ſine uigilia conuulſio &
inſania ſunt malum ſignum, & malum ſympto-
ma? Reſpondeo, quòd uerum eſt: ſed cum uigi-
lia declaratur huiuſmodi affectus à ſiccitate
prouenire. Quare, ut dictum eſt duodecimo
Methodi, eſſe propemodum inſanabiles affe-
ctus, mortem'que portendere: quod non accide-
ret, ſi adeſſent, abſque uigilia. Poſſunt enim eſ-
ſe ex alijs cauſis multis, ut repletione, tum hu-
moris motu: at diuturna uigilia cum cauſas mi-
nus periculoſas excludat, ſympto-
mata praua eſſe do-
cet.

APHORISMVS XIX.

IN oſsis exutione, Eryſipe-
las.

COMMENTARIVS.

¶ Diximus ubique, quaſi continuato ſermo-
ne, malum intelligi, ut etiam in præſenti. non e-
nim exuto oſſe tam pronum eſt ſuperuenire e-
ryſipelas: quàm ſuperueniente eryſipelate, ma-
lum eſſe ſignum. Quamuis tamen intelligi de-
beat, non tamen, ut temerariè Fuchſius facit, ad-
dendum in textu, ut ille fecit tam Græco quàm
Latino. Itaque quomodo oſſa exuantur, dicen-
dum eſt. In libro enim de Capitis uulneribus, Pag.8.
docet, oſſa capitis cum denudata fuerint, afferre
periculum, ne etiam contuſa ſint, & profundius
læſa, & ſciſſuram conceperint, aut omnino fra-
cta ſint. atque hic eſt primus modus. Secundus
eſt, cum carne contuſa & putrefacta os denu-
datur. ut in libro de Fracturis, dum inquit: Nu- Pag.18.
" datur uerò quorundam ſuperna pars, quorun-
" dam uerò carnes circumcirca mortificantur.
Tertius modus eſt, cum caro eroditur, & mem-
brana quæ circumambit os ipſum, uelut in libro
de Vlceribus: & in ulceribus exedentibus, qua Pag.3.
parte phagadæna fuerit, uehementiſſiméq; depa-
ſcitur, ac edit ea regione ulceris circumſita, pars
colorem habebit nigrum aut liuidum. Et in utro
que ſenſu illud ſextæ particulæ, Vlcera quæcun Aphor.45.
" que annua aut diuturniora, os abſcedere eſt ne-
" ceſſarium. Quartus modus eſt, cum os cario-
ſum ſubtus fit: tunc enim carnem abſcedere eſt
neceſſarium. Tractat autem de carie in oſſe, de Pag.8.
Morbis ſecundo: at de eryſipelate etiam ſuo lo- 12. Cōtrad.
co diximus. Satis eſt, quòd os denudatum cū ery 6.
ſipelate, indicat corruptum alimentum carnis:
quæ cum iam os denudatum duplici malo afficit,
& ipſa ſimiliter afficitur dupliciter, & ab oſ-
ſe, & ab eryſipelate: & os ab aere & à carne,
quare malum utrinq; duplicatur.

APHORISMVS XX.

AB eryſipelate putredo, aut ſup-
puratio.

COMMENTARIVS.

¶ Dictum eſt in præcedenti, tum etiam in o- Cōtrad.35.
ctauo Cōtradicentium, de eryſipelate, quid ſit,
& quomodo curandus: nunc diligentius agendū
eſt, id docendo ſcilicet, an eryſipelas ſit cum pu-
tredine. Videtur enim ex præſenti Aphoriſmo,
quòd non. Fit autem à flaua bile, prima Aphoriſ-
morum, & ſecundo de Simplicibus medicamen-
tis: Exquiſitum eryſipelas fluxio eſt biloſa. Di-
cebat Galenus quartodecimo Methodi: Eryſipe Com.2.
las & phlegmon in tumore & calore præter na Cap.21.
turam conueniunt. differunt in colore, quoniam Cap.1.
eryſipelatis color eſt flauus & pallidus, at phle- Cap.3.
gmonis rubens. Eryſipelas propriè purum & be
ne curatum quieſcit ſine putridine & ſuppura-
tione, ut ibi habetur: at in tredecimo docet, phle Cap.5.
gmonem propriè, modò magnus ſit, ſuppurari
aut putreſcere. Ergo putredo omnibus fluxio-
nibus aduerſa eſt, ſuppuratio autem eryſipelati
cum natura ſua poſtulet reſolui: quo fit, ut (ma-
lum) ſubintelligendum ſit. Nam eryſipelatis
proprium non eſt ſuppurari aut putreſcere, quia
in ſola

in sola cute fit. Fit autem putredo, cùm particula corrumpitur, & ad interitum tendit: suppuratio, cùm ad salutem. Cùm ergo suppurat erysipelas (nam nunc corruptionem, ut rem manifestiorem, prætermitto) necesse est ut profundius sit, & in carnes penetret. Abscessum igitur qualemcunq; in carne suppurari, malum est: sed ex bile flaua, pessimum. Alia ratio, quæ à Celso colligitur, est, quoniam humoris biliosi ob siccitatem proprium est, ut non putrescat, nec suppuret. cùm ergo alterum horum superuenit, causam putredinis præpotentem esse indicat: quo fit, ut tum Celsus consulat locum exurendum. ignis enim omnem putredinem, & etiam intemperies fini etiam calidam, dicebat Albucasis.

1. de Differentijs Feb. cap. 6.

Lib. 5. cap. 26. de Cura erysipelatis.

APHORISMVS XXI.

A'Vehementi in ulceribus pulsu, profluuium sanguinis.

COMMENTARIVS.

¶ Non in phlegmone, ut putat Galenus, uehemens fit illa pulsatio, id est magna ac ualida: si enim arteriæ paruæ subiaceant, quomodo uehemens esse, id est magna, poterit, aut ualida, cùm sit ictus non ualidus? Sed si magna sit arteria, quæ subest: & impleatur sanguine multo, cũ hoc etiam compressus phlegmone, uel etiam solis puluisculis, tunc fiet uehemens pulsatio. cui & (licet rarò) effusio sanguinis copiosa succedere soleat, nihilominus non semper: sed si succedat, sæpe hominem interimit. Quòd uerò phlegmone iam facto difficulter sanguis ex uena effluat, clarum est. nam ora uenarum in phlegmone cõstringuntur inflatis circumiacentibus partibus: & ideo non sæpe fluit sanguis, sed rarò: antequam autem phlegmon fiat, tunc sanguis copiosus effluere solet. Quinimò si more aliorum intelligatur, patebit ratio admodũ exquisita hoc modo. Pulsus in uulneribus ostendit abscessum: abscessu facto, si immodicus sanguis fluat, difficilè occurremus sanatione: neque exurendo, cùm dolor maximus auxilium recuset: neque per ea quæ agglutinant, quoniam loco applicari non possunt, atque ideo malum est.

Est & alius sensus, quod pulsus in ulceribus uehemens, significet aduentum plurimi sanguinis ad locum: arterialis dico, nam alius uim non habet pulsandi. quare cùm ulcus minimè consolidatum sit, erumpit sanguis copiosus, non ratione phlegmonis excitato pulsu, sed ob sanguinis ad locum defluentis multitudinem. Tunc igitur cùm sit arterialis, magno impetu fertur, & fit profluuium eius. Tertius sensus est, quòd corde uehementer pulsante ex ulceribus sanguis copiosus erumpit, quod ego sæpius obseruaui. Et causa est, quòd cor ob motum sanguinis uehemẽtem palpitat uehementer. Atq; hic sensus, & primus, non tam uidentur esse ex Hippocratis sententia, quàm secundus, licet omnes uerißimi sint. Hippocrates in primo Prædictionum inquit: Vulnera sanguinem fundentia, exudantia, maligna: sic affecti, loquentes moriuntur. Idem in Coacis prædictionibus, sed proexudantia habet; insuper rigentia. ἐφιδροῦντα habet prior locus, posterior ἐπιῤῥιγοῦντα, atque ita ex Græca lectione originem hoc ducit. Ibidem dicit: Moriuntur maximè ex uulneribus, si sauciata uena crassa fuerit. & secundo Prædictionum: Vulnera magis lethalia sunt, quæ in uenas crassas in collo ac inguinibus infliguntur. Deinde, quæ in cerebrum & in epar: postea, quæ in intestinum & uesicam. Sunt autem hæc omnia perniciosa ualde, non tamen ita ut nemo ex his euadat, uelut creditur. nam & loci qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & ijdem modi. Multum etiam differt corporis ipsius structura. & paulo pòst: Moriuntur enim homines ab omnis generis uulneribus. Multæ enim uenæ sunt, & tenues & crassæ, quæ sanguinem fundentes occidunt. Post paulum sic concludit: Quæcunque igitur uulnera tempus nanciscuntur, aut corpus & mentem huiusmodi, aut ita gliscentem sanguinem, aut magnitudine tanta fuerint, ut homo ad curationem adduci non poßit absque contemptu, ab his quidem discedere oportet. Obseruat autem tria pericula, febres, in his serpentes nomas, & sanguinis eruptiones: ut non solùm Aphorismus sit prognosticus sanguinis fluxuri, quod ad qualitatem morbi attinet, sed etiam mortis aut sanitatis sperandæ. Tum uerò illud obseruãdum, quod præcipit Hippocrates libro de Fracturis, ne tertia aut quarta die soluantur. Nostra ætate etiam uitant, ubi periculum fluxus sanguinis, ne soluant ipsum uulnus. unde præsente hoc signo, seu pulsus sit in arteria, seu corde, non adhibent manum uulneri. Sæpe enim accidit, ut in huiusmodi casibus & in alijs lethalibus uulneribus, ut æger in ipsis manibus medici pereat.

Pag. 5. Pag. 13. Pag. 22. Pag. 7. Pag. 16.

Sec. 5. 7. & com. 12. reat. Propterea etiam dixit in ſexto Epidemiorum: In uulneribus ſanguis concurrit: propterea opitulandum, ut uacuum expleatur. Recipio autem ultimam Galeni interpretationem, ſcilicet quòd oporteat linamentis & unguentis implere cauum uulneris, ut ſanguis effluat. Sunt autem modi plures ſiſtendi ſanguinem, cùm ſeu palpitauerit cor, ſeu in uulnere ipſo ſit pulſatio, non qualis in abſceſſu, ſed calor ſentitur magnus abſque dolore, & plenitudo quædam. Cùm igitur hæc apparuerint, non ſoluemus uulnus, ſed lintea aceto madefacta in circuitu imponemus: & emplaſtra parabimus ſiſtentia ſanguinem, cuiuſmodi ſunt è ſarcocolla, thuris cortice ſeu manna, gypſo, ſtercore aſinino, partim lentore ſuo glutinantia, partim aſtringentia. Diuertemus etiam cucurbitulis, uenæ ſectione, ſi exigat, uinculis, atque huiuſmodi. Quæ ratio in pulmonis uenarum ruptura tenet, & titillatione dignoſcitur. ita ut ſint tres differentiæ ſignorum, in corde palpitatio, in pulmone & conſimilibus titilllatio, in uulneribus pulſus: atque hæc omnia ſine dolore, prænuncia effuſionis ſanguinis. Hoc autem maximè circa uenas magnas, & præciſis arterijs. Quibus quandoque ſuccurrimus comprimendo digito, alijs uas uinculo excipiendo, quandoque adurendo.

APHORISMVS XXII.

A' Ventris dolore diuturno, ſuppuratio.

COMMENTARIVS.

¶ Si quis dolorem qui per circuitus redeat, intelligat, uocètque diuturnum, falletur omnino: nam is à flatu fiet. Sin uerò continuum, diſtinguere oportet, utrum cum febre ſit, & in qua uentris regione torqueat. Inquit igitur Hippocrates primo Prognoſticorum:

A' textu 29. ad 41. Abſceſſus in ilijs durus & dolens, peſſimus eſt, ſi in omnibus ilijs fatiget: ſi uerò altera parte infeſtat, ſiniſtra minori cum periculo eſt. Talis uerò ab initio periculum mortis citò futuræ ſignificat. Quod ſi uigeſimum tranſcendit diem, & febris detinet, & abſeſſus non deſiſtit, in ſuppurationem uertitur. Accidit his in prima circuitione, ſanguinis è naribus fluor, atque admodum iuuat. Sed requirendum eſt, num doleant caput, an hebetudines ſubeant oculorum. Si quid enim horum fuerit, eò tendet. Magis tamen in iunioribus quinto & trigeſimo anno ſanguinis fluorem expectare oportet. Si uerò mollis abſceſſus eſt, nec dolet, & preſſus digi is cedit, diuturniorem efficit iudicationem, ac minori cum periculo eſt: ſi uerò prætereat ſexageſimum diem, & febris detineat, nec deſiſtat abſceſſus, fore ſuppurationem hoc loco & reliquo uentre ſignificat. Quicunque ergo abſceſſus dolens, durus & magnus eſt, periculum mortis breui fore ſignificat: quicunq; uerò mollis, non dolens, digitis cedit prementibus, diutius immoratur. Abſceſſus qui in uentre fatigat, minus facit abſceſſum, quàm qui in ilijs; minimè uerò partes ſubter umbilicum in ſuppurationem uertunt: ſanguinis uerò fluorem, maximè de ſupremis ſedibus expectare oportet. Vniuſcuiuſq; abſceſſus ſuperſedentis quod in his fatiget ſedibus, ſuppuratio conſideranda eſt. Suppuratio inde proueniens, ita conſideranda eſt. Quæ enim foras uertitur, optima eſt, ſi parua eſt, maximéque egreditur, & in mucronem eſt faſtigiata. Si uerò magna eſt & lata, minimè que in mucronem contracta, peſſima eſt: quæcunque uerò intrò rumpitur, optima eſt, ſi cum exteriori ſede nihil communicat: ſed adducta eſt, nec dolet, & omnis exterior locus unicolor apparet. Hæc ille. ſed œdematis nomine utitur abſceſſus loco. Galenus cùm ibidem uerè de hoc nos admoneat, ſatius duximus rem ipſam ſublata ambiguitate ſermonis explicare, quàm uim uerborum conſeruando ſententiam reddere ambiguam, aut difficilem.

Vt ergo ad rem reuertamur, ſententia Hippocratis eo in loco hæc eſt: Abſceſſus in uentre quidam perniciem ſtatim afferunt, quidam ſuppurantur, & quidam in ſcirrhum tranſeunt. Eorum qui cum ſebre ualida, ſunt deteriores, qui in utroque latere: pòſt qui in dextro ilio: mitiores, qui in ſiniſtro: cùm diem ſexageſimum tranſcenderint, ſi nō finiantur, & febris permaneat, ſuppurantur. Hoc eſt ergo, quod per diuturnum intelligit hîc, id eſt ultra diem ſexageſimum. Oſtendit etiã febrem quandoq; finiri abſceſſu manente, tuncq; in ſcirrhum tranſit. Quinq; enim modis quilibet finitur abſceſſus, ſcilicet uno ex his. aut enim crudus perimit, cùm magnus, durus & dolens fuerit: tũc enim celeriter perimit, & tanto celerius, quo fuerit maior, durior, & cũ dolore maiore. Magnitudo enim febris & caloris excitat uehementiã, duricies contumacem reddit ad coctionem & tranſmutationem, qui duo ſunt modi ſolutionis abſceſſuum: omnino autem

autem resolutioni tam magnitudo quàm duricies ineptæ sunt. dolor uires posternit, materiam ad locum trahit, & febrem excitat. locus quoque, scilicet ut sit in profundo, & in dextro latere: sic enim in iecore erit. Si uerò ante uigesimum diem, cum talis fuerit, non tamen occidat, suppuratur. Neque enim ante eum diem, sed post, & usque ad sexagesimum, potest & occidere & suppurari, & resolui & transmutari, & in scirrhum uerti: sed à sexagesimo die si febris & abscessus maneant, suppuratur: sin autem febris abscedat, in scirrhum uertitur necessariò. Ante uigesimum diem & usque ad sexagesimum resolui potest. atque hic tertius est modus, cum abscessus fuerit mollis, paruus, & uirtus ualida. Soluitur, cum non durus, fluxu sanguinis narium, cum uirtus ualida fuerit, & ætas florens. Quòd si uirtus fuerit minus ualida, & materia crassior, transmutari solet, atque id intra diem sexagesimum, non autem post. In lateribus suppuratio facilior, & frequentior quàm e regione uentriculi, quia calidius est iecur, & lien uentriculo: & ob id etiam facilius in dextro quàm in sinistro ilio. in imo autem uentre nequaquam suppuratur, ob eandem rationem: frigida enim est ea pars. Eorum qui suppurantur abscessuum, meliores qui exterius rumpuntur, quàm qui interius. Ex his qui exterius, melius se habent in mucronem tendentes: parui, non profundi. ex his qui intus, minus praui cum dolorem non afferunt: cutis est concolor, & cum exteriori sede non communicat. Talia scire expedit eum, qui præsentem Aphorismum sit interpretaturus. Nō dicam ego, neque teram tempus in describendo contentiones imperitorum: quod Galenus iræ impatiens, dum facit, sæpius quasi medici sui temporis nobis & posteris noti futuri essent, obliuiscitur utilium præceptorum. Satis esse debet, ut exemplo nostro, cum incidissemus in duos medicos: quorum alter erat imperitissimus, & asinus purus, alter contentiosissimus & ambitiosissimus, nunquam sentētiam Hippocratis, quamuis me docente, percipere potuerūt, quin imò uerba mea perperàm interpretātes in contradictionē trahere nos conabātur. Sic enim furebant, & inuidia premebantur, ut nec intelligerent: nec tēpus quod ego illi offerebā, ad studendum recipere uellent. Quid igitur attinet hos reprehendere? quasi errandi non sint infinitæ uiæ: aut defuturi sint unquam, qui malignitate & ignorantia aut ambitione cuncta peruertant. Sed ueritas cum in medio iaceat, quasi ad libramentum ponderibus pressa, semper ubi semel innotuerit, exurgit. Cum igitur in uentre, id est spacio quod ab ensiformi furcula per ilia tota utrinque ad pubem extenditur, diuturnus dolor, non per circuitus (ne in casu simus eius Aphorismi, Quibus tormina & circa umbilicum dolo- lib. 4. Aph. 10.
res & lumborum dolor, qui neque medicamento neque aliter soluitur, hic in hydropem siccam lib. 6 Aph. 38.
firmatur) sed continuus: diuturnus autem, quoniam superius dixit, Quibus circa hypochondrium absque inflammatione fit, iis febris superueniens dolorem soluit. his necesse est esse abscessum, non humorem crudum tantum, aut flatum, aut malam intemperiem frigidam. quare oportet ut tandem materia quæ in scirrhum consque abire non potuit, nec transmutari, nec exhalare, ut in suppurationem conuertatur. Solet enim hoc quædam tabifica febris, ac lenta, tū inæqualis & uaria comitari. Oportet autem dolorem in uno loco firmum esse: aliter diuturnus dolor non dici debet. neque enim tunc erit unus, si sedem mutet. Sic ergo diuturni nomine continentur firmius, & continuus. Diligenter autem animaduertere oportet, quòd Galenus uera dicit de flatu, intemperie & acri humore, quod dolorem diuturnum afferre non possunt. si ritè curentur: sed non omnes causas enumerat, quibus diuturni dolores contingere possunt, præter abscessum: nam & à crudis humoribus, sed non perpetuis, & ab ulceribus, sed hi conspicuum signum habent sanguinem & saniē, fieri solent. Id igitur diuturnos & continuos intelligere oportet.

Manifestum uerò est, his antea & tunc emplastra conuenire, quæ aut resoluunt aut cocoquūt materiam. Sed se dicas Hippocratē nolle ut infra umbilicum suppurentur: Respondemus, uerbum Minimè non pro negatione, sed comparatiuo sumendum, seu superlatiuo eorū quæ suppurantur. uelut si dicamus, Statius minimè poesim sapit. hoc autē ex emphasi uerbi dignoscitur, & quoniam præcessit iam comparatio: nam qui in iliis fiunt, maximè suppurantur.

APHORISMVS XXIII.

A Syncera deiectione, difficultas intestinorum.

COMMENTARIVS.

¶ Addunt aliqui, malū: contra Galeni senten- Com. 6.
tiam, & utriusq; Græci codicis fidem. Quod autem syncera deiectio mala sit, & quid sit, uisum est superius. reliquum est ut doceamus, cur difficultas intestinorum facilè subsequatur deiectionem synceram. Fit syncera deiectio, cum humor

ipse aut separatur, aut exuritur quod liquidum est atq; humidissimum: atq; hic modus deterior est, quoniam erodit intestina, seu flaua seu nigra bilis exusta sit: unde etiã per se lethalis est, lib. de Cap. 3. Atra bile. Intelligit autem deiectionem syncerã, quæ diu perseuerat. nam si semel eueniat, non est necesse ut pariat difficultatem intestinorum. nam multi emissa atra bile postridie mo- Aphor. 23. riuntur: quarta Aphorismorũ. Quòd si difficul- 4. Aphor. tas intestinorum ab atra bile incipiat, lethalis 29. est, ut uisum est suprà. Seu ergo subsequatur seu non, difficultas intestinorum nigræ bilis exitus lethalis est: & si superuixerint, subsequi solet. At ex minus acribus, flaua bile aut æruginosa, aut salsa pituita, cum sinceræ fuerint, & perseuerarint, fieri difficultates intestinorum uerisimile est. Eodem modo & à uenenis hæc subsequuntur, & magis in teneris corporibus, uelut pueris talia eueniunt. Non solùm igitur deiectiones synceræ solent párere difficultates intestinorum: sed & eas quas pariunt, efficere lethales. Nec solùm in huiusmodi, sed in sputis & uomitibus syncera excrementa mala sunt, non tamen peculiarem morbum faciunt. Est autem maximè consideratione dignum, quod Pag. 10. dicitur secundo Prædictionum, dysenterias scilicet cruentas, & longis & acutis morbis, imò etiam utero gerentibus esse salutares; at quæ cum dolore adsunt, & maximè si signa quæ ibi enarrat, affuerint, perniciosiores. Sunt autem, febris, abscessus in aliquo membro naturali, maximè in iecore, ætas puerilis usq; ad quinquennium uel senectutis, cibi fastidium, dolor magnus, sitis, aut si uariæ sint egestiones.

APHORISMVS XXIIII.

IN ossis præcisione, desipientia, si in uacuum apprehenderit.

COMMENTARIVS.

¶ Desipientias fieri osse præciso, cum uulnus totum os præscindes usque ad uacuum intrò descenderit. Nam ut Galenus rectè dicit, tunc noxa communicatur cerebro per membranas: fit enim desipientia necessariò ex mala tem- Cap. 7. perie in cerebro dominante, ut secundo de Symptomatum causis habetur. uidetur autem, quemadmodum & in præcedenti, significare pronã consequentiam, & cum consequentia etiã per- Aphor. 14. niciem. Velut in superioribus: A' puris sputo phthisis & fluxus. Duo præcipua signa cõme- Pag. 8. morat Hippocrates secundo Prædictionũ, concidere ex uulnere uel ictu, & in soporem decidere, scilicet ut sine sensu iaceat. Veruntamẽ in lib. de Capitis uulneribus, cum pessima signa illorũ Pag. 9. enumerauit, subijcit: Et desipiens homo moritur. Cap. 3. Galenus tamen innuere etiã uidetur aliam causam amissionis, rationis & sensus, septimo de Decretis Hippocratis & Platonis, effusionem scilicet copiosam animalis spiritus. An ergo ex solo uulnere id contingere possit, nulla facta intemperie, potius est curiosi quàm sapientis uiri. Mihi sanè persuasum est, quòd non. nam statim tametsi diuisum sit membrum, non delirant. At aliud est sensum amittere, & stupidos manere: aliud est delyrare, atq; insanire. Sunt quædam exemplaria huiusmodi: In ossis capitis præcisione desipientia, si in uacuum apprehenderit. quod est idem, sed clarius.

APHORISMVS XXV.

EX medicamenti potione, conuulsio lethalis est.

COMMENTARIVS.

¶ Non idem est hoc ei: Conuulsio ex helleboro, lethalis est. Nam ibi præter purgandi uim, 5. Aphor. 1. helleboro qualitas inest acris, qua neruos et uentriculum offendens, excitat conuulsionem. Præ- 5. Aphor. 4. terea nec ei: " Ex superflua purgatione conuulsio " aut singultus superueniens, malum. Nam hoc ex immodica purgatione cum eueniat, ut ex aperta causa, non adeò est uerendum. Si igitur nec ex acrimonia, nec ex superflua purgatione homo assumpto medicamẽto, seu purgante seu non, sed maleficio, conuulsio excitetur, lethale est. Docuimus enim in primo & secundo de Venenis, Cap. 19. cap. 1. propriũ illis esse conuulsionẽ excitare, esseq; signũ id maximè lethale. Violentas enim (cum omnes per se malæ sint) conuulsiones refugit Hippocr. Quæ enim ui medicamenti mali, ut colocynthidæ solitariæ & castorei corrupti, & anacardorum, & solani, & cicutæ, & apij risus potione eueniunt conuulsiones, ex malefica qualitate cèrebro communicata, non ob purgationem, celerius & certius perimunt, quàm quæ ob purgationem humorum & illorum uitium. cerebrum enim non secus ac ex ictu, peregrina affectum qualitate non resipiscit. At si ob commotionem humorum id fiat, oportet illos & multos esse, & uehementer malos, qui nondum commoti id agant: quare si non educantur, spes est ægrum ex huiusmodi prauitate interiturum.

APHORISMVS XXVI.

IN uehemẽti dolore uentris partiũ extremarum frigiditas, malum.

COM-

¶ Quatuor modis ex uehementi dolore uen-
tris frigiditas euenire extremorũ poteſt, atq; in
ſingulis malum eſt ſignum. Primus eſt, cùm ab-
ſceſſus in uiſceribus generatur, de quo actũ eſt
4. Aphor. 48. ſuprà. Secundus, cùm propter dolorem calor re-
uocatur intùs. trahit enim dolor ut cucurbitula:
Pag. ult. & hoc uidetur ſentire Hippocr. de Veteri medi-
Cap. 8. cina. & clarius Galen⁹ libro de Sanguinis miſ-
Cap. 4. ſione, et quinto Methodi: Nihil eſt quod fluxio-
nes magis excitet, & phlegmonas faciat, quàm
dolor. & in tertiodecimo, dum reddit cauſam,
cur dolor phlegmonas excitet, dicit quòd natu-
ra conatur expellere ac detrudere quod contri-
ſtat, cuiuſmodi eſt dolor. Huius ergo cauſam dũ
uult exprimere, cõprimit circũuicinas loco do-
lenti partes, atq; ita exprimendo circũcirca par-
tes oẽs, in mediũ locum dolẽtem aliquid detrudit
Cap. 3. ſanguinis & humoris. & in Arte medica: Om-
Cap. 95. nis dolor fluxiones mouet. Idem ſecundo de Fe-
brium differẽtijs. & generaliter reducit fluxio-
num cauſas ad duas, calorẽ & dolorem, ut etiam
Cap. 11. tertiodecimo Methodi paulo poſt locũ dictum:
Pag. 3. Sed hæc mittamus, & de dolore ſolũ loquamur,
Cap. 3. de quo dicebat Hippocrates libro de Victu in a-
,, cutis: Quũ dolores acceſſerint, atræ bilis & a-
,, crium fluxionũ affluxus fiũt. Tertius eſt, ut re-
ſoluto calore ob dolorẽ, ſiquidẽ dolor uires exol
Pag. 14. uit, duodecimo Methodi, et tertio de Victu in a-
Cap. 1. cutis. Quartus modus eſt, ut ob copiã humorũ
calor naturalis obruatur, atq; ita refrigerentur
extrema. Porrò humores illi abundãt aut à do-
lore attracti, uel quia dolorẽ ipſi excitẽt. Mira-
Com. 33. bile dictu, q̃ Galenus ſuggillet Hippocratẽ, qua-
,, ſi debuerit: In uehemẽti dolore uẽtris totius cor
,, poris exterior pars refrigerata, malũ. Conten-
ditq; eadẽ ratione, qua extrema refrigerãtur, &
cutim totã debere refrigerari. Quinimò cenſet
ſic generalius dictũ, ego uerò in utroq; illũ falli
puto, experiẽtia docẽte, ſæpe quidem refrigerari
ob dolores uehemẽtiſſimos extrema, partẽ autẽ
exteriorẽ uniuerſi corporis nequaquã. Præte-
rea dictũ generalius illud mihi uidetur, in quo
pauciora aſſumũtur, ad oſtendendũ quod propo
nitur: at minus eſt dicere, Extrema refrigerari, q̃
totius corporis partẽ exteriorem. Ideo dubiũ nõ
eſt, dictũ Hippocratis ſic prolatũ eſſe generalius
Galeni adiectione: neſcio, ubi ille hoc inuene-
rit. Certè ſi hoc eſt ex his quæ poſita ſunt in li-
bris de Demõſtratione, nouũ eſt genus Dialecti
cæ. Sed manes inſignes omittam⁹. Extra ꝓpoſitũ
planè eſt, quod adducit Fuchſius de primo Apho
riſmo huius particulæ: neq; enim dolor morbus
eſt acutus, cum adhuc dubitari ſoleat an ſit mor-
bus. Plinius exiſtimat uehementiſſimos eſſe do-
lores calculi, pòſt uentris, inde capitis: quòd ob
huiuſmodi dolores, nõ ob alios, homines ſibi con
ſciuerint mortem. Braſauolus ilij & uentriculi Lib. 25.
maiores putat, quod plures & citius perimant: cap. 3. in
ſed hoc non oſtendit maiores eſſe dolores, ſed le- fine.
thaliores. quod contingit ob particulæ præſtan-
tiam. nam dum caput dolet, non cerebrum, ſed
membranæ ipſe dolent.

APHORISMVS XXVII.

SI mulieri utero gerẽti teneſmus ſuperuenerit, facit abortum.

COMMENTARIVS.

¶ Vtimur Græco nomine potius quàm La-
tino, ad ambiguitatẽ declinandam. An teneſmus
ex pituita fiat, diſputatum eſt à nobis ſexto Con Contrad.
tradicentium. Hippocrates ſic illum deſcribit pri 15.
mo de Morbis: Teneſmus eſt uoluntas egerendi Pag. 2.
ineuitabilis, isq́; tranſit in dyſenteriam, illa in læ
uitatẽ inteſtinorum, hæc demùm in aquam inter-
cutem. Et in libro de Affectionibus: Teneſmos Pag. 8.
ubi apprehenderit, ſecedit ſanguis & muccus, et ,,
dolor fit in uentre inferiore, maximè ubi ad ſe- ,,
ceſſum deuenerit. Et paulo pòſt: Et fit quidem ab ,,
iiſdem, quibus & dyſenteria: uerùm debilior, & ,,
breuis, & non lethalis. Verùm abortum excitat
duabus cauſis. Prima, quòd eodem impulſu quo
feces eijcere conatur, cum una ſit ſubſtãtia recti
inteſtini cum utero, etiam uterus ipſe uexatur uo
luntate illa expellendi, quod continet, & à mu-
ſculis uentris cõprimitur. Secunda, quòd ſæpius
ſurgere compellitur mulier, unde fatigata abor-
tit. Galenus autem neſcio cur omiſſa prima, tan
tùm ſecundæ meminit. Palàm eſt ergo, longè
periculoſiorem eſſe illum teneſmum, qui ex ab-
ſceſſu fit, eo qui fit ex pituitæ acris deſcenſu,
qui plerunq; ſecunda aut tertia
die ſanatur.

APHORISMVS XXVIII.

QVi alba pituita detinetur, ſi uehemens fluxus uentris ſuperuenerit, à morbo liberatur.

COMMENTARIVS.

¶ Inferius ſcriptum eſt, A pituita alba aqua 53.
intercutem ſuperuenit. Cum enim in ambitu to-
tius pituita alba colligitur, fit leucophlegmatia
morbus: qui idem Græcè ſonat, quod alba pi-
tuita. Vocatur & anaſarca, & ab Arabibus hy
poſarca. Dictum eſt autem ſuperius aliquid de
huiuſmodi morbo, tum in quarta tum en ſexta Aphor. 11.
ſectione: nunc uerò ſat ſit adijcer quæ neceſſa-
riaſunt.

ria sunt. Galenus primo de naturalibus facultatibus, uolens docere differentiam inter adiectionem & agglutinationem, dicit: Cum nutrimentum adijcitur, sed non agglutinatur, fit species illa hydropis, quam anasarcam dicimus. Est igitur ex uitio tertiæ concoctionis, quanquam mihi potius functio quàm facultas uitiata uideatur. Neque enim imaginari possum, quomodo uitium idem poßit esse in omnibus membris, brachijs, pedibus, dorso, uentre, quo nutrimentum nõ possit agglutinari: quòd si non agglutinari, nec assimilari. Et si dicas, quod sit solum in pedibus, igitur erit œdema, non anasarca. Quòd si dicas esse in toto, sicut becticam ratione cordis: ita contracta causa ob frigidam & humidam intemperiem cordis: igitur & iecur eadem laborabit intemperie, meliusq; erit tribuere hoc uitium cordi aut iecori, quàm membris. Vt ut sit, potius functio quàm facultas dicetur in his esse uitiata: uerum fieri potest ut soli pedes, tanquam à caloris fontibus remotißimi, debilitentur, atq; ob id pituita illa alba impleantur: inde sensim materia aucta ascendat: & cum hoc refrigeret etiam crura, inde coxas, tandem uentrem etiam repleat, & iecur per consensum refrigeret, & ita per uitium unius partis totum pereat. Fieri igitur potest leucophlegmatia hoc modo, & per intemperiem in iecore, & tunc fiet ubique simul, & per uiam œdematis in uno membro solo: sed resoluitur, antequam augeatur: & ita non ulterius progreditur. Ex quo patet, quomodo per contemptum, et maximè in senibus, homo potest mori ex ulcusculo malè curato, dum fit œdema, & ex œdemate anasarca in pede, crure, & alijs. Et hæc est causa, cur fortes in cruribus producunt uitam, dum euacuant humorem illum superfluum, qui solet demitti ad crura ob iecinoris debilitatem. & rursus patet, cur conclusis fontibus, qui diu aperti manserint, contingat anasarca, & inde mors. Et quòd exercitium, dum præseruat ab hac imbecillitate, in senibus producit uitam: item, quòd senibus conferunt cibi ob id sicci, ut carnes auium grana comedentium, & non humidi, propter hoc periculum.

Vbi ergo materia collecta, ut dixi, uitio potius unius partis, & malo regimine, quàm cordis aut iecoris imbecillitate, detrudatur in uentrem, non destillet sensim ut fiat aqua intercus, quemadmodum ab initio præfatus sum, depulsa per mesaræi uenas ad intestina, fluxum uẽtris facit, ex quo liberatur æger. Et quoniam hoc fit à robore iecoris (ipsum enim est fons omnium operationum naturalium) ideo etiam fit illo non uitiato: ipsum enim uitiatum non percipit noxam, nec potest quod nocet expellere. Ideo talis operatio est bona ratione causæ, dum materia faciens morbum expellitur: & ratione signi, quia significat robur iecoris, & illius etiam sanitatem.

Quis autem sit morbus, in libro de Affectio Pag. 6. nibus dicebat: Pituita alba corpus totum intumescit albo tumore, & in eadẽ die alia parte melius sibi uidetur habere, alia deterius: & tumor aliàs in alia corporis parte maior & minor fit. Et postquam curam proposuit, subijcit: Morbus autem hic fit à pituita, cum quis ex febribus diuturnis, qui pituitosus natura impurgatus manserit, & pituita ad carnes conuersa fuerit. Et non est hæc pituita albidior alia, uerùm corporis color albidior apparet. Sanguis enim pituitæ copia albidior euadit, et nõ inest ipsi bonus color: quapropter albidiores apparent, uocaturq; hic morbus Pituita alba. Ex quo demiror, cur Galenus de hoc nomine dubitauerit, cum non sit nomen hoc album pituitæ, sed nomen integrum morbi, qui sic appellatur pituita alba: id est, pituita quæ album reddit corpus, seu cutim ipsam. Meminit Pag. 25. eius etiam secundo de Morbis, dum dixit: Intumescit totum corpus albo tumore, & uenter ad contactum crassus est, & pedes ac femora tument: tibiæ item ac scrotum, & aceruatim respirant, faciesq; rubicunda est, osq; siccum, & cum siti: & ubi cibum accepit, spiritus fit frequens: & quandoq; die eadem melius se habet, quandoque deterius. Cui si ab initio morbi turbatus fuerit uenter sua sponte, proximus est sanitati: si uerò non turbatur, tu medicamẽtum propinato quod deorsum euacuet. ponitq; reliquũ curæ. Ex quo patet, hunc Aphorismum etiam curam rectam nos docere. nam huiusmodi morbus facilè medicamentis exsiccatur, si quis ab initio statim occurrat. Est autem familiaris hyemi & mulieribus: & in regione in qua bibunt stagnantes aquas: libro de Aere, aquis & locis. & Pag. 5. reddit mulieres ipsas steriles, ut ibi dicit. Et facit illius duas species libro de Internis affe- Pag. 12. ctionibus: sed priorem quam uocat popularem, non uocat pituitam albam, quia recens est: sed antiquam, id est diuturnam. constat enim morbum longum esse, de quo inquit ibidem: Grauat hominem magis, & speciem à populari alienam habere uidetur pallidiorem, & totum corpus laxo tumore intumescit. atque

eadem

eadem subijcit, quæ ex secundo de Morbis reci-
taui, nisi quòd post illa uerba, Melius se habet,
,, hæc subijcit: Aliquando repentè dolor ei adue-
,, nit, & sibi mori uidetur. Similiter & post illa:
,, Quod deorsum euacuet, Cneoro, aut Hippo-
,, phae, aut cnidio grano, aut lapide magnesiæ.
Plin.lib. ἱππόφεως, inquit Galenus libro de Linguis
26.cap.10. Hippocratis, non solùm lappago nominatur, sed
» & carduus & stybum. Est autem lappago simi-
» lis anagallidi, nisi esset ramosior, ac plurib. folijs
» aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris:
» quæ talis est, mollugo uocatur, similis, sed aspe-
» rioribus folijs asparago, cuius succus pondere
» denariorum undecim cum uini cyathis duobus
» quotidie sumitur contra podagras tam calidas
» quàm frigidas. Constat igitur, inter purgantia
esse medicamenta. De carduo notus est. Sty-
bum autem frutex est, quod carnosa habet fo-
lia. Sed quidam per i scripserunt. Cneorum
1. de Hist. describitur à Theophrasto. eius est album, quod
planta.cap. ualde est odoratum. Itaque notum est. neque e-
16. Theo- nim notum dici debet, quod inuenitur, sed quod
phrastus. perfectè ab antiquis descriptum est, cum pericu-
lum non sit ut natura deficiat. ubi enim planè
notis descriptum est aliquid, notum dici debet.
Quòd si cum hoc etiam nobis offeratur, notis-
6. de Hist. simum dici potest. At quædam nota non sunt,
plan.cap.2. quæ plenè qualia sint, non sunt explicata: cuius-
modi costus, iuncus odoratus: sed iuncus à gene
rali forma tum odore dignosci potest, tum ratio-
ne loci ubi nascitur, uelut & calamus odoratus.
9. de Hist. Sic narcaphthum & multa alia, quæ adeò con-
plan.cap.7. cisè descripta sunt ab antiquis, ut illa uerè &
meritò ignota dici possint. At cnicus, carthamus
ab Arabibus uocatur, granum est candidum
cum candida medulla, gratissimum psittacis, flo-
re croco simili admodum: hoc granum purgat
pituitam optimè, ut meritò conueniret pituitæ
albæ. Sed cnidium granum à cnico differre ui-
Cap. 25. detur, tertio de Simplicibus medicamentis. Item
Cap. 2. in primo apertè. Constat ex illius historia, gra-
num fuisse album, quod pituitam abundè, sed
uehementius purgat: ut constet eiusdem fermè
fuisse naturæ. tum uerò notissimam, ut cneo-
rum, quod & cnesium appellatur. est quæ
Lib.21.cap. coronaria herba, apud Plinium in nono, de com
9. positione medicamentorum secundum locos, uo-
cat Chamelæan. Est autem adeò odorata, ut
Cap.3. Hyginus Casiam appellare soleret. Magnesia
Thessaliæ annexa est. Magnetis Aethiopicum
Plin. lib.4. genus è quinque unum, Magnesia mittit, ut Pli-
cap.9. nius auctor est. Quod satis rectè respondet
Dioscoridi, de illa dicenti: Datur trium obolo- Lib. 36.
rum pondere ad crassos humores expurgandos. cap.16.
Est autem obolus, grana duodecim. Quòd si e-
tiam loco stybi apud Galenũ stybium legas, ha-
bebis præclarissimum illud etiam Matthioli in- Lib.5. cap.
uentum notum fuisse Hippocrati: quod ta- 105.
men ob præparationem
non credo.

APHORISMVS II.

QVibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit.

COMMENTARIVS.

¶ Quod nullibi aliàs in præsenti Commen-
tario ob difficultatem Commẽti Galeni solitus
sum, hic facere decreui. nam Hippocratis sen-
tentia planè aperta est. Reprobare nititur, quæ
hic dicit Hippocrates, totis uiribus. Primùm,
quod trifariam spumosa excrementa fieri pos-
sunt: uel si materia huiusmodi è capite in uen-
triculum defluat, uel si ex alijs uasis (quæ au-
tem sint, aut esse possint, haud exponit) uel si in
ipso uentriculo spumosa fiat, non igitur ex solo
cerebro. Præterea, quòd ubicunque fuerit cau-
sa continens spumæ, ibi spuma generari potest.
Subijcit ergo: Est autem huius pituitæ causa ‹‹
cõtentiua flammosus spiritus, dum humori com ‹‹
miscetur, uehementem habens motũ & inæqua- ‹‹
lem: ita ut & ipse dirumpatur, & pituitam fran ‹‹
gat in multas ac paruas partes. Talis uerò mo- ‹‹
tus ipsius causa est, & propria natura, & ca- ‹‹
loris nonnunquam multitudo. Dictum est autẽ ‹‹
de his libro tum secundo, tum quinto. Sed pro-
sequar. In tertia parte Galenus oppugnat eos, Aphor. 43.
qui dicunt etiam ex pulmonibus ad uentricu- Aphor.13.
lum spumosam pituitam deferri posse. Hoc e-
nim alicuius celebris expositoris, Hippocratem
etiam carpentis, dictum fuisse uerisimile est. id
uerò tribus rationibus. Prima, quòd in fluxio-
nibus à capite ad pulmones, cum spumosa emit-
tuntur, non tamen egestiones spumosæ appa-
rent, quæ apparere deberent. Dicebant autem
hi (ut ex Galeni argumento apparet) quæ è
capite ueniebant, ideo spumosa in excrementis
apparere, quòd per pulmones transirent, supe-
riore auctoritate ex quinto libro freti. Qui-
bus sic occurrit Galenus. Quomodo id con-
tingere potest, cum persæpe etiam quæ spu-
unt è capite ad pulmones, defluxa spuma ca-
rent: quanto magis si ex uentre excernantur,

ubi in uia à pulmonibus ad intestina spuma desinet. Secunda, quia nec sanguis ipse è pulmone excretus per sputũ semper est spumosus, nisi ex eo ipso principaliter ueniat: nec si ex morbo laterali, & quod maius est, inquit, ex pulmonis etiam abscessu nequaquam est spumosus. Tertia, quòd si materia ex capite descendens ad pulmones potest efficere spumosam fecem, oportet ut ex pulmone in cor deferatur, inde ex corde in cauam uenam, & ex ea in gibbum iecoris, inde in concauum, pòst in intestina descendat: uel, ut postquam in cor peruenerit, per arteriam magnam feratur in mesaræum. Quorum utrunque refutat, dicens: Quomodo fieri potest, ut per tot uenas transiens spumosum maneat? Sed hæc missa faciamus, difficiliora quàm utiliora: sed uolumus ostendere, illos qui se Galenicos profitẽtur, Galenũ haudquaquam intelligere, ubi difficilis est, aut seriò res tractat. Quàm feliciter autem? planum est iugulare, ut dici solet, mortuos. At uerò quòd indignè, ut solet, arguat Hippocratem, ferendum non est. nam è tribus causis spumæ quas adducit, una est Hippocratis in textu: aliam, ut dixi, non docet: tertia est, quòd in uentriculo spumosa pituita fiat. Dicimus uno uerbo, experimentũ & rationem esse pro Hippocrate. Experimentum quidem, quia uidemus ita semper esse: rationem, quia pituita quæ in uentriculo gignitur, non est adeò tenuis, ut efficere possit spumam illam, qualem in saliua uidemus: nec uentriculus respirat, ut cerebrum & partes oris, quæ continuo spiritu flant & reflant. Ad id, de causa per eadem, nec materia nec efficiẽs abundè suppetit: materia enim craßior est, & spiritus deficit. Præterea, etsi semel aut bis id contingere posset, non tamen in longo processu. Sermo autem Hippocratis, ut manifestum est, cùm excrementa spumosa diu perseuerant.

APHORISMVS XXX.

Quibuscunque febricitantibus in urinis fiunt sedimina, ueluti farina crasſior, longam egritudinem significat.

COMMENTARIVS.

¶ Cum hic liber sit totus prognosticus, hic de urinis agere, præcipua pars prædicendi, incipit. Sufficiet autẽ in hac expositione proposuisse quæ ab alijs dicuntur, & primùm ab Hippocrate in libro Prognosticorum, non rectè à Pag. 5.
Fuchsio citata: Subsidentiæ in urinis craßiores, farinæ partes referentes, prauæ sunt: his autem peiores sunt laminosæ. Addit pòst, quòd hæ & aliæ quas ibi adducit, incoctum significant morbum. Alia auctoritas citatur à Galeno in
primo Epidemiorum: Decimo minxit multum, Aegro 2.
subcrassum, quod in matella euadebat: quod subsidebat, erat simile farinæ craßiori, album: undecimo obijt. Tertia auctoritas est eiusdem
in tertio Epidemiorum adducta à Galeno: Se- Aeger.3.ante constit.
cunda die urinæ tenues, uariæ, in medio pendẽs quiddam, habentes minutim dispersum, uelut farinæ craßiores & genituræ similes. Ex quibus colligit Galenus, huiusmodi urinas lethiferas esse, si quidem uirtus ualida sit post longum tempus. Quanquam qui in Dealcis habitabat horto, quadragesima die, & tanto pòst illam urinam sit liberatus: si autem sit imbecillis, paulo pòst moritur æger. atque ita Hippocratem accusat. Sed rei ueritas est, ut dixi, quòd Hippocrates intelligit de urinis perseuerantibus huiusmodi, non si semel excernantur, ut in Sileno. Casus enim quidam fuit, & tunc longum morbum semper significant, & crudum scilicet, & robur uirium, ex quibus longitudo morbi necessario declaratur. Hoc autem statim intelligemus, cum causam sedimenti hu-
iusmodi docuerimus. Galenus secundo Progno- Com. 28.
sticorum duo genera docet sedimenti farinæ similis, tenuioris & craßioris. Craßior propriè fit aut assato sanguine, aut carnibus consumptis: pars relinquitur assata, uelut in sartagine, ideoq; dura. tenera enim pinguedine, ac noua, inde uetustiore, pòst noua carne, inde uetusta, demùm solidis ipsis particulis etiam squammæ excernuntur. Hoc uolui adduxisse, ut intelligerent lectores, quàm absurda quandoque sit Galeni expositio: quamq; perniciosi humano generi, qui illam ita pertinaciter tuentur. aut enim non intellexit: aut non, cum Prognostica uel Aphorismos exposuit, sed alibi. neque enim omnia omnibus in locis auctores intelligunt. Quàm
melius Actuarius, cum inquit: Veruntamen 1. de Causis
non ignorare oportet, interdum humorum cru- pul. cap. 20.
dorum concretorum effigiem quandam apparere, uergentem ad species similes prædictarum hypostasum. De huiusmodi sermonem habuit Hippocrates, docens semper longum futurum morbum, qui nõ nisi serò concoqui poßit, & uiribus cum inualidis non fiat.

APHORISMVS XXXI.

QVibus autē biliosa sedimina supra tenuia, acutū morbum significant.

COMMENTARIVS.

¶ *Insanire uidear, si errata Galeni prosequendo, qui Hippocratem non intelligens accusat, longiorem efficiam expositionem. Ait ille, se nunquam uidisse tenuem, id est aquosam urinam suprà cum sedimento bilioso. At ego nunquam nisi tenuem aut tenuissimam uidi: nam si per tenuem, aquosam, id est albam intelligit urinam, quid absurdius? cum sit contradictio in ipsis primis uerbis. Quinimò cum talē intelligit, adijcit, decolores, ut in tertio Epidemiorum: In secundo ordine urinæ tenues, & decolores. At quod tenuem esse necesse sit, demonstrare possum. si enim contentum biliosum est, idem est & tenue: at si tenue contentum, & urina tenuis erit. Quid ergo sibi uelit Galenus hac in parte, certè nescio: rarò cum tenuibus contentis, crassa est urinæ substātia. Longior essem, nisi de his peculiari demonstratione in opere de Vrinis locutus essem. nunc ergo quod præsens est, tam clarum est, ut penè non indigeat demonstratione. Est autem huiusmodi: Cum biliosa sedimina fuerint, & etiam tenuia suprà, id est, biliosa ratione contentorum & substantiæ, acutum morbum futurum decernunt. Quæ enim ex materia tenui fiunt affectiones, periculosæ sunt, & breues. at tales* 7 *sunt acutæ, ut docebat Galenus prima Aphor.* Langué. 6 *Sed cum materia calida est & sicca, est etiam te*-Languen.3 primi ordinis. *nuis, ideo patet quod dicitur. Hippocrates primo Epidemiorum fermè similem urinam in Cleanactide figurauit, cum dixit: Vrinæ tenues, sed nō* Cap.16. de Iudic. Cap.16. *decolores. uti non uoluerit tenues omnes sine colore esse, nec absq; sedimēto: ut in tertio, dum de eo qui in Dealcis horto habitabat, urinæ tenues & subsidentiam habebant. Sed & Actuarius primo de Causis urinarum docet, hæc sedimina fieri uel ex humoris biliosi redundantia, uel copia cibi consimilis, significareq; eiusdem humoris abundantiam in tertia coctione: quod quàm falsum sit, apertè intelligitur.*

APHORISMVS XXXII.

QVibuscūq; urinę distātes sunt, his turbatio in corpore fit.

COMMENTARIVS.

¶ *Vrinarum substantiam diuisam esse, ut pars à parte distet, quid absurdius? Propterea bene fecisset Galenus, tam absonæ interpretationis nec meminisse, quin potius trium (quas omnes prætereunt) quæ quotidie spectantur. Sita enim est siquidem quæ rarius contingit, ut substātia omnino diuersa sit, utpote superior pars tenuis, atque infima crassa, cuius exemplum nullum memini apud Hippocratem legisse, nec unquam planè uidisse. reliquarum trium interpretationum omnium exempla non desunt. Prima siquidem, ut contenta plurimùm inter se distent loco, cuiusmodi in primo Epidemiorum Philiscus:* Languen. 1 *Innatantia quædam in urinis rotunda, genituræ similia, dispersa. Secunda, ut ad uaria tempora referatur, ut ibidem urinæ uariæ. Et in Philini* Langué. 4. *uxore, Vrinæ tenues ab initio decolores: cum loqueretur de illis quæ usque ad quintam reddebantur. Deinde paulo pòst, dum de his quæ in undecima die: Vrinam autem reddebat cum conuulsionibus aceruatam, multam: illis autem parum urgentibus, crassam, albam, qualis est ex his quæ subsiderunt, ubi multo tempore sita, fuerint conturbata: non subsidebant, color & crassitudo talis qualis iumentorum. Tertius sensus est, ut referantur contenta ad urinas, ubi cum tenui substantia crassa continentur. Velut tertio Epidemiorum in Pythione: Vrinæ* Languen. 8 *ab initio & usque ad octauam tenues, decolores, in medio quiddam nubilosum pendens habebant. & huiusmodi plura. Quin etiam omnes fermè malignæ febres tales sunt, substantia tenues, continentq; crassas nebulas, quas globosas uocare solent. Hæc sunt pertrita, generalia, uulgata: quorsum res quasi inauditas quærere? nam quòd dicunt, esse in urinis ob circulum partes distantes, colore, substantia, concoctione (plurima enim hoc uerbo uaria intelliguntur) à reliqua urinæ parte, nihil est, cum semper hæc adsit diuersitas, ut non oporteat dicere quibus. Et ea magna non sit ut distantes dici possint: cum sit manifestum, circulum uiridem & liuidum non nisi in urina quæ talis sit, apparere posse, quamuis non adeò reliqua pars liuida sit, aut uiridis. Pauca ex innumeris in his adduxi exempla ex Hippocrate, & in re quæ experimento notissima est. curiosius autem fuerit errores expositorum aliorum, tum maximè & falsas conuersiones duorum horum Aphorismorum Fuchsij prosequi, cum nec quantū satis est, Galenum reprehendamus.*

APHORISMVS XXXIII.

QVibus in urinis bullæ insidēt, morbum renalem & longum significant.

COM-

COMMENTARIVS.

¶ Vulgata illa de spuma in urina, significante pituitam in cerebro, si in ambitu sint: in pectore, si in medio, ex hoc Aphorismo reprehenduntur, cum ad renes illam Hippocrates referat. Siquidem spuma diu manet, necesse est flatum gigni, & ex lenta crassaq; materia: quod uerò crassum est et lentũ, frigidum est necessariò, idemq; morbos longos necessariò etiam procreat. Palàm est igitur, bullas diu in urinæ superficie manentes, longum morbum declarare: & quanto bullæ maiores fuerint, atq; diutius manserint, eo longiorem morbum significare. Nam pueri solent lixiuio admiscere saponem, ut paleæ efficiant ampullas. quod enim lentum est, multum extendi potest, & in magnum spacium: oleum autem quod saponi immistum est, absumpta iam tenuiore parte, maximè cohæret. Regula etiam est Dialectica: Quodcunque tale est, maximè si tale sit, effectum eo maiorem producit. ut, si frigidum aut lentum morbos longos efficit, quod frigidum est maximè, aut lentum, longissimos efficiet morbos. atque hæc de secunda Aphorismi parte. At de prima, cur magis in renibus? par fuit, quod obscurum erat, Galenum declarare. nihil enim prohibere uidetur, quin materia illa ex qua fiunt bullæ, non ex capite aut pulmonibus, aut uentriculo ueniat. neque enim bullæ illæ, quod arbitratur Galenus, in renibus ex spiritu generantur, quandoquidem uideamus ipsis oculis urinam absque spuma prorsus exire, nec ex spiritu flammoso, ut ille credit: sed dum meijtur, gignitur. Ita uidetur hic uir aliquando rudis, ut qui nunquam literas didicisset: quod tamen ei ex imperitia non aduenit, sed quòd minimum curæ rebus adhibuit, contentus solùm uel alienos præripuisse labores, uel mira ambitione contradixisse, seu iure, seu etiam, ut persæpe, iniustè & perperàm: nonnunquam bene dicta antiquorum in alienum ac ualde absurdum sensum trahens, ut contradicere illis honestius uideretur. Fit ergo spuma ipsa, dum urina exit: indicioq; est, quòd quanto maiore impetu eijcitur, eo fit maior: semper autem fit, sed ex uiscida materia manet: è tenui & minimè uiscida, statim dissoluitur. Quòd si quis caput uirgæ urinæ immerserit, ac primùm faciat ut matulæ imum contingat, sinatq; sensim urinam effluere, nulla prorsus fiet spuma, etiam si morbus renalis sæuissimus infestet. Debuit ergo huius dicti rationem addere, non ita difficilia omnia sicco pede præterire. Est enim ardua admodum quæstio, ut uides, nisi si quis Hippocratem relinquere uelit. Quo circa dicendum mihi uidetur, tametsi materia illa cruda longius ueniat quàm à renibus, aut omnino necesse esse ut generetur morbus in renibus ex tam uiscida materia: aut non posse esse uiscidam materiam, nisi in renibus consistat, & morbum generet. Mihi sanè uidetur, quòd bullæ quæ diu insident & magnæ sunt, ex materia uiscida in renibus necessariò fiant, aliter attenuatæ iam essent transitu longo per uenas: atq; ita Hippocratis dictum uerum esse, nec debere aliter intelligi.

Propterea Actuarius primo de Vrinarum differentijs, proponit quinque distinctiones bullarum, quarum Prima est, quòd quædam apparent in corona, quædam in medio urinæ, uel utrobique: in corona autem tota, uel dimidia, uel parte tantùm. Secunda, quòd bullæ aliæ sunt simplices, aliæ multæ connexæ in latitudine, scilicet medium uersus: aliæ non connexæ, tametsi multæ sint. Quæ diuisio eadem ratione de bullis iuxta altitudinem intelligi debet. semper autem quæ sublimes sunt, & quasi alias inequitant, aut ad medium extenduntur: his à quibus oriuntur, sunt minores. Quarta diuisio est, quòd bullæ aliæ sunt paruæ, aliæ magnæ. Quinta, bullarum aliæ albæ, aliæ coloratæ. Idem secundo de Causis urinarum: Bullæ significant dolorem capitis & renum, & defluxum materiæ ad pulmones. Bullæ enim cum in superficie urinæ generentur, significant materiam spiritu depulsam ad sublimiorem corporis partem, id est caput usque. Si ergo paruæ sint, difficulterq; soluantur, materiam ualde lentam, quæ nec plurimum extendi possit, nec consideat extensa. Atque hæc si circa coronam huiusmodi bullæ fuerint: cum uerò iam concocta fuerit materia, resoluto spiritu, decidit circa mediam superficiem urinæ. Cum autem materia multùm agitatur circa renes, uesicam, seminaria uasa, ob uiarum illarum angustiam, tunc bullæ generantur compactæ simul, atque cum illis colliquationes aut capilli, aut talia. Agitationè igitur maiorem, bulla bullæ adhærens, aut insidens significat: at materiæ crassitiem, si diutius permaneant, magnæq; sint. Idem secundo de Iudicijs earundem: Bullæ in corona sola tinctæ, & integra serie dispositæ, dolorem capitis & affectum illius non leuem significãt. Sin uerò non cohæreant ubique in corona, minora hæc significant, nisi

Cap.18.

Cap.4.

Cap.14.

cant, nisi colorem aureum præ se ferant. namq; magnam nocui spiritus prauitatem ostendunt. Quòd si albæ fuerint, & non continuæ, dolorem quidem paruum: sed si cum tenui fuerint urina, magnam declarant innati caloris imbecillitatem. Quòd si sine hypostasi etiam fuerit urina, obstructionem portendit renum: in medio autem si sit, non in corona bullæ, imbecillitalitatem caloris naturalis, crudorum humorum abundantiam & obstructiones. Sed in febribus, si antea non apparuerunt, declarant initium coctionis adesse. In circulo etiam quandoq; seminis fluxum, quinetiam negat bullas fieri cum rubris aut candidis admodum urinis: quia in una frigus, in altera calor nimis exuberans, impedit illarum generationem.

APHORISMVS XXXIIII.

QVibus insidens pingue, ac simul totum, ijs renum uitium acutum significatur.

COMMENTARIVS.

¶ *Et hoc est difficillimorū Cōmentariorum Galeni unū: expedit aūt illius sententiā potius q̃ Hippocratis declarare. Carpit ergo primùm Hippocratem, cum dicat absolutè insidens pingue significare morbum renum: cum si sit in alui excrementis, colliquationem alibi significet, quàm in renibus: quod uerissimum est. Propterea ut iniustè accusat Hippocratem, ita etiam parum appositè excusat. nam etsi legatur phrenitica pro nephritica, non magis uera erit secunda lectio quàm prima: cum in urinis nephritica, non phrenitica sit: uel quod passionis renum iam genus præsupponat, in quo non uideo quid ad rhombum, si in egestionibus appareat pinguedo. propterea nescio quo modo in re clara tantam obscuritatem & ambiguitatem, aut cur inuexerit. Lege enim sic, & uidebis sensum Aphorismi clarum: Quibus in urinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant: si uerò pingue, ac simul totum uitium illorum acutum significabit. Imò si quis animaduertat, ex oppositis constat oratio: Si in urina bullæ adsint, morbus diuturnus in renibus significatur: si pinguedo confertim, acutus. Verùm dices pro Galeno, etiamsi sit pinguedo in urinis, dicit Galenus, non significabit morbum in renibus, quia poterit decidi à toto corpore. At nec pariter phreniticum potest esse signum. Deinde ut Hippocrates adijcit, non erit simul totum: ideo his relictis, ad declarationem deueniamus: quandoquidem uideatur Galenus rem ipsam satis attigisse, & in fine Commenti præcedentis Aphorismi satis meminisse, ut huic respondentis.*

Quòd igitur dicat simul, totum ad tempus referri affirmat: siquidem è renibus cum propè ueniat, totum pingue simul exit: at ex uniuerso corpore cum per plurimas uenas deferatur, sensim ac paulatim exit. Verba quidem speciosa & pulchra, sed quæ non declarant, an intelligat Hippocrates (simul) id est, in una die: an simul, id est semel tantùm in die: an simul, id est semel tantùm. Hos enim tres sensus recipit. Et non docuit Galenus cum sua experientia, quomodo ex his tribus sensibus & sub quo ex illis sit intelligendus Hippocrates: sed neque quod dicit, satis explicat. Afferamus igitur dèmonstrationem huiusmodi, ut totum sermonem illius plenè intelligamus. Sit, ut hodie ex corpore Socratis colliquetur uncia pinguedinis: & planum est quòd primùm decima pars, exempli causa, eius quæ colliquatur à renibus & prope renes, exibit cum prima urina. Secunda uerò pars, quæ ex iecore & circumuicinis partibus, prodibit in secunda urina: quæ uerò ex corde & pulmonibus & coxis, cum tertia urina: & quæ ex iugulis & genubus, cum urina nocturna: & quæ ex collo & tibijs, in cras manè. Ita quæ ex partibus capitis exterioribus & talis; cras media die. Inde etiam ex membranis cerebri & parte externa pedis, calcaneo & dorso, donec ultima, gratia exempli, perendie ex summa digitorum pedis parte, at ex oculis confluat. Itaque uncia hæc pinguedinis prodibit sensim, & non simul, propter uiæ longitudinem in decem uicibus, ac tribus diebus, & perseuerante causa semper quasi eodem modo, nisi quòd ordo paulatim superuenientium, partium confusionem afferet. Quòd si ex solis renibus tanta quantitas colliquetur, utpote uncia una singulo die, & eum descendere breui, id est, in una die necesse est, non tamen totam simul, sed iuxta causæ magnitudinem. Docet hoc igitur, non quòd tota simul exeat, sed confertim simul, aliquando pars magna: alijs autem uicibus parum aut nihil per interualla. Et hoc est quod experientia docet, non quod Galenus dicit, nec ausus est explicare, quia forsan nunquam hoc uidit. Pinguedo ergo, quæ deciditur à renibus, sensim et ipsa deciditur, ut quæ à toto: quia causa quæ dissoluit, & ipsa sensim dissoluit:

& per

& per plures dies, sicut quæ ex toto. Neq; enim uerisimile est, seu fuerit inflammatio in illis, seu abscessus, seu labor, ut una die finiatur (quanquam labor aliquando una die finiri poßit) sed hoc habet, quod è renibus inæqualiter excernatur, multa quidem ad uices, deinde alijs in urinis pauca uel nulla. Forsan dicet aliquis, cur non & æqualiter, cum in singulis temporibus excernatur? Respondeo, quòd propter lentorē partes inuicem hærent, donec ob multitudinem & grauitatem tota simul separetur & exeat. Vides quæ exponūtur, nec adeò esse facilia, ut Galenus putat: nec ab illo (cum uenia dictum sit) planè intellecta: unde nil mirum, si etiam suus Fuchsius ueritate ipsa coactus, tanquam inuolutū & sibi contradicentem deserat. Atq; hæc de expositione generali, modò specialiter de pinguedine agamus. Cap. 17. Actuarius siquidem primo de Vrinarum differentijs meminit triū urinarū, quæ sunt in suprema superficie pingues. Prima, quæ habet uelut telam araneæ continuā, sed uirgulis quibusdā craßioribus rectis distinctam, ut etiam sunt telæ aranearum. Hanc tantū abest ut non uiderim, ut singulis diebus in urina mea iam quadraginta annis sine ulla noxa, tum in alijs plurib. uideam. Fitq; cùm tenuis est, ex quodā humido admodū tenui colliquato, pingui tamē, ut nunc docebo. Secunda est, in qua apparent & in medio & in circulo ut olei puncta et granula, aliquando plura, aliquando pauca: aliquando maiora uel minora, & splendent, & sunt coloris aurei ut oleum: diceres olei pauculum infusum, sed oleum infusum supernatat & diffunditur, hoc in granula colligitur, & non supernatat, nisi media & superiore parte. Hoc bis uidi, nec in quibus morbis satis memini, est tamen res rara & mira. Tertia est, cū colligitur quod à Græcis uocatur γραῦς, & est ut crustula pinguedinis, uelut in lebetibus cum ius concrescit à frigore. Et hoc sæpè uidi, et in magnis colliquationibus becticarum. Est tamen aduertendum, quòd in his quæ conturbantur, & concrescunt, quia refrigerantur non solùm in suprema superficie, sed in tota urina & urceo adhærens apparet huiusmodi tela crassa, pinguis, sine significatione ulla becticæ: si tamen contingat sine concretione urinæ, uidi non apparere nisi in colliquantibus febribus. Ergo de Tex. com. 35. hoc intelligenda sunt uerba Hippocratis secundo Prognosticorum, non de prima, cum dixit: Si »pingue desuper natans araneorum speciem re»ferat, damnandum est significat enim consum»ptionem. Vnde Galenus in Cōmento: Quale pinguioribus iusculis refrigescētibus supernatat, uo«cata à multis crustula, tale in urina ex consum«ptione existit. Inde admonet nos, ut caueamus Tex. 37. ne uesicæ uitio decipiamur. Manifestum est ergo, non de telis illis tenuißimis intelligendum Hippocratem, quæ forsan in uesica fieri consueuerunt, sed de pinguedine concreta. Quartum genus urinæ pinguis est, cum substantia talis est: nec est perspicua, sed iuri similis. Et hoc sæpius uidi in becticis et phthisicis, in quib. quamuis nihil supernataret, proximi tamē erāt morti. Et est quasi deterior urina omnib. Assuesce igitur uidere iusculū in uitro, ut etiā huiusmodi urinas deprehendas. Vrinarum autem oleacearum Actuarius, in primo de Iudicijs urinarum, tres facit species: Cap. 19. quæ olei speciem refert, quæ similis est oleo colore, & quæ ipsa substantia. Quæ oleo similis est colore, tantùm in principio febrium colliquantium accidit: quæ splendorem refert olei, ac plenè colorem in incremento: quæ uerò oleo prorsus aßimilatur, & ideo minus, ut dixi, perspicua est, hæc in uigore taliū febriū mingitur. Et singulæ harū specierū etiam renum uitio contingere possunt. tunc repētina fit ad illas mutatio, & cum calore ac dolore, et renū laßitudine. at si ex febre, sensim, & sine renū læsione ulla. Memimit urinarū ex colliquatione tertio Epidemiorum: Sec. 3. Tex. 61. & Galenus infrà, ubi docet, oleaginam urinam apparere, cum calor naturalis nutrimentum deserit, ex opinione Sabini. Apparuit enim in Pario, die sexta, qui pòst obijt die centesima uigesima. Sec. eadem com. 72. in fine.

APHORISMVS XXXV.

QVibus autem morbo renali laborātibus prædicta accidunt signa, doloresq; circa spinæ musculos fiunt: si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoq; exterius futuros expecta: si uerò dolores magis circa loca interiora fiant, etiā abscessus interius futuros expecta.

COMMENTARIVS.

¶ Cum docuisset indicia morborum renum acutorum & diuturnorum in duobus proximis Aphorismis: in hoc declarat exitus illorum non omnium prorsus, sed quorundam, scilicet eorū qui cum dolore sunt. ut regula generalis sit: Vbi dolor, ibi abscessum expectare oportet. Superius de loco generaliter hoc dixit, hic aūt specialiter de partib. exteriorib. atq; interioribus:

terioribus: nunc ergo de musculis ipsorum renum Cap.38 agamus, de quibus Vesalius libro secundo dum agit, eos solū accipiemus, qui thoraci & lumbis communes sunt. namq; ceruicis & ossis sacri & coccygis musculorum commemoratio hic minimè necessaria est. Videntur enim uniuersi spinæ musculi octo partibus cōtineri. Quatuor paria superiorum ad renes nihil pertinent, nec eos attingunt: potissimè autem duo paria quintus & sextus, sed & septimus & octauus: tum uerò musculi femur mouentes, qui magis exterius pro Tabula 8 & 14 Secū. lib. tenduntur, uelut spinæ omnes fermè interius, ut ille infrà docet: quanquā solus sextus femoris ad altiora loca extendatur.

APHORISMVS XXXVI.

Qvicunq; euomunt sanguinē, si sine febre quidem, salutare: si uerò cum febre, malum. Curare uerò astrictorijs & refrigerantibus.

COMMENTARIVS,

¶ Postquam egit de signis sumptis ex excrementis naturalibus: hic ponit signa sumpta ex his quæ non secundum naturam transferuntur, tū in sequēti. Quòd ad expositionē attinet, sanguis omnis qui ex ore reijcitur, aut simplici sputo descendens è capite, sed confertim tunc uel ex ore, aut uomitu ex uentriculo & iecore ac naturalibus cæteris membris: aut tussi, ex pectore aut pulmone uel a spera arteria: quandoq; etiam ex capite fluens, in asperamq; arteriam descendes tussim mouet. Cum ergo uomitu reijcitur, ex uentriculo aut membris naturalibus educitur. Plerumq; tamen ex iecore, quod uenas habeat amplas, & sanguine plenas. Vnde primo de Pag.19 Morbis mulierum inquit: Si mulier ex partu sanguinem uomat, hepatis fistula sauciata est. Est autē triplex modus exitus sanguinis: διάβρωσις, id est erosio: ῥηγμοχασμὸς, id est ruptura: & ἀναστόμωσις, id est oris alicuius uenæ apertio. Cum ergo ex naturalibus membris citra febrem acciderit sanguinis reiectio, non nisi ex apertione uenæ contingere potest, cum à fractura febris subsequatur: ab erosione paruæ uenæ uomitus non accidat sanguinis, sed in uomitu sanguis apparet: in magnæ autem febris præcedat, erit huiusmodi reiectio salutaris: quæ curanda erit cum στυπτικοῖσι, id est astringentibus, ac refrigerantibus. Vnde subit dubitatio in illo uerbo σωτήριον, id est salutare (duplex enim habet significatum, quod salutare est & utile, & quod seruari aut sanari potest) ut per hoc distinguatur ab eo quod est cū febre, et est malū. Videtur enim & hoc malū esse, primùm quòd doceat curandum. quæ enim curatione indigent, mala sunt. Et rursus: Quæ sunt præter naturam, non uidentur esse salutaria.

Hinc supersunt duo dubia. Primum illud quintæ Particulæ, Mulieri sanguinem euomenti menstruis erumpentibus, solutio. unde uidetur uomitus sanguinis morbus, etiamsi sit necessarius. Aphor.32. Dico, aliquis morbus, comparatione alterius morbi maioris, salutaris dici potest: ut hæmorrhoides in insanientibus, ut suprà uisum est: ita uomitus sanguinis suppressis mensibus, & multo magis si fluat è naribus, ut quinta Aphorismorū. uerùm 6 Aphor.n. 32. maior est difficultas in Aphorismo illo: Sanguis quidē suprà qualiscunq; fuerit, malum: infrà aūt nigra deiecta, bonum est. Dictum est autem de hoc tum in expositione Aphorismi illius, tū etiā 4 Part. 25. Cōtrad.106 in primo Contradicentium.

Verba autem illa, Curare astrictorijs & refrigerantibus, possunt & ad primam partem referri, ut rationi consonum est: Liquet etiam, quòd ex sermonis ui: uerùm potius ad rationem Galenus respicit. nam si inflammatam particulam astringere ac refrigerare perrexeris, maiorem longè efficies phlegmonem; aut in scirrhum illū conuertes. quæ enim inflammata sunt, suppurare oportet. at, quòd si sine febre sint, etiam phlegmone uacent: intelligis etiam ex his quæ dicuntur in quinto Methodi. non enim solum pulmo 5 Methodi. Cap.11. Cap.15 nis, sed cæterarum partium interiorum acuta febris phlegmones comitatur. Liquet etiam; quòd quæ sanguinem cohibent, quinq; sunt generum: Alia quidem, quia lenta sint, aut astringunt, quæ ambo Galenus quarto de Simplicibus medicamē Cap.6. tis, uocat emplastica. alia, quia minuūt sanguinē, qui est fluxurus ad locū. in quo genere sunt quæ diuertunt, cucurbitulæ, sectio uenæ, inedia. alia quæ ui obducunt impedimentum: ut uincula, compressio cum manu, quam uocant bucellationem, & ustio. sed hæc interius adhibere rarissimè licet. Sunt demum quædā quæ sanguinem ipsum continent: alia quia congelant, unde Philonium in cruentis sputis: aut naturæ proprietate, ut emplastrum ex scarabeis. Referunt esse radicē, quæ admota his quibus sanguis è uulnere prodit, illū redire atq; intro se contrahere cogat.

APHORISMVS XXXVII.

Distillationes in uentrem superiorem, intra uiginti dies, ad suppurationem perueniunt.

COMMENTARIVS.

¶ Quòd diem uigesimum, non sequentem ob-

L seruare

seruare oporteat, et nos docuimus in libris Cōtra 4. lib. contra. 4. dicētiū. Cæterùm neq; ob id quòd Galenus alibi dixit, neq; locus erat hic de hoc habendi sermonem, ut derelicta expositione difficillimi Aphorismi, ad tam longè dissitam narrationem transiret. Quis enim tā addictus Galeno, perfrictæq; frontis esse potest, qui audeat hic illum tueri, ac contendere expositionis huius Aphorismi uel uerbum habitum? Quòd si omnino negocijs impeditus, hoc præstare non potuit, quantò melius fuisset omnino inexpositos relinquere, ut dici posset, præuentum morte nō potuisse perficere? nunc quis illum iustè tuebitur? Nam si Hippocrates de phlegmone partiū pectoris loquitur, cur appellat destillationē? Si de pituita destillante, cur utitur uerbo ἐμπυοῦνται: quod est, ad suppurationem peruenire? Cum uerò dicat κατάῤῥοι, destillationē uidetur intelligere Hippocrates pituitosam. Sed et de uētribus in prima Aphor. 15. Aphorismorū particula abundè dictū est. Reliquū igitur est ut doceamus, quomodo abusus sit quasi hoc uerbo ἐμπυοῦνται. Diximus in undecimo Contrad. 25. Contradicentiū, differentiā inter cōcoctionem ac præparationē: nūc aūt uidendū, quomodo suppuratio de alijs dicatur humorib. à sanguine. nā destillationē cōcoqui, palàm receptū est ab Hip- Pag. 8. pocrate libro de Prisca medicina. At aliud est cōcoctio, aliud suppuratio. uidetur autē suppuratio nō esse nisi sanguineæ materiæ, cū dixerit in Pro- Pag. 6. gnostico: Ex suppurationib. quæcūq; adhuc, dū sputū biliosum est fiūt, perniciosæ ualde sunt, siue biliosum illud in parte, siue cū pure simul expuatur. nō enim uidetur uelle, ut possit suppura- Pag. 7. tio fieri in humore bilioso. In libro de Locis in homine, hæc habet: Suppurati ut plurimū fiūt, cum fluxus in idē uelut in bile cōtingit: sed in bile quidē multū defluit, et ubi defluxit, sedatur: suppuratis uerò minus defluit, & nō sedatur. Fiūt etiam suppurati cū minus excreāt, quàm influit in pulmonē. hoc enim quod in pulmone cōsistit, et quod influit, pus fit: pus uerò in pulmone & in thorace collectū, ulcerat & putre facit. Hic manifestè declarat materiam descendentē ad pulmonē & thoracē, suppurationē pati. Quod etiā manifestius, & quasi pro expositiōe præsentis loci do- Pag. 6. cet libro primo de Morbis, dū inquit: Cæterùm superiore uentre suppurati fiūt multipliciter: Primùm quidem, cum pituita de capite copiosa & aceruatim in superiorem uentrem fluxerit, putrescit, & in pus uertitur. Idq; accidit maximè in diebus uiginti & uno. Scripsit hunc librū, ut aliàs dixi, iunior, cum nondum rationem exactam dierum decretoriorum inijsset, putaretq; formari uigesimam primam diem ex septimanis: non autem septimanas ex uiginti numero dierū, qui sunt dimidium nonæ partis totius anni. Distinguendum est igitur sic, quod suppuratio propriè dicitur de sanguineo aut misto humore collecto, qui in uerū pus uertitur, nec intus contingit citra febrem hæc actio. Generaliter etiā dicitur de pituita, quæ est affinis sanguini, eo etiam quòd odorē & colorē recipit puris: sed hæc cōuersio potest fieri citra febrē. Puri aūt reliqui humores nō recipiūt suppurationē: sed uel immoti & incorrupti manent, atq; euanescunt, aut erodunt particulam: aut corrumpuntur, & exitialem illi noxam pariunt.

Sed quid dicemus de Aphorismo illo, Graue- 7. Aphor. 40. dines et raucedines in ualde senibus nō maturātur? uidetur enim eregionè pugnare. sed de hoc alibi dictū est. Nūc igitur admonuisse sat fuerit 3. Cōtrad. 15. celerrimè ad suppurationē puenire, quæ sunt in superiore uētre, ob magnitudinē caloris cordis: quin etiā & quæ inferiore, quanto altius decumbunt, eo celerius suppurationē admittunt. Vnde in Prognosticis: Cæterùm tumores in uentre mi- Pag. 3. nus in abscessū uertūtur, quàm hi qui sunt in præcordijs: minimè uerò qui sub umbilico sunt, ad suppurationem uertūtur. Manifestū est aūt, hæc debere intelligi, ubi noua materia superueniēs nō impediat: aut mala ratio uictus, uelut aer frigidus. Vnde etiā illud cōsiderandū, si materia non simul defluat, an dies illi à fine fluxionis sint numerandi. quod uerisimilius uidetur, ad uerba Hippocratis respiciendo: an à singularum partiū materiæ defluxionis tempore, prout est consentaneum magis rationi. Et sanè uidetur mistū quiddam esse, scilicet partes diuersimodè concoqui, totum tamen non absolutè coctum dici posse, nisi uigesima dies uel quartadecima uel alia à fine computatur.

APHORISMVS XXXVIII.

SI lingua repentè incōtinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum.

COMMENTARIVS.

¶ Incōtinentem linguam uocat, cum plura loquitur quàm deceat. ἀκρατὴς enim incōtinentē, intēperantem & impurū significat. Galenus & reliqui expositores sensum Hippoc. nō intelligētes, uersa dictiōe legerūt ἀκρατὲς, quòd est infirmū. at sic facilè esset omnia accommodare. Illud mirum quod nec sic potuerunt Hippoc. ueridicum facere: quare satius fuisset, ut nos fecimus,

mus, multos illum è numero Aphorismorum eximere: aut fateri se non assequi sensum, atq; inexpositum relinquere Aphorismum, quam literam peruertendo etiam ipsum Hippoc. damnare tanquam absurda scribentem. Sensus igitur est: Si quis absurda & turpia loquatur repente, non ex composito aut aliqua parte, id est, non toto aut dimidio corporis, hoc est melancholicum, id est ex imaginatione, quæ ex atro humore proficiscitur. Dicebat author septimi Epidemiorũ de Androphano iam ægrotante: Mente motus est, & linguæ affectiones similes. Itaq; potestatẽ atræ bilis nobis declarauit. seu enim nõ sentiãt, seu se non sentire sibi persuadeant, ab atra bile ac mentis motione hoc proficiscitur. Qui autem talia non uiderit, miratur. patiuntur enim tortores & ignes persæpe, & nihilmoueri uidentur. Obscurum igitur, scilicet partis stuporẽ ad melancholiam pertinere ex manifesto, quod est turpiter & præter propositum loqui, ex melancholia, idest mentis affectu tali declarauit.

Non parũ ante finẽ.

APHORISMVS XXXIX.

SI febris non ex bile habeat, multa aqua capiti superinfusa, solutio fit febris.

COMMENTARIVS.

¶ Hunc Aphorismũ si quis intelligere uelit, non aliter quàm si quæ in libro de Natura humana legat, cum dixit: „Febres plurimæ à bile fiunt. Species ipsarũ quatuor sunt, præter eas quæ ab occultis humorib. generantur. Nomina ipsarũ sunt: Continens, Quotidiana, Tertiana, Quartana. Continens itaq; appellata, à plurima ac meracissima bile prouenit, et iudicationes quàm breuissimo tempore facit. Corpus enim nullo tẽpore perfrigeratum citò colliquescit, nimirũ à multa caliditate calfactum. Quotidiana uerò post cõtinentem à plurima bile generatur, & præ reliquis celerrimè discedit: uerùm longior est continente, quanto à pauciore bile prouenit, & propterea quòd requiẽ habet in ipsa corpus, in continente uerò non quiescit ullo tẽpore: tertiana aũt lõgior est quàm quotidiana, et à pauciore bile gignitur. Quanto uerò longiori tẽpore in tertiana corpus quiescit quàm in quotidiãa, tanto diuturnior hæc febris est quàm quotidiana. At uerò quartanæ reliquæ iuxta eandẽ rationẽ habent: sed tertianis diuturniores sunt, quanto pauciore bilis parte participant, unde caliditas augetur, et propterea quòd corpus in ipsis plus perfrigescit, id quòd ab atra bile ipsis contingit superfluè, adeò ut ægrè frigus depelli possit. Atra enim bilis inter omnes corporis humores uiscosissima est, & sedes diuturnissimas facit. Quod aũt quartanæ febres atræ bilis participes sint, uel hinc condiscere licet. Autumno enim maximè homines à quartanis corripiuntur, & in ætate à quinq; & uiginti annis usq; ad quadragesimũ quintũ. Hæc aũt ætas præ omnib. alijs maximè à bile atra infestatur, & autumni tempus omnium anni tẽporũ ad eandẽ aptissimum est.“ Itaq; cum febres quatuor definiantur generibus, hecticæ, ephemeræ, putridæ, & quæ ex abscessibus: hæ autem non febres principaliter sunt, sed accidentia morborum, ut prima Quarti: putridæ autẽ omnes à bile sint, ut declaratum est: uel quoniam, ut Galenus inquit, ex febre humor conuertatur in bilẽ, ut etiam secundo de Febrium differentijs, cum in sanguine putrescente dicat fieri bilẽ flauã ex tenui parte, ex crassa autem atram: liquet aquam multã capiti superfusam soluere febrẽ. Hoc enim à nobis declaratum est in Arte medendi parua, hecticã omnẽ balneo sanari posse, ubi humidus uictus adhibeatur. Sed cur non dixit de balneo totius corporis, sed de capite, cum alioquin clara tunc futura esset oratio? Respondet Galenus in Commento, Hippocratẽ in primo Epidemiorũ dixisse de Metone: Capitis lotionibus usus est. antea uerò dixerat, Insomnis delirauit. Ab his ergo subiũxit, Dormiuit, resipiscebat. ut propter delyriũ & uigiliã potius quàm ob febrẽ adhibita sit lotio capitis. Melius forsan ex Paulo, ut etiã Brasauolus, secũdo libro in cura Diariæ, ex feruore & adustione. consulit enim caput perfundere aqua, atq; lauare, ut postmodũ etiã totũ corpus humectetur. Quocirca mihi uidetur Galenus exemplo illo confirmasse, quod etiã in sanguinea hæc lotio conueniat, ut generale fiat dictũ: Si febris non ex bile habeat, multa aqua capiti superinfusa soluit febrẽ. Sed ut rẽ diligentius assequamur, uideamus quænã cõmoda et incõmoda balneũ capitis afferat. Princeps secũda Primi declarat cõmoda balnei: sed non capitis propriè, ut uideatur hæc lotio qua nostris temporibus utimur pluribus fuisse ignota. Celsus enim licet consulat multa calida, inde frigida perfundendũ caput, nõ tamen de lauacro sanorũ loquitur, sed ubi exustus quis in sole sit. Solus, quod sciã, Auenzoar præcipit feruentissima aqua abluẽdũ caput: nec tamen de lixinio loquitur. Olim erant tonsores, sed tondendi causa, nõ lauandi. in balneo enim lauabantur. Ex recẽtioribus quidã meminit in sexto libro Epistolarum: sed, ut solet, nihil ad usum uulgarẽ addens: Amatus Cẽturia tertia fingit in hecti-

Pag. ult.

Tra.1. cã.1

Cap.9.

Languen.7.

Cap.16.

Doc.2.5. Pa.cap.19

lib.1.cap.3.

Epistola 4.

hecticis irrigationē capitis à tepida, credo quòd uereatur ne cōcitet destillationes. [Cur.1. §.1.Doc.2. Cap.5.] Cū enim Princeps numerat utilitates balnei generaliter, somnū conciliare, aperire, detergere, concoquere, resoluere, nutrimentum ad cutis superficiē attrahere, uentrē sistere, & laßitudinē remouere: detrimenta uerò, cor imbecillius reddere, nauseā excitare, humores quietos mouere, & illos putrefacere, & ad mēbra debilia traducere, unde etiam abscessus excitentur: peculiaria duo habet hæc consideratio, quòd de solius capitis ablutione tractamus, & cum lixiuio: sed præsens solum primam. Dicamus ergo de ea quæ fit cum lixiuio ablutione, quæ plurimùm quidē detergit & siccat cerebrum: at neque somnos conciliare potest, neq; concoquere, forsan nec plurimùm cutis foramina aperire. Quòd si à temperato lixiuio in caliditate fiat, certè non adeò exiccabit. Auenzoar autem cupit hoc suo feruore uim illam in cerebri profundum penetrare. Quo magis ego diligerem lotionem cum aqua calida simplici, inde cū frigida, ut Celsus præcipit. Quòd si minus sordes detegantur, sapone utendum censeo. Ablutio enim illa Celsi non nisi morbosis capitibus debetur. Ergo in febribus, ut ad intentum reuertar, ablutio capitis cum non explicet (quali) de tepida intelligendo, somnum conciliat, uapores exhalare facit. nam in febribus ut tenuißimi ad caput tendunt. [Pag.1.] In libro de Humidorum usu, inquit: Somniferum & in caput & in alia. Igitur uisus est somnum ex hoc Aphorismo & humectationem quæsisse, quibus febris quæ sicca est (si non aliud obstet) soluitur.

APHORISMVS XL.

MVlier ambidextera non fit.

COMMENTARIVS.

[Pag.3.] Aristoteles in libro de Cōmuni animalium gressu inquit: Motionis origo ex dextra parte est, illaq; mouere, ut sinistra moueri, apta est. Videturq; aßignare huius causam tertio de Partibus [Cap.4.] animalium, dicens: In cordis dextro uentriculo plurimum & calidißimum sanguinem generari. [Cap.1.] Et quarto de Generatione animalium: Pars dextra lōgè calidior est quàm sinistra. Causa uerior est, quòd cor est in medio, & iecur à dextro latere. Sed Aristoteles cum nollet admittere iecur esse principium, confinxit uentriculi dextri, imò trium uentriculorum historiam. Vnum satis constat experimento ita esse, & quòd duo sunt principia animalis, cor ut perfecti, iecur imperfecti. Et ideo quærere primùm oportet, quid sit ambidexterū. neq; enim est, quod quidā putāt, uti sinistra pro dextera (hoc enim est frequēs) sed cum nouū quasi sit nomē, nō habet nec Græcum, nec Latinū. ἀριστερὰ enim & felicia & sinistra uocabant, quòd à sinistra auspicia bene ominarentur: habitātibus enim in Septētrione, dū solē aspiciūt, oriens est à sinistra: Qui uerò sinistra utuntur apud nos, dextra uti nō possunt: neq; ego hominē uidi ambidexterū præter unū, cū plurimos uiderim qui sinistra præstarēt: quos, ut aliàs dixi, cōstat esse deterioribus naturaliter moribus. Cur id accidat, dū de causis agemus, explicabitur. At ambidextros, seu potius ἀμφιδεξίους (Latinā enim uocē nō habemus, Italicā habem⁹, Mancinū, uel Senestrerū) facit usus potius quàm natura: sed illa admittit. Plato id probat, argumento sumpto ex pedibus. [7. de Legibus.] nam sinistro æquè ac dextro utimur. Itaque inquit: Cū natura omnes fecerit ambidexteros, nutrices dimidio roboris atq; agilitatis nos fraudant. Atq; ea ratione Hippocrati apertè cōtradicit, cui magis tamen credendum est quòd experimentum id doceat. nam cum quidā infantes læua pro dextera uterentur, uincti à parentibus ut læua non possent uti, nihilominus corrigi non potuerunt. Id etiam significat Aristoteles, Hippocrati concors, qui negat mulierem posse esse ἀμφιδεξίαν. Quod uerò dextra sinistris in motu præstēt nō solum in manibus, sed etiā pedibus, nō in sensibus, uidetur uelle clarè trigesimaprima Problematū: [Problem. 12 & 13. Problē. 21.] ubi etiā dicit, quòd oculus sinister facilius dextro cōtrahitur. At uerò Plato refert Scythas esse ambidexteros: et de fœminis idē cēsere uidetur, ubi uigintimillia ad mille ducētos quinquaginta redigit hac ratione. Si fœminæ inhabiles toto genere sint, iā ex uigintimillib. sublata medietate ad decē millia redigētur. E quibus pueri dimidiū sunt, omnium reliquorū dimidiū sunt senes: qui etsi non sint tot quot uiri, pueri tamē tāto plures dimidio sunt. nā bellicæ arti Plato cēset primū utiles esse debere [5. de Repub.] à uigesimoquinto anno: ablatis igitur ex decem milib. quinq; millibus pueris, duob. quoq; ac quingētis pro senibus, relinquētur bis mille quingenti uiri solū utiles militiæ: quorū dimidiū si auferas, quòd dextra solū utātur, patet redactū iri numerū ad mille ducētos quinquaginta. At si utraque manu singuli utātur assumptis etiā mulierib. erūt quinq; millia. at si à decimoseptimo anno militia more Romanorum inchoetur, ut auctor est Cēsorinus, fiēt in populo septē penè millia militū: Quod quantū conferat Reipub. manifestum est per se, Ego uerò mulierē neq; utraq; manu pariter, neq;

ter, neq; sinistra tanquã potiore utentẽ uidi. Galenus περιδέξιον potius, iuxta Homerũ, eũ qui utatur utraq; manu uocandũ censet: qualis fuit Asteropeus, quàm ἀμφιδέξιον. Verùm Aristophanis & Hippocratis auctoritate Hippocratẽ ab Homeri auctoritate tuetur, nec ad alia aptior quàm ad interpretationẽ uocũ iuxta poetas, maximè de quib. tot edidit libros. Causam aũt nititur aßignare imbecillitatẽ sexus fœmine: iquandoquidẽ nec Amazones sufficerẽt ex Hippocratis sentẽtia ad pugnæ robur dextra sola, nisi dextra mãma præcisa cãdenti ære. Verba enim eius
Pag.12. in libro de Aere & aquis ac locis sunt: Dextram
» aũt mammã nõ habẽt. nã puellis adhuc infantibus
» matres æreo instrumẽto in hũc usum parato, i-
» gneq; cãdefacto eã auferũt, ac exurunt, ne iterũ
» succrescere cõtingat, atq; ut omnè robur in hu-
» merũ ac brachiũ dextrũ deferatur. Diximus ibi, exponẽtes historicos, nõ ob id cẽsere auferri mammã: sed ut cõmodius arcum tendere, & peltam seu securim liberius uibrare possent. Profundior est Hippocratis causa, illa manifestior. Sed Galeni causa ad ambidexteras forsan sufficit, quamuis non admodũ grauitate Hippocratis iam senis, ut qui ea ætate maximè hanc septimam sectionem Aphorismorum scripserit, digna: uerùm ad id quod mulier nulla sinistra, tanquam potiore utatur, nequaquã sufficit. Quid enim uetat, ne tota uis in eam partẽ illis confluat? tametsi diuisa nõ sufficere poßit utrique parti. Quapropter censendũ est, altiorẽ fuisse Hippocratis sensum, atq; à ueteribus alijs cognitũ: sed à Galeno nõ intellectũ, quòd ex origine illud pendeat, quam ipse falso ad androgynos trãsfert. Ea est scilicet, ut masculi geniti in sinistra uteri parte, sinistrã partem habeant dextra ualidiorem, aut æqualem: unde uel sinistra tantũ utantur, paruo discrimine ob incuriã nostra ætate in usum & maximum discrimen euadente: aut oblata occasione, ut antiquo tempore ob educationis diligẽtiã, quæ ex Rerumpub. administratione exoriebatur, ad æqualẽ usum utraq; manu redacta, ut ἀμφιδέξιοι aut περιδέξιοι efficerentur. At fœminæ cũ in dextra parte gignebãtur, dextrã iusto ualidiorem adipiscebãtur, cũ naturaliter dextra esset calidior atq; mobilior: cum in sinistra etiam, quoniã loco proprio genitæ nõ degenerant, robustiorem etiam habeant partem dextram. Quod ut clarius intelligas, masculi in dextra, fœminæ in sinistra ut naturaliter ortæ, ualidiorem habent partem dexteram sinistra. At fœminæ in dextera, ut dexterã, quàm natura fert, habent robustiorẽ: ita masculi in sinistra, sinistram habent reliquis robustiorẽ, dextrã imbecilliorẽ: quo fit, ut pariter hac aucta, illa diminuta, uel æqualiter utraq; utantur, si diligentia educationi adhibeatur: uel aliquanto magis sinistra. Nullus igitur modus relinquitur, quo fœmina ἀμφιδέξιος esse poßit: ut nec masculo, ut partem dextrã multo robustiorem sinistra habeat: quod in aliquibus fœminis euenire necesse est; quas palàm est & ex ratione, & ex hoc effectu, quod dextrã partem solæ ualidiorẽ habeant sinistra, ut in masculis generaliter euenit uiragines esse, & enses ferunt & pugnant. Viris igitur generaliter & secundũ naturã maius est discrimen roboris inter dextram partem & sinistram, quàm fœminis. Liquet etiã ob hæc, cur, qui sinistra utuntur, mali sint. sunt enim quasi androgyni, & effœminati, & improbi ac fallaces, ut mulieres. [Quod palàm Galenus nõ intelligens de moribus dictũ, tam insulsè ad sexũ, de quo nec antiqui somniarunt, traduxit. Itaq; ob causas dictas facilius usu fœminæ ad usum utriusq; partis traducerentur, quàm mares, ob paruã differentiã. Et propterea Plato, quod in Scythis fœminis accidit ob causam dictã, credidit in masculis etiã fieri posse. At natura cõtrarium euenit, ut dicit hic Hippocrates: Viri enim quidam ἀμφιδέξιοι oriuntur: fœminam sic nasci, omnino impoßibile est.

APHORISMVS XLI.

QVicunque suppurati uruntur aut secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt: si uerò subcruentum, & fœculentum, & fœtidum, pereunt.

COMMENTARIVS.

¶ Trifariã colligitur materia in pectore, quæ spirandi difficultatem parit: primo de Morbis. Pag.9.
Primus, cũ pituita defluit in illud, & coaceruatur & putrescit per quosdam circuitus, & tunc sufficit inurere locũ exterius: ut tradunt etiam
Celsus atque Aetius. de quo etiam uidetur intel- lib. 3. c.22.
lexisse Galenus in Commento, cum ab Eury- lib. 8. cap.
phonte usum ait Cinesias. 57. in fine.
Non proponam modum, quandoquidem loca ipsa ascripserim, ut ab ipsis auctoribus illum ad amußim excipere ualeas: tum maximè, quòd is inter cæteros sit tutissimus, adeò ut etiam medici nostri temporis ausuri sint illum tentare. Secundus autem est, cum Partic.5.
copiosa materia pituitosa, uel etiam collecta san- Aphor.8 &
guinea in pus conuersa, uelut in morbo laterali, 15.
ut in Aphorismis, sed citra tamen ulcus ullum

 fuerit:

fuerit:quo in casu illam educere sufficiat & ne-
cesse sit. Sufficiat quidem, quia nullum ulcus ad-
est:necessarium autē sit, ob multitudinem. quocir
ca nullo genere ustionis nec exteriore nec inte-
riore opus sit, sed sola sectione, qua pus educatur.
Tertius est, cum pus ex pulmonis ulcere colligi-
tur, quo in casu ipsum eduxisse minimè sufficiat,
manēte causa, quæ illud sit denuò coaceruatura.
Itaq; hoc in casu non solùm educere pus, aut inu-
rere exterius sufficiet, sed etiam oportebit pul-
mones ipsos candenti ferro inurere, educto iam
prius pure uniuerso è pectoris cauitate. Atq; hūc
modum ustionem uocat Hippocrates, non exte-
riorem ustionem. Vt in tertio de Morbis. inquit
Pag.10. enim: Secato aut urito. Et iterum: Cæterùm ubi
Sec.7. secare uel urere. Et in sexto Epidemiorum: Ta-
bescentes statim urere. Vt constet luce clarius,
educi pus, inde uri candenti ferro locum. nam ul
Cap.44. cera malefica igne sanari solent. Paulus libro
,, sexto hæc habet: Alij, ut tradit etiam Leonides,
,, ferro mucronato candenti per medium spaciū,
,, ubi abscessus est, adacto usque ad pus ustionem
,, moliti sunt. Nonnulli etiam hos curare ausi sunt
,, transuersa linea inter quintam & sextam co-
,, stam ducta, & cute paululum obliquè diuisa: de-
,, inde sic scalpello membrana, quæ costas subcin-
,, git perforata, pus excreuerunt. uerùm an fieri de
Contrad. beat, in decimo Contradicentium medicorum
29. dictum est. Nunc adiecisse huic parti sufficat, u-
stionem conuenire in suppuratis, sic ut effluat
pus: quamobrem non sufficit exterius tangere
cādenti ferro, & quòd ulcera maligna uelut car
cinomata exurere solemus. De modo ac causis
eôdem te remitto.

Nunc quod ad rem pertinet prosequamur.
Opponit album subcruento, ut purum fœculen-
to & fœtido. Puris enim conditio est, si bonum
Pag.3. esse debet, in Prædictionibus, ut sit album, æqua
le, læue, minimè grauiter olens. igitur cum pri-
mam conditionem pro prima sustuleris, & ulti-
mam pro ultima (hoc enim modo procedūt Geo
metræ) relinquetur illud fœculentum, contrariū
æquali & læui. Igitur pus album & purum eua-
Com.ult. dit, ut cognoscitur ex primo Prognosticorum,
cū natura partis eius perfectè euicerit materiam
in loco eo contentam. Quod dignoscitur ex op-
positis qualitatibus. Subcruentum fit pus, cum
naturalis caloris actio impeditur, seu quia sit e-
xiguus, seu quouis alio modo non possit perfice-
re operationem suam. Vnde pus omne absque
dubio antea sanguinea substantia constat, ac si-
mili illi, ex quo natura conatur reparare mem-
brum. Ob id si plurimum sanguinis ad partem
confluat, quia parum iam effluxerit, aut minus
quàm opportunum tunc fuerit, aut ex dolore, so-
let pus esse subcruentum. Et ideo semper ac ne-
cessariò inæquale, quoniam in omni actione in-
choata necessariò, si non perficiatur, inæquali-
tas contingit: ut si in mammis lac non perficia-
tur, aut pus in uulnere. Cum enim pars quædam
albescat, aliter non inchoata esset operatio: pars
rubra sit, aliter esset perfecta necessariò, inæqua
litas in subiecta materia apparet: & non solùm
in colore, sed etiam substantia ipsa. Cum enim
calor diuersa ratione agat in substantiam san-
guinis, si sit illa inæqualis, euadit: magis etiam
diuersa, si æqualis omnino diuersa etiam. Con-
coctio enim crassius reddit: quarto Meteoro- Cap.2.
rum. & crassa attenuat liquefaciendo quod
est tenuissimum & aqueum resoluit, ut aliàs à
nobis demonstratū est. Igitur si nō perficiatur in 11.Cōtrad.
una parte, apparebunt illius uestigia, scilicet 24.
dealbata: in subcruenta non ita. Vnde scien-
dum, quòd ut colligitur primo de Febrium diffe- Cap.6.
rentijs, quatuor modis concocta uariantur. Aut
enim omnino calor naturalis euincit materiam
non putridam, sed utilem, & fit nutrimentum:
aut corruptam, & fit pus absolutū, leue, non a-
sperum, æquale, crassum, album, ac minimè fœti
dum: ut sint quinq; conditiones. Sed uerius rem
æstimando, operatio caloris est primùm iuxta
genera, naturalis, non naturalis, ac eius qui est
præter naturam seu putridi. Manifestum est e-
nim, quòd calor feruidus & siccus exurit, ideo
non est naturalis, nec præter naturam, quia non
putrefacit. Vt ergo uicerit calor naturalis reli-
quos duos in materia iam corrupta, fit pus albū,
non fœtidum, æquale, crassum ac leue, ut dixi.
Si autem uicerit non naturali, fit fœculentum ob
exustionem: hoc autem non est fœtidum neces-
sariò, sed inæquale, nigrum, non leue, partim te-
nue, sed maiore ex parte crassius quàm sit ne-
cesse. Ideo dixit fœculentum lethale esse, quia in
periculosissimo affectu modicus lapsus lethalis
est, & lethale signum. Fit & fœculentum ex ca
lore ualde putrido, & hoc malè olens pus effi-
cit: & mortem non solùm instare denunciat, sed
etiam breui admodum, in suppuratis. Ideo cum
narratū esset mihi hoc de M. Antonio Maiora-
gio, amico meo, dixi quòd parum aberat à mor-
te: & ita intra quatuor dies obijt. Et hic modus
est quartus Galeni, quem suprà omisimus, in
quo calor præter naturam prorsus naturalem
euincit. Tertius uerò est compositus, ut ille ima-
ginatur,

ginatur, quasi æqualiter ex utroque calore, naturali scilicet & præter naturam (nam, ut dixi, nõ naturalis haud meminit.) Et in hoc apparent signa mista, uelut non album perfectè, sed cinerei coloris, parum inæquale, & asperum. Vt enim declarat Philosophus in Prædicamentis, Asperum est, quòd partes inæqualiter positas habet: leue autem, quod in recta linea. Quamuis sit aliud asperitatis genus, quod est cum situ in una recta linea: sed partes tamen sunt aliæ duræ aliæ, molles, sed hoc nõ sentitur nisi cõprimẽdo. Sic ergo huiusmodi cum sint infinitæ species, ut etiam quarti, uelut dixit Galenus: in hoc tamen modo sunt duo genera, unum, in quo naturalis calor uincit putridum: & aliud, in quo putridus naturalem, in quo omnes suppurati moriuntur, ut dixi: quia morbus per se periculosissimus est. At diuersa ratione in alio, non tamen omnes seruãtur: sed si naturalis calor plurimum superauerit, & cum hoc uires ualidæ fuerint. Differentiam autem inter naturalem calorem & uires, suprà ostendisse me in prima Particula memini. Seu ergo pus feculentum effluxerit ratione corruptionis caloris, seu siccitatis eius, seu ratione partis ex qua uenit, ut in sequenti Aphorismo liquet, lethale est signum: sed non æqualiter, ut in sequentis Aphorismi expositione dicam.

Cap. de Qualitate.

Aphor. 14.

Sed iam finem facere expositioni poteram, nisi esset unum ad salutem ualde necessariũ multorum: scilicet quòd qui secantur, aut uruntur, aut qui angusto foramine uulnerati sunt, seu intus penetret (sed tunc magis est necessarium) seu non omnino intus penetret, ex doctrina peritiorum chirurgorum uidi, maximè necessariũ ut foramen exterius multum dilatetur, intus autem mediocriter. nam neq; arctum retento pure sanationem admittit, neque ualde amplum refrigeratis partibus, quas expedit esse calidissimas, præcipuè pulmone, qui non solùm in sua sed etiã sponte dilatatur, ut declaratum est à nobis decimo Contradicentium Medicorum. Exterius autem, ut liberior sit tum effluxio, tum operat omnium, expedit latus esse foramen. Solent autem exhibere, quod ego feci in uxore Io. Pauli Syrtiri, mercatoris olim, decocta ex erithrodano caulibus rubris garyophylata, quam aliqui uocant sanamundam, cuius radix est in usu garyophyllum redolens: folia autem agrimoniæ, id est uero, ut existimant, eupatorio similia.

Contrad. 30.

APHORISMVS XLII.

Qvorum epar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt (in tunica enim pus continetur) si uerò, qualis amurca fluat, pereunt.

COMMENTARIVS.

Cum dixisset in præcedenti Aphorismo, fœculentum pus exitiale esse: declarat exemplo, quandoq; pus fœculentũ fieri ob particulæ patiẽtis substantiam, uelut si iecoris substantia absceßum cõtrahat, ita ut corrumpatur illius caro, pus necessariò fœculentũ euadit: cũ nullus calor poßit esse tantus, qui substantiam iecoris in pus optimum uertere queat. Hac ratione igitur pereunt. pereunt & quòd uis ignis ad imam iecoris substantiam penetrat, unde uenæ contrahantur. Verebant antiqui in suppurationibus, quod ignis putredinem finiat, ut colligitur sexto de Medicamentis secundum locos: habeatq; commune id cũ incisione, quòd euacuet quod putridum est. à sanie enim solet in membro uis quædam serpens relinqui, quæ illius facultatem uitiat: hanc ignis sua exuperanti caliditate finire solet. Quocirca partes propinquæ quæ sanæ sunt, muniri debent linteis imbutis succo ἀειζώου, plantaginis, atq; huiusmodi ualde refrigerantiũ: ipsa uerò pars exusta, ubi sanata fuerit, humectari debet, quoniam & humido utili aliquid ablatum esse necesse est. An uerò refrigerari? Certum est quòd non multum, nam absumpto humido omni præter naturã, calor omnis qui est substantia, necessariò finitur, remanet sola impreßio: hæc finitur moderatè frigidis, ne calor naturalis patiatur: tum etiam, quia humectato membro calor naturalis confirmatus intemperiem tollit.

Cap. 2. in fine.

Manifestum est aũt ex hoc, quod etiã diximus in priore Aphorismo, scilicet quòd ustio usque ad profundum antiquo tempore deducebatur: tametsi in leuioribus morbis solerent exurere iecur, libro de Internis affectionibus, dum inquit: Quũ maximũ iecur euaserit, sic ut promineat multum, nec medicamenta profuerint, exurere ipsum oportet, buxeis fusis oleo feruenti intinctis, aut fungis. At cũ educatur pus, candenti ferro exurere oportet. Mẽbrana igitur iecur circũcingi declarat Galenus, quarto de Vsu partium: Et Vesalius libro quinto. Quæ tenuis admodum est, peculiaris quidem illi: cæterum orta tamen ex uinculis utrinq; ex peritoneo deductus, ut nõ peculiaris dici poßit. Solus autem Celsus huius operationis mentionem fecit, cum iecur uomica

Pag. 18. Cap. 14. Cap. 7. lib. 4. Cap. 8.

uomica laboraret, sic ut dupliciter inter pretari
locus queat. uno modo, quòd ferro candẽti locus
lib 9.ca.75. perforetur: altero, ut, quemadmodum Celsus di-
cit, locus ferro aperiatur non candenti, inde uo-
C.2. fo.182 col.2. mica intus aduratur, et inter Arabes Haliabbas.
Adducitur etiam Aphorismus hic decimoseptimo Continentium, ubi adijcit: Galenum hoc censuisse, sed non uideri sibi tutum auxilium. De Græcis uisum est in priore commẽto ex contra
Fol.186. col.3. dictione. Fit etiam ex sententia Rasis ibidem incisio, cum per se rumpitur uomica in epate, & educitur sanies. Sed Hippocrates dicit, Continetur: non, Continebatur.

Quòd uerò dicat Galenus, exponens uerbũ (Amurcani) esse incoctam putredinem epatis: liquet, ut dixi, quoniam ob calorem putridũ colliquatur substantia carnis, & fit substantia humidior carne illius. Ex quo apparet, carnẽ esse concretam à frigore: quæ ubi dissoluatur à calore non sicco, humidior euadit. Apparet rursus calorem putridũ non esse siccum, sed humidum. Sed & in suppurationibus omnibus uidemus fieri substantiã priore liquidiorẽ. Quod ego arbitror fieri ob sanguinis mistionem cum suis humoribus atq; ichoribus: unde cum phlegmon fit, extruditur sanguis ex uenulis qualiscunq;, & sinulis, plerumq; diuersis humoribus cum ichoribus eorundem, et ipse putrescit à calore qui in eo est, ab ambiente tamẽ infusus. Quòd si sanguis satis purus sit, ea coctio ab eodẽ iuuatur: fit autem coctio à calore circumiacentiũ uicinarũ partiũ, ab utroq; aũt suppuratio. Quare colliquatio illa ex pernustione potius accidit, quàm natura ip[illegible] ut qualitate caloris, qui adeò humidus sit ut possit hoc facere. Fit autẽ ut amurca, ideo magis fusca quàm caro iecoris, eo quòd cum nõ concoquatur aduritur. unde fit color qualis sanguini decocto, hic autẽ in liquidis amurcam refert.

39.40. Porrò cũ hi duo Aphorismi prognostici sint, etiam curare docent: quocirca & sequenti annectũtur, ut duò solũ uideãtur interpositi: quorum prior superiori annectitur. quoniam cum de melancholia, qui est morbus cerebri, locutus esset, docet multos morbos, quos non existimamus, uelut febres, non ex bile, ad cerebrum ipsum pertinere. Eam uerò rationem curandi ut admirabilem censuit, ita & aliud exemplum ex ui naturæ admirandũ subiecit, desumptũ ex partium, ut dixi, connexione: atq; ita ex continuatione exhibet ansam interpretandi. Tametsi apertè appareat, multos hac in Particula fuisse Aphorismos interstertos, hoc (ut reor) modo: quòd qui ad propositum uidebantur, Aphorismi præcedentes ab aliquo immemore carptim ascripti sunt in margine, uelut huic præsenti ille maximè: Aqua intercute laborãs, si à tussi corripiatur, desperatus est.

APHORISMVS XLIII.

STillicidium & urinæ difficultatem, uini potio & sanguinis missio tollit: incidere uerò oportet internas uenas.

COMMENTARIVS.

¶Tam celebrẽ Aphorismũ, aut XXXVI
Lib.6.Aphor.6. præcedentis libri, quẽ nos cum Galeno adiectũ ab alijs existimantes reliquimus, expediebat diligentius exponere: cum, ut suprà dictũ est, morbi uesicæ maximè difficiles sint, & plerũq; lethales. Morbi ergo, quibus urina difficulter red-
Cap.43. ditur, tres sunt, ut in Medico habetur. uel enim supprimitur ex toto, diciturq; ἰσχυρία, ischuria: uel redditur cũfertim quidẽ, sed cũ difficultate, uocaturq; δυσυρία, dysuria: aut solũ guttatim, uocatur στραγγυρία, stranguria. Huius tres sunt species. Vna, in qua difficulter urina redditur, et cum ardore: alia, in qua cũ ardore, sed absq; difficultate, quoniã acris est urina, & musculũ qui uesicam continet, erosit: tertia, cum inuoluntariè effluit, quo morbo mortuus est pater meus LXXX ingressus annũ, seu potius cũ eo, nã minimè hæc lethalis est. Docet aũt Galenus sexto de Locis affectis, hũc morbũ fieri resoluto mu-
Cap.6. sculo collũ uesicæ cõplectente, unde senibus hic morbus familiaris est, nec uocatur rectè nomine Stranguriæ. Cæterũ, ut rectè inquit Galenus,
3.de Artic. com.86. Hippoc. ex singularibus generalia præcepta colligere solet. Atq; ita ex dysuriæ curatione ischuriæ curationẽ habebis. Sanguinẽ igitur mittere docet Hippoc. ob morbi magnitudinẽ, & inflammationis periculũ seu præcedentis, seu imminẽtis. Quin etiã ob ardorẽ in stranguria caro solet erodi, quæ dũ cõcrescit, cicatricẽ obducẽs meatũ urinæ obstruit, & in ischuriã deducit. Cũ uerò maximũ auxiliũ in his sit balneũ, præsertim in dysuria, inde clyster, ultimò cathetera: manifestũ est, in omnibus his uenæ sectionẽ multũ prodesse, tum ad morbum, tum ad securitatem.

Proponatur igitur aliquis cũ urina suppressa ob uitiũ in uesica (nam de superiore parte obstructa aut impedita alibi sermo habebitur) Primùm quidem sanguinem mittemus, & iuxta Galeni
Cap.18. sententiã libro de Sanguinis missione, ex talo aut poplite. inquit enim ibi: Porrò quemadmodum in morbis qui supra septũ transuersum sunt,

secta

ſecta in cubito uena prodeſt: ita in his qui infrà ipſum ſunt, quæ in poplitibus aut malleolis. Sunt aũt infrà, coxendix, uterus & ueſica. At renes, cui parti adſcribi debeãt, ambigũt. Miſſo ſanguine, in balneũ æger uſq; ad umbilicum ponendus eſt. Incoqui aũt præſtat, ſi tempus adſit, parietaria, creſſones, porrorũ barbæ, urtica: & generaliter herbæ plantæq;, quæ ex muris & maceriebus ac lapidibus prodeũt, ut etiã caprificus. Pòſt lignea parte radicis petroſelini, & iunco, oleo amygdalino illitis tentanda eſt uia: immittendum quoq; oleũ per clyſterẽ ſeu canalem, aut fiſtulã exiguã, multũ enim facit ad urinam proliciendã, licet urere nõ parũ ſoleat. At lac cõtrà ardorem lenit, parũ urinã prouocat. Aqua uerò maluæ maioris quaſi medijs uiribus eſt. Quòd ſi nullũ horum proſit, tentanda eſt cathetera, quæ & facilius immittitur, & tutius, poſt hæc omnia quàm antè: breuiſsimũ aũt temporis ſpaciũ inter hæc omnia fluat, atq; interim æger ieiunus maneat, et omnino à potu tẽperet, ut diutius retentionẽ lotij ferre poſsit. Cõmendari ſolent inter præcipua ueſicæ muſtelarũ ſiccatæ, et hermodactyli in potu ſumpti, & cuniculi axũgia cum pelle impoſita ſuper pecten: & cimices & pediculi uirgæ impoſiti. Cauſæ iſchuriæ, dyſuriæ, & ſtranguriæ, ſi ſtranguria pro impedimento, non incontinentia accipiatur, cum iſchuria ſit dyſuria cõfirmata, et dyſuria leuis iſchuria, decem ſunt. nam eſt à uirtute, cum retenta urina, ut in negocijs fieri ſolet, tenduntur nimium uilli ueſicæ, atq; ita comprimi nequit. Hoc autem tribus ex cauſis contingit. Prima, quia ueſica ob abundantiam humoris cõprimere nequit, ut neque manus pomum magnũ uelut paruum. Secunda, quia diſtenti uilli uim omnem amittunt ſoluta cõpagine. Tertia, quia nimium repleti tum ob diſtentionem, tum ob plenitudinem proprium temperamentum amittunt. Duæ aliæ cauſæ ſunt à membris ipſis, uelut phlegmon uel ſcirrhus, & caro excreſcens. caro quidem ſolet ſequi fluxum ſeminis ſpontaneum, & urinæ ardorem. ab utriſque enim eroſa carne intus alia ſuperexcreſcit, uelut in ulceribus oriri ſolet, alia obducta cicatrice, quæ meatũ urinæ impedit. Duæ aliæ ex humoribus, ſanguine ſcilicet cõcreto, aut pituita craſſa uel lenta. Duæ aliæ ex rebus non naturalibus, lapidibus aut arena: ſed lapides ſi magni ſint, raro iſchuriam, ſæpe dyſuriam faciunt, repelluntur q; facilius catheteræ. Si uerò ueſicæ collum ingrediantur, quia parui ſint, licet difficilius repellantur, ſpes tamen eſt ægrum poſſe liberari, ſeu mutatione ſitus, ſeu attritione aliqua. Octaua eſt à flatu, quam Galenus affirmat, etſi meo iudicio raro accidat. Fit et aliquando ob ulcus, dum natura timet ſeroſum humorem ſuper læſam partem tranſmittere.

In præſenti com.

Difficillima eſt quæ à carne, pòſt à lapillis: Galenus uerò meminit & eius quæ ab intemperie fit, maximè ſicca uel frigida, quanquam hæc ſtranguriã ſæpius parere ſoleat. frigida quidem intemperies in muſculo incontinentiam potius parit quàm dyſuriã, aut iſchuriã, in ipſa aũt ueſica iſchuriã & dyſuriã. Ergo iſchuriæ cauſæ principales ſunt ſeptẽ. nã ulcus dyſuriã potius facit, nõ poteſt aũt ſupprimere urinã, ut neq; ſola intemperies: quæ ſi hoc faciat, ad uirtutẽ reduci debet. flatũ quoq; iſchuriã facere raro cõtingit. VI ſunt ergo cauſæ, uirtutis imbecillitas in ueſica, caro & abſceſſus, lapis, & arena, ſanguis et pituita. Iſchuriã & dyſuriã ſolet ardor urinæ conſequi, non quia urina ultra modũ retenta putreſcat (nam in ſanis id nõ cõtingit, ut dũ urinã retinent, ardorẽ experiãtur dum mingunt) ſed quia materia quæ obſtruit, aut putreſcit, aut erodit, dum diutius retinetur. Ardorem retentio non ſubſequitur, niſi poſtquã caro ob id creuerit, aut quia idẽ ſit utriuſq; cauſa, ueluti lapis aut arena: diuturnos ardores aũt ſtranguria conſequi ſolet. Diſtinguuntur certis ſignis cauſæ dyſuriæ. nã à lapide facta inſignis magnitudinis cognoſcitur, ut dicebat Galenus: quoniam ægro reſupino, ſi cõcutiatur, urina prodit: ſi paruus extiterit, cathetera immiſſa ſentitur lapis in collo ueſicæ ob ſtrepitũ. Si aũt arena, dignoſcitur ex exitu. quanquã raro, ſi humor lentus nõ adſit, ſola obſtruat. Si ſanguis concretus, liquidus ſolet antea effluere: ſi pituita, lenta & ipſa, dũ excernitur, apparet. Si ex uiriũ imbecillitate, præceſsit aut diuturna retẽtio, aut frigus uehemẽs: ſi abſceſſus, dolores & febres præceſſerũt, & etiã adſunt caro, tophus, callus, difficilius dignoſcũtur: ſolẽt tamẽ ſubſequi ardorẽ urinæ, & dyſuriã paulatim factã cũ urina claraq;, & fluxũ ſeminis, & catheteræ impoſitionẽ laborioſam, & morbũ Indicũ. Calculi ſigna propriè ſex ſunt, quorũ quatuor Galenus cõmemorat primo de Locis affectis: Vrina aquea, ſedimen arenoſum, pruritus in præputio, & tenſio ueretri. ut enim ulcus ardorem facit in præputio, ita pruritus ex lapidis motu in ueſica, pruritum in præputio. Cum uerò magnus iam euaſerit, & pedem concutiendo, & repentè ſedendo, ſentitur læſio in pectinis imo, & uirgæ radice: arena eijcitur, quoniã plerũq; lapis atteritur. neque

6. de Locis cap.4.

Cap.1.

que enim ex arena lapis, sed ex lapide arena fit: cuius tamen contrariũ pleriq; existimant. Cum uerò lapis iam ulcus excitauerit, aut carnem, tũc signa cõfunduntur. Curatio ergo, ut ad rẽ reuertar, cum in remotione causæ cõsistat in lapide, arena & lapillo, una est, scilicet ut protrudantur cũ his quæ talia potentius solẽt cõminuere: qualia sunt lapis Iudaicus, & cancrorum lapilli, & balsami succus, & cinis scorpionum. Sed si lapis magnus sit & durus, excidatur, si uirtus ferat. Modum curandi pòst describemus. ligandi
lib. 13. Aphor. 1. uulnus, Galenus, seu potius Heliodorus in libro de Fascijs. In his plus confert uinum quàm sectio uenæ, in his qui uino nonprorsus sunt assueti.
Sect. 16. Vnde animaduertendum, olim uinum potius pro medicamento quàm pro potu in usu fuisse, & propterea quæ ab Hippoc. de uino scribuntur, tanquam de medicamento accipienda: nec nobis qui illud in usu habemus, tantum prodesse. Præterea Hippocratis regio, utpote calidior & magis inæqualis, uina longè potentiora fert, quẽ admodũ Mombasiũ seu Creticũ seu Maduaticũ, quòd flauũ est, potens, suaue, & Græcũ. Falleris ô homo, ô medice, ne deteriori nomine utar: imò insanis, qui hæc ex uappa nostra (talia enim sunt nostra uina, & præsertim quæ in campis nascuntur) expectas. Quis enim ad talia respiciẽs, in his quæ tamen sunt uerissima, delirare Hippocratem non existimet? Non sunt nostra uina, nisi solo nomine. Itaque si dysuriam patienti uinum uel Mombasium uel Græcum dederis, aut etiam quod amabile uocant, intelliges in plerisq; Aphorismum esse uerum, quamuis etiam nos uino simus assueti: in lapide tamen fortuna quadã hæc proderunt. Sed si refrigerata sit uesica, aut imbecillior distentione facta, non frustrà tentabis. Iuuabit etiam seu caro addita sit, seu sanguis concretus, seu pituita lenta impediat. In phlegmone tantum nocebis, quantum sectio uenæ proderit. Vides igitur hæc auxilia pluribus in causis communiter plurimùm prodesse: in omnibus autem, alterum eorum. Medicamentum autem minus tutum est clystere, cum ad locum trahat, & non euacuet ex uenis propè uesicam. liquet igitur, Hippoc. sententiam ab alijs obscitanter tractatã. Quòd si nulli securo auxilio ischuria sedatur, sit aũt propria, id est nõ facta suppressio supra uesicã, oriri quæstio solet, an cathetera potius per uim sit immittẽda, an sectio in loco ubi lapis extrahi solet, administrãda, an escharoticũ medicamentũ superponendũ, inde locus perforandus? Semper enim in deploratis casibus quælibet ratio quãuis nõ tuta, modò in ea spes aliqua sit, tentãda est, quàm certæ morti ægrũ destinare præstat. Itaq; ex cathetera per uim immissa dolores, ulcera, phlegmonesq; excitari solent: escharoticum medicamentum serius agit, quàm occasio postulet: sectio incerta est: ob id plurimũ refert quàm præstans sit lithurgicus, q̃ mũdum sit corpus, quàm sanguine plenum, in omnibus ratio excessus habenda est. Nos tamen uidimus perforatam cathetera carnem in Francisco Lãzauerta patricio optimè cessisse, tametsi sanguinis & saniei multum profluxerit. Sed si callus sit, sectio expeditior, in imperitis artificib. tutius est escharoticũ. Quæret forsan aliquis, cur Hippoc. balnei tam præstãtis auxilij nõ meminerit? siquidem balneũ primùm est in ordine, quo ad uires attinet, soluentiũ dysuriam & ischuriã. Galenus in libro de Cura & dignotione af- Cap. 4.
fectuũ, renum hoc auxilium tanquam ultimũ relinquit, quòd uehemẽter uires exoluat. Ob id forsan Hippoc. prætermisit, quanquam utilissimũ: uel quia nõ nisi purgato corpore omnibus modis adhiberi cõueniat. In ischuria tamen & dysuria cum quæramus curam potius symptomatis quàm morbi, tutius adhibetur quàm in calculo.

APHORISMVS XLIIII.

Qvibus cerebrũ cõcussum est, in tribus diebus pereunt: si uerò hos euaserint, sani fiunt.

COMMENTARIVS.

¶Quæ Galenus hic & secũdo de Locis, quã- Cap. 2.
quã diserté, docet, refutãtur à Brasauolo experimento: nec sic interpretãdus est Hippocrates. Et nos uidimus cõcusso ex saltu, ex casu, ex ictu cerebro uidemus persæpe, ubi læsio sit magna, homines & animalia reliqua ut mortua concidere: quæ si cerebrũ præter cõcussionẽ corruptũ fuerit aut dissolutũ, aut diuisum, oẽs pereũt intra tertiã diẽ. absurdũ est enim credere, corruptũ cerebrũ, uelut carnẽ quæ nullũ habet usum, sed solũ utilitatẽ, posse restitui. neq; si cerebrũ corrũpatur aliter q̃ ut concutiatur, sed uelut ex uulnere uel ictu nõ grauioris rei, qualis est malleus, later, patientẽ intra triduũ mori, dicẽte Suetonio in Caligula: "Curatorem munerũ ac uenationũ per continuos dies in conspectu suo catenis uerberatũ, non prius occidit, quàm offensus putrefacti cerebri odore." Quis ergo adeò insaniat, ut putet cerebro incipiente corrumpi, mortem intra triduum sequi? uel si euadat eos dies, postmodùm sanari? At uerò quomodo id dignoscere potuisset? omitto de mortuis ex dissectione: quãquã

& hoc

et hoc tamẽ operosum fuisset. Neq; enim nũc cũ maxima cõcedatur libertas dissecãdi corpora, quoscũq; dissecare licet, eos qui nõ sunt mortui, quomodo dignoscere potuit sphacelo cerebri laborasse, cũ nil minus uerisimile? Est aũt hoc inter oracula numerandũ, cũ rationẽ habeat obscurissimã, quam uenari præstitisset potius quàm nugari. Nos tamẽ id agemus: sed prius eos docebimus modos, qui cũ uideãtur cõprehendi sub Aphorismo præsenti, haud tamẽ cõprehenduntur: uelut cũ uenula aut ossis squãmula disrũpitur, aut membrana laceratur, nã in his etsi nõ statim mors subsequatur, tandẽ tamen oẽs, aut magna pars perit, ut Hippocrates testatur, & experimentũ docet.
lib. de Capitis uuln. pag.8. Pag.5 & 7. Ibidẽ quoq; colliges signa tria præcipua sphacelati ossis, scilicet cũ à casu uel ab ictu aut saltu uertigo primùm, inde sopor, demũ etiã quòd in terrã decidat, acciderit. Clarũ est igitur, eos qui sic afficiuntur, nec ob sphacelũ pereũt, sed rupto osse, uel uenula, uel membrana corrupta seu interiore, seu uinculis qui per suturas trãseũt putrefactis, æstate post septimã diẽ, hyeme post quartãdecimam atq; serius, prout iuuenes aut seniores fuerint, interire. Vnde cõmunis usus obtinuit, ut iudices usq; ad quadragesimũ diẽ, si perierit ui uulneris, aut ictus perijsse censeatur: si aũt post, alia causa. Ex quo liquet problematis solutio, cuius alias nõ adeò mihi cõperta ratio fuit: scilicet Curquidã concidãt uelut mortui ex ictu uel casu aut saltu, inde resipiscũt ante tertiã diem: & tamen post aliquot dies etiã moriũtur. nã his cerebrum sphacelatum est, sed nõ adeò ut mori debeant ex hoc: uerùm præter uenula, aut mẽbrana disrupta est. quãdoq; & uitio membrorũ inferiorum, uelut renũ aut iecoris aut uẽtriculi pereũt, præsertim si in uentrem ceciderint. Signa ergo ex sphacelo perituri sunt, si nullo modo ante diem tertiũ resipiscat, et magnitudo causæ, ut casus ex altissimo loco, pondus grauissimũ quod in caput inciderit: tametsi mollis res sit quæ incidat, ut lanæ aut gossipij moles coacta atq; dẽsata. Et si fluat sanguis è naribus, & si oculorum uenæ impleantur, plerũq; subsequitur mors breui. Nõ tamen adeò certũ est signũ, sed si cũ hoc protuberent oculi, & si nitorẽ amittant, aut si conuellantur: moriuntur enim statim. Cur ergo triduum definiat hoc periculũ, causa est, quòd si noxa sit grauissima, tertia die, qui est primus circuitus, necessariò occîdit: aut si nõ occîdit morbus, non est grauissimus, sed mitescit. igitur nõ est ex illa collisiõe facta cõtinui solutio, nec ulla pars corrupta.

Multa tamen in oppositũ adduci possunt: atq; primùm Galeni auctoritas secus interpretãtis, quam negligere piaculũ uidetur: nec certè sine ratione manifesta relinqui potest, tum maximè quòd infrà ait: ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ. id est: Quibus cerebrum cõcussum est: Aphor.58 hic uerò, ὁκόσοισι σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος: Vt nõ idem sit, σεισθῆ καὶ σφακελισθῆ. Altera ratio est, quòd proposito hoc ut eadem sint, non conueniunt, malum fieri & perire. ibi enim subiungit ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα.

Tertia, quoniã Hippocrates secundo de Morbis Pag.2. habet, ἢν σφακελίσῃ ἐγκέφαλος, seu in cerebris sphacelismo dolor ex capite spinã occupat, & ad cor animi deliquiũ procedit, & sudat, & somni expers est, & ex naribus sanguis fluit, sæpe etiam sanguinem uomit. Σφακελίζεται δὲ ὁ ἐγκέφαλος τρόπῳ τοιῷδε. Id est, Sphacelismũ, contrahit aũt hoc modo, quum aut nimium calefactum aut perfrigeratum fuerit, aut biliosum pituitosum'ue plus solito factũ. Vbi aliquid horum plus solito perpessum fuerit: etiam spinalem medullam supercalefacit. Et cum etiam hæc percalescit, dolorem inducit. Animo uerò linquitur homo, cum pituita aut bilis ad cor consistit: consistere autem necesse est commotis ac humectatis. Sudor autem fit ob dolorem: sanguinẽ uerò uomit, quum uenæ quæ sunt in capite, à cerebro fuerint calefactæ: quæ uerò circa spinam sunt, à spina: spina autem à spinali medulla: medulla uerò à cerebro, unde originẽ trahit. Quũ igitur calefactæ fuerint uenæ, & sanguis in ipsis efferbuerit, quæ quidem in capite sunt uenæ distribuunt ipsum ad nares, & ad os: quæ uerò circa spinam sanguifluæ, in corpus. Hic tertia aut quinta die plerũq; perit. Et infrà: σφάκελος ἐγκεφάλου. Quod ille uertit, & satis bene in hoc Pag.8. proposito: Si corruptio cerebrum inuaserit, dolor tenet maximè anteriorẽ partẽ, & paulatim etiam intumescit, & liuida fit, & febris ac rigor apprehẽdit. Et in tertio rursus: ἂν δὲ σφακελίσῃ ὁ ἐγκέφαλος. Id est: In cerebri spalecismo, Pag.2. dolor caput tenet, et per collũ ad spinã procedit: æger nõ audit, et frigus ad caput deuenit, totusq; intumescit, & uoce priuatur: ex naribus quoque sanguis fluit, et liuidus fit. Quòd si morbus læuis fuerit, ubi sanguis effusus est, melius habet: sin autem uehemens, citò perit. Notandum tamen, quòd in eodem secundo, tertiò Pag.7. repetitur huiusmodi morbi descripto: Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex ceruicis neruo ad spinam tendit, & ad cor frigus descendit, et derepentè nouus sudor adest, & per nares

sanguis

sanguis fluit, uomunt quoq; multi. hic triduo moritur: si uerò septem dies transgrediatur (pleriq; aut nō transgrediūtur) manifestum est autem discrimen à superioribus, conuenit tamen cum his
Pag.7. quæ dicta sunt in Coacis prædictionibus: Cerebro corrupto alij in tribus, alij in septem diebus moriuntur: hos uerò si effugerint, seruantur. Verùm, ut dixi, eadem est difficultas in uerbo σφάκελος. Vt sit sensus: quomodocunq; cerebrū afficiatur, sic ut sanguis profluat è naribus, et persæpe euomatur, etiā ob ictum seu casum seu saltum, uel etiam morbum, cum doleat usq; ad spinam & cor, animo linquitur, intra triduum moritur. si autem quintum diem, aut ad summum septimum superauerit, euadet omnino. A' tertia autē die usq; ad quintam, uel septimā, euadere potest.
Cōtrad.5. Pro quo uide decimo Contradicentium. Ad id de concussione dico, quod muti fiunt in sphacelismo necessariò, non tamen necessariò moriuntur. concordatq; cum illo quintæ particulæ: Si ebrius quispiam repentè obmutuerit. Vide etiam
49. quæ in eo sextæ Particulæ, Quicunque sani dolore capitis, dicta sunt.

APHORISMVS XLV.

STernutamentum fit ex capite calefacto, cerebro aūt humectato: eo quòd in capite inani. Aer enim intus cōtentus extrà erumpit: sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

COMMENTARIVS.

¶ Cum locutus sit de signis à cerebro malè
Aphor. 43. affecto ualde, sumptis, in præcedēti Aphorismo, tum alijs, antea interposita cura stillicidij & difficultatis urinæ, tum suppuratorum, ut sint tres continui Aphorismi: transit ordine exacto ad affectum cerebri præter naturam, sed minus malum, imò quasi leue symptoma. inde prosequitur per continuos quatuor alios Aphorismos, illud in omnibus intendens, quod seu per artem seu à
Aphor. 13. natura morbos symptomataq; à repletione facta materiæ contentæ expulsio sanat. Diximus autem nonnulla circa præsentem expositionem in
Cap.3. superiore Particula, ad quam te relego. Nunc opinionem Galeni prosequar secundo de Symptomatum causis, cum inquit: Cuius generis & sternutatio est, ad persequēda protrudēdaq; ea quæ nares offendūt, instituta. Quæ ipsæ quoq; respiratus sunt uiæ, à natura inuentæ: quippe expurgat spiritus sibijpsi uiolenter & cum impetu delatus, uias: non aliter quàm tibias & fistulas ex-
Cap.4. purgant harum opifices. Et paulo infrà: Porrò eos humores qui in arterijs contumaciter habēt, & qui difficulter reijciuntur, magis expediunt sternutationes: utpote in quibus maior etiam est spiritus impetus, quàm in tussi: causa uerò generationis altera, quippe propter ea quæ in naso, non propter ea quæ in arteria aspera offendunt, emittitur in ijs spiritus uehementer. Emittitur autem cum eo, etiā ex prioribus cerebri uentriculis aliquid: atq; idcirco tusses quidē caput nihil iuuāt, sternutationes (si tamen ex catarrho non fiūt) maximum remedium capitis halitu repleti, sunt. Nec mirū uno impulsu, tùm à pulmone, tū à capite spiritum emitti. Monstratum enim est, ubi de ijs disseruimus, caput quidē pectori motus principium tradere: pectus autem pulmonem & dilatare, & contrahere. Cum igitur quæ in naso offendūt, persequi propterea utrisq; emittēdi spiritus nisi simul utitur: altera quidē ea, quam ipsum per se facit: altera, quam per neruos, ueluti per quædam longa brachia, quæ in pectus descendāt (quippe per hos id contrahit) halituosum aūt spiritum per colatoria ossa, ipsum per se exturbat. Atq; hæc quidem symptomata uoluntariæ sunt facultatis. Propius sanè quàm alibi ad naturā & usum sternutationis accessit, non tamen clarè rē explicat: sed nos ut diximus superius, sternutatio fit spiritum confertim attrahente cerebro, inde simul protrudente. Et quoniā non potest trahi, nisi simul trahat & pulmo, ideo uidetur etiā à pulmone protrudi. sed cerebrum uerè est principium protrudendi, attrahendi autem initiū. Cæterùm propter illud pulmo trahit. quod obscurè nimis ipse proponit. Cæterùm Aristoteles multa de sternutatione proponit, quæ nos ut uera colligemus atq; supponemus, sunt autem hæc: Homo 10. Probl. 53.
solus, quòd natura erectus sit, adde calidissimus & humidissimus, grauedinibus tentatur, nō ullum aliud animal. sunt enim omnia alia prona. aues tamen quòd magis erectæ sunt, natura grauedine, licet exigua, nō raro corripiuntur. Sternuunt autem quæcunq; grauedine corripiuntur, si quidem sternutamentū est ad propulsandam cerebri læsionem: unde grauedine oppressi, uoluntate quidem tenentur sternuendi, sed nō possūt: uerùm sternuunt maximè, uel incipiente, uel dissoluta iam ex parte grauedine, aut saltem concocta: antea uerò desiderio magis tenentur, quàm affectu ipso corripiātur. Alijs etiā ex causis quæ cerebrum oblædere solent, sternutamentū exoriri solet: ut sit actus cerebri offensam propellere conantis, flatus propulsi medio: unde etiā singultus tollitur. solet enim singultus & tussis cerebrum

rebrum uellicare, ut cerebrũ ad propulsandam noxã incitetur. Atq; in tussi cur sternutamentũ tussim soluat, sæpe iam diximus: quoniã ex pulmone spiritus uehemens delatus perpurgat uiã: at in singultu, cùm sit ex uentriculo hæc noxa, ut decipi uideatur, quod ad hoc attinet, Philosophus, sanatio fit ea ratione qua superius in alio li-
33.Probl. 1. bro diximus: sed iuxta Aristotelẽ, quoniã uicinitate loci ex motu uehementi calefit uentriculus, calor aũt dissoluit flatum, flatusq; materiam. Indicio est, quòd etiam cõtenta spiritu solùm aut foto uentriculo itidem soluitur singultus. Sed
Probl. 4. prosequor Aristotelis institutum. Indicio est sternutationem fieri à molestia, & præsertim à calore, quod intuitus in solem, & titillatio narium, atq; odor rerum calidarũ, præcipuè piperis (condisi uocati) euphorbij, & talium, uehementes
Probl. 15. concitat sternutationes. Eaq; ratione dormientes non sternuimus, quoniam cerebrum refrigeratur, & quiescit, calore intus ad cor reuocato:
Probl. 8. Sed & confricato oculo, dum calor & molestia foràs auocatur, & maximè quousque lachryma effluat, intus quiescit, & sternutatio non moue-
Probl. 7. & 9. & 11. tur. Sed sacram rem existimarunt ueteres hanc operationem, quæ ex principe parte procedit: uerùm meliora sternutamenta esse putant, quæ à meridie ad mediã noctem eueniunt, quàm quæ à media nocte ad mediam diem.

Deueniendo ergo ad Aphorismi expositionem, postquã constat sternutamentũ fieri ob caloris principaliter, tum ob humidi replentis uentriculos cerebri molestiã, ut in grauedinibus, patet expositio primæ partis Aphorismi, & cõcordia Hippocratis cũ Aristotele: tum causa cur in comitiali sternutamentũ est signũ aduentus accessionis in principio, & in fine liberationis. Quod est generale etiã in consimilibus affectibus, grauedine, attonito morbo, atq; huiusmodi. Et ego uidi iuuenẽ, quem solũ eo morbo affectũ uidisse me memini, qui conciderat eo morbo, ex quò, ni oblitus sum, altera periit die: quem astantes dicebant, uesperi præcedente sternuisse plus quàm tricies, & nihil emittebat, idq; iurè. nam magna molestia affectũ esse cerebrum, indicabant tot inania sternutamẽta: ex quo patet, quod quanto plura & sicca atq; inania, eo peiora. & si magna & ualida sint, eo deteriora, cùm ualidæ fuerint uires: & quanto debiliora, cùm debiles. Ideo nuper Ioannes Ludouicus Bouius, annum agens sexagesimumquartum, post multa signa mala affecti cerebri, cùm longo morbo decubuisset, sternuit manè uno forsan uigintiquinque uicibus leuiter & inani effectu; itaque tertia die periit. ea ratione, contrarijsq; causis pauca & plena seu humida, & quæ crassam educunt materiam, faciliaq;, optima, & signum optimum. unde Aristoteles dicit, quòd plerunque 33.Probl. 3.
geminantur.

Aer enim intùs contentus, extrà erumpit. Docet causam efficientẽ sternutamenti, tacens causam causæ. calefacto enim cerebro, ut refrigeretur cõfertim, attrahitur confertim aer: et similiter repleto inani humido, ut expellatur idem, eodẽq; modo attrahitur: unde ante omne sternutamentum sentimus nos aerem attrahere celeriter, & copiosum, quo attracto, cùm ibi sit præter naturam, extrà erumpit.

Sonat autem, quoniam per angustum illi est èxitus. Reddit causam, cur adeò resonet. Dicit, Quoniam per angustum locum fertur spiritus, scilicet per meatus ossium, qui sunt supra nares: Cap. 6.
ut à Vesalio libro primo, ac septimo. & 12.

Galenus hoc in Aphorismo ter reprehendit Cap. 11.
Hippocratem. Primùm, quòd dictum illud non sit generale: sed intelligi debeat de sternutamento solo, quod fit uitio capitis. nam in reliquis quæ fiunt, gratia exempli, ex narium titillatione, non est necesse ut fiãt uel supercalefacto cerebro, uel repleto inani ab humido: uideturq; hæc accusatio toleranda, quoniam est quasi expositio Hippocratis potius quàm accusatio. Atq; utinam taliter se gessisset ubiq;. Secunda aũt est, strepitum illum fieri solùm ex aere excusso à cerebro eredere (supple, ut Hippocrates credidit) est manifestè falsum, quandoquidem uideamus etiam fieri propter aerem protrusum à membris pectoris: præterea quia aer ille attrahitur à cerebro ante sternutationem, non solus excutitur qui intùs erat. hoc enim experimentum docet. Tertia, non fit sternutamentum repleto inani ab humido, nisi humidum illud in flatum conuertatur: aut sit acre, quod stimulet cerebrum. uideamus modò de istis accusationibus. Nam et si intelligamus de sternutamento facto à solo cerebro, adhuc hoc modo non esset uerum, quòd fieret à calore, uel repleto inani ab humido solùm: quandoquidem facta ex uaporibus tali molestia, qualis concitatur ex narium titillatione, fiet sternutamentum, nec tamen ab illis causis. Ob id dico generaliter intelligendum Hippocratem ex demonstratione dicta, scilicet quòd titillatio & reliqua non mouent sternutamentum, nisi calefacto cerebro. neque enim dubium esse potest, quin titillatio in naribus non possit esse causa

propria & cohærẽs sternutationi, sed causa tantùm causæ, quæ causa est caliditas cum motu in uentriculis cerebri. Ex quo patet, non esse absurdum credere, quòd olim interirent ex unica sternutatione, unde nata sit consuetudo bene ominandi à sternutamento: seu illa orta sit ex opinione, quod sternutamentum omen faciat bonum, aut malum, ut precemur bene sternutantibus, satis est potuisse gigni humorem adeò acrem, qui uexauerit cerebri uentres, ac statim interfecerit: non quia sternutamentum occideret, sed erat signum causæ, ex qua interitus accideret. De secunda accusatione, illa uerba (Aer enim intus contentus) non sunt intelligenda de aere qui in cerebro antea continetur, sed qui contractus est dum sternutat. Siluit autẽ secundam partem tanquam notam, cùm explicasset primam & tertiam, scilicet causam sternutamenti effectricem primam, & post proximam. De tertia calumnia dico, quod humidum illud est (ut dixi) causa attrahendi aerem, quo fit, ut sternutatio. Fallaciam enim facit Galenus reprehendendo Hippocratem, qui non dixit quòd humidum & calor semper faciant sternutamentum: sed quòd sternutamentum semper fit calefacto cerebro, aut humectato. ideo manifesta est calumnia. Quòd enim humidum acre salsum' ue moueat sternutamentum, uerum est: sed hoc non est ad propositum. sed illud oppugnare debuit, quod sternutamentum fit ab humido. neque enim generaliter hoc est intelligendũ, cùm ipsemet dicat, quòd etiam fiat calido.

APHORISMVS XLVI.

QVibus inter uentriculũ & septum pituita reposita est, & dolorem affert, exitum non habens, neq; ad alterũ uentrẽ, ijs p uenas ad uesicã pituita uersa, soluit morbus.

COMMENTARIVS.

¶ Sermones antiquorum uel euidentem cum rebus ipsis consensum habere debent: aut si id non possumus, potius quàm per difficillimas rationes, nec satis certas alienũ uelle expiscari sensum, propriam tueri sententiam, modò uera sit. Neq; enim dubium esse potest, quòd si uellemus per septum transuersum legere omentũ, quin clarissimus esset sensus, atq; euidentem contineret ueritatem, tum artem. At hoc nolumus, quocirca dubitarunt meritò tum Marinus, tum Galenus, quomodo pituita possit ibi decũbere, absque eo q non defluat usq; ad ossa pubis? Galenus respondet, quòd non ubiq; id cõtingit, sed in ea tantùm abdominis parte, quæ ad epigastrium attinet. Ridicula Fuchsij expositio, Intra peritoneum, quod iuxta abdomen est: id est, Pituita, quæ est iuxta phlegma. adeóne putauit imponere nobis caligãtibus oculis, ut nesciremus abdomen idem esse Latinè, quod Græcè peritoneon? alludit ergo Hippocrates ad illud quartæ Particulæ: Quibus tormina & circa umbilicũ dolores, & lumborũ dolor, qui neq; medicamẽto, neque aliter tolluntur, ijs in hydropem siccã firmatur. Ergo lumborũ dolor fit crudo ex humore in uacuo illo usq; ad os pubis descendẽte, id est, ad regionẽ illi propinquã: dolores aũt, & tormina ex parte quæ superius quieuit, & retentus est. Si ergo regionẽ inuenerimus inter uentriculũ et septum transuersum, in qua cõsidere, aut cõmodè cõtineri, aut saltem firmiter poßit hærere, habemus intentũ. Videtur aũt mihi, q ea sit quæ supra septũ transuersum est. ibi enim uentriculus supereminet ea parte, quæ est prope os. Et hanc uidi in patricio Briuio dissecto Mediolani, cùm iam tamen cõputruisset, erat aũt in uinculis, ac prope ea quibus iecur superius alligatur. ostẽdit aũt hoc Hippocr. cùm dixit: Exitũ non habens neq; ad alterũ uentrem. Ad quẽ rogo uentrem, si infra septũ transuersum iacet? Propterea docet modũ curãdi, cùm neq; adeò facilè ad intestina deriuari poßit tunica utraq; & inani intermedijs, neq; per sanguinẽ aut sudorẽ toto corpore medio, neq; per uomitum eisdem rationibus ferme, quæ uetant ut per aluum educatur: reliquum est, ut unica spes & à natura & ab arte supersit, scilicet ut per urinas educatur. nam in gibba iecoris ob propinquitatem transumitur, à quibus ad urinas deriuatur. In tam claris ergo rebus caligarunt antiqui, & Galenus præcipuè ad insectandum potius quàm interpretandum Hippocratem, hac in parte duntaxat natus: ut etiam in carminibus, quæ operi præposui, testatus sum. Monet autem nos Hippocrates, ne, quod plerique nunc medici faciunt, agas, (ex nullo penè morbo mortem afferentes) purgare coneris tamen humorem medicamentis: non solùm quòd undecunque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones, sed quòd materia non educta putrescet & corrumpet epar, & interim ægrum ad mortem educet. Monuit autem nos experimentum, quod quis forsan tanquam uerisimile posset obijcere, ægrum scilicet sine tußi fuisse: aderat aũt febris quotidianæ similis.

11. [margin, beside "alludit ergo Hippocrates ad illud quartæ Particulæ"]

1. Apho. xx [margin, beside "Monet autem nos Hippocrates"]

Cæterùm quod de transsumptione humoris ex uacuo in uenas & ad urinas meminit Galenus,

nus, uerissimum est: eaq; exempla bellè proposito sunt accommodata. De transitu materiæ per ossa, dum illa etiã extenduntur, abscessumq; contrahunt, quod magis mirum est: de exitu sanguinis ex cute, ac carne sana redundantis, in ossiũ fractorum coagmentatione: de pure in cauitate pectoris contento, & in pulmones transumpto, ut cõmodè per tussim eijciatur. Sed nihil miran dum est, scientibus nobis ab Hippocrate comme moratũ, quòd corpus nostrum totum est transpi rabile, & in unum consentit, ut in libro de Alimẽto, cùm dixit: Cõfluxio una, cõspiratio una.

Pag. 2.

APHORISMVS XLVII.

QVibus iecur aqua plenum in omentum eruperit, ijs uenter aqua repletur, & moriuntur.

COMMENTARIVS.

¶ Εἰς dictio, in apud Latinos significat: & licet alia multa significata iuxta annexas dictiones habeat, cùm sequatur τὸν ἐπίπλουν, significat in omentum: quod tamen est, ad omentum, ut, Vado in urbem, id est ad urbem: feror in hominem, id est, ad hominẽ incitatus accedo. sunt enim formulæ quædam loquendi, quas explicare longũ esset, ijs qui linguam callent solùm notæ. Sicut & illud in Verrem: quantum differt ab hoc, In domo sum, in cœtu, ut stultus clamitabat. Dissectio autem nobis ostendit, aquam hydropicorum primò inter omentum & peritoneũ cõtineri, pòst exeso omento inter illud etiam & intestina, sed & ante illud. licet enim solidum sit intùs, tamen penetrat. unde quatuor tempora. Primũ, cùm inter omentum fuerit, et peritoneũ, tuncq; sanabilis semper est morbus, ni causa uel aliud obstet. Secundum, cùm in omentum penetrat, sed illud tamen integrum est: difficileq; iam sanantur, quoniam ea pars non adeò per urinas excerni potest. Tertium, cum ibi est, et exesum est omentum, tuncq; sunt insanabiles, nisi omnia prorsus ægro opitulētur. Vltimũ, cùm iam ad septũ ascẽderit aqua; tussimq; excitauerit: quo tem pore sunt deplorati prorsus, & breui uitã finiũt.

Quòd uerò adiecit (Et moriuntur) scictibus nobis, q. omnis ascites lethalis est: nõ adiecit frustra (Et moriũtur) nisi ut intelligeremus, oẽs ex hac causa interire, tametsi et in huiusmodi accidãt mõstra & sanationes admirãdæ, sed rarissimè: seu ex causis ignotis nobis, seu ex cœlo, seu quod alius sanationis modus supra naturã & ex miraculo, de quo nõ est dubitandũ: & præter miraculũ, ordine Dei etiã disponẽte, ut etiã esset aliquid in nobis naturaliter supra naturam cõstitutum, de quo sæpe dubitaui. Causa aũt, cur omnes ex hac causa intereũt, est, quòd in huiusmodi ho minib. iecur imbecille est, & excoriatũ, & iam cõtraxit intemperiem, ex aqua cõtenta p intemperiẽ, qua illam genuit, ut sint in hac cõstitutione quatuor causæ offendẽtes iecoris coctionẽ: unde uerisimile est, tales ægros nunq̃ posse liberari. Fit enim ascites uitio semper iecoris, at illud duplex est: per se, & per cõsensum. Per se quidem quinq; modis, aut ob abscessum durum in eo magnum, & tunc est insanabilis, ut etiã illius causa: aut propter materiam cõtentam in eo malã, aut propter ulcus, aut propter malam intemperiem, aut defectũ caloris innati. Ex materia quidem in eo contenta, uel eiusdem generis, ut aqua: uel alterius, ut atra, uelut in Aphorismo suprà. Similiter mala intemperies per se, aut orta à causis internis, aut potu aquæ uel deleteriorum putrefacientium, qualia sunt cicuta & opium. Sed ex consensu fit multis modis, principaliter tamen quatuor: à pulmone, ut in difficultate spirandi grauii: à liene, à renibus, & ab utero. Est etiam modus præter hos duos à malo regimine, copia cibi, potus, uigilijs, madefactione uestium & pedum, decubitu super terram. Est quidam modus absq; uitio iecoris, cum aqua in uniuerso corpore ob imbecillitatem coaceruata intus pellitur, quasi per crisim, ut infrà. Hi duo modi ultimi prorsus sunt sanabiles. ex duobus etiam superioribus, qui fit uitio uteri, facilè sanatur: pòst qui à liene: qui à pulmone uix unquam curari potest. Qui à renibus, si ex fractura emulgentis uenæ, nunquam: et si ex scirrho ipsorum, si ex imbecillitate, nec facilè: qui uerò ab intemperie iecoris, uel à materia in eo, uel ex defectu caloris innati, ni aliud obsit, facilè non dicam, sed non admodum difficulter sanatur. Ob id igitur iurè ad iecit in hoc casu: Et moriuntur.

APHORISMVS XLVIII.

PAndiculatio, oscitatio, horror, uinum æquale, æquali potum, soluit ægritudinem.

COMMENTARIVS.

¶ Mira socordia conscripta & interpretata cũcta sunt. cùm enim Græcè, Galeno teste, scriptum esset, Αλύκη, χάσμη, φρίκη: uerterunt eam orationem in ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, non solùm Fuchsius, sed etiã codices Aldi utriq;. ego tamen malim credere Galeno, priorem probanti testantiq; scripturam, quàm illis. Quòd si omnino nolint eam admittere, ad quid eam Galeni accusationẽ extra omnẽ sensum reliquêre?

Scilicet σολοικοφανὲς εἰκότως ἐνίοις ἔδοξεν
εἶναι τὸ σχῆμα τοῦ λόγου, καὶ διὰ τοῦτ' ἔνιοι
κατ' αἰτιατικὰς πτώσεις ἔγραψαν ἀλύ-
κην, χάσμην, φρίκην, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινό-
μενος. λύει δέ. διαφέρει γοῦν οὐδὲν εἰς τὸ
παρὸν, καθ' ὁποτέραν ἄν τις γραφὴν ἐξηγή-
σηται τὸν ἀφορισμόν. Quæ uerba non in-
terpretor, cùm sint ab omnibus qui uerterūt Ga
leni Commentaria, bene conuersa. initium enim
sunt Aphorismi: quæ tamen superflua omnino
sunt, cùm tam plura sint, & nullū habitura sen-
sum: nec Græcè habēt, sed tanquam delyrantē
Galenum faciunt. Quapropter melius Leoni-
cenus interpres, tanquā dixisset, ἀλύκη, χάσ-
μη, φρίκη: uertit, Anxietas, oscitatio, horror.
Hæc tam multa addidi, ut ostenderem quàm ne-
gligenter, aut sine iudicio, plerią; cuncta tracta-
uerint. Et crimine ab uno Disce omnes.—

Nam nō ueriti sunt uerba relinquere, quæ re-
pugnātia essent sibi mutuò. O socordiā intoleran
dam. Sed mittamus hæc. ἀλύκην uocat anxie-
Pag.13. tatem. Dicebat septimo Epidem. Τῇ Παυσα-
νίου κόρῃ μύκητα ὠμὸν φαγούσῃ, ἄση ἔσχε,
πνιγμὸς, ὀδύνη γαστρός. id est, Pausaniæ fi-
liam ex fungi crudi esu anxietas habuit, strangu
latio, uentris dolor. ut ἄση anxietatē significa-
uerit. & uerisimiliter anxietas, non pandicula-
tio, quæ leuis est affectus, comitata est esum fun-
gorū, strangulationē, & uentris dolorem. At in
Pag.8. Coacis: τοῖσιν ἀλυσμώδεσιν ἐν ὑποχον-
δρίῳ τὰ παρὰ οὖς ἐπαρθέντα, κτείνει.
Quod est: Anxietate in præcordio, circa áures
oborti tumores, occiduntur. nec anxietatem eo
uocabulo indicarit. Quanquā Galenus in Com
mēto hic dicat, ἄλυν & ἀλύκην idē esse. Et in-
Pag.15. frà, Τὰ ἐξ ἐμέτων ἀσώδεα κλαγγώδεα:
scilicet, ex uomitibus anxietates, clangores. &
ibidē: Οἱ ἀσώδεες ἀνεμέτως παροξυνόμε-
νοι, κακόν. id est: Qui anxietate citra uomitū
corripiūtur, malū. Tum illud, Ἐν ἀσώδεσιν ἀ-
γρύπνοις, In anxijs uigilantibus: tum sæpius ad
Pag.2. fastidiū usq; repetito. & in Prognostico: Καὶ τὸν
τράχηλον, καὶ τὰς χεῖρας, & reliqua: subijcit
tandē, κακόν. ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει. id est,
Collū (supple, disiectū habere) & manus, malū.
anxietatem enim significat: ut in nullo sensu an-
xietatē, quæ est magni mali indicium, & lethale
signū, per ἀλύκην ullibi declarauerit: rem sanè
leuem. quanquā hic affirmat modico uino diluto
solui, uelut Galenus interpretatur: sed pādicula
tionē, ut Theodorus Gaza uertēdo diuinauit,
scribendū esse omnino existimem. Hæc satis
superq;: nūc quæramus, cur pandiculatio, nō pan
diculationem, & reliqua eodē modo scripserit.
neq; enim absq; ratione solœcismū fecisse existi-
mandum est. Est igitur suspensa oratio, quasi di-
cat: Cùm pandiculatio, oscitatio, horrorq; appre
henderint hominē, hanc dispositionē soluit ui-
num dilutū æquale: id est, quantum oportet sum-
ptum: & æquali aqua, id est, quāta oportet: ut il
lud Aequale ad uim hominis & aquæ sit referen
dum, soluit morbū: ut intelligamus de morboso
affectu loqui, cum tædio nos hæc afficiūt. Cau-
sam huius Galenus rectè in Commēto exponit,
dicens q; uinū huiusmodi calefacit, mouet humo
res, & etiā illos efficit bonos: quod utinā ita es-
set, atq; eo minus hoc ipse alijs dicere potest. Sed
de hoc cōsule quæ in decimo libro Contradicen Contrad.
tium scripsimus. Nūc satis sit declarasse, nō hu- 95.
mores mutare hoc uinū, sed potius uapores dis-
soluere, qui horū trium symptomatum cōmunis
causa sunt. atq; id & uerū est, & rationi cōsen-
taneū, tum maximè quòd statim id contingit.

APHORISMVS XLIX.

QVibus cerebrū aliqua ex causa cōcussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

COMMENTARIVS.

¶ Superius de hoc Aphorismo fecimus men- Com.44.
tionē: diximus et de mutis in quinto libro, & se- Com.5.
xto: nunc uerò quantum est necessariū præsenti Com.45.
negocio, in reliquis ad priora te relego. Vnū satis
est, uideri grauiorem casum concussionē, in qua
muti necessariò euadūt. nam in ea uentriculi, &
totum cerebrū afficiuntur. quam præcisionē, ut
suprà uisum est, solus uomitus & febris cōsequi-
tur. Muti igitur à natiuitate non sine uoce sunt, Lib.6.A-
imò plerią; ex his grāde aliquid boant: qui uerò phor.42.
ex morbo, submissè loquūtur, uelut in columellæ
seu uueæ casibus muti nō sunt. Si quis ergo uo-
cem seruet, & loqui didicerit, delirare potest,
mutus esse nō potest. Cùm ergo mutū dixit, eum
dicit qui uocis, nō solū sermonis impotens factus
est. Quoniā uerò ad sermonem uox necessaria
est, & mens quæ linguā dirigat ad motū, & lin-
gua et nerui, qui sunt animæ linguā mouentis in-
strumentum: & ab initio etiā auditus, per quem
mens doceatur: sed hic postquā didicerit, nō est
necessarius. & ad uocē pulmo, & musculi etiam
intercostales, ut aerem efflent, & laryngis gut-
tur mouētes, tum uerò glottis, epiglottis ac colu-
mella: erunt nouē ad sermonē necessaria: & u-
num ab initio, ut dixi, scilicet auditus: & duo ad
exactam locutionē, labia atq; dentes. Videmus

enim oblæsos in labijs nõ perfectè loqui. Erũt omnia quæ ad hoc concurrunt, duodecim. At impediri sermonẽ ex musculis intercostalibus aut gutturis ex toto, uel uuea, uel ligula aut epiglottide, rarò contingit. Planè igitur accidit, lingua uel neruo uel mente impeditis, frequentius mente, rarò lingua, nonnunquã neruo: quo fit, ut in huiusmodi casibus etiã reliqua mẽbra torpeant, & ut attonito morbo deprehensi iaceant. At uerò si ita est, apparet insanos & stultos habere mentem perturbatã quidẽ, nõ tamen impeditam. Contingit hoc ex casu maximè ab alto, tũ etiam ex succussione, & ex ictu mollis rei ac grauis: tum uerò in hac cõcussione facilè auellũtur nerui ex cerebro, aut disrumpuntur: uel quod pessimum est, cerebrum quassatur. Estq; difficillimum per se malum: sed si horum aliquid contingat, etiam prorsus insanabile. Videamus modò, cur dixerit, Necesse est statim. neque enim prorsus iacent ut apoplectici, licet magna ex parte: et aliqui quibus morbus est sæuior prorsus & omnino. contingit hoc, quoniam uibratum cerebrum maximè læditur: habet enim is motus rationem duorum ictuum, uelut demonstrauimus in naturalibus: & ideo uertiginem patiuntur statim, & obtenebrationem & læsionem omnium partium cerebri: & plerunq; moriuntur, maximè intra triduum.

APHORISMVS L.

CORporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit. fames enim corpora siccat.

COMMENTARIVS.

¶ Magna Dialectica hic opus est. Neq; enim statim sequitur: Carnes humidæ sunt, igitur siccãdæ, cũ naturaliter sic se habuerint. nec sequitur: Siccãdæ sunt, & fames siccat: ergo siccandæ sunt fame. Præsertim q; fames siccat interiora, tabefacit et humidũ, innatũ minuit, uitamq; abbreuiat. Ob hoc igitur studiosè quærẽda est ratio horũ. Dicamus ergo primũ, q; in his qui carnes habent humidas, ætatis ratione non cõuenit corrũpere bonum temperamentũ: nec de his intelligit Hippocrates, ut neq; de sexu. Sed neq;, si cõmoda sit tẽperies, ut sub multo calore exiguũ humidum cõprehendatur. Vbi ergo humida temperies sit uidendũ, cui usui sit illã exiccari: id uerò dignoscemus, si incõmoda humidioris corporis cognouerimus. Videtur aũt hoc quadrifariã cõtingere. primò generaliter, Inquit enim Hippocr. Causæ morborũ sunt plerũq; fluxiones: Lib. de Glandulis pag. 3.
at fluxiones ex abundãti humido fiunt. quod etiam docuit in libro de Locis in homine, & de Pag.5.
Flatibus, ubi docet fluxionũ ex capite multa genera: pòst, quo pacto morbi ex his oriãtur. Ibidem.
Specialiter aũt in libro de Veteri medicina, inquit: Pag. 10.
Mẽbra sunt quatuor generũ. solida, quæ nec tentantur à fluxionib. & ab humido, nec ipsa trahunt: quæ autẽ caua sunt, uelut uterus atq; uesica, & caput trahũt, & implentur: quæ uerò caua & expassa, ut uẽtriculus, recipiunt quidẽ humorem, sed nõ trahunt, nec combibunt: quæ aũt mollia sunt, & carne spõgiæ simili, trahunt, implẽturq;, & dura euadũt, ut pulmo, lien, mãmæ: sed maximè omniũ pulmo. At magis specialiter de cerebro istud docet in libro de Sacro morbo, Pag. 9.
dicens: Et insanimus quidẽ præ humiditate. cùm enim humidius quàm pro natura fuerit cerebrũ, necesse est moueri: ubi uerò mouetur affectio, necesse est neq; uisum quiescere, neq; auditũ, sed aliàs aliud uidere atq; audire: linguam aũt proferre talia, qualia uiderit atq; audierit. Nocet demùm articulis hæc constitutio, unde in libro de Pag. 3.
Articulis: Humidum hominibus ex articulis fit, propter neruorum connexionem si laxa fuerit, & intensiones facilè ferat. Multos enim uideas, qui adeò humidi sunt, ut quãdo uelint, articuli ipsis citra dolorem excidant, & reponantur. Liquet igitur, quod & cur corpora humida necesse sit exiccare.

Nunc modò uideamus, cur potius fame, quæ solùm per accidens illa siccat, quàm alijs auxilijs id fieri iubeat. Sed primùm id discutiamus, quod à Galeno, sed imperfectè, ut moris eius est, tangitur: scilicet, cur quædam animalia fame pinguescant in hyeme, ut ursi. Si enim breuis sit hyems, impinguantur: si longa, tunc macrent. Atque id ratione est, quoniam dormiunt: non ergo ob famem, sed ob somnum fiunt pinguiora. Cur uerò consulat, fame siccanda, ratio est: quoniam hoc solo modo æqualiter siccari potest corpus, non læsis corde uel iecore. Vt enim Galenus docebat in libro de Tabe: In fame enecto animali, cor & iecur non Cap. 5.
tabefacta uidentur. Sed iam per singula discurramus auxilia, quæ id facere posse uidentur. Exercitium autem impinguat corpora: aut si extenuat, adeò calefacit, ut ad febres præparet. Purgantia medicamenta non siccant corpora, nisi etiam multum ex utili euacuent, & uiscera debilitent. Sectio uenæ languidos reddit, & tremulos, & potius pinguefacit quàm exiccet

corpus. Balneum ex aqua humectat, caldaria & πυριατήρια inflammant corpus, et fluxiones mouent. Vigiliæ certè siccant, sed cerebrum multum, reliqua parum, & concoctiones impediunt. Medicamenta exiccantia non quod opus est, siccant, nec æqualiter: sed uentriculum, deinde iecur, reliqua non ita. Sola igitur fames tutò, æqualiter & sine agitatione id facere potest: quare ad eam confugiendum consulit Hippocrates. Pag.11. Quòd si obijcias illud ex libro de Veteri medicina: Fames magnam habet potentiam in naturam hominis sanam debilitandi & occidendi. Respondeo, quòd moderata sanat, & de hac intelligit Hippocr. nam quæ debilitat, uehemẽs est: quæ occidit, lõga et diuturna, de qua nõ est hic sermo: sed neq; de uehemẽti, sed moderata.

APHORISMVS LI.

QVibuscunq; cruda ex aluo secedũt, ex atra bile sunt: si plura, copiosiore: si pauca, pauciore.

COMMENTARIVS.

¶ Hic Aphorismus nõ est inter illos qui à Ga- Com.5. leno exponũtur, est tamen in Aldino textu, & etiã infrà exponitur ab eodẽ Galeno. nam ab omnibus expositoribus antiquis probatur. cuius sententia uera utilis est, rara & breuis. Humor crudus alius est longè à pituita, cùm sit omnino præter naturã: pituita aũt unus è quatuor humoribus. atq; hanc differentiã docuit ipse Galenus Cap.2. primo de Alimentis. Sed & humorẽ crudum ex atra bile generari docet, id quod usu euenit in curatione Quartanæ, cùm Galenus exhibet diatrion pipereon, & sinapim, & dicit: si quotidie piper cum aqua biberent, benefacerent. primo ad Cap.11. Gauconẽ. Causa huius est (cùm neq; piper neque sinapis conuenirent ratione materiæ, multo minus morbi ratione: sunt enim sicca) quoniam crudus humor, qui multus in his generatur, impeditq; curã, dissipatur. Generatur aũt ob hanc rationẽ, quòd atra bilis crudos generat humores: & si quis in quartana illũ negligat, raptim deferũtur miseri ægri in hydropẽ humidã aut siccã. & querũtur medici nõ successisse curationẽ, quã existimãt ritè peregisse calefacientib. & humectãtibus. Docet, inquã, igitur Hippocrates cruda per aluũ eiecta fieri ex atra bile. Differũt aũt plurimum cruda per aluũ deiecta, & crudæ deiectiones. nam deiectiones crudæ, liqdæ sunt & Cap.4.in med. dilutæ, ut colligitur libro de Symptomatũ differẽtijs. Dicit enim, q. deiectio quæ celeriter eijcitur, humida necessariò est. At crudus humor in hoc differt à pituita, ut dixi, ex Galeno, primo de Alimentis, quòd crassus sit. Vtroque tamen modo contingit ex melancholia cruda deijci & humorem quidem crudum: & crudas, id est liquidas deiectiones. Si plura, copiosiore. Vbi atra bilis superabundat, magnas fieri cruditates est necesse, ob impeditam maximè coctionem: si autem pauca, parum impedita coctione, parum etiam deijci ex humore crudo. Est autem triplex cruditas: una, in qua crudus humor generatur ac deijcitur: alia, in qua cibus incoctus deijcitur, uelut in lyenterijs: tertia, cùm crudus quidam succus generatur, qui acidus est sapore, & persæpè eructuationes mouet: & est cruditatis indicium, quæ Hippocrati maximè nota fuit, parùm Galeno cognita. Dixmus tamen alias Aetio notam: cuius hodie multa sunt exempla, uigetq; magis epoto uino quàm aqua. et hæc, Lib.6. cap. 9. post princip. si quis ad Galenum eam referat, causa est flammosæ melancholiæ, ut in idem recidat. Et huiusmodi expositio, ut dixi, est secundum mentem Galeni infrà, & eius sententiæ conformis.

APHORISMVS LII.

SI quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, ita laboranti, morbus.

COMMENTARIVS.

¶ Hic ferri accusatio Galeni tam anxia potest, postquam & hunc & alios multos Hippocratis esse negat. Verùm si sine iracundia perferre dictum possumus, uidetur mihi sanè expositus ab ipso eodem in primo de Alimentis, cùm Cap.2. dixit: Si quis exercens utatur oleribus & ptisana, breui uires collabentur, & corpus ipsum conficiet. & sumpsit ab Hippocrate, prima Apho- 14. rismorum dicente: Alioquin corpus absumitur. " Voluit Hippocrates declarare, quod nullibi alibi quàm iacturam faciat cibus assumens pro constanti, quod uulgus prædicat, scilicet cibum addere robur uiribus, Dicit Hippocrates: Verum est, sed ægrotantibus ex febre addit robur febri. Et hoc est quod dixit Galenus secundo de Naturalibus facultatibus: Cibus non Cap.8. concoquitur à calore febrili, sed corrumpitur ab illo. Docet ergo detrimentum esse, quòd cibus ille duo mala facit: scilicet quòd non auget uires, ut in sanis, & auget morbum. Vulgares enim putãt quòd utrumq; adaugeat: sed uires magis quàm morbum. ipse docet quòd in febribus nullo modo uires adauget, sed ipsum morbum. Quia cibus in febricitante tria magna mala facit, fatigat naturam, & calefacit hominem: & hoc

& hoc, quia in cōcoquendo natura, quæ est debilis propter calorem putridum, & quia est impedita, fatigatur sicut uis imbecillis, & impeditur sub magno onere. Secūdum, quia impeditur à coctione materiæ facientis morbum. Et ideo naturali circuitu adueniunt dies indicatiui & decretorij, in quibus cogitur pugnare non præparata materia: atque ideo succumbere. Ideoq; si materia benigna fuerit, optimum quod ei posſit euenire, est, ut transferatur ea pugna in sequentes decretorios producto morbo, & ipsa languidiore facta, ex quo persæpe etiam mors sequitur. Nam si antea, dicemus cum Hippocrate: 1. Epid. Pag. 4.

» *Cruda uerò & incocta, & in malos abſceſſus*
» *conuersa, aut indicium nullum futurum esse o-*
» *stendunt, aut dolores, aut diuturnitatē, aut mortem, aut recidiuas. Tertium est, ut dixi, incremētum materiæ ob malā coctionem. Quicquid enim subterfugit coctionem, aggregatur materiæ facienti morbum. Et hoc eo deterius, si fuerit nutriens, ut octauo Artis curandi: Atque id magis, si durus fuerit. ille enim peſſimus: libro de Veteri medicina. Demum, si fuerit potestate similis causæ morbi, aut morbo, aut utrisque.* Cap. 2. Pag. 3. in fine. Cap. 3.

APHORISMVS LIII.

Quæ per uesicam excernuntur inspicere oportet, si talia, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur his minimè similia sunt, morbosiora sunt hæc: quæ uerò sanis similia, hęc minimè morbosa.

COMMENTARIVS.

¶ *Longior sanè esse cogerer, nisi esset quòd in sexto Contradicentium demonstraui, quomodo ab initio morbi urina debeat esse cocta in substantia: licet non in contentis, si non morbus difficillimus futurus sit. His uerò ostendit generaliter de his etiam qui non habent coctas urinas, & de contentis simul, dicens: Quòd quæ non sunt similia sanis, sunt morbosiora: quæ uerò similia sunt sanis, minimè morbosa: cum hoc stat quòd morbus adsit. per morbosum enim intelligit, quòd sua natura morbum adauget. Similiter intelligendum illud idem de fecibus: non potest autem intelligi hoc de alijs ullis excrementis, cum quæ sunt secundum naturam, tantum duo sint, urina & feces. nam quis dicat sudorem similem sudori sani? Scripsimus etiam libros quatuor in hoc genere, scilicet de Vrinis, ut non sit decens repetere quicquam. Et si omisiſſem ibi ut huc traducerem, fecissem doctrinam imperfectam. illa enim est unius generis, cui nihil sine turpitudine deesse posſit. Etenim honestius est ut ex hoc loco ad eos libros transmittamus, quàm ex illis ad hunc: nihil enim absurdius. Vnum sat sit his animaduertisse, urinam sanam, aut excrementa alui sana quadrifariam dici: uel quoniam sunt similia sanorum urinis aut excrementis, & hoc significat morbum mitem: & de hac loquebatur Hippocrates in Prognosticis. Vel quoniam absolutè sana sit, & tunc significat morbum ad urinam non pertinere, uelut in dolore iuncturarum ab intemperie. Vel quoniam natura nō pugnat, nec aggreditur materiam morbi, ut in pestilenti febre: tertio de præsagio ex Pulsibus. Demum, cum est similis sanæ, sed uerè multum ab ea distat, ut cum pro hypostasi capimus pituitam tenuem. Et si eam consideramus in febre sæuiente propter causas, de quibus diximus ibi: aut cum non perseuerat.* Contrad. 39. Pag. 4. in fine. Cap. 4.

APHORISMVS LIIII.

Et quibus deiectiones, si stare permiseris, & non moueris, uelut strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus, ijs confert alui purgatio. Quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones: quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

COMMENTARIVS.

¶ *Huius & trium præcedentium Aphorismorum continuitatem adeò perspicuam esse puto, ut quamuis non sint Hippocratis, certè eiusdem omnes sint autoris. Cum enim dixiſſet in præcedenti, Quòd si quæ exeunt, non sint similia sanis, quòd sint morbosiora: declarat id exemplo in excretionibus alui. Hoc habens saltem Hippocraticum, ut exemplum accipiat diuersum in specie ab eo quod proposuit antea in genere: uelut in præcedenti de urina locutus est, hic de alui excrementis. Et quia dixerat antè, Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, ita laboranti morbus. hic docet quomodo, dicens: Si aluo non purgata his dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis. Simile* 52.
est illud, Quibuscunque cruda ex aluo secedunt: ante proximum dictum. ex magnitudine enim effectus magnitudinem causæ uenatur. Quòd autem hoc non sit ex phrasi « « «

 Hippocra-

Hippocratis apertè assentior. nam facilius digno scitur mendum in similibus quàm dißimilibus. Hîc enim cupiebat similem se ostendere Hippocrati: sed huiusmodi doctrina reflexione & participatione caret, quibus tota Hippocratis oratio ubiq; referta est. Galenus quidem agnouit phrasim non esse, appellatq; sermonem hunc ænigmaticum, quiq; sibiipsi repugnet. nam deiectio- » nes, ad excrementa alui referuntur, uerba au- » tem illa si stare permiseris, & non moueris, ad » urinas potius quàm excrementa alui pertinent: » rursus uerba ea (ueluti strigmenta) ad alui ex- » crementa magis quàm ad urinas: subsistunt » autem ad urinas denuò, potius quàm alui deiectiones. Vt enim in urinis facilè subsistunt quæ continentur, & facilius dignoscuntur, ita in alui excrementis neutrum facilè contingit. Præterea neque uerum est, omnes in quibus strigmenta contingunt in excrementis purgatione iuuari. nam si quicquid est bilis, fuerit euacuatum, purgatione non indigent: & si eos sorbitionibus nutrias, non propter id lædentur. Multo minus hæc uera erunt, si de urinis intelligantur. Præterea iustè etiam reprehendit illos, qui uolunt non sorbitiones damnare Hippocratem, sed copiam illarum. quasi non omnibus copia nimia non sit importuna. In aliquibus autem uidetur alius Aphorismus loco huius insertus, quem nos suprà exposuimus. Sed & il- 51. lum damnat Galenus, quamuis Herophilus, Bacchius, Zeusis & Heraclides primi huius operis expositores approbauerint. Sed ut sententiam meam in hoc proferam, autor hic intelligit, ut dixi, de alui deiectionibus: quæ si sint ut strigmenta, cum habeant materiam erodentem, corpus significant indigere purgatione.

APHORISMVS LIII.

A Pituita alba, aqua intercus superuenit.

COMMENTARIVS.

¶ Et hic, & tres sequentes legitimi sunt, & omnino Hippocraticam scripturam redolentes Aphorismi: tametsi Galenus existimet, unum 57. ex his partem esse alterius alibi scripti, in sexto libro, ut suo loco uidebitur. nunc ad rem accedamus. Textus habet: ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ ἐπιγίνεται. Diximus alias, λευκὸν φλέγμα esse anasarcam, & albam pituitam, & idem λευκοφλεγματίαν. Scribit enim Pag.2. in primo de Morbis, inquiens: ἐκ λευκοῦ φλέγματος ἐς ὕδρωπα μεταπίπτει. Manifestum, cum dicat ex morbis in morbos transitum fieri, proprio sub significato utrunque nomen intelligi. Deinde quis hic esset abusus, certam rem ex incerta docere, quod quotidie experimento deprehendimus, relinquere? Est autem duplex alba pituita. Vna, quæ insanabilis est, & consequitur ad morituros & mortuos omnes fermè: eiusmodi esse uidemus præcipuè tabescentes. & de hac loquitur Hippocrates in libro de Internis affectionibus, dum dixit: Tertia Pag.7. tabes ab hac, hæc patitur: Medulla ipsius spi- " nalis sanguine plena fit, tabescit autem simili- " ter & à cauis uenis, hæ uerò pituita hydropifor- " mi & bile replentur. Patitur autem eadem ab " unis: tandem tabescit, & homo statim ni- " ger fit, ac subtumidus, & partes sub oculis " pallidæ fiunt. Reliqua signa non subijcio, quia ibi " describitur species, non genus albæ pituitæ. Verum satis est, hanc ab altera quæ non exitialis est admodum, & de qua hic loquitur, ibidem distingui, quòd hæc non est exquisitè candida: illa de qua hîc loquitur, quæq; in ascitem transit, alba pura est. Cum enim corpus tabescit, aut homo ad mortem properat per quemcunq; morbum, nutrimentum in ambitu corporis confici non potest, fitq; tumidum totum & molle, & praui coloris ob intemperiem febrilem, aut morbi alterius: & candidum ob pituitam, & quod dealbatum est à solidorum membrorum ui, atque ob id homo uidetur laborare alba pituita. Sed in acutis morbis est flauus color, in tabe pura, quæ est absque putredine & ulcere pulmonis candidior, non tamen adeò ut in pituita alba uera: de qua propriè agit in libro de Affe- Pag.6. ctionibus. Dictum est autem suprà, quòd hæc Aphor. 21. soluitur à largo uentris profluuio: sed si non sic soluatur, necesse est ut uel detrudatur materia illa in uentrem, & fiat ascites: uel non detrudatur, sed quemadmodum alibi docuimus, sensim iecoris uim corrumpendo efficiat eandem ascitem. Per pituitam albam ergo, morbum anasarcam intelligit: & per aquam intercutem, ascitem. ut sermo sit proprius, uerus, & medico atq; ægro utilis. Medico scilicet, uera absque erroris periculo prædicenti: ægro, ut possit, dum tempus est, curare seipsum. neque enim ulla species est ascitis facilior curatu, quàm quæ ab alba pituita ducit initium: illa enim absque scirrho iecoris fit. Quanto magis igitur, antequam ad ascitem deuenerit, facile curabitur morbus? Hic igitur fructus est uberrimus huius Aphorismi.

Vnde

Vnde cauere debent senes, & maximè principes, ab his initijs, cum pleriq; huiusmodi morbo, & ab eodem initio pereant. Nec curam adduco, tum quia non est hîc locus: tum quia locum docuimus ex Hippocrate in libro de Affectionibus, ubi eam curare docet. An ergo hæc meliora sint, quàm nugari circa uerba, cuilibet iudicandū relinquo. ubi enim Galenus in aciem illā quatuor præcedentiū incompositam incidit, totum quod posterius descriptum erat, neglexit. At non id faciundum erat, sed naturæ exemplo negligenda negligere, non negligenda exponere.

APHORISMVS LVI.

AB alui profluuio, difficultas intestinorum.

COMMENTARIVS.

¶ Dixi in præcedenti, quandoquidem si quatuor Aphorismi eandem praxin redolent, duplicem unicuiq; sensum, & literæ ratione & experimento tribui posse. Nam ut uerum erat, quòd alba pituita per crisim in ascitem transmutari poterat, & rursus alter ex altero morbus generari, priore nō recedente: ita & in hoc ipso fieri potest sanè, ut morbus in morbū transmutetur: fieri etiam potest, ut unus ob alterum accedat, priore non finito. Quod quoties uideant medici, non est ut dicam. Hoc autem interest, quòd in priore sensu cum id acciderit, liberationis indicium est: in hoc autem secundo periculum prægrauat. Videtur autem ex contextu præsentis Aphorismi potius ortū morbi ex morbo, quàm transmutationē significare. nam cum difficultas intestinorum superuenit, iam non desinere profluuium alui tum solet, sed manet: igitur consequentiū se morborū potius quàm transmutationū præcepta hæc erunt. Cum uerò commutationes omnes in meliora bonæ sint, accessiones omnes prorsus malæ: necesse est et medias esse, cum manēte, sed imminuto principali leuius quiddam accedit, ut tympaniti alba pituita. Videtur autem hoc necessarium in commutatione, ut prius accedat quàm ex toto minuatur. Ergo si æqualiter crescat, aut minus bonum est. Sin autem plus consideranda est ratio, aut enim uitio curationis est, aut quoniā transmutatio non est, sed uidetur ob id quod iam debili priore membro Aphor. 23. aliquod aliud membrū debilius est. Aliud est aūt hoc, quàm quod antea dixerat suprà: A' deiectione syncera difficultas intestinorū, malum. Nam hic non dicit, malum: sed manifestū est, quòd dictum dicto respondet. A' profluuio enim uētris difficultas oriri intestinorū solet: at à deiectione syncera in profluuio uentris, si oriatur difficultas intestinorū, malum est. Vnde frustra Galenus hîc Hippocratem reprehendit. At utêris argumēto suo. neq; enim quotiescunq; aduenit alui profluuium, homo cadit in difficultatem intestinorum: hoc uerum est. Sed quod addit Fuchsius, Diuturno & syncero: primum est falsum, diuturna enim profluuia alui nō transmutantur in alui difficultatem, seu intestinorū. Reliquum, ut dixi, est Galeni, nec est simplex dictum. Si enim incidat, malum est: non aūt incidit quasi necessariò. Vt enim tum diximus, si cum incidit, malum est, non semper incidit.

Videamus ergo, quo nam pacto profluuia alui difficultatē intestinorū adducant, quandoquidē nec diuturna, imò minus illa, quia ex materia fiūt minus calida, acri, erodente. nec ex syncera materia: tales enim malæ sunt. Et etiam, quòd causæ dysenteriæ sunt plures quàm humor syncerus, uel ipso teste Galeno. nā cum tertio de Sympto- Cap. 2. Pag. 7. matū causis tres species cruētæ dysenteriæ enumerasset, à toto, à iecore ob imbecillitatē, & à liene se exonerante: quartā speciē, in qua dolor adest ex intestinorū abrasione, quam solam propriam dysenteriā sexto de Locis esse affirmat: Cap. 2. in prin. ibi bilem acrē, in antedicto aūt loco ulcus in causa ponit. Vnam etiā speciem esse atram bilē, suprà tum ex Hippocrate tum Galeno uidimus: ut iam sint tres. Sed princeps ponit longè plures: materiam biliosam, sanguineā, acutā, uirulentam, saniosam, ac feces acres. Didicimus & ex uene- Pag. 5. nis fieri: & rursum, uenena ipsa etiam in corpo- 4. Aphor. 24. re generari. Quapropter multis modis difficultas intestinorū ex alui profluuio etiam generari Com. 3. potest. sed & hoc de ichoribus, q; possint abrade- 16. 3. Tract. re intestina, si ab iecore profluāt, Galenus sexta 1. cap. 2. Aphorismorū fatetur. Princeps uerò ad longitudinem temporis retulisse uisus est, cum sic mentem huius Aphorismi interpretatur: Si profluuiū à bile fiat, in 14. dies exulcerat intestina: si à salsa pituita, intra mensem: si à melācholia, intra 40 dies. Igitur cum profluuiū uentris adfuerit, plerunq; dysenteriæ oriūtur. Sed hic sensus non est Hippocr. tametsi uera dicat Princeps. Est enim ac si dicat, Via ad dysenteriā est ex uentris profluuio, quoniā non est dysenteria absq; illo: uelut dicimus finē morborū esse mortē, non quòd morbi oēs sint lethales, sed q; sine morbo nemo moritur. Hoc aūt habet plus hic Aphorismus, q; etiā pleraq; profluuia uētris in dysenteriā terminantur. Quid

Pag. 7. tur. Quid lucri ex hoc? Sanè ut intelligam⁹, quale debeamus præcanere periculũ. Neq; enim alui profluuia per se occidũt, nisi uel pestifera sint; quale illud tertio Epidemiorum: Secessus autem biliosi & pingues & tenues & aquosi, malus quidem ipse morbus ad hoc decubuit, & sine febribus & in febribus cum doloribus tormina, et uolului maligni, multorumq; in corpore erant, & suppressa erant exitus et exeuntia progressa dolores non soluentia, & his quæ offerebuntur difficulter cedentia. nam purgationes plurimos amplius lædebant. Ex his autem qui sic habebant, multi quidem citò peribant, multi uerò longius uitam degebant. Et insumma, omnes & qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis, maximè ex his quæ per aluũ secedebãt, mortui sunt: Equidem constat multos, etiam sine febre, interijsse. Alij moriuntur cum febre, etiam si pestifera non sit constitutio: demùm cum conuertitur in intestinorum difficultatem. Primùm igitur periculum erat manifestum, secundum uerò præsens, tertium solùm est quod præscire iuuat tanquam ignotum iam, & ut arceamus ne eueniat. Id ergo nutrimento ac medicamentis refrigerantibus tum humectantibus, tum ne moram trahant excrementa: sed & enematibus & cibis intestina uestientibus, & his quæ moderatè putrefaciunt humores, ut non poßint adeò esse acres, quæ obstupefacere dicimus: uelut mandragoræ & papaueris cortices, & magis his opium, atq; eiusmodi. Tot igitur & tanta uoluit Hippocrates, quæ Galenus præterijt hoc ipso tã quam perculsus, quod parũ legitima sit hæc Hippocratis libri ultima pars, quod & nos fatemur: sed non tantũ obest etiã illius, si sit spuria, integra pagina, quantũ emolumenti afferũt quatuor prædicta uerba, aut etiam totidem subsequẽtia.

APHORISMVS LVII.

A Difficultate intestinorũ, læuitas intestinorum superuenit.

COMMENTARIVS.

6. Aphor. 41. ¶ Galenus dicit hunc esse partem Aphorismi illius: Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his longa superueniente intestinorũ difficultate, aqua intercus aut læuitas intestinorum superuenit, & moriuntur. Verùm aberrat toto cœlo, quod ex euidentia ipsius rei demonstratur. siquidem tam prodiue est in omni dysenteria lienteriam superuenire, ut nil frequentius. namq; ex dysenteria primùm debilitantur intestina, quorum consensu inde uentriculus, & ex eo lienteria. Alia causa est, quòd natura irritata dolore, & ob metum excutit cibum incoctum. Cum ergo in omni dysenteria lethali, & in omni graui, necesse sit subsequi lienteriam, tum uerò etiam in multis quæ ad salutem terminantur: patet hunc Aphorismũ nihil cũ illo habere cõmune, multo min⁹ illius esse partẽ.

Scribitur hic Aphorismus primo de Morbis Pag. 20. hac serie: Ad dysenteriã tenesmus transit ex dysenteria in lyenteriam, ex lyenteria in aquã intercutem. Hic si quis animaduertat, ex profluuio uentris loco tenesmi dysenteriã sequi docuit. Sed dices, Libro de Victu in acutis, cõmemorantur Pag. 2. omnes dysenteriæ fines, & non ponitur lyenteria. Nam ad febres, inquit, continuas aut tertianas, ad abscessum aliquem seu tumorem in testibus, aut uarices, aut dolorem coxarum uel crurum, aut sudorem, aut crassas urinas albas & læues. Respondeo: Loquitur de transmutatione. at lienteria est de superuenientibus. Dices rursus: In secundo Prædictionũ, cum numeraret signa Pag. 10. mala & bona, superuenientia aut aßidentia dysenteriæ, lyenteriæ non meminit. Dico: Intelligit in eo quòd dixit, uarijs alui egestionibus, aut uentris inflammatione, aut quæ cibos intercipiunt. Aut dic, quòd, ut antea docui, lienteria nõ est signũ neq; bonum neq; malum: sed fermè pathognomicũ, cum diuturna fuerit dysenteria.

APHORISMVS LVIII.

A Corruptione, abscessus oßis.

COMMENTARIVS.

¶ Superuenit, dicit Galenus, & rectè, debet intelligi. Sed admiror subtilitatem. laudat utrunque sensum, sed non docet usum. Verùm est, quòd à corruptione oßis id necessarium sit separari: uerùm est etiam, quòd à corruptione carnis os quod subest, necessarium sit separari. Primùm quam habeat utilitatem, nunc dicam: secundùm, quare & quomodo. Percussus fuit olim Phratrius quidam ob inuidiã ab alio Phratrio baculo grandi, os corruptum est: & cum soleat intra quadragesimam diem frustum oßis capitis separari, dilata est separatio ad diem septuagesimam, eratq; corruptum, & uidebatur manifestè: & cum niteretur chirurgus auellere, & non posset, hortabar ego illum ut ui uel terebro separaret. Ille usu doctus dixit, expetendũ potius quòd omninò etiã per se esset discessurũ: sed timere, cum nimis hæreret, ne sanies subgenita perderet ægrotantẽ. nam seram coniectabatur futurã separationẽ. Consului ergo ipsi, utceratũ Apponẽsis ei applicaret, quod nõ solũ Differẽtia 181. os separat, sed etiã saniem extrahit. Applicauit

itaque,

itaq;, & sanatus est. nam os LXXVIII die separatũ est. Quòd si ui auulsum fuisset, iuxta consilium meum: quamuis ego electionẽ illi proponerem, non iuberem: maximo malo conflictatus fuisset, & forsan mortuus. De oßibus ergo discissuris carne corrupta, inquit Hippocrates:
Pag.18. » Quæcunque uerò ossa repositionem effugerunt, » ea discessura esse noscere oportet: itemq;, ea quæ » carnibus penitùs nudata sunt. Nudatur autem » quorundam superna pars, quorundam uerò car- » nes circumcirca mortuales fiunt. ut liceat uidere quando corruptio carnis afferat necessitatẽ discessus oßi, scilicet, cum nudata prorsus carne ob corruptionem ossa fuerint. Sed quod addit pau- » lo pòst, dubitationem affert: Aliqua eo quòd non » discedunt, resiccata & marcida effecta de- » squammantur. Intelligit, quod fieri potest, ut corruptio non sit in toto osse, sed in superficie: & tunc solùm desquãmantur, non abscedunt, quod etiã uerum est in dentibus. cum enim anno præterito dens dexter superior ex anterioribus nutaret, & non possem aliquid tangere ob dolorem & imbecillitatem, applicato auxilio ex lib.
Pag. 8. de Dentibus, tandem discessit caro, & pars tota dentis detecta, & ita desquammatus est à dextra parte, nec abscessit reliquum. Ita eo anno cuius initium fuit à Calendis Iulij ad hanc usque diem, omnia expertus sum mala. à quorum partẽ ut præsenti & febre & phlegmone faciei, & surditate auris dextræ, & morbo nepotis insan tuli, ars ipsa me liberauit. Porrò ab insidijs maleficis, ut reor, ueneni, & alijs, manifestum, ut ita dicam, Dei miraculum, quod aliàs enarraui: à uiolentia uerò & necis periculo, Mauricius Quadrus, dux militum, gentis Hispanicæ decus, amicusq; meus Antonius Pezonus, uiri illustris, cuius memoriam celebrabo, à falsis accusationibus optimi antistites, innocẽtia mea, senatus etiam. Verùm ob oppreßionẽ & multiplicem illam lerneã hydram coactus sum more Aristotelis & Menedemi, patriam in senio deserere: sed illi iudicium timentes, ego alia, ut potius Lycurgum aut Solonem, aut Demetrium Phalereum, aut Pythagoram, qui omnes inuidiæ metu patriam liquerunt: Solon in Cypro, Pythagoras Metaponti, Lycurgus in Creta, Demetrius apud Ptolemæum. Sic mihi necesse fuit, ut tutius uiuerem, postquam neq; iudicia neq; insidiæ occultæ ualuêre, in aliam patriam cõmigrare. Itaq; hoc ipso anno tua insigni clemẽtia, Pie pontifex maximè, natus denuò sum, ac mihi ipsi tua sapientia restitutus, impleuiq; numerũ præcepto consimilem: cuius indicio sunt tot à me, nunquam ante aliàs, uno toto anno uertente à me edita uel, absoluta tam bene: quamuis & ipsius non exiguam partem in ipso itinere consumpserim. Primùm quidem præsentes Commẽtarios, quorum magnam partem perfeci, totumq; curaui ut rescriberetur. Deinde tres libros qui sequuntur, de Venenis: & consilium illud de prouidentia ex constitutione temporum: nec non Proxenetam libellum de dentibus, magnamq; Cõtradicentium medicorum uoluminis partem, totq; alia. nam & emendaui libros omnes de Vtilitate capienda ex aduersis. Theognoston transcribi curaui. Hæc inquam, ut intelligant docti, si quid forsan aptius exit, id totum atque uniuersum tibi, sanctißime Pontifex, tuisq; deberi: quanquam bono consilio tum illi, tum ciues huius præclaræ urbis, nostriq; conciues, humanis rebus, & bonarum literarum studijs dum nos euehunt, id egerint.

62. præceptum Proxenetæ de patria linquenda.

Cæterùm ut ad rem ipsam redeam, dicet aliquis: Si os corruptum, non necesse est totum abscedere, sed solùm desquammari: quî fiet, ut si solùm caro computruerit, abscedere os necesse sit? Respondemus: Oßis corrupti tantam partẽ abscedere necesse esse, quãta est quod corruptũ est: sed si caro circũquaq; marcida sit (non dico ex una parte tantùm: nam tunc desquammari illud solum necesse est, ut in capitis uulnerib. cum producuntur diutius, uidemus) totum os corrumpi, quia etiam totum refrigerari, & alimento destitui necesse est. Ob id neq; in uulneribus auulsa carne semper desquammatur, nedum corrumpitur, sed solùm si refrigeratur. Quod igitur corrumpitur, & marcescit, et quantum, tantumdem abscedere necesse est. Porrò marcescit corrupta carne: quoniam & dum tegitur, & dum detegitur, refrigeratur: sed si circumcirca macrescat caro, aut detegatur, etiã iuxta singulas dimensiones, atq; ideo profundè etiam os marcescere & abscedere necesse est. Plurimum igitur iuuat, cum alimento non destituitur, os ne corrumpatur, calidum fouere, tum aere ipso, tum igne, tum lanis: atque etiam medicamentis, maximè potestate calidis, ut terebinthi lachryma, thure, eleni gummi: quæ etiam bene redolent. Atq; hucusq; extenditur, quod à Galeno expositũ est in codicibus consuetis: at is qui subijcitur, etiam Galeni expositionem habet. reliqua tantum in Aldino exemplari tum Græco tum etiam Latino sine Galeni expositione inueniumtur: quos etiam delectu habito ob id adieci.

APHO-

APHORISMVS LIX.

IN lethargo tremor, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Lethargus, Galeno hic in Commento teste, abscessus est pituitosus in puppi cerebri: sed si alibi fiat quàm in puppi, non uideo quomodo sit appellandus. Illum enim uidetur sequutus morem, qui constituerunt memoriam in parte cerebri posteriore, ad hoc rei euentus conformarunt: at postquàm uident obliuiosos fieri, quacunq; cerebri parte fiat pituitosus abscessus, memoriam etiam in toto quidem cerebro, seu uentriculis potius, & uerius in anima ipsa, sed certa in temperie constituêre. At de duplici memoria alibi plenè dictum est. Nunc ergo appellasse sufficiat lethargum, morbum ex abscessu pituitoso in cerebro: aliter pro inexpugnabili somni necessitate. dicitur ἀπὸ τῆς λήθης, hoc est ab obliuione: Veternus, aut torpor Latinè. quanquã Celsus neutro horum, sed Græco tantum nomine eum dignetur appellare. (Lib. 3. cap. 20.) Ergo sermones ἀπαράσκευοι, & Hippocratis maiestate indigni fiunt, primùm cum id adijcitur quod per se tale est: ut si quis dicat, Ex lethargo attonitus morbus aut resolutio, malum. Nam attonitus morbus & resolutio cum per se sint insanabilia fermè, non est quod dicamus, malum, si contingant à febre uel à lethargo. Secundum, cum generaliter malum est: omnis enim morbi ad morbum accessio, mala est. Quis enim ignorat, quòd febris sit mala, aut morbus quiuis grauis? Vnde superuenire febrem, aut coli dolores cuiuis morbo, ut ille non soluatur, malum est. malum ergò dicere, caret artificio omni. Tertium est, si sub uno sensu malum sit simpliciter, sub alio solùm ut symptoma, uelitq; simpliciter id intelligere. uelut hoc in casu tremor duo significat, symptoma in acutis: & morbum diuturnum, ac penè insanabilem, præsertim in senibus. Si ergo quis intelligat de morbo, omnino erit extra propositum, cum debeat intelligi de symptomate. Quartum est, cum est penè consequens affectui, uelut phrenitidi. nam tremor in illa licet malum sit, non tamẽ ponitur pro malo signo, cum sit fermè pathognomicum. Quintum est, cum falsa est oratio: ut si quis dicat, tremorem esse malum in febribus. nam hoc non est uerum, quinimò aduenit tertianis & quartanis: & melius est pati intermittentem cum tremore, quàm continuam absq; tremore. Sextum est, cum conditio addita minor est quàm pro re, ut malum pro lethali: cuius solùm Hippocrates quandoque est negligens. In hoc ergo casu, ut fugiamus ἀπαράσκευον, necesse est ut intelligamus de tremore, qui est symptoma morbi acuti: est enim acutus morbus, lethargus, ut Celsus ibi docet, & Hippocrates libro de Victu in acutis, licet in codice Basileæ excuso Cornarius perperàm prætererit. (Pag. 2.)

Rationes igitur duas Galenus huius dicti affert. Prima, si ex lethargo molles fiant nerui, sed non adeò ut resoluantur: tunc ob imbecillitatem neruorum ipsorum mollium, cum membrum non possit liberè attolli, sequitur tremor. Hæc causa speciosa est, sed non uera. neque enim membra à neruis attolluntur, sed à musculis: ideoq; mollicies illa neruorum non impedit per se motum membri, sed ob id quòd spiritus liberè non possunt per illos transire: deinde, quòd affectum, mala intemperie humida, musculis uim moriendi absolutam tribuere non possunt. Secunda est, quòd materia illa in flatum conuersa, membranas ac neruorum principia concutiat, unde tremor exoriatur. At hæc causa parum certa est ad perniciem: & etiam non satis constans, ut melius sit primæ inhærere. Liquet autem quòd hoc signum malum est, quia conuulsionis periculum portendit.

APHORISMVS LX.

QVibus in febribus quartanis sanguis ex naribus fluxerit, malum est.

COMMENTARIVS.

¶ Quartanæ sanguinis è naribus eruptiones ægrè iudicant: dicebat ipsemet sexto Epidemiorum, ubi Galeni expositio desideratur, cum eundem locum in secundo declarasset. (Sec. 2.) Verùm ut doceamus quod ad præsens attinet: Quæcunque utiliter fiunt à natura, uel signi boni uel causæ rationem habent: causæ quidem, uel quoniam materia, quæ quartanam efficit, euacuatur: aut quoniam intemperies contraria corpori accedit. signi uerò, quòd naturam rectè operantem indicet. Nullum autem ex his tribus euenit ex hac actione. namq; sanguine è naribus fluente, corpus exsiccatur & refrigeratur. at horum utrum que minus necessarium laboranti quartana, quæ per se corpus refrigerat & exsiccat. Sed neque materia illius hoc modo euacuari commodè potest. nam quartanarũ crises non hoc modo fieri solent: neque humor qui quartanas efficit, facilè potest per eum locum euacuari, cum sit crassus & fri-

& frigidus: huiusmodi autem nec ascendit facilè, nec in eas uenas detruditur.

Quocirca dubitandum esset, quo nam pacto febres intermittentes, cum materia earum sit extra uenas, per fluxum sanguinis narium iudicari poßint? Et si iudicantur, quid prosunt iudicationes, quæ fiunt singulis acceßionibus? Sin autem solum tenue per acceßiones extruditur, ubi nam interim usq; ad statum tanta materia tutò seruatur? Si autem expellitur in singulis acceßionibus quicquid etiam corrumpitur, in quo differt uniuersale iudicium à iudicijs singularum acceßionum? Deinde quid expellitur in iudicijs, si materia quæ antecedit, quomodo in acceßionis fine? sin autem quæ iam corrupta est, quomodo ex uenis, cum iam sit foras detrusa? Atq; utinam Galenus, qui tanta de Crisibus usq; ad satietatem scripsit, aliquid etiam de his dixisset, nisi forsan ætate sua nullæ erant febres intermittētes. Certè nostra nihil frequentius, præsertim melioribus annis, nec pestilentibus. Diximus autē nos in Arte medendi parua, tū nūc satis sit monuisse, crises fieri rarißimè in quartanis per sanguinis narium fluxum: & si fiant, ægrè decernere, nec sanari: quoniam materia quæ excernitur, licet in uenis sit (nā quæ extra est, per acceßiones expellitur) antecedens ad materiam, quæ putrescit, in acceßione frigida est, sicca, crassa, quæ non potest ascendere ad caput: & si ascendat, nō potest bene separari, unde sanguis tenuior fluit, materia ipsa morbi relinquitur: quocirca potius finitur per putredinē ipsam in acceßionibus, aut transmutatur in absceßibus. Vnde rarò fiunt crises nō solum in quartanis, sed etiam omnibus febribus intermittentibus. Quod cum Galenus nesciret, nec ausus est scribere de his: & necesse fuit ut ualde imperfectam, quam tantum iactabat doctrinam, de crisibus relinqueret. Id autem contigit, quoniam intactam hanc tractationem ab antiquis inuenit: ipse uerò iudicio quidem multum, tum ratione ualuit, inuentione prorsus caruit. Non enim cuncta uni concessa sunt.

APHORISMVS LXI.

SVdores in diebus iudicatorijs orientes, uehementes & ueloces, periculosi sunt: qui expelluntur ex fronte uelut guttæ, & aquæ saliētes, & frigidi ualde, ac multi. Necesse est enim talem sudorē prodire cum uiolentia, & doloris excessu, ac expresione diuturna.

COMMENTARIVS.

¶ Vna coniunctione (Et) addita per incuriā interpres corruperat totum sensum, qui clarißimus est. Iacet enim litera: γινόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες ἐπικίνδυνοι. legerat καὶ ἐπικίνδυνοι. ut totum illud, sudores in diebus iudicatorijs orientes uehemētes, & ueloces, à parte subiecti sit, inde dicit, tales sudores esse periculosos. Quòd uerò dicit, Qui expelluntur, & usq; ad id (ac multi) dupliciter legi potest, uel cōiunctim, ut exppositio præcedentium, ut sit sensus: Qui sudores in diebus iudicatorijs orientes, ueloces ac uehementes expelluntur ex fronte, uelut guttæ & aquæ salientes, & sunt frigidi ualde, ac multi. Alius sensus Hippocrate dignior, ut tanquā tres partes habeat, quæ omnes referantur ad id Periculosi, hoc modo: Sudores in diebus iudicatorijs uehementes & ueloces, uel si expellantur à fronte, uelut guttæ & aquæ salientes: uel si frigidi ualde sint, & multi, sunt periculosi. Hoc enim totum cum uerum sit, & generale magis, dignum est Hippocrate: & etiā uerius ac clarius, ideò sub hoc sensu est intelligendus. Quòd autem uerior sit hic sensus priore, patet. nam qui fieri potest, ut sudores multi profluant à fronte, præsertim cum iam in prioribus uerbis dixerit: Quæ uelut guttæ & aquæ salientes.

Ergo sudores, tum reliquæ euacuationes, sed maximè hi, cum superflui sunt, & ab immoderatis exercitijs boni etiam aliquid educunt, ut tertio de Symptomatū causis. Variantur enim excrementa, præcipuè sudores, ratione multitudinis, qualitatis, temporis. atq; hæc communia, tum locum eorum, cōsiderare præterea oportet morbum, in quo accidunt. Dicebat Hippocrates in Prognosticis: Peßimi sudores sunt frigidi, & tantum circa caput, faciem ac ceruicem orientes. Hi enim cum acuta quidem febre, mortem prædicunt: cum mitiore autem, longitudinem morbi. Et qui per totum corpus fiunt, similiter significant his qui circa caput. At uerò milij formes, & solum circa collum exeuntes, mali sunt: qui uerò cū guttis fiunt, & euaporant, boni sunt. Considerare porrò conuenit sudores in summa. fiunt enim aliqui propter corpor exolutionem, aliqui propter inflammationis uigorem. Verùm si hæc series constaret, haud dubiè haberemus declarationem præsentium: at Galenus & alij uiri eruditi, qui locum illum exposuerunt, non putant ab illis uerbis, Et qui per totum corpus, usq; in finem, esse legitima: & ego ita censeo, quan-

C.2. in fine

Pag.2.

doquidem nec integrũ retinent sensum, sed pugnant. Miliformem enim sudorē difficile est distinguere ab eo qui cũ guttis prodit. Sed & quæ ad ultimam partem pertinent, suo loco exponentur, ut melius sit ad propria accedere. Intelligamus ergo frigidos, & qui solũ circa ceruicem prodeunt, & qui nondum cocta materia, omnes malos esse. Qui circa caput solum prodeunt, dicebat Galenus, locum illum exponens, syncopē futuram minantur: sed si frigidi sint, iam præsen

Com. 2. 1. Prognost.

tem atq; inchoantem. non tamen reddit rationē, ubi maximè locus reddēdi erat eam. Et quanquã & nos alibi clarius loqui potuissemus, explicando Aphorismum illum: Frigidi sudores cum acuta quidem febre, & reliqua. liquet, Galenũ non

4. Partic. 37.

intellexisse causam frigidi sudoris. nam putat esse cutis frigiditatem, ut licet à calore colliquetur sudor, quia tamen per cutim transit frigidã, idcirco frigidum esse. Quòd si ita esset, frigidus sudor solum prodiret cum frigida cute: & etiam nõ semper frigida cute fieret frigidus sudor, cum à feruenti calore extruderetur. Quid ergo dicendũ? Sudorem fieri colliquato humido à calore, ut in ardentibus febribus, cum omnia calida sunt, & tunc proculdubio calidus est. Nõ nunquam fit ex doloribus, & ex uehementibus semper, atq; is palàm frigidus. Cur ergo? Quia spiritus naturalis resoluitur, & ab aere frigido cogitur: nõ igitur mirũ si sit frigidus, quandoquidē à frigore coactus sit. Ergo in doloribus talis esse debet, in febre acuta præsertim: si fiat, nihil ex materia febris colliquari, sed spiritũ uitalem extingui docet. Vtraq; igitur ratione lethalis est huiusmodi sudor, & lethale signũ. Ob hoc syncopes huiusmodi sudores accedunt, & magis necessariò, ut uisum est, consequuntur. Apparet igitur Galenum, quem adeò quidã admirãtur, nihil horũ intellexisse. In pestilētib. ergo febribus, et quæ ex maligno abscessu uiscerũ contingũt, tales solent subsequi sudores. Cum ergo sudores in ceruice facieq; oboriũtur, maximè accidit in frigidis, quòd hæ partes plurimo abundent spiritu,

2. Problē. 10.

& rarior ibi sit cutis: peßimi igitur hi sunt. Calidorũ aũt alia est ratio. neq; enim à spiritu moderatè calido, coacto ab aeris frigiditate, sudor calidus manere potest. Hi ergo sudores fiunt, quoniã eò plures feruntur uapores? & quoniã rarior est ibi cutis: nõ quia cõcocta sit materia. ob id imbecillitatē naturæ significant: ob idq; non boni, licet nõ mali, quoniã exolutionē nõ significant.

Probl. 35.

Non me latet, Aristotelē eadē particula aßignare aliã causam, quæ philosopho digna certè est, & longè melior quàm Galeni. Inquit igitur Philosophus: Vbi multa est materia, multum secernitur à calore, & ob id incalescere nõ potest: quapropter mortem in acuto morbo, in alio longitudinē morbi significat. Vbi aũt pauca materia, supple & minus cruda, quod secernitur, incalescere necesse est, prodireq; calidum sudorē. Cũ igitur sudorem frigidum sequitur uirĩu exolutio, fit ob spirituum resolutionē: si maneant uires integræ, dicendũ est abũdare materiã peccãtem. Galeni igitur ratio omnino absurda est. Simile est illud in tertio de Symptomatũ causis: Sudoris retentio & expulsio fit ex imbecillitate uirium in carne.

Ca. 2. in fine.

Nam qua probare nititur, similitudo perabsurda est. Vesica enim retinet per musculũ, uentriculus per uillos, utrumq; per eosdē expellit, nõ sic caro uapores. Illud nõ ineptè, rigorem esse causam sudoris, tum exprimendo, si fiat cũ frigore: aut saltem agitando, si sine eo. Sed ut ad rem redeã, Philiscus tertio in primum Epidemiorũ, sudauit perpetuò, atq; toto morbo sudore frigido: atq; ideo ab initio ob materiæ redundantiam, in fine ob utrãq; causam, scilicet redundantiã materiæ peccantis & naturalis utilis resolutionē. Quinimò addit Hippocrates in textu, frigidum fuisse: quasi nos uellet intelligere, potuisse esse calidũ cum sudore frigido. Quocirca quis non uidet absurditatē rursus Galeni, quarta Aphorismorum, exponentis illud Hippocratis? Sudor multus, calidus aut frigidus superfluens: exponit, Calidus significat materiã calidam, frigidus frigidã, & ob id maiorem morbũ. Quis hoc recipiat, quod maximè dubium est? At expone ut Aristoteles: calidus paucam & tenuiorem, frigidus multã & magis crudã: tunc liquet, cur frigidus magis significet morbũ. Est enim propositio per se, Maior materia facit maiorem morbum, si sit eiusdem generis: quãto magis, si deterioris? Aliàs uerò ex primo de Morbis Hippocratis sententiam de hoc explicauimus. Quod uerò dixit, Vehementes & ueloces: id indicat, quòd copia multa sudoris mala sit, quoniam exoluit uires, secũdo Prorrheticorum: quanto magis si uehemēs & uelox fuerit? nam mutatio quanto magis subita, eo magis etiã prosternit uires: tum maximè, quia indicat caloris præter naturalis uehementiam. Quòd aũt adiecerit, In diebus indicatorijs: duo uoluit nos intelligere. Primum, quod non obstat dies indicatoria, quin malus sit sudor. Secundũ, quia in alijs diebus poßet esse ex causa aliena à morbo: & tunc non significaret malum ullũ, licet esset malus per uiam causæ. Vnde regula colli-

2. de Symptom. causis cap. 5. ante med.

Tex. & Com. 18.

Com. 4.

Pag. 12.

Com. 23.

colligitur generalis: Quæ non fiunt ui morbi, possunt esse mala, sed non possunt esse signum malum. Præcipuè aũt malum erit signum in febribus, quæ sudore nõ solent solui. nã biliosæ ma Com.42.& est 40. noster. ximè sudore soluuntur, septima Aphorismorũ: in pituitosa ergo & melancholica deterius etiam erit hoc signum, ostendetq; prorsus solui substantiam caloris naturalis. Vbi etiam animaduertendum est, quòd ibi dicitur à Galeno: quodq; uerũ est, scilicet sudores à capite exoriri, licet cum nõ ulterius procedunt, malum, ut dixi, sint signum.

Est etiam illud consideratione dignũ, cur aliqui ante mortem, uel per horam sudẽt sudore calido, & uehementer: quod ego animaduerti. Nã si nõ sunt nisi duo illi modi sudoris, unus calidi & morbi materia, alter frigidi, & est à morbi materia inuicta, aut resolutione humidi naturalis: unde erit ille lethalis feruẽs, qui similis est guttis aquæ? Respondeo, illum esse à calore igneo ipsius morbi, colliquante uitalem humorẽ statim. Differt à frigidi actione, quoniam in isto humidum naturale difflatur à qualitate praua, adhuc sepulto calore in materia: in calido accẽsus ignis uelut in candela, cuius ellychnium ardet, dissoluit quicquid est humidi boni ac mali, exhalatq;, tum uerò cogitur ab ambientis frigore. Quòd si post abundantem & calidum paucus aut frigidus manet, nec tamen causa sudoris minuatur, tunc hoc in ægro deterrimũ est: quandoquidem refrigerari, exiccari, exhaurirìq; corpus & calorem natiuum ostendat, ut secundo de Sanitate tuenda do Cap.12. cet Galenus: atq; id planè lethiferũ est. Animaduertendum est, sudorem à sudore distingui, substãtia, colore, sapore, odore, qualitate, aut quãtitate, sed de his dictũ est. Sapore aũt, alius acidus, alius salsus, alius amarus: sicut etiam colore, pallidus, flauus, ac medius: odore, lutosus, uirulentus. Hæc Galenus quarto de Tuenda sanitate pa Cap.4. rum methodicè, qui alijs nil aliud quàm methodũ illam suam inculcat, sed uerè tamen. De substantiæ autem ratione constat, lentos esse quosdã, qui solent prodire uel ob materiam crassam, uel ob resolutionem uiriũ, qualibus prædixit tertiodeci Cap.18. mo Methodi Galenus Theogenem moriturum: quos & Hippocrates agnouisse uisus est.

APHORISMVS LXII.

EX morbo diuturno etiam alui defluxus, malum.

COMMENTARIVS.

¶ Cum dixit etiam alui defluxus malum, intelligit duo. Primum, ne morbus diuturnus per defluxum alui: tunc enim esset malum. Secundũ, quòd superueniens alui defluxus malum præcipuum affert. Signum enim est uires labefactatas, cum tum magis opus esset implere corpus, nõ posse retinere: ideóq; morbum factum sæuiorẽ. Deinde, cum corpus languidum ex morbo nunc bifariam debilitetur, malum id esse ualde. Verbũ autem χρονίῳ & natura longos morbos, & casu significare potest: at natura longos morbos magis nominat uerbo μακρὰ, ut in primo de Pag.4. Morbis. De longis igitur casu potius hic intelligit. Desumptum autem est exemplo illius Apho 16 rismi antea expositi: A' puris sputo, phthisis & fluxus. Est autem fluxus subsequens morbos 78 plures, ut profluuium alui fluxum, ut superius in contextu Cornarij. Dicitur profluuium, concitatus fluxus, quoties impetu maximo, & sine quiete, natura emittit, seu per aluum, seu per alia loca.

APHORISMVS LXIII.

SVdor multus, calidus, uel frigidus semper fluẽs, humorem abduci, robusto quidem suprà, debili uerò infrà, significat.

COMMENTARIVS. Aphor. 61.

¶ Hunc Aphorismum etiam exposuit Galenus ultima parte. Nam tria cum proponat Hippocrates, primum autem superius in Quarta par 42 ticula sit declaratum: secundum est, multitudinẽ sudoris indicare repletionem euacuandam: quod 41 antea docuerat. Et aũt dubitatione dignum, cum natura non secundum rationem, sed incoacta morbi extrudat sudorem, an ad alias partes reuocandus sit humor? Et si febris non adest, facere præstat, quoniam humores crassi facilius per aluum expurgantur quàm per sudorem. tenuis enim solùm humor per sudorem excernitur: libro Cap.4. de Atrabile. Et sudor ipse exoluit uires, facitq; Cap.14. syncopim, primo ad Glauconem, etiam in robu Tex.22. stioribus corporibus. At si febris adest, facere uetamur ex prima Aphorismorum: Concocta medicari. Tum forsan si mitior sit febris, paulatim poterit materia morbi educi. Tertium, quod proponit, est, ut robusti per superiora, imbecilles per inferiora expurgentur. quod Galenus ex indicationibus scriptis in Quarto libro sumen A'4. ad 20. fermè. das indicationes iubeat. Verùm illud constans est, Purgationem per superiora magis robustas uires exposcere: per inferiora, coctiones. Equidem omnium purgationum mitissima est, quæ fit per aluum, cæteris paribus: cum tot non solùm diebus, sed & mensibus & annis quotidie ferre homines uideamus, non ita reliquas (sola enim

(est secundum naturā) aut maximè, propter excretionem etiam urinarum.

APHORISMVS LXIIII.

QVæcunq; non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia existimare oportet.

COMMENTARIVS.

¶ Meritò hic Aphorismus hos omnes claudere debuit, ut primus etiam primæ particulæ omnibus alijs anteponi. Nam cum sint tria medici instrumenta, ratio uictus, medicamentum, & manus operatio, libro de Decenti ornatu: quæ ergo non sanantur uictus ratione, medicamento indigent: quæ non sanantur medicamento, ferro. Manifestum est, quòd per ferrum non intelligit cucurbitulas, aut uenæ sectionem: quanquā enim hæc manu administrentur, tamen non dicuntur ferro fieri. Sed ferrum dicimus, cū quòd corruptum est, aufertur: aqua intercus, pus empyematis, lapis in uesica, strumæ, lapis in rene, nebula in oculo depressa, uarix gibbus, luxatio, fractura, hernia, carcinoma. Et est medicatio omnis propria, uelut etiā in abscessibus. Sectio enim uenæ & cōcurbitula, communia sunt auxilia, & generaliter iuuant totum corpus. Hæc igitur non comprehenduntur sub nomine ferri. nā hoc posterius esse debet medicamentis, cum sectio uenæ sit prior: sexto Epidemiorum. Ratio uerò generalis est etiam, quoniam ferro dicitur curari, quod præscinditur: at hoc est extremum, cum sit periculosissimum, aut maximam afferat iacturam, aut utrumq;: igitur hoc posterius esse debet medicamentis omnibus. Tacuit comparationem rationis uictus ad medicamenta. nam per sæpè se concomitantur hæc auxilia. nonnunquā etiam utimur medicamentis aut sectione uenæ absque diætetica. Porrò de ferri curatione multa sunt præcepta in libro de Fracturis, de Articulis atque capitis uulneribus, tum alijs in libris, sed præcipuè in his. Et per ferrum etiam æs intelligere debemus. Nam & incisio quæ fit cum ære, præstantior est in quibusdam casibus, & quibusdam rationibus, quàm quæ fit cum ferro. Vtimur autem igne, quando non solùm oportet auferre quod peccat, sed circumiacentes partes emendare ac temperare: aut ob timorem effluxionis sanguinis. Per ignem enim intelligit corruptionem, quæ fit ab illo. nam quandoque utimur igne ad remouendum intemperiem absque incisione, ut in libro de Internis affectionibus, de Iecore & liene. At de hoc non intelligit, sed uelut in carcinomatibus. Intelligitur autem trifariam ignis. candenti ferro: & hic est melior quàm æris. aut auri igniti. & cum oleo, uel ligno, uel fungis: sed cum oleo post præcisionem membri, dicit Princeps, optimum est ad generationē carnis, & detrimenta incisionis remouēda. Tertiò, cum potestate exurit aqua separationis optima est, oleum chalcanthi, capitellum uocatum.

Pag. 3. | Sec. 1. C6. 6. | Pag 19. | 4.1.cap.27. | Lib. de Artic. pag. 6.

Dicitur autem ultimum ignis, quia est maximè inimicus neruis, ut ait Hippocrates.

COMMENTARIORVM H. CARDANI IN Hippocratis Aphorismos Finis.

HIERONYMI CARDANI MEDICI MEDIOLANENSIS, CIVISQVE BONONIENSIS, Medicinamq́ supra ordinariam in florentißima academia Bononiensi publicè profitentis, de Venenis libri tres. Ad Pium Medicem Pont. Max. eius nominis Quartum, Præfatio.

EXARAVERAM, Beatissime pater, iisdem fermè diebus tres libros de Venenis, quos cum salutares admodum humano generi existimarē, cui potius quàm tibi dedicarē? ut in altero magnitudinis amoris erga te mei, ut qui nihil maius dare potuissem, experimentū præbueram: in hoc ipso, fiduciæ in humanitate tua darem, qui nostra quamuis exigua non aspernaris. Vale igitur, & quicquid est, non pro ingenij mei, nec uirium tenuitate, sed pro Maiestate tua, & benignitate, perpusillum hoc munus, ac tanquam accessionem metiare. Nonis Quintilibus, felicissimi tui Pontificatus Anno quarto: Bononiæ.

TABVLA TRIVM LIBRORVM De Venenis.

 4 Signa

III. LIBRI TERTII, QVI *est de Cura.*

HIE

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, CIVISQVE BONONIENSIS, de Venenis liber primus: qui est de Essentia & causis illorum. D. E. Q. O. M. M. D.

PROOEMIVM.

Libro de Respir. ca.

OMNES homines uno ex quatuor mortis generibus perire solent. aut enim naturali interitu finiũtur, natiuo absumpto humore: eamq; mortem sine dolore fieri putat Aristoteles, & ex cessatione motus pulmonis iam siccati. Quod ut mitissimum est, ita rarissimum. Forsan Sophocles unus in tam raro exemplo numeratur. Secundũ est uiolentum, cum ferro, lapide, ruina, homo cadit: in quo plerumque, etsi compositió uitiari solet, nonnunquam tamen ex sola intemperie etiam mors accidit: ut in his qui in aquis suffocantur. Atque hic modus longè plures primo absumit. non tamen tam multos, ut pleriq; credunt. nam in magnis prælijs, ubi collecta gens fuerit undiq;, uix unũ è mille in urbe desiderari uidebis. Tertius multo plures perimit mortales, per morbos proprios unicuiq;, & maximè qui per tempora euenire consueuerunt. Febres cõtinuæ, hecticæ, dolores coli, laterales, fluores alui, renum & uesicæ cruciatus. Nec tamen hoc modo maxima mortaliũ pars óccidit. Sed quarto potius genere, cum causa ignoto quodam modo perimit, tametsi causa ipsa nota sit. Etenim hoc primùm modo intereunt qui ex pestilenti febre, qui ex uera peste, qui morsibus aut ictibus uenenatorum, qui ueneno epoto, qui haustu lethiferi uaporis, qui philtris, ueneficijs, fascinatione, qui umbra praua plantæ, toxici, oleandri, pomorum mortis, nucũ, qui illito medicamento malo, qui uicinia serpentis, atrocis insecti, qui laterali morbo uenenoso, nec uulgari, aut fluore alui huiusmodi, aut excantati, aut uulnerati telo infecto, aut suffitu contactu'ue, aut enemate lethifero, ut legatarius à tonsore, moriuntur. Ob id, quid sit Venenum, uideamus.

VENENVM QVID SIT, & quomodo à Iurisconsultis accipiatur. Cap. 1.

3. de Temperamentis c. 4. post prin:

VEnenum definire solẽt, quòd sit illud quod corpus nostrum mutat, nec mutatur ab eo. Et addit Galenus, quod est contrarium naturæ nostræ substantiæ ratione. Et pòst declarat, quòd ista repugnantia est sicut ignis & aquæ, scilicet ob excellentẽ qualitatẽ calidi, frigidi, sicci, uel humidi. Et hoc est, quia Galenus existimat qualitates primas esse substantias rerũ naturaliũ. Et ideo sexto in sextũ Epidemiorũ, uolẽs ponere differentiam inter Venenum & medicamẽtũ purgãs, tum alexipharmacũ, quia etiã hæc occidũt, dicit: Nõ occidũt hæc nisi copiosius sumpta, uenenũ aũt in parua quantitate occidit. Vocãtur aũt uenena ibi ab Hippocrate, ut etiã Galenus exponit, malefica medicamẽta. Hanc definitionẽ secutus est Princeps Secunda primi: sicut aliã in secundo libro, quæ est, quòd Venenũ est medicina quæ corrũpit temperaturã, non sola qualitate, sed naturæ proprietate. Hãc exponit in libro de Viribus cordis, hac sentẽtia: Medicina quæ propriè uenenũ appellatur, est, quæ corrũpit spiritus per contrariã qualitatẽ quæ est in ea:

Com. 5. in fine.

Trac. 1. cap. 4. iuxta finem.

Doc. 2. cap. 15.

Trac. 2. ca. in fine.

Sed uerè hæ definitiones nõ sunt secundũ id quod nũc intelligi uolumus: nũc nõ dico de illarũ ueritate. Prima enim præsupponit, quòd uenenũ non patiatur à corpore nostro: at hoc falsum est. in agentibus enim quæ cõueniũt in materia, dicit Philosophus primo de Generatione & corruptione, Omne agẽs à patiẽte aliquid patitur: igitur uenenũ etiã patitur. Sed hoc nõ concludit in causa, quia hic intelligimus per pati, id quod manifestè mutatur: quoniã medicus artifex est, sensui innitens: & nõ negaret uenenũ nõ pati, sed nõ pati iuxta sensum, & manifestè: quod uerũ est. Sed quid dicemus de modica quantitate cicutæ? an dicemus eam nõ pati à tanto calore, quãtus est humanus? Et etiã, quia si operatur in nostrũ corpus, prius actum recipit à calore? Etenim & hoc est ex concessis ab his qui definitionem ipsam scripserunt. Et experimentum docet, quòd nil operatur nisi frigida, quæ refrigerant corpus: uelut lapilli, nisi soluantur in partes minutissimas. Experimentum etiam docet, quòd ipsa transit in feces, ideoq; corrumpitur, quare etiam uehementer patitur. Præterea quod maius est, definitio hæc non est generalis omnibus uenenis: neque enim conuenit his quæ agunt ex manifesta qualitate, neque etiam pestilentibus febribus, ut quantumuis bona sit, nunc non conueniat proposito nostro.

Cap. 9.

Secũda quoq; definitio nõ cõuenit euphorbio, nec ci cutæ, nec istiusmodi, sed potius conueniret atræ bili. Scamonium quoque uenenum esset, & cucumer anguinus, quod nemo dixit. Et ideo, ut cõprehendamus omne uenenũ sub una definitione, dicimus, quòd Venenũ est quod aptum est nocere uehementer nobis occulta agendi ratione, tametsi causa nota esset. Velut canis rabidi morsus est cognitus, qua ratione nocet, ut uulnus efficit: nõ aũt ea qua deducit hominem ad rabiẽ. At dices, opium, euphorbium, & uitrum non erunt uenena? Respondeo, quòd uitrum sub hac definitione haud comprehẽditur, licet hominem interficiat. Opium etiam interficit non ob frigiditatem, sed oculta quadam ratione, ut dicemus. Euphorbium quoq;, nõ quia calidũ est occidit, sed quia urit: et forsan proprietatem habet aliquam occultam, per quam occidit. Neq; enim piper dixero unquam uenenum esse, tametsi nimio calore occideret. Dico ergo, quòd si euphorbium non occidit quia calidum, ipsum uenenum non esse; nec de hoc erit sermo in hoc libro. Dicemus tamen aliqua de uitro & calidis medicamentis, licet uenena non sint, quia multos perimunt.

Dig.lib.10. Tit.2.14. Venenum tamen à Iurisconsultis aliter accipitur, dicente Vlpiano: Mala medicamẽta & ue,, nena ueniunt quidem in hoc iudicium: sed iudex ,, in his interponere se non debet, boni enim & in,, nocentis uiri officio eum fungi oportet. Appellant autem non uenenum simpliciter, sed uenenũ malum, ut libro decimo octauo Iurisconsultus

Tit.1. li.35. Caius. Sed & idẽ alibi ad legem duodecim Ta,, bularum, de uerborum significatione ait: Qui ,, uenenum dicit, adijcere debet utrum bonum es,, set, an malum. nam & medicamẽta uenena sunt, ,, quia eo nomine continetur omne quod adhibitũ, ,, naturam eius cui adhibitum est mutat. Cum id ,, quod nos uenenum appellamus, Græci φάρμα,, κον dicant: apud quos tam medicamenta quàm ,, quæ nocent, hoc nomine continentur. unde ad,, ditione nominis distinctio fit. Admonet & nos ,, summus apud eos poetarum, Homerus sic dicẽs: ,, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολ,, λὰ δὲ λυγρά. In qua sententia Virgilius:

Ille malum uirus serpentibus addidit atris.

Tum illud:

—Nec Aßyrio fucatur lana ueneno.

Inde de uenenarijs à Callistrato lata lex: Ve-

lib.48. Digestorum. Tit.19. leg. 28. nenarij capite plectendi sunt: aut, si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Appellant ergo uenena iurisconsulti, quæcunq; exhibita nocere plurimum poßunt, non autẽ conferre. Ideo & uitrum & euphorbium apud illos uenenum erit: seu etiam illitum id poßit, seu tabefaciat, seu mentem moueat solum. Omnia hæc uenena mala à Iuriscõsulto appellantur. Sed quid si amatorium poculum det, non animo nocendi: insanum autem reddat illum, non amatorem? Tunc uidendum est, quo animo dederit: si enim ut solum amaretur, forsan non merebitur: uerùm hæc ad Iurisconsultos relegentur. Vnam sat est difinitionẽ hãc ueneni, quæ uitrũ & adamãtis cuspidem, si modò uerum est, sub se non comprehendit, non excusare: quin qui uitrum dederit in cibo, ueneficij reus non sit, quandoquidem in duobus collegijs sacrarum uirginum plures perierint ex uitri esu. unde qui illud dat, uenenarius est: uitrum autem nullo modo uenenum est, ut nunc uenenum dicimus, quandoquidẽ in puluerem redactum, tutò bibatur ad exterendum lapides renum, & uesicæ etiam: quanquàm ueneficam uim inesse quidã existiment. Similiter & quod insaniam mouet, uenenum proculdubiò est. An uerò quod nullo modo perimere potest, abest tamen ab usu hominum, & nocere solum potest, & eo animo datur, uenenum sit appellandum? uelut, si quis alumen scissum seu plumæ in lecto spargat ad pruritum excitandum, aut uinum ex anguilla putrefacta ad odium uini inijciendum, aut salem uino ad inebriandum, aut gentianam cibis ad abominationem illorũ, aut ellebori albi parum in cœnæ fine ad uomitum excitandum, aut echinatus castanearũ calyx ad peditus, aut scilla affricata latrinæ sedili, quæ pruritũ et uriginem facit? Respondeo, quòd non. nam alterutro opus est: aut facto, aut uoluntate. quorum utrũq; cum desit, puniri tanta pœna non debet. Venenum tamen esse potest, ut à nobis definitur, si uehementer noceat, etiamsi perimere non poßit, ubi ratio qua nocet, incerta sit. Venenum quoq; ab Hippocrate sexto Epidemiorum sic describitur: Sec.6.7. com.5. Maleficorum (supple auxilium) lac, allium, uinum feruefactum, acetum, sal. Galenus ibi exponens, per malefica, uenena intelligit. Sed lac, ut uidebimus, propriè uenenis aduersatur: reliqua uenenosis, cuiusmodi plurimæ sunt plantæ, quæ tamen prorsus non sunt uenenum. Per malefica igitur, uenena, uenenataq;, & ueneno participantia intelligit: cuiusmodi primum sunt multæ plantæ, lathyris, tithymalus, pityusa, rhododendron, peplium, scammoniũ, ricinus, chamelæa, narcissus, alypum, apios, colocynthis, rutha agrestis, solanum, dryopteris, mercurialis, ellebo-

rus,

rus, coriandrum: & quæ poteſtate deteriora fiunt, ut caſtoreum, nuces, baccæ lauri: & quæ ſenio, ut lactuca, portulaca: & quæ ſemiputreſcũt omnia, caro, oua, panis, lac: & quæ nimis acria, ſemen rubræ ſiliquæ Indicæ, uel ſtaphiſagriæ, uel ſerpentariæ, uel urticæ: et quæ frigidã concipiunt qualitatem, aſſa contecta, piſces frigidi, ſanguis bouis. omnia igitur hæc ſub maleficorum nomine ab Hippocrate cum uenenis cõprehenſa ſunt.

MEDICO AN LICEAT TRActare de uenenis, & quatenus, & quomodo cum principibus excuſare ſe debeat.

Cap. 2.

AN uerò deceat medicũ cognoſcere doceréq; uenena, dicebat Galenus ſecũdo de Cap.7. Antidotis: Licet quidẽ illa cognoſcere. Et ratio eſt, quia niſi cognoſceret, nõ poſſet ea deuitare. ſunt etiã uenena utilia ad cõpoſitiones ſalutares, ut Tiri caro ſeu uiperæ ad theriacã, opiũ ad philonia: euphorbiũ, cantharides, ad medicamenta peculiaria, ipſæ per ſe ad hydropem, napellus ad lepram. Exterius & ſpuma argenti, ærugo, tum pleraq; metallica. Sed tradere cõpoſitionem uenenorũ ad interficiendũ homines, dicit, eſt hominis improbi, non medici. Adducit tamen multos egregios poetas, qui hoc ratione neſcio qua adorti ſunt: Orpheũ theologũ, Aratũ, Heliodorũ Athenienſem, & Horũ Mendeſiũ: eoſq; metuentes leges, ne plecterẽtur: & multitudinẽ, ne lapidib. obruerentur, iuraſſe in initijs operũ ſe nõ præmio neq; amicitia inductos de illis ſcripſiſſe: ſed ob id, ut poſſint curare, dicit Galenus. hæc ratio inſulſa eſt: quia cognitis ſimplicibus, cognoſcũtur etiã cõpoſita, quo ad ſigna & medelas. Et certè nõ fuit propter id, quãuis forſan bono animo id agere ſe exiſtimarent. Verùm Galenus li- Cap.4. bro de Medicamentis purgãtibus, dicit, quòd nõ licet docere medicamenta ulla quæ interficiant: & narrat, ſontem illum ductum ad ſupplicium Cap.3. uinctis oculis. Et dicebat in libro de Cauſis proeatarcticis, quòd nouerca miſit quendã emptum uenenum à medico, et dedit ſeruo qui propinauit priuigno. mortuus eſt ille: detectũ ſcelus, oẽs quatuor dedere pœnas, nouerca, medicus, nũcius, & ſeruus ipſe. Tamẽ Galenus paſſim nomi- Com.5. in fine. nat plura uenena, ut pote ſexto in ſextũ Epidemiorũ, ubi meminit hydrargyrij, ſpumæ argẽti, aconiti, leporis marini. Vbi notãda duo ſunt. Primũ, quod aliàs dixi, aconitũ aliud eſſe à napello, quanquã aconitũ ſit acre uenenũ, ut in libro de Simplicibus medicamẽtis ad Paternianũ, ubi etiã deſcribitur illa plãta. Alterũ eſt, quod Galenus teſtatur ſe cõpoſuiſſe librũ de Medicamentis à proprietate operãtibus, ubi multa uenena docuit. Reſpõdeo igitur, medicamẽta ſimplicia, quæ ſunt incognita, nõ debent doceri, ex authoritate Galeni, adducta in libro de Medicamẽtis purgãtibus: quia homines nõ debent comedere herbas, quas nõ nouerint. & ideo malefaciũt iſti qui comedũt herbas miſtas, quas neſciũt quæ ſint: & quãquã nõ eſſent uenenũ exactũ, ſunt tamẽ multæ uenenoſæ, & quædã nocẽt iecori, & aliæ uẽtriculo, & aliæ renibus ac ueſicæ: & oẽs herbæ quæ faciũt lac, & ſunt calidæ, nocẽt ualde iecori: & ideo licet nõ occidãt ſtatim, uitã tamẽ efficiũt breuiorẽ, & morboſam totã. Et ſcio quendã nobilẽ Patauinũ, qui cũ ediſſet tortã ex herbis, quib. immiſta erat cicuta, pro petroſilio ab ancilla (eſt enim ualde ſimilis ei) mortuus eſt ſequenti nocte. ſed ſi ſimplicia ſint cognita; debemus tũc docere illa ad curationẽ faciliorem; quia omnino nota ſunt. & ſimiliter ſi ſint uenenoſa, quamuis incognita, debet medicus docere: quia omnino inimicus non audebit uti his quæ omnino interficiunt, niſi in maxima quantitate: & tamen docendo homines abſtinebunt etiã à pauca quãtitate, quæ illis noceret. Secundũ præceptũ eſt, medicus non debet docere aliquid quod augeat uim ueneni: quia tũc fieret magis irreparabile & inſanabile. Tertiũ, nõ debet medicus docere ea quæ abſcondunt qualitates prauas ueneni: illud enim eſt maximum. Quartũ, non debet medicus docere præparationẽ ueneni, ut fiat tẽporaneũ: quia per hoc fit magis pernicioſum, & irreparabile. nã prius acquirit uires, & enecat hominẽ, quàm cognoſcatur. Quintum, medicus nõ debet ſcire neq; diſcere præparationẽ ullã ueneni, ut ſit ualidius: neq; ut differat opus, neq; ut occultetur. Præterea medicus nõ debet cognoſcere uenena exotica, niſi ſolo nomine, et uiribus. Nã ſi cognouerit, diſtinctè poterit ex animi perturbatione propinare illa, ut excogitare aliquid ſubtilius in eis, uel ob affectũ alicuius cõiuncti aut amici docere eum, & ita eſſe in cauſa mortis alicuius. Venena autem notiſſima regionis, & medicamenta uenenoſa primùm perdiſcere debet, ac tenere, ut dici ſolet, in digitis: non ſolùm quòd iam omnibus nota ſint, abſq; eo: & quòd turpe eſſet eum ignorare, quæ omnes norint, adeò ut eius ignorantia potius ſupina dici poſſet quàm cuiquã bono: ſed etiam, quòd ſic plus eſſet commodi in auxilijs, quàm periculi in ſcientia. Et ideo debet ſci-

bei scire eã diligenter, & signa & damna & custodiam ab illis, & alexipharmaca tam communia quàm propria, adeò bene, ut doceat homines usum uenenorum ipsorum in perniciem nec posse abscondi, neq; etiam quicquam profuturum ad necem, sed uel minimã posse inferre noxã. Praeterea ad utilitatẽ ægrotãtium, ut dixi, & compositionem magnorum medicamentorũ, in quæ plerumq; solent ingredi uenena mortifera. Præterea ut sciant homines uitare lathyrim, cicutam, ficus acerbos, fungos, anguillas, ranas, rutã mense Maij & Iunij, & absinthiũ post mediũ Maij, & siliquam arbuti fructum, ac palmarum mala insana, nuclei pini, mercurialis, caules, semina rapæ, ozimum, sisamũ, fenumgræcũ, succi omnes ex quibus constãt intinctus: medullæ, cerebella, iuniperi fructus, chelidonia, & omne quod aluũ mouet uehementer: & omnis planta habẽs succum non uiridem. ideo fraga, mora etiam, & lactucæ, quæ iam semẽ produxerũt: & frumentũ est ex magnis uenenis, quod multipliciter perimat: & omnia putrida, semiputrida, corrupta.

Et scire ac docere, scribereq;, diuersa sunt. Quæcunq; enim scire malũ est, docere deterius est, scribere aũt pessimũ. At multa possumus docere amicum sapientem & probum, quæ scribere omnino nefariũ est. Condiscere etiã plura licet, ubi de tua integritate confidere possis, quæ docere non. licet nemo enim tam certus de alio esse potest, q̃ est de seipso. Porrò scire uenena & qualia sint, atq; integrè dignoscere, multis modis utile est. Primũ, ad medicamentorũ compositionẽ: secũdũ, ut illa deuitare queas: tertiũ, ut certior sis quòd assumpserit æger: quartũ, ut cognoscas quantũ nocere possit: quintũ, ut melius curare illa ualeas: sextũ, ut cum rationẽ tenes qua nocent, modũ ex ea seruandi etiam inuenias. Itaq; refert multũ, quibus moribus medicus præditus sit. Venenosa igitur omnia noscere decet medicũ, uenena aũt uulgata, ea ratione quæ dicta est.

Quomodo autẽ se debeat medicus excusare cũ principibus (periculosum enim est cũ petũt adeò ut Auẽzoar, cũ interrogaretur ab Hali quodã tyranno, quid esset quo posset inimicũ suũ perimere, illeq; se scire negasset, ob id in carcerẽ cõiectus est, multisq; incommodis affectus, biennio ibi permansit, quod ille diceret factũ cõsciũ sui secreti) palàm est, quòd negare oportet se scire. ideo etiã cauendũ est ne te iactes: tũ enim ob noxius eris periculo. Quòd si res sit cũ uiolento tyrãno, dilatione sumpta pro cõpositione quanta sufficit ad filios amãdandos, collectis charioribus rebus, fugæ te dedas. Nam præter id quod sit immanis hominis, artẽ contra præceptũ Hippocratis tãto uitiare flagitio, etiã tibi exitiũ paulo pòst manifestè paras. Te enim duplici ex causa occidet: et ut sceleris tollat, ut Solymus Turcarũ princeps, cũ Daiazetẽ patrẽ fraude sui medici Hebræi sustulisset: & quòd tibi ut proditori nõ cõfidet, nec amãdare, aut alteri post habere audebit.

Difficultas maxima est in hoc, quòd necesse est medico cognoscere uenena, et quæ circa ipsa sunt, modos, uim, speciẽ, qualitatẽ, si debet rectè curare. Et si debet hæc scire, oportet ut doceatur ergo uenena doceri oportet. Sed si nõ doceãtur, nulla erit ratio recta medẽdi. Et etiã quiuis pharmacopola plus sciet medico. si doceatur publicè, plus erit iacturæ in cognitione ueneni, quàm in scientia alexipharmacorũ, adeò ut sit una uia tantũ, uelut etiã in cognitione philosophiæ, sicut dicebat Auerroes: Hæc nõ sunt (inquit, de anima loquẽs, mũdo) Deo, reuelãda uulgo. Videmus eruditos philosophos bonos esse, quãuis nõ credãt ea quæ faciũt ad cõtinendos animos in uirtute: & hoc cõtingit, quoniã mens est perfecta: & qđ perfectũ est, etiã in mortaliũ genere est immune à uitijs. Deinde, quòd cognoscũt non esse utilitatẽ, nec preciosa esse quæ per uitia parantur, adeò ut ex æquo contemnant præmia uitiorũ, & falsa promisa: hæc ut falsa, illa ut uilia. Et ideo non sunt hæc propalanda nisi subtilibus ingenijs, in quo homo falli nõ potest, & probis: sed in hoc falli potest. Nã si subtiles rationes declaraueris, & illi intelligent, quoniã erunt profundæ scientiæ, nõ erũt mali. Et si non intelligẽt, obesse non poterunt: quinimo confundentur. ergo priuatim pauci docẽdi sunt. Laude dignũ multo minus censeo, qui acuũt ad uenena inquirẽda, uelut Theophrastus partim docet, qui docet fieri posse: & ut ille qui phœnicia docuit medicamẽta. Satis est intelligere finem, & quod cõsequi liceat, aut alios assecutos. belle enim introducti sumus. Deterius est potuisse, nec uoluisse: quàm uoluisse, nec potuisse. Verùm quis non aberrauit in hoc instituto? Et nos ob difficultatem, & quia proficere maximè ob angustiã tẽporis posse nõ uidemus, sequemur morẽ aliorũ. Sed si rectè tradenda esset hæc doctrina per symptomata, numeranda essent auxilia, nõ uenena, nisi quæ casu occidũt, ut morsu aut ictu. hæc enim in hominis potestate non sunt: cætera priuatim. Nos aũt parcè de omnibus, quòd nihil horum tractauerimus: & ne plus docendo remedia noceamus quàm iuuemus, ut Hesychius cũ Pharico, quid aliud egi.

quam

quàm ut ad quærendum homines incitaret? Sed bona fortuna nũc perijt uenenum, cum ipsa compositione olim Aegyptijs nota. Sed ad feras cõmemorabimus elleborum, aut helenium, non illud odoratum, sed Heliconium elleborum, quo sagittæ imbutæ lethale uulnus afferunt ceruis ac alijs animalibus, quæ postmodũ tutò edi possunt, & ipsa uenena tractari: alia pro amuletis appendi, quale illud de bufone siccato admirabile, ad indesinentem hæmorroidarum sanguinem. Quanquam breui postmodùm perierit amicus noster Iulianus Pontius, seu alia causa, dolore scilicet mortis filij: seu suppreßis ex toto hæmorrhoidibus, seu uenefica ipsius amuleti ui. Vtrum autem medicus debeat contra hostes patriæ uti ueneno, declaratum est secundo Contradicentium.

QVAE SINT COGNOscenda de uenenis.

Cap. 3.

QVæ igitur in uenenis cognoscere principaliter oportet, hæc sunt: Primùm, quot sint genera illorum, agendi modi ratione: uelut, quòd alia quidem perimunt & calefaciunt, alia erodũt, alia putrefaciũt: tametsi ipsa proprietas qua perimũt, occulta sit, neq; enim aliter, ut dixi, uenena essent. Expedit aũt scire, quomodo occulta ratione perimãt: quãuis & id eis propriũ sit, ut perimãt occulta ratione. nãq; occultũ dicitur, quòd uel sciri non potest, uel non facilè, uel quod aliud est ab his quæ uulgata sunt & pertrita: in quo genere nunc dicimus uenena perimere occulta nobis ratione. Deinde quot ex rebus uenena sumãtur, uelut animalibus, plãtis, metallicis: & magis specialiter, quibus ex partibus eorũ, aut omnino distinctè, quoniã quædã ipsa corruptione talia euadũt. An uerò quod corrũpitur, magis sit uenenũ, an quod ex corrupto iam genitũ est: præterea quot modis unũquodq; uenenũ dignoscatur, ueluti substãtia ipsa. scimus enim napellũ & aconitũ, leporẽq; marinũ, uenena esse solo rei genere: uel ab his quæ illi cõtigerũt, uelut putredine, agitatione, ut qualitates augeãtur. Ab effectibus, ut quæ debilitant, & uertiginẽ tracta mouẽt, uel muscas perimunt cõtactu uel spiritu. Tũ uerò colore ipso, seu generaliter, seu in ipso genere rei: ut colocynthis, & agaricus niger, & castoreũ albũ. similiter ex odore atq; gustu, cũ tamen quædam non minus haud tutum sit odorare, quàm prægustare. In lethiferis enim ualde uenenis, aut alterum, aut utrumque non leuiter periculosum, imò nonnunquam lethiferũ. Pòst agẽdũ de prouidẽtia, ne ab eis attingamur. Et si cõtigerit ut in illa incidamus, custodiã adhibeamus ne omnino lædãt. Post hæc agemus de signis assumpti ueneni, aut attacti, aut in nobis ipsis geniti: tũ id generaliter, tum etiã ut singulas illorũ species ex accidẽtibus & symptomatibus, tum etiã cõiecturis internoscere discamus. Atq; eadẽ erit ratio fascinorũ, ueneficiorũ, philtrorũ, præstigiarũ, excantatorũ, frigidorũ, umbrarum noxiarũ, timorum, ut in nocturnis laruis: quæq; omniũ sit ratio, atq; hæc generaliter, tũ per singulas species distinguẽdo. Demũ de cura eorundẽ omniũ tam speciali ac singillatim, quàm etiã generali: nec nõ cũ alia accesserint, quæ oppositam ac contrariam curandi rationem expostulent, initium à generalißimis facientes.

QVAE PROPRIA RATIO agendi uenenorum.

Cap. 4.

IGitur quid sit uenenũ, & quæ nã sint de illo cognoscẽda, nuper hic docuimus: quæ uerò ad illius agẽdi modũ spectãt, partim aliàs declarata sunt in nono Cõtradicentiũ, partim nũc explicabũtur. Inquirere aũt id ratione experimẽtoq;, tum autoritate, procliue omnibus id est: at traducere ad unũ omnia principiũ, prout aliàs docuimus, forsan à nemine hucusq; factitatũ est. Accipiemus ergo definitionẽ, uelut unũ principiũ superius expositum, scilicet: Venenum est, quod est aptum nocere uehementer nobis occulta agendi ratione, tametsi causa nota esset. Ex hac intelligere oportet, quo nam pacto uenenũ occidat, deinde quomodo ad actũ deducatur, demum qualitèr trahatur à corde. Nisi enim uenenũ qualitatẽ mortiferã habeat, eaq; ad actũ deducatur, & ad cor ipsum perueniat, nõ occidet. Equidem Galenus de Venenis locupletẽ librũ cõscripsit, ut ex ipsius relatione sexto in sextũ Epidemiorũ, et eũ uidisse Rasis fatetur trigesimoquinto Cõtinẽtiũ. Et ideo si librũ illum haberemus, forsan iuuaremur. At postquã illũ nobis uetustas subripuit, aut etiã in aliquo angulo latet. Refert enim Bessarion Cardinalis in epistola ad Venetorũ Rẽpub. ex ducentis uiginti millibus librorum, qui ætate Plutarchi, ut ille recitat, in Apameæ bibliotheca inueniebantur, uix mille sua ætate erat. Reliquos uerisimile est in ædib. priuatis, in thesaurisq; regum superesse maiore ex parte. Omittam nũc quæ de proprietate dicta sunt secundo Contradicẽtiũ: quãdoquidẽ de generali ratione agatur, nõ speciali. Conciliator id solum è tribus attigit, quomodo à corde trahatur, cũ illi sit inimicum.

Cõtrad. 5.

Lib. de V. no. Cap. 1.

Com. 5. in fine.

Trac. 1. ca. 1. fol. 497. col. 1.

Cõtrad. 2.

at nos

at nos prius, quomodo perimat, docebimus. multa enim trahuntur ad cor quàm celerrimè, quæ tamen non occidunt, etsi sint calida, sicca, frigida, & etiam corrupta. Veneni igitur generalis (omitto enim nunc quæ purgãdo, aut exulcerando, aut phlegmonem incerta parte excitando occidũt) propriũ est, intimã dissoluere substãtiam. calida enim, siccáue, aut quæuis alia è superficie in ima penetrant, minusq; calefiunt extrema quàm medium. Sed corruptio ueneni ima attingit, nõ corticẽ: substantiã, nõ qualitatẽ solã. Declarauimus enim, quòd in febribus nõ pestilentibus soli ichores corrũpuntur, nõ humorũ ipsa substantia: quo fit, ut omne uenenum necessariò calidum sit, tametsi nihil minus sit quod obsit in eo ueneno, quàm caliditas. Omne etiam uenenum nisi sit èrodẽs (tale enim non magis uenenum dici debet quàm uitrũ uel acus. neq; enim omnia quæ perimũt, sunt uenena: sicut neq; omnia uenena perimũt, alioqui frustra in lethale diuideremus uenenum, atq; nõ lethale) subtilẽ habet substantiã. atq; id est adeò proprium, ut ausim fermè id dicere, omnem substantiam admodũ subtilem esse uenenum: aut saltem eiusmodi, ut iuncta cuicunq; uel minimum malefico medicamento in uenenum statim transeat. Sunt autem quædã quæ citò penetrant, ob substantiæ subtilitatẽ: alia uerò ob humidũ tenue adiunctũ, alia demũ ob similitudinẽ. His omnibus rationibus cõstat ueneni natura, si uni eorũ adieceris quod noxium sit. Nam sunt uina antiqua, & aqua ardens, tenuia quidem: sed pinguia non sunt, nec noxia. addatur ergo & illud, ut sit pingue, non ut uenenum sit, sed tanquam proprium speciei ueneni, quod uehementius sit.

Quo'nã pacto uerò ad cor trahãtur: quidã Cap.16. existimarũt ex sententia Galeni, primo de Semine, uim illã quasi cõtagiosam, & materia carẽtem. duobus enim his modis illius dictũ interpretari potest: sed primus uerior, secũdus magis ad Galeni mentẽ, quoniã dat exemplũ de fulgore, qui per totũ aerẽ tam subitò spargitur. Sed si sic esset, nõ corrumperet, nec adeò ageret in materiã. Videmus etiã, quòd partes propinquiores loco affecto magis afficiuntur, & humores, & reliqua. Deinde uidemus corruptos humores ipsos in huiusmodi malis, & in uenenis paulo magis materiarijs, quàm sint aculei uel scorpionum uel crabronum: utpote in morsibus, qui per saluicã lethales sunt, & in deuoratis corrumpi planè humores, & non æqualiter: uis autem materiaria etsi inæqualiter spargatur, nõ tamen magnum est discrimen inter partes, cuiusmodi est inter humores infectos. Sed sit quomodo uis, seu propagatione, ut ego reor, seu ui non materiaria, certum est diffundi uenenum ex tam exiguo aculeo, sparsa qualitate in totum corpus: qua ratione etiam ad cor ipsum permeat. Et hæc est opinio Apponensis in suo libello de Venenis. Cap.3. Vt autem doceat hanc esse ueram opinionem, quia prima uidebatur dicere, quòd uenenum trahitur à corde necessitate uacui, dum dilatantur arteriæ, sicut etiam aer: & uidetur confirmari ex sententia Galeni secunda Aphorismorum, Com.41. dum narrabat de muliere, quæ in balneo exoluebatur haustis uaporibus ex lignis uitiatis, ac uenenosam habentibus qualitatẽ, succensis. nam undequaq; cum arteriæ haurirent hunc uaporẽ in ambitu corporis, ad cor deferebatur: atq; ita in syncopim incidebat: Par, dicet hæc opinio, ratio erit in haustis per os, aut per uulnus, cũ cor æqualiter ab omnibus partibus trahat. Tertia opinio est, quòd utroq; modo trahatur à corde & ipsum propria uirtute permeet. Contra utranque harum, quia cõueniunt in hoc quòd trahatur à corde, adducit rationẽ: & est, quòd illud quod trahitur, uel est simile uel, cõtarium. non simile, quia non interficeret: nec contrariũ, quia solum illud trahitur à membro ægro, uelut in hemitritæo, Prima Quarti. cor autem hic supponitur Trac.4.ca. 19. esse sanum. Et experimentũ, quia cum quatuor homines uenenũ in cœna comedissent, unus mortuus est breui, duo post longũ morbum tandem euaserũt: unus breui, & parua cum noxa liberatus est, qui erat calidi cordis. Quòd si uenenum traheretur à corde, par erat illum qui cor habebat calidum, mori citius, etiam primò. Ad hoc, quia tertia opinio, cui uidetur assentiri, est melior, dicendum esset, quod forsitan minus edit: aut edit plus de cibo, aut ob robur temperaturæ, quod non negat, & ob id facilius euasit. Cum ergo duplex sit attractio: Vna, naturalis pura, quæ duplex est, sine uillorum auxilio, ut in iecore: & cum eo, ut in corde: Alia uacui necessitate, seu ob raritatem, quæ est animi uis, & in corde per arterias (omitto modò tertium genus, uoluntariam, tanquam extra hoc propositum) uenenum quidem peruenit ad cor natura sua, dum se diffundit, ut dixi, altero duorum modorum: & trahitur à corde, ut aliàs etiam docui, attractione quæ fit per arterias raritatis causa, non autem naturali attractione: quia illa solum per se attrahitur utile, scilicet simile à sano membro, & contrarium

ab ægro

ab ægro, & ita in hoc casu neutro modo uenenum à corde trahi potest. quare patet ad rationem, quòd non aßumuntur omnia membra diuisionis, neque omnes modi quibus aliquid trahitur in corpore nostro ab aliquo membro.

Vltimum autem quæsitum difficilius uidetur, à quo ad actum deducatur. Et non habet tã tam difficultatem in morsibus & ictibus, quos quis diceret à calore animalis uenenosi per dentes, aut aculeum infixo diffundere uenenum: sed in deuoratis aliud est, cum non adsit nisi calor naturalis hominis, qui non debet agere contra se. Hæc autem quæstio duo habet capita. Vnum generale: & ad hoc respondeo breuiter, quòd agentia naturalia agunt contra se per instrumentum commune: utpote, Homo descendit ex alto, & occidit se inuitus: quia hoc agit per grauitatem, quæ est instrumentum commune. Et ideo per calorem etiam dissoluit pituitam in cerebro, quam melius esset permanere concretam, quia dissoluta quandoq; perimit. Verùm per propriam operationem nunquam agit per se contra seipsam, ut quia trahit semper simile & utile, non contrarium: quandoque tamen plus trahit quàm oporteat: & hoc, ut dixi, ratione instrumenti, cum calor fuerit abundantior quàm debet. Et hoc modo renes faciunt diabeten, & perimunt hominem, & ex consequenti seipsos: sed, ut dixi, hoc contingit aut per accidens seu fortuitò, aut propter uim instrumenti ualidiorem quàm oporteat, aut utrunque. Alia uerò quæstio est de uenenis, quæ frigida illi uocant,
Cap. 21. de quibus seorsum suo loco agemus infrà.

PRIMA DIVISIO VEnenorum ex ratione ortus. Cap. V.

PRima igitur diuisio uenenorum est ab ortu, idest modo quo originem ducit ad lædẽdum corpora nostra. Quædam enim primum oriuntur in nobis propriè, ut habetur sexto de
Cap. 5. Locis: alia autem non propriè in nobis oriuntur, sed eorum quædam à causis gignuntur necessarijs: & sunt aer uel aqua, ut colligitur secundo
Com. 4. de Humana natura. Quæ aũt extrinsecus adueniunt, alia quidẽ intus in cauitates immittũtur rarißimè p enemata, plerũq; per uiã cibi potúsue. Externa alia sunt, quorũ quædã sine substantia sunt, ut excãtationes & fascini. Atq; horũ quædam habent substantiã aliquã, ut fascinatio, quæ intuitus radio fit: quæ uerò substantiam nõ habẽt, alia tamen subiectã aliquã habent materiã. & si ad amorẽ tendunt, philtra appellãtur: sin ad maleficiũ, excãtatio: si ad utilitatẽ, præcantatio. Quæ uerò materiã nullam subiectã habẽt; si speciem solùm demõstrent, præstigiæ uocantur: si immutauerint, deuotiones, ut M. Crasso tribunus plebis. Quæ uerò substantiã habent, alia insensilẽ, ut odores: alia uerò quæ sensili cõstant materia, sed tamen occulta, nisi quis mentẽ adhibeat, ut unguenta, olea. At quæ manifesta cõstant substãtia, alia quidẽ citra dolorem occidunt, uelut quæ solo cõtactu necãt: ut saliua canis rabidi, pestis cõtagiosa, dryinus serpens, atq; alia multa. Quæ uerò cũ dolore nocent, alia ex hominibus, ut tela, sagittæ ueneno infectæ: alia aũt ex animalibus, quorũ quædã dentibus, ut canes & serpentes: alia aculeis, ut crabrones & uespæ: alia cauda, ut scorpiones. animal quod uenenatis unguibus, nullum adhuc innotuit, nisi in ipsa lacerando, ut leones & ursi.

Singula uerò horum occidunt qualitate manifesta, occulta tamen ratione, ut dixi: uelut calida, sicca, erodentiaq;. alia uerò manifesto quidem effectu, occulta tamen causæ ratione: ut quæ putrefaciunt, quæ cogunt, quæ frigida alij appellant, cicuta, opium, hyoscyamus, mandragora, solanum maniacum. Alia substãtiæ ratione, ut obstruendo, gypsum, spuma argẽti: aut infrigidãdo, ut argentũ uiuum: aut singularẽ aliquã partẽ erodendo, quod in cantharidib. perspicuũ est. Alia occulta etiã effect⁹ ratione, ut quæ spiritus perimunt uenena armeni, aconiti olim, nũc napelli atq; similia: quorũ tamẽ sensus est in materia ob accidẽtia. Alia omnino obscura ratione: ut fascinũ, excãtatio, deuotio. Summa igitur istorũ modorum est decem, ex quibus constant cõpositi: nec est ut in re tam obscura eã desideres claritatẽ, quàm in alijs rationibus: quã tamẽ si habere uelis, ex Dialectica expetẽda erit.

Sunt etiã uenena non propriè, quæ particulã corrũpendo perimunt: uelut cantharides uesicã. lepus marinus non in hoc genere est: licet enim pulmonem petat, petit etiã cor. Quocirca duæ sunt dubitationes. Vna, quare pleraq; uenenorũ cor petãt: alia, cur aliqua certũ membrũ, ut cantharides, quæ uesicã, nõ ita alia membra exulcerãt. Ac primæ quæstionis dubitatio facilis est admodũ. dilatantur enim arteriæ uersus cor, & ipsum uim habet attrahendi ualidißimã, seu per uillos, quos habet durißimos & robustißimos; 6. de Locis. cap. 8 & 15.
seu per calorẽ; qui in eo est potentißimus. unde uelut animalia quæ escam deuorant & hamum, ob id unà dico non solùm pisces, sed prudentiora longè lupos atque uulpes: ita cor, dum optimum

trahit ſanguinem, trahit & ſecum uenenum, quo perit, maximè aũt putredine cõtractum. ut non rectè dicant, qui cenſent uenenũ cor petere: ſed trahitur à corde. Quæ uerò perimunt, quoniam uentriculũ erodunt, aut iecur: non ob id illa erodunt, quia ad ea membra ſponte cõmigrent: ſed hoc quidem in uẽtriculo ſua grauitate retinetur, illud ad iecur pergit tanquam leuius, ſed ulterius procedere non poteſt: craſſum autem cum ſit neceſſariò, retinetur in uijs anguſtiſsimis, quas dicit Galenus adeò eſſe tenues inter cauã & gibbam iecoris, ut non poßint uiſu percipi. nec ſatis conſtat an ea loca peruia ſint, quo fit ut ibi retenta erodant: ut in filio Hieronymi Bertolij apparuit, in quo & uẽtriculi imum eroſum, & iecur in ambitu nigrum inſtar carbonis apparuit, ut etiam lingua erat: & præter id ſicca, ſcabra & arida. Cum uerò ſua ſubtilitate penetrat, ut canthárides, auida natura pellendi quod eſt noxium, detrudit recta uia ad renes & ueſicam: ideoq́; ibi erodit amplius attenuatum membra illa, non quòd quicquam cum illis habeat conſtitutum pluſquam cum alijs: nam & multa alia uriginem mouent, tametſi ueſicam nõ poßint erodere. Quòd uerò alia in inteſtinis dolorem pariant, ut piſa & cucurbitæ, eadem eſt ratio. non enim è caſulis coli exire poſſunt: & piſa quidem ob duriciem putreſcunt, cucurbitæ ob frigiditatẽ dolores mouent. lepus autem marinus, neſcio quoties experimentum Galenus uiderit: certè Dioſcorides penè cantharidibus similẽ facit, huius proprietatis non meminit, ſed qui meminerunt, ut Princeps, Lib. 8. cap. 30. cauſam generalem ei tribuunt, uelut quòd inflammatis ſpiritus membris difficultatem ſpirandi patiuntur, unde facilè in ſanguinis ſputũ per tuſsiculam decidunt. Non negarim tamen, poſtquam Galenus Lib. 1. ca. 1. in libro de Medicamentis ſecundũ genera, id affirmat, fieri poſſe, poſtquam hoc minimè propriũ eſt, uenenũ membro proprium inueniri poſſe, uelut Herculeo lapidi, ut ad orientalẽ boream tanta circuli portione dirigatur.

DE VENENO PER SE genito. Cap. VI.

VEnenum aũt per ſe generari in corporib. haud dubiũ eſt, ut antea diximus. Differũt ab his quæ uel aqua uel aere generãtur, ſpõte genita, ꝙ neq; in pluribus, neq; ſtatim, neque ob generales cauſas generantur: propterea in quibuſdam primũ hæreditario iure, ut podagra & lapis in ueſica, contingunt. Plurimæq́; ſunt ſtirpes, quæ hoc uitio per multas ætates laborarũt, cùm enim calor humores nõ ſeruat, & eoſdẽ corruptos, crudos ac calidos generat, in anguſtis uijs putris humor generatur, nõ ſecus ac uermes q in quibuſdã plurimi, & ad adultã ætatem uſque, in alijs ne infantibus quidẽ innaſcũtur. Alijs aũt ater humor, adeóq; prauè exuſtus, ut ueneni referat ſimilitudinem. ſiquidem peßimi ex eo morbi fiunt, ut in eo Aphoriſmo ſextæ Particulæ: 54. In morbis melancholicis, ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiam corporis uel conuulſionem uel furorẽ uel cæcitatem ſignificant. & trigeſima Problematum Ariſtoteles multiformes uires illi tribuit, ſed hoc tamen non propriè ad uenenum ſpectat: uerùm cùm computruerit ichor illius (nam ichores in febribus, non humores putreſcunt, ſexto Epidemiorum) Par. 2. com. 39. facillimè in ueneni qualitatem tranſeunt, in morbo præcipuè lethali. Idem continget in glaſea, & cærulea, & uiridi bile. Tertia cauſa, eſt corruptio ipſa ciborum, loci ſordes: ut hi qui diu per mare nauigarunt, quiq; coaleſcunt edere cibos corruptos, & putridas aquas bibere, unde orta eſt ſpecies illa morbi Indici adeò praua, & quæ longè deterior eſt morbo natiuo, qui ibi paululum differt à ſcabie: ita morbus hic accidit in bilioſis, qui corruptis ueſcuntur cibis, & ſordidè uiuũt, nec ſe exercent. Quarta, eſt ex cibis, ut ſecundo de Alimentis, Cap. 4. ubi appellat febres malignas, quæ fiunt ex eſu cucumerum: & in libro de Succorum bonitate & uitio: Cap. 5. Inter fructus (inquit) cenſentur cucumeres quoque & pepones, & melopepones, quorum nulli ſuccus bonus inſit, eo quòd niſi aluum ſtatim ſubeant, ibi corrumpantur, humoremq́; ex corruptela hac faciant, qui nõ longè à mortiferis uenenis abſit. In fructibus huiuſmodi ſola eſt cucurbita, quæ culpa uacèt. Sed & leguminum crudorum nutrimentum, maximè immaturorũ, proximũ eſt ueneno, quãdo cocta & matura nec probatũ exhibeãt.

Cæterùm generatio iſtorũ reducitur ad naturam, caſum, & uictus rationẽ. uictus ratio dicitur, curæ ex quibus uenenũ in corpore generatur, & odiũ & ira. odiũ enim ex triſticia & ira cõpoſitum eſt: ira aũt eodem excalefacit humores, ut febres accendat, ut primo de Tuenda Cap. 8. circa mediũ. ſanitate, & de Cauſis morborũ. Imò, dicebat in Cap. 2. ſecũdo de Humana natura. & in libro de Exercitatione paruæ pilæ ad Opigenem, Ibidem. non minus (ne magis dicã) mouẽt corpus, ut morbos cieant, aut ſalutẽ animi, ꝙ corporis affectus. Odiũ ergo, ut dixi, acerrimè corrũpit humores. ſi quid Cap. 2. aliud. nam ira excalefacit, triſticia refrigerat,

quarto

Cap. I. *quarto de Causis pulsuum. Hoc ipso motus contrarij fiunt & in qualitate, & loci ratione: Vnde multi hoc ipso abditis morbi causis, ut putant, pereunt. Diuturna quoque uigilia humores corrumpit, cibiq́, ut dixi, mali seu specie ipsa, ut fungi, seu aduenticia qualitate: tum uerò crapula, & ciborum ipsorum contraria natura, ut lac cum* 3. I. Doc. 2. cap. 7. iuxta finem. *piscibus uel acidis, aut lac coagulatum cum radicula: sed neq; hordei ptisana aut polenta cum oriza & lacte, nec pingue aliquid debet in æneo uase manere: corrumpitur enim, & æruginem uim imbuit.* Et quæ torrentur in ueru, & magis super prunas, à lignis prauis afficiuntur: ut sunt smilacis, oleandri, buxi, ricini. & permistio multa ciborum, & maximè contrariarum qualitatum: ut mala insana cum saccharo, oua cum tritico: & exercitatio assidua, inde refrigeratio: quæ cùm perseuerant, generant humores pestilentes. & maximè, si utatur multo uino nigro. Et uinum ipsum potens cum fructibus boreis, cuiusmodi nominauimus. Et uesci maleficis herbis, multum facit ad generationem ueneni: uelut sunt, cicuta, hyoscyamus, papauer, eruca, cæpe, solanum, portulaca, & sunt pleræque grauem odorem habentes: & fungi maximè sunt ex illis, etiam saliti, & anguillæ.

Et generatur malus chimus in uentriculo, uelut etiam ex porris, unde prasina illa bilis: inde aduritur & corrumpitur in iecore, non tamen adeò, quin permisceatur sanguini, & trahatur ad uenas: demùm adueniunt causæ, quæ illos corrumpunt ex permistione, uel ex putredine, uel ex adustione, uel ex qualitatibus animi, uel ex repletione aut uigilijs, aut obstructione uel febre: & hoc est maximum, quia corrumpit, exurit, & habet secum obstructiones multas. Et dum quiescit in uenis, persæpè uix sentitur: sed motus, aut quod sequitur ex motu, est causa ut sentiatur, morbum efficiat, & ut homo etiam pereat. & uersari in locis humidis, & cloacis, & sentire prauos odores, & quiescere in locis conclusis, omnia hæc faciunt ad huiusmodi generationem. Et potestas horum humorum non solùm est ad generandos lethales morbos, sed etiam ad fascinationem, ad malas opiniones de dijs, & circa mores, ad mala somnia, ad corrumpendum aerem. Et sicut habitare inter serpentes est malum, ita inter homines in quibus abundant corrupti humores & uenenosi. Et horum quidam sunt cum putredine, & contagiosi: quidam sunt solùm uenenosi, quia cum parua corruptione sunt ualde calidi atque tenues.

DE PVTREDINE ET CORRUPTIONE. Cap. VII.

CVm sit putredo interitus proprij caloris ob calorem externū, ut ait Aristoteles Cap. I. quarto Meteororū, ideoq; dicit: Necesse est omnia quæ putrescūt, externo calore incalescere, & innato refrigerari, ac demū exiccari. Cùm igitur humidum necesse sit esse quod putrescat, aut aqueū illud erit, aut pingue solū, aut cum tota substātia. Dico totā substantiā, quia in his quæ uiuūt, aliud est quo nutriūtur, aliud quo constāt, sicco plurimo mistū. Est aūt in unoquoq; genere horū magna multitudo specierū, uelut humorum sanguinis & humidorū, quæ in substantiā corporis transmutātur, nondū tamen sunt transmutata: cùm uerò putredo in quodā sit motu, non potest cessare, donec ad ultimū peruenerit, aut firmatur. Atq; in quibusdā fit exhalatio humidi, in quibusdā non. Concipere aūt quædā perfectā putredinē, quædā non: & non solū sicca, sed etiā planè pinguia, clarū est: siquidē oleum & farcimina rancent, nec putrent. Quod igitur siccum est, cū putret, animal generat: inde in lapidibus & lignis nascūtur uermes, à quib. substātia integra exeditur, uocaturq́; quod superest caries. Cùm enim intimū sit, nec possit exhalari, necessariò calescit. In omni aūt calore est anima, ideo animal uel blatta generatur. Si aūt exhalat calor, refrigeratur, nec possunt conformari animalis partes, fitq; caries, & in uiuentibus marcor. In pinguibus ualde, ut oleo & adipe, quia terrea pars deest, nec perfectè putrescunt, non generatur animal: si quidem animal mistum est ex terra & aqua, sicco & humido: ideo non generatur ex oleo, neq; adipe: & tamen ex aceto, urina, caseo. nā in aceto & urina terrei aliquid, in caseo plurimū. Sed neq; perfectè putrescūt, quia humida sunt: & quæ perfectè putrescunt, si pinguia sint, calent: at hæc incalescere non possunt, ob humidi abundantiam, quare eiusmodi rancida euadunt, non putrida. Hæc aūt & quæ sicca sunt, cùm non generant animal, corrumpi dicuntur, & corrupta, non autem putrida. Putridum dico, in quo quicquid est substantiæ, perfectè corrumpitur: corruptum aūt, quod imperfectè putridum euasit, uel ob reluctantē siccitatē, quæ à calore non patitur: uel ob humidū copiosum, quod prohibet concalescere perfectè, quod corrumpitur. Caseus ergo perfectè & putrescit, & carnes: quoniam plurimo pingui humido & terreo

terreo abundant. quæ uerò ultimo putrefacta sunt, non amplius putrent, quoniam motus finem accepit: nec putrida planè sunt, ut septimo Contrad. 14. Contradicētium docuimus, sed animal aut plantam generāt. Quæ enim aquea sunt, plantas generant, quoniā humido pingui & concocto carent: quæ autem pinguia animal, non plantam: quoniam natura facit omnium præstantissimum eorū quæ facere potest. cùm aūt utrūq; humidū mistū fuerit, at in fimo & cœno & plantæ & animalia generantur, & similiter quæ sub diuo sunt generant plantas: quia nō adeò incalescūt: & quoniā ui solis humidum pingue siccatur, utpote iam cōcoctum, aqueū aūt contrà concoquitur: in opacis aūt & cōtectis locis, & quæ sub terra sunt, sepulchris, cauernis, animalia. Si uerò nō pingue humidum, sed aqueum, corrūpitur & exhalat, adhæret & concrescit, fitq; mucor, seu situs: ut in terra pluuia nuper madefacta, in pane atque huiusmodi. Vnde situs leuissimum genus est corruptionis, tum quia aqueum tantum humidum putrescit, tum quia exhalat: ideo quæ mucent, sicciora euadunt. Ea igitur quæ corrumpuntur, quinque sunt generum: sicca parum humidi habentia, & quæ multo abundant humido pingui aut aqueo, & humida pinguia & humida aquea, ex quibus plantæ generantur: nonnunquam etiam animalia, quia à sole uel calore multo concoquitur aqua. Quintum uerò genus est uiuentium, in quibus partes partibus respondent, ut in mundo, & calor qui inest præter naturam, uelut etiam in corruptis operatur. Similiter corruptio quædā est, cùm exhalat quod corruptum est, aut cùm retinetur. Quædam non perfectè putrescunt, uel quia nimis humida, ut oleum & pinguedo: uel quia exhalant, ut panis & aqua. Poma etiam pleraque nō putrescūt perfectè, quoniā frigida sunt, & nimis aquea, ideo nō facilè animal gignunt. auellanæ aūt putrescunt, quia generant. Quæcunque etiā perfectè putrescunt, animal, si pinguia: aut plantā, si aquea sint, generāt. Salita aūt & multis odoratis condita rancescūt, non putrescunt: quoniā humidū aqueum absumptū est. Illud enim facilius corrumpitur, & uiā præbet corruptioni pinguium: quocirca pinguedo cocta, & caro in sole siccata, & haleces in fumo, quāuis multū habeāt pinguis humidi, nō putrescūt: quæcūq; autē putrescūt, & nō perfectè, corrupta appellamus. Corrūpuntur aūt quadrifariam res: uel quia humidum exiguū est, ut ossa & lapides, quæ nunquam perfectè putrescūt: aut quia calor, qui est causa putredinis, est exiguus: nihil enim agit ultra propriā qualitatē. Quæ enim corrumpuntur ob uicinitatē semiputridæ rei, semiputrida solū euadūt, ut in malis punicis, quæ prius exarescūt q̄ putrescāt, ideoq; solùm corrūpuntur: uel quia humidum nimis abūdet, ut de oleo dixi: uel quia pars quæ iā corrupta est, exhalat, ut in mucidis. Nec uidetur, tametsi in mucidis exhalet, in rancidis retineatur, idē humidū esse in causa: sed rancidorū pingue, mucidorū aqueum, ut in pane, uel pingui aqueū mistū, uelut in caseo. mucescit enim, tametsi pingui abūdet humido. Sed quæ profunda sunt, putrescūt: mucescūt, quæ in superficie, quapropter ab aere mucor existit. In quibusdam aūt fit separatio pinguis humidi, in quibusdā uerò totū putrescit. Etenim in fimo humidū in unum cōfluit, & generātur ibi uermes: qđ uerò relinquitur, siccū est, & exors praui odoris. Duplex igitur genus p̄fectæ putredinis. Si ergo in intimis, & lōgo tēpore putredo fiat absq; separatione, animalia magna & p̄fecta & uiuacia generari solēt, ut bufones, cancri, serpētes: ut ille qui inuentus est in sepulchro in æde B. Simpliciani Mediolani. Vinū aūt & lac nō putrescūt perfectè, quia nō possunt incalefacere, sed modū aliū corruptionis induūt, & fiunt acida, ut sit diuersus modus à rancidis, quæ oīa fiūt amara. Erunt igitur quinq; modi corruptionis: rancidū, mucidū, acidū: & duo q̄ nomē nō habēt, nisi marcorē in siccis, uelut lapidibus & ossibus: atq; humidis, uelut malis punicis. Et hi sunt inferiores tribus prioribus, quia saporem retinent minus malum, & odorem acidum, cùm aliæ corruptiones malū retineant odorem: putredo uerò etiā deteriorem, licet cariosa sit minus fœtida quàm pinguis. Manifestum est enim, q̄ sunt duæ tantùm species putredinis: cariosa in siccis, & fœtida in humidis. Sunt aūt omnia putrida, amara etiā: sed sicca sunt amariora, humida uerò acria: quia sunt calidiora. An uerò aer possit putrescere, uisum est in Contradictionibus. Lib. II. Contr. 75.

Nunc uerò ad corpora humana reuertor, quæ iuxta similitudinem in diuersis partibus putredinem & corruptionē sentiunt. nam iuxta caput canescunt capilli, uelut in situ. humidū enim ab aere refrigeratur, & nō admodùm pingue est: quod uerò in corde est, non putrescit ob abundantiā, sed fit uelut rancidum, & ita cùm ex sanguine fit bilis. rancescit enim. Et cùm feces putrescunt, quia constant humido aqueo pauco, & multo pingui: & sunt reconditæ, & breui putrescunt, generantur animalia, scilicet uermes.

& est putredo absoluta. Et sanguis cùm corrumpitur leuiter, & similiter chilus transit in acidũ saporem. & ossa cùm sentiunt teredinem, corrumpuntur, & non perfectè, ut dixi, putrescũt. Et ichores cùm putrescunt, præparant sanguinẽ ad putredinem: non tamen generant animalia, quia non sunt pingue humidum. Ideo generatio talium ostẽdit humidũ pingue putrescere, quamobrem & febrem esse pestilentem. & nõ generantur plantæ: quia, ut dixi, putredo huiusmodi fit in penitioribus partibus corporis, non in loco aeri exposito. Putredinis igitur & corruptionis differentiæ & causæ multiplices sunt, & à magnitudine, & à natura eius quod putrescit, & ab exhalatione atq; retentione. Commune est his quæ putrescunt & corrumpũtur, mutare odorẽ, colorem, saporem, & omnia in deterius, ad primam naturã non simpliciter. sorba enim meliora sunt corrupta, & anguiũ quorundam stercus bene olet, cùm ipsi angues nõ ita: propterea quæ nobis bene olent & placent, corrupta malè olent & displicent: quæ uerò displicent, & grauiter olent, alia fiunt meliora, alia deteriora. & eorum quæ placent, propriũ est horriditas, unde alius est sapor lactis acidi, alius eius quod natura tale est, ut oxalis. Quæcunq; aũt à calido sicco corrũpuntur, minus putrescũt, quia magis exhalant: quæ uerò ab humido, magis putrescũt: minus enim exhalant. Ergo si siccitas maior sit caliditate, nõ putrescũt. uidetur ergo putredo esse calidi proprij, non humidi exhalatio: necesse tamen est putrefacta siccari, quia calor consumit etiã humidum. Sed quomodo calor à calore dissoluitur, si humidũ manet? quoniã humidum illud liquescit, ac ob id exhalat imatũ humidũ. Quæcunq; igitur putrescunt, rariora euadunt. Estq; alius utriusq; caloris mod⁹, ut hominis ac leonis: uidẽtur enim formæ diuersæ, & animæ. sunt enim instrumenta animarũ: & ut lupus leporem exedit, ita calor calorẽ: quodq; uni naturale est, alteri putridũ: sed nõ simpliciter, sed cùm impeditus nihil generat. Dicimus & oua ab ignis calore corrumpi, sed non in hoc significato. est enim hic corruptio, uia ad putredinẽ, non qualiscunq; rei interitus. Quæ aũt uerè putrescunt, superfluum habent humidũ, & substantiã minimè so-
Cap. de Sale. lidam: undecimo de Simplicibus medicamentis. quanquã & ipsa ossa sanie praua corrosa quan-
Com. 57. doq; putrescant, tertio de Fracturis. In uniuersum, putredo è calido fit & humido, ut habetur
Cap. 5. quarto Methodi, & tertio de Medicamentis se-
Cap. 2. in princ. cundum genera. Caliditatis autem causæ ponuntur in libro de Causis morborum, uicinia motus, Cap. 2.
& putredo. Putredo igitur est causa caloris, in eo in quo est: calor autem externus, est causa putredinis.

DE NATVRA CORRVPTORUM. Cap. VIII.

SVnt corruptorũ hæc propria, ut sint à naturali statu aliena, & horribilia. nam calefacta, refrigerata, siccata, licet mutent saporem & odorem, nihil tamen retinent horribile. Sed & dum manduntur, quæ generare animal nata sunt, strident sub dentibus: quæ autem plantam, sunt terrea in humido: ut quæ animal, humida terreaq;. In plãtis enim omnib. humidũ, ut dixi, crudũ est, & à terreo uincitur: cõtrà in animalibus. Quare in omni animalis generatione est aliquid terrei: ideoq; uermes in imo aquæ generãtur, non in medio. Propriũ quoq; est corrupti cuiuslibet, corrũpere. omnis enim caloris humidi actio propria est, & cum anima cõiuncta. Est enim triplex calor. Igneus, qui siccus est, & corrumpit: nihil aũt generat, quia solùm separat humidum à sicco, etsi misceat tenue à crasso. Humidus aũt calor ubi terreum & crudũ superat, generat plantam: ubi uerò concoctum humidum & igneum loco terrei (dico aũt terreum, assatũ) animal generat. Quapropter omne quod corrũpit, habetq; exuperantem calorem, seu quod corruptum est, corrũpit etiã plus iusto seipsum, donec aut dissoluatur, aut planè uincatur à forma propria: & tunc fit alimẽtum, uelut uitellus oui in pulli generatione: & quatenus corrũpit, etiã proxima uitiat. Sicut ergo candens ferrũ, est ferrum & ignis, quoniã utranq; formam habet, sed imperfectã, ut quædã partes tenues prorsus sint ignis, aliæ crassæ prorsus ferrum, sed calefactum tamen: ut sit calor in his tanquã in materia, non in forma. nam repugnat, formã utranq; esse: sed est ueluti calor ignis in manu, & magis cùm sit iam igneum ferrũ: et calor in manu nõ est, nisi in eo quod est præparatũ, nec uincit: quædam autẽ partes sunt ex æquo ferrum & ignis, ita etiã de putridis. Materiam enim totam inuasit putredo: formam aũt non totã, sed tenues quidem partes obtinuit, quæ prorsus putridæ sunt, crassas non, mediæ sub utraque forma fermè sunt ex æquo: unde nõ tutum est cohabitare cũ corruptis, & multo minus uesci illis: nec linteis aut uestibus uti, quæ corruptione imbutæ sint, seu aliorũ fuerint qui corruptionẽ patiantur: seu sordidæ sint, seu diu gestatæ sint ab eodem: maximè si corpus immundũ fuerit, sudaueritq; in eis, tum puluere

fœdatæ sint, & madefactæ aqua uel liquore ullo. Satis constat mediam ex duobus esse naturam, cum semicorrupta est pars mediocris substantiæ: uelut in pomo, & dulci diluto aqua, quod minus dulce insipidumq; redditur. est enim in quantitate diuisio, compositumq;, ita etiam in gradibus & formis, licet impartibiles uideantur. Omitto nunc disputationem de substantia, an suscipiat gradus & magnitudinem. Redeamus ad sensilia. Lac aqua diluium, quomo-

12. Contradict. 30. do mistum sit, declaratum est aliàs: nunc satis sit ostendisse, substantiam aliquam inesse ad generationem animalis, uelut fœtum: in quo cum sit trãsitus à semine ad animal, dicemus ut in Theo-

Lib. 4. gnosto, esse quidem tandem animam & formam & substantiam, sed ex potentia ad actum peruenit: uelut infans potestatem habet ambulandi, nec uariatur, nisi ut ad actum perfectum aut perfectiorem deuenit. atque hæc perspicua sunt iuxta nostra principia, quæ sunt facillima. Peripateticis autem infinita relinquitur dubitatio circa ea quæ inutilia sunt, ut retardentur in cognitione magis utilium. Verùm quod difficilius est, cùm uel ob siccum uel ob frigidum impeditur generatio, fitq; sola corruptio. Frigidum enim est priuatio, & priuatio non est animæ neque sedes neq; uia, neq; ut instrumentum. quare oportet in hoc constituere formas plures, & aggregatum. Cùm enim calor præter naturam impeditur, separat: & ideo plures formas generat simpliciores, uelut terram, aquam, uaporem. Cogitandum est igitur (atque id solum ex tanta dubitatione restat) quo nam modo calor præter naturam corrumpat, ac simul generet aliud? nam id fit, uel quoniam intercedit aliqua alia operatio, ueluti separatio: uel quia anima, cuius calor est instrumentum, corrumpit ut generet. at hæc altiora sunt quàm ut quæsito conueniant. Satis est, corruptum omne aut ad generationem tendere, esseq; partim in potentia, partim in actu sub forma seminis: dico autem semen ab animali aut à calore formatum. Indicat enim non esse semen, nisi ab anima, quoniã est etiam in his quæ non gignuntur à simili. quocirca forma materia carens præcedit materiã: & est, ut dicebat Plato, prius anima quàm animatum aut instrumenta. non enim quia homo est, ideo rationalem habet animam: sed quia anima rationalis est, ideo sibi aptum fabricauit corpus: uelut in quercus ligno turrho scarabeo simile animal efformatum industriè. Aut si non ad generationem tendat, aceruum fieri, & ut ita dicam, materiam quasi lutosam atq; cœnosam. Porrò corruptio eo deterior, quo ad formas inimicas naturæ tendit. Sic ergo pediculi generantur, fœda omnia & horribilia, nauseamq; cientia. colores etiam trahunt tetros, liuidum, fuscum, uiridem, album sine splendore: cum autem splendent, putredinis efficacioris indicium habent. Fiunt quoque, ut dixi, leuiora & rariora quæ putrescunt.

DE VENENO CONTRActo ab aere & aqua, & causis & differentijs eius. Cap. IX.

FEbres pestilentes fiunt, aqua uel aere corruptis. Aer corrumpitur ob siderum dispositionẽ, aut uẽtos, aut aquas, aut casum, ut in strage hominũ, in abundãtia locustarũ mortuarũ, in copia reptiliũ. & q; ad sidera attinet, Ptolemæ[2. Quadripar.] hoc refert maxime in eclipses luminariũ: et hoc, cũ loco dominãtur maleficæ. Et cùm hæc scriberẽ, facta est eclipsis Solis uigesima Iunij, & luna fuit in nodo australi, & fuit in octaua parte Cancri: & Iupiter ac Saturnus fuerũt occidentales in ipso Cãcro. et proculdubiò nõ est bona. Sed alij referunt in magnas cõiunctiones. & utriq; dicunt uerũ. Nam uidimus ex coitu Saturni & Iouis in Cancro, anno 1504 inchoatã febrẽ pestilentẽ cum maculis, pulicũ maculis similibus: quæ, ut ait Fracastoreus, satis bonus obseruator taliũ, erat morbus antea solũ endemius Cypro & uicinis insulis, ut anno 1505 sæuierit in Italia. Et ex alio cõgressu eorundẽ cũ alijs omnibus planetis, anno 1524 per totũ orbẽ, adeò anno 1528 inualuêre, ut memoria illius anni multis seculis sit celebranda. Cũ uerò cõgreßus fuerit in signo pisciũ, patet trigonũ aqueum totum esse huiusmodi morbis corruptionis obnoxium. Ab anno aũt 1544 in Scorpione cõuersa est ad dißidia potius legis, ex quib. euersa est tota Gallia. Modò præsenti anno transit hæc magna coniunctio ad trigonũ igneum, signumq; leonis. Est igitur eclipsis hæc ex his quæ pertinẽt ad morbos pestilentes in proprijs locis. Et anno 1484. ostẽdit aduentũ pestis Indicæ, quæ subsecuta est generalis, & inuisa nostro toti orbi. At ex uentis Austri, nõ ob id q; humidi sint, aut quia transeant per Arabiã (nam semper exitiales essent) quanquam non negauerim, cùm calidi sint & humidi, calore non cœlesti, & humido non concocto, labefactare corpora nostra, esse graues, & febribus accendendis ob putredinem aptos. Sed propriè sunt pestiferi, cùm magna multitudo locustarum mortuarum, quod ibi frequenter ac-

ter accidit, aerem corruperit: aut serpentum, aut cùm transeunt super quædam stagna aquarum putridarum, & in quibus animalia uenenosa & monstrosæ malignitatis degunt. Et quòd non sit fabula, constat pestem illam Galeni tempore ortam, quæ fermè tertiam totius humani generis partem absumpsit, initium duxisse ab arcula aurea in templo Apollinis Seleuciæ urbis prouinciæ Babyloniæ consecrata, quam milites Anidij Caßij ob auariciam aperuerunt, existimantes preciosum aliquid in ea contineri. Itaq; flantib. his uentis, & in huiusmodi constitutionibus latêre securius est, cum scire non poßimus quales habeant qualitates, alioqui semper noxij, ut de fungis inter cibos diximus. hoc autem genus celeriter agit.

Tertius modus est ex aquarum corruptione. Aliquando aquæ sunt pestiferæ, non aer, cum salutares uenti spirant: corrupta tamē est non grauiter ubiq; aquarum natura, quandoq; aquæ aerē inficiunt, & aquæ ipsæ sunt bonæ, sicut contingit in urbibus quæ sunt apud stagna & paludes, quæ tamē communi usu bibūt aquas cisternarū, aut fluminis alicuius qui alluit urbem: ut si id agant Mantua, Rauenna, Pisæ. nam hæ habēt corruptū aerem ob paludes adiacentes. Quòd si utrunq; adsit, tunc redduntur morbosißimæ. Et de his propriè agit Hippocrates in libro de Aere

Pag.4. & aquis, ibi: Quæcunq; igitur aquæ palustres.

Quartus modus est ex casibus, sepulchris, cloacis, aquis stantibus, cadaueribus in strage, cementis putrefactis, erucarum abundantia. obsunt etiam bombyces, latrinæ: in Anglia ac Belgica sordes illæ ex zetho, & impura uiuendi ratio: & ubi sunt lanionum tabernæ, ob uiscera illa animalium putrefacta: & acerui caulium putridorum, & herbarum prauarum. neque enim, ubi multa cicuta, apollinaris, mandragora, buxus, nuces iuglandes, & napellus, atque aliæ herbæ malè olentes oriuntur, crediderim aerem posse esse salubrem: imò dico, nec innoxium. In huiusmodi ergo putrilaginè uaporum aut aquæ, oriuntur pestilentes febres, cum maculis præcipuè similibus pulicum morsibus, quas dico esse contagiosas, & non contagiosas. contagiosas quidem, quia sunt ex humore putrido: sed omne putridum, ut est demonstratum, contagiosum est: igitur omnes febres quæ sunt ex aere, sunt contagiosæ. Dico modò non esse contagiosas. nam si adeò essent contagiosæ, ut ex conuersatione astantes afficerentur, ultra id quòd contingit ex aere, oporteret ualidam esse putredinem: sed ualida putredo in aere uel eius uaporib. statim interficeret. igitur huiusmodi pestilentes febres statim interficerent. Ergo tales febres sunt omnes contagiosæ: nemo tamen inficitur ex conuersatione cum talibus ægrotantibus. sicut urina nostra cum effunditur, est calida, in balneo tamen neminem calefacit: quia homines sunt calidiores quàm pro urinæ ratione. Fallit regula in his casibus. Primus, cum febris iam inualuerit, uapor ille ob caliditatem magis imprimit, quàm uapor aeris: & etiam est pinguior & densior: ideo qui uersantur cum his ægris, afficiuntur malè, qui alioqui degerent sani. Secundus est, cum in corpore fuerint humores mali, corrumpuntur humores magis quàm pro natura aeris. Et ita plurimi moriuntur in una domo, ut uidi Mediolani de quinq;, cum tamen in alijs domibus omnes fermè euaderent. uerisimile est enim, fuisse unum ex illis adeò putridis humoribus, ut alios infecerit, & ita illi periêre maiore morbo quàm qui ex aere fiebat. Tertius est, quod multi pereunt ob timorem, & cogitationem: qui si non uiderent illos mori, non solùm non morerentur, sed nec ægrotarent. Ex hoc patet, quòd non potest esse febris contagiosa ex aere, nisi in pestilentia lethalißima: quia si uehemens sit febris pestilens, ex aere non fiet contagiosa, nisi quia sit uehementior quàm constitutio: sed constitutio occîdit intra quartā diem: adiecto ergo contagio, in quāto tempore occidet? Et si occidat intra 24. horas, palam est quòd erit lethalissima.

Galenus, ut aliàs dixi, non uidetur uim hanc contagij ob hoc magnifecisse. nam aliam quæ fit sine aeris uitio, ut dixi, non agnouit. Propterea in primo de Differentijs febrium dixit: Consue- Cap.1.& 4.
tudo expirantiū fœdum odorē, ut in tabidis ac pestilentibus, non est tuta. Et addit: Quinimò magna ex parte febris pestilens incipit ex aeris circunstantis inspiratione, à putrida euaporatione infesti. Ergo huiusmodi febres si ex uaporibus incipiant, primū corrumpuntur illi humores: quia licet sint densiores, sunt tamē quietiores & humidiores, inde primum accenduntur spiritus, & fit ephemera: et ex ea concalescūt humores corrupti, et fit febris primò putrida in ichorib. postmodū in ipsis humoribus, et ita fiunt tres febres. Et si calor sit magnus, humores corrupti cū ichoribus, & illorum impetu ac tenuitate adiuti fluunt in aliquam particulam, & inde fiūt anginæ,

phrenitides, morbi laterales, pulmoniæ, atq; huiusmodi: & moriuntur ob duplicem causam. Prima, quia abscessus ille tum ob dolorẽ, tum quia, (Cap.5. in fine.) ut ostendi in Arte medendi parua, associat sibi febrem peculiarem sui generis, debilitat uires: tum quia, ut dicebat Galenus decimo Artis medendi, in abscessibus internis, iecoris præcipuè, & uentriculi. Vna salus est in robore uirium, quoniam nutrire illos non licet. quod etiam repetit in un- (Cap.21.) decimo & duodecimo. at pestilens febris, ut ui- (Cap.3.) debitur infrà, cibum & nutritionem requirit: ideoq; talia lethalia sunt, si superuenerint.

Magnitudinem autem potentiæ corruptionis aeris declarant spiritus illi tũ antiquitus celebrati, Plutonius in Phrygia iuxta Hierapolin, & nostra ætate etiam iuxta Agnani paludem inter (7. Aeneid.) Neapolim & Puteolos celebratũ illud Virgilij:

Hic specus horrendum, & sæui spiracula Ditis,
Monstrantur, ruptoq; ingens Acherõte uorago
Pestiferas aperit fauces. —

Amsanctum uocauit uetustas, id est undique sanctum ac deuotum. in bonam enim ac malam partem ex æquo accipitur. Neq; tamen aer generaliter ob motum ita corrumpi potest, & maximè media uia torrida, ut totum genus hominum sanguineorumq; animalium corrumpi possit. An uerò putrescere possit, dictum est unde- (Contrad. 75.) cimo Contradicentium. Ex aqua autem aut communibus cibis fiunt morbi etiam communes, iu- (Sec. 4.) xta illud secundi Epidemiorum: In Aeno ex as- » siduo leguminum esu, fœminæ & masculi cru- » rum impotentes facti sunt, ac permanserunt. Sed » & his qui eruo uescebantur, genua dolebãt. Ad hoc etiam genus reducitur, quæ ex fame contingit pestis, tum quia in illa humores aduruntur, tum quia homines edunt agrestes herbas. Et di- (3. Thaisir. Tract.3.) cebat circa hoc Auenzoar, quod etiam aliàs recitaui, homines in fame eruisse ossa à sepulchris (quod nescio an credam) & extractis medullis deuorasse illas, confestimq; interijsse. Corrumpunt igitur cibi mali omnes humores, sicut uenenum, & iecur inficiunt, & uenenum illud ad cor præreptat, & interficit: non tamen adeò celeriter, ut aer. nam aer potest interficere in momento, cibi autem in hora una uel duabus. Et in aere nõ corrumpitur color corporis: & si euadunt, quod rarò accidit, remanent sani: at illi remanent oblæsi toto tempore uitæ suæ. Et de hoc (Cap.ult. lib.3.) agemus infrà. Et morbus qui propriè relinquitur, est regius morbus, ut dicemus.

Aer autem in genere quadrifariam corrumpit spiritum nostrum, & interficit. Primus modus est frequens, cum fuerit plenus malis uaporibus corruptis, ex quibus afficit spiritus cordis & cerebri. Secundus est, cum ipse est motu priuatus, & ideo non purgat cor neque cerebrum: atque id contingit, cum fuerit ob longam quietem concretus, & factus craßior. Tertius est, cum fuerit calidus immodicè, aut frigidus, sed etiam siccus atque humidus. In omni casu corrumpit spiritus & uitam, & parit simile quiddam pesti: & non est pestis uera, nec contagio ulla participat. Quartus, cum est corruptus aut putridus omnino, & hic est deterior omnibus, & contagiosus modo dicto superius, quemadmodum etiam qui à uaporibus corruptis infectus est.

Plura de his aliàs dixi in libris de Subtilitate, tum alibi: sed nunc quæ opportuna sunt huic loco, & ad ipsum reseruata, adijcere decreui. Vtrum res casu an consilio constent & naturales & humanæ, alibi disputatum est: atque summa eorum fuit, consilio regi omnia, sed casum esse in materia. Verùm an casus ille etiam subijciatur consilio, dubium cum magis esset, determinatum est, quasi sub consilio generali esse. Itaq; aerem & aquam putrescere, & cõsilio quidem necessarium est, quoniam eorum natura talis est, & casu, ut hoc uel illo tempore contingat. Cæterùm quæcunq; transmutantur, trifariam transmutantur: uel à ui cœlesti ad finem rectum omnia dirigente, ut cum ex semine & sanguine fit animal: uel à ui caloris, ut cum per raritatem aut densitatem ex aqua fit aer: aut cum marcescit, putrescit, corrumpitur, ut in præsenti narratione propositum est. Est autem hic calor, cum definit uterque primogenius: cœlestis, qui generat: & ab eo uiolentus, qui exurit. putrescere enim quicquam ab altero eorum non potest. Corrumpuntur ideo minuta animalia, & ab humana natura non aliena, ut oues, sues, in aquarum & aeris putredine. Et loca ob id non perspirata, & silentia magis, quàm perflata & excelsa: & quæ nec calida sunt, nec frigida uehementer, & humida, quàm sicca. Et aeris pestilentia duplex est, unius regionis, & totius continentis: aquæ autem nunquam est generalis. Et aquæ tardius occidit, & difficilius sanatur quàm aeris. Et aeris forsan nunquam à memoria hominũ uisa est: quæ uerò est à uaporibus, serpit, & breui temporis spacio ex regione in regionem. ut in peste sub Antonino, philosopho appellato, Imperatore, & anno Domini M C C C X X X I X. Quòd si ita est, à plurimo uapore, & maximè fœdo,

fœdo, maxima fiet pestis, plurimus autem uapor ab humido loco, ut in stagnis, et cum multum pluit: et à maximo calore, ut cum sol prope nos est, & post longas pluuias, nullæ sunt nebulæ, nullus decidit imber, plurimaq; putredo generatur: uelut cum nullis uentis perflatur aer. Atque hæc
1.Probl. 21 fermè est sententia Aristotelis. Quòd si ad has tres causas accesserit quicquam quod putredinem possit exacuere, fit uiolentissima, uelut serpentes, locustæ, cadauera, herbæ maleficæ. Ferunt, nescio an credam, aliquando serpentem in Tyberis latitantem ripa, Romæ excitasse pestem, idq; diui Gregorij ætate. Difficile hoc est, quoniã pusillus efficere non potest, magnus ueneno lethali caret. At in magnis siccitatibus contingũt huiusmodi, exhausta à sole terra, cum turbulentus quasi aer est. Itaq; ualles persæpè peste laborant, dum montium cacumina sunt saluberrima: sed si eò serpat, nunquam licet diuturna obuẽtos, uiolentissima et acutissima, ut dicitur, esse solet. Perimit & inuadit non uno modo: alia cum tussi, alia cum sanguinis modici sputo: quædam cum sternutamento, quædam cum dolore, abscessu, fluxu alui, uermibus, cordis palpitatione, insania, milleq; alijs modis. sic nonnulli sunt qui fame conficiuntur, alij siti, alij sudoribus, alij absq; manifesta causa concidentibus uiribus.

Sunt qui in dæmonas & iras deûm retulere. primũ, quod non contingant strages sine Dei prouidentia, qui eiusmodi etiam per signa antea ostendere uideatur: inde etiam, quod persæpe solui uideãtur sacrificijs potius quàm humana ope. Pestilentiam Dauidis ætate Hierosolymis sedauit angelus, gladium uaginæ intrudens. Romæ Aesculapij simulachrum, cum serpente è Græcia auectum. Exaudiuntur uoces inconditæ in triuijs: omnes religio tenet eo tempore. At ego nigram bilem eo tempore in hominum corporibus abundare scio, quæ huiusmodi ostenta demonstret: at etsi antea appareant, huiusmodi clades sequi consentaneum est, & in longa fame. Diuinam itaq; ultionem suo loco sino: sed cum euadere uiros improbos, perire pauperes, timidos & intemperatos, tum mali habitus uideam, tametsi alioqui pios, cogor existimare, plerunq; hæc, ut reliqua, à naturalibus causis proficisci. Verùm hæc ita gubernante Deo, ut in eadem incidant tempora, in quibus indicio diuino ob impietatem plectantur improbi. Cæterùm acutiores fiunt in posterum, quàm iam ducentis annis, quoniam magna coniunctio ignea signa peragratur: ut uerò in parte horum elementorum uitium accidit, non iam pestis appellatur, sed uenenum.

DE FEBRRIBVS VARIIS, ex corruptione eorundem. Cap. X.

Ergo ex horũ corruptione fiunt uarij morbi, atq; omnes pestilentes, non tamen omnes perniciosi. hoc enim infra declarabitur. ubi autem fit hæc putredo? Galenus sentire uidetur, Cap.28 quòd in corde: adducitq; duas rationes. Prima, urina in his est bona, igitur iecur & uenosum genus affectum non est: cum ergo breui intereat æger, necesse est ut cor afficiatur. quod etiam sensit Princeps prima Quarti. Secunda, pulsus Tertio de Præsag. ex pul. cap. 4. parum recedunt à naturali statu, cum tamen æger tendat ad mortem, & cum febriant contenta, aut substantia cordis est calidior. Ergo si contenta sunt calidiora, cor est tanto frigidius: aut si cõtenta sunt frigidiora, cor est tanto calidius: igitur febris hæc per essentiam est in corde. Hũc Tract. 40. oppugnat Fracastoreus in opere de Cõtagio: & Cap. 2. adducit duas rationes. Prima est, si putredo esset Lib. 20. Cap. 3. in corde, statim occideret, cum multi ad septimã diem euadãt, longè plures ad quartã, aliqui ultra septimam, & ex his quidam etiam sanentur. Secunda, si hectica aliqui interirent breui, omnis hectica esset insanabilis & breuis. Respondeo, quòd illa putredo licet ratione subiecti occupet totum cor, non tamen est perfecta & extrema, difflantur etiã partes: ideo, ut ostensum est, possunt nõ solùm supuiuere aliquot dieb⁹, sed etiã sanari. Ad aliã: hectica illa nõ est hectica, ratione caliditatis et siccitatis in subiecto solido, sed subiectũ est solidũ, qualitas aũt putredo ideo una est insanabilis, et citò perimit, ut suprà ostensum est: alia aũt diuturnus est morbus, & etiam sanabilis. Ideoq; in hectica pestilẽti idẽ est morbus cum subiecto, scilicet substantia corrupta: in hectica alia, calor & siccitas non sunt substantiæ, sed qualitates. Est etiã febris alia in spiritibus ephemera putrida, quæ occidit intra 24 horas, et est frequens in Anglia, & Gallia Belgica: ut febris pestilens non species sit, sed genus: & sub ea, quemadmodũ sub alio genere, tres sint species, quæ in solidis, quæ in humoribus, & quæ in spiritib. Et ppriè in hac somn⁹ ut minus est necessarius ob breuitatẽ, ita est perniciosissimus. Solet in hac febre sentiri dolor in parte aliqua corporis, qui est quasi quidã fluxus ex spirituũ corruptione. Sũt quoq; ex putridis his quæ in humoribus, aliæ quæ maculas secũ habẽt, aliæ autẽ sine illis.

Porrò cum putredo in humoribus accenditur, &

tur, & per se occidit, solet pestilens ab omnibus appellari: sed sunt quæ occidunt cum alui fluore, aut laterali morbo, aut angina, & similibus: & has uocant fluores alui pestilentes, aut morbos laterales, aut anginas. Est tertium genus, cum usq; adeò latitat uis pestifera, ut tanquam morbo speciei causa mortis tribuatur: atque eo magis, si plures sanentur: quemadmodum ter-
Ante med. tio Epidemiorum in constitutione pestilenti.

„ Erat autem constitutio febrium ardentium hoc modo: Ab initio soporosi, anxij, horridi: febris acuta, non ualde siticulosi, non deliri. De naribus parum stillauit. Exacerbationes plerisque diebus paribus. Circa exacerbationes obliuio, exolutio, & uocis priuatio. Extremitates manuum & pedum semper his frigidiores, præsertim circa exacerbationes: & rursus tardè ac nō bene recalescebant, rursumq; intelligebant & loquebantur: detinebat etiam ipsos sopor continuus, non somniculosus, aut uigiliæ cum doloribus. Plurimis horum alui turbulentæ, secessibus crudis, tenuibus, multis: urinæ multæ, tenues: nihil neque iudicatorij neque boni habentes. nec uerò aliud aliquod iudicatorium ita habentibus fiebat. neque enim sanguis bene erumpebat, neque alius aliquis consuetus abscessus iudicatorius fiebat. Moriebaturq; unusquisque prout contigit erroneo modo, plerunq; circa iudicationes: quidam uerò diu uoce priuati, multi sudantes. Et his quidem qui perniciosè habebant, hæc accidebant: consimilia uerò etiam phreniticis. Sine siti autem hi erant. Neque quisquam phreniticus insaniuit, uelut ex alijs, sed alia quadam mala ac lenta in somnum delatione grauiter peribant. Hos ergo morbos uulgus non putat esse pestilentes: sufficit tamen Hippocrati, ad hoc declarandum connumerasse eos in constitutione ipsa. Nam Hippocrates inscripsit eam pestilentem constitutionem. Moriebantur autem huiusmodi ægri ex corruptione partis tenuioris humorum non perfecta, quia erat in ichoribus magna ex parte, & cum exhalatione. nam febres illæ erant compositæ ex ardentibus ualidis, & leuiter pestilentibus: & erant abscessus cerebri
3.in 3.Epid. Com.45. fermè in omnibus. Quamuis Galenus locum exponens, non meminerit abscessuum, sed uoluerit collectionem esse crudorum succorum. Contingunt & in huiusmodi febribus uermes, licet cum putredo calorem coniunctum non habet, illos non generet. Propterea dicit Galenus ter-
Com. 26. tia Aphorismorum: In puerulis uermes non generantur, quia calor non uiget. Sed quomodo calor uigere non potest uigente putredine? Respondeo, quòd hoc contingit, quia materia est in cauitate magna, ideo plus exhalat quàm accendatur. Alius modus, cum putredo fit in longo tempore, potest esse magna, & calor paruus.

SECVNDA DIVISIO VENENI, IN CONTAGIOSUM & PROPRIUM. CAP. XI.

MOrbus contagiosus ex putredine fit, atque ea duplici, ut dictum est: in pingui, tum aqueo humido. Et qui in pingui humido, contagiosus est euidenter, dicitq;. At in aqueo contagiosus est. quia tamen quod aqueū est, non ualde putrescere potest (exhalat enim) & tenue cum sit, ideoq; hærere parū potest, ob id putredo in aqueo, qualis omniū communiū febriū, tametsi contagiosa sit, minimè tamen talis dicitur. omnem aūt putredinem contagiosam, & quanto uehementior sit, eo magis etiā esse contagiosam: & omne etiā contagiosum, putridū esse, hac demonstratione accipe. Putridum enim est, in quo natiuus calor ab externo corrupto humido proprio exhalat, ut suprà uisum est ex Philosopho. Cap.7.
At omnis calor cū motu est (declaratū enim est ibi, q. quæ iam putruerunt, et finē motus accepere, non amplius putrent) ubi ergo magnus calor, ibi motus uehemns. etenim calor in his inferioribus uel à motu est, ut à cœlo: uel cum motu, ut naturalis, igneusq;, tū putridus. Vbi igitur putredo uehemens, ibi motus uehemens. at in omni motu est hoc propriū, producere sibi simile: ignis ignē, aqua humectat: putridum igitur uehementi motu cum habeat calorem alienū, quod pulsat putre facit: & eo magis, quo uehemētius, densius, plurimumq; fuerit quod secernitur: hoc aūt in humido pingui, quia plurimus uapor segregatur, & densus, & maximè putret, quoniā parū exhalat, ut etiā apud ignem. Quod etiā uidit Galenus primo Cap. 14.
de Simplicibus medicamentis. Quo fit, ut quæ putrent maximè, etsi pinguia sint, maximè sint contagiosa. Secundo loco, quæ nō adeò putrent, sunt tamen pinguia, atq; huiusmodi sunt ut in elephantiasi, Indica lue: uelut primi exemplum est febris pestilens. Tertio loco, sunt ualde putrida & aquea, cuiusmodi in impetigine & utiligine (nam in psora, lepra, scabie, aliquid etiam tenuis pinguis commistum est) non enim stare crustas faceret. nam tosta in sartagine, ex pinguibus crustas manifestè faciunt, si aqua sola adhibeatur: etiamsi triduo torreretur, crustas non faceret. Plus ergo facit materiæ natura ac genus, ut quod pingue sit ob densitatem, & quia

& quia plurimum ſecernitur, & quia magis hæret, & quàm putredinis magnitudo, in aqueo humido. Ob id ergo in febribus uerè peſtiferis, ualdeq; peſtiferis, nihil ſecernitur præter uaporē ipſum: quæ autē ſe cernūtur, ſunt iuxta magnitudinē febris cōiunctæ cōmunis, quæ in ichoribus accēſa eſt cū peſtilēti. Inde colliquatio nō unius caloris aut febris ſignū eſt, ſed uehemētis febris, communis, in ichoribus coniunctæ cum peſtilenti. Non ergo fiunt febres quæ colliquent citra peſtiferam qualitatem & putredinem, neq; citra uehementem calorem alterius febris cōmunis: quocirca in peſſima putredine & febri peſtilenti nec ſudor nec aliqua ſecretio apparet. Omnis igitur peſtilens febris contagioſa eſt. Sed & ſi contagioſa ſit, febris putrida ut ſit neceſſe eſt. nam calor ſimplex non poteſt hærere niſi ſubſtantiam habeat annexam: at febris ſimplex non poteſt ſubſtantiam humoris diſſoluere, nec in halitum digerere, quare nec contagioſa eſſe. in omni enim contagione neceſſe eſt tam diu ſubſtantiam ſubſtantiæ miſceri, donec eam corrumpat: iccirco contagioſum eſt ſolùm, quod putridum eſt. Tria igitur hæc, peſtilens, contagioſum, putridumq;, conuertuntur, ut non ſit unum abſq; alio inuenire. Cum uerè ſermo demonſtratiuus, ut Auerroes dicebat primo & quarto Phyſicorum, doceat, diſſoluatq; omnes difficultates ac dubitationes, quæ circa tractationem contingere poſſunt: idcirco ex his quæ iam diximus, reliqua de contagio declarabimus.

Com.71
Com.31.

QVAESTIONES ET PROblemata de contagio. Cap. XII.


ERgo nil mirū primò eſt, ſi etiā in arcis, necdū linteis, peſtis ſemina per multos annos, nō ſolū menſes, & phthoes & ſimiliū ſeruentur: uapores enim illi ex humido pingui conſtāt, & cōcreti, ut apparet experimento, in ipſum conuertuntur: ideo etiā ſi oleo quopiā odorato tabula inungatur, per multos menſes odorē ſeruabit: & ſi ualde pingue ſit, etiam in annos. Eadem igitur ratio & de peſte, cæteriſq; contagioſis illuuijs. Diutius etiam hæc quàm odores: quoniā peſtis, ut declaratū eſt, fundata eſt in ſubſtantia calida & humida, & odor calida & ſicca: hic etiā plerunq; in tenui, illa in craſſa: quo circa odor celerius quàm contagioſus uapor ſoluitur. Vnūquodque autem genus ſuam originē non minus quàm infectorum ſeruat: ideoq; hic uapor propagatur in oues, non homines: in boues, non oues: in pulmones alius, ut tabidorum: in cutim, ut ſcabiei: in oculos, ut ophthalmicorū & lippitudinum. diuerſa enim ſunt, & è genere peſtilentium, ut tertio Aphoriſmorū dicemus, et de hoc infrà. De his 11. & 12.
ergo quæ rariora ſunt ſubſtantia, quod duriora non inficiant: tum etiam de proprijs unicuique membro, cauſam docuiſſe difficile nō eſt. At uerò cur, gratia exempli, uapor ex boue oues non inficiat, tenerioris ſubſtantiæ: & ex corde non inficiat neq; oculos, neque pulmones, neq; cutim: quanquam ad uulgatā illam ſympathiā recurrere liceret. Reſpōdeo, q uapores cordis, ut habent inæqualē (exempli gratia) proportionē in calore ad ſubſtantiam pulmonis, cum proportione putredinis ad eandem ſubſtantiam: & ideo cum ex proportione cordis ad cor ſequatur putredo, igitur ex proportione cordis ad pulmonem non ſequetur. Et ita de alijs. demonſtrauimus enim alibi in hoc Opere, quòd putredo non agit niſi ratione caloris ſibi coniuncti. Ita uidemus, quòd malum macianum adhærens malo maciano corrupto, celerius putreſcit quàm ſi cotoneo: quamuis ſubſtantia cotonei denſior ſit quàm mali maciani. Ex hoc ſequitur, quòd non omne contagium eſt lethiferum, utpote lippitudo & ſcabies: et hoc ob duas cauſas. Prima, quia membrum quod ſuſcipit, non eſt uitæ neceſſarium: ſecunda, quia modus ac menſura putredinis non eſt tanta, ut poßit deducere ad mortem. Et ſi contagioſus morbus in proprio ſubiecto non poteſt perimere, quanto minus in alieno? Sed & hac ratione neque ſub ardore feruidiſſimæ æſtatis, nec ſub profunda hyeme propagatur peſtis. calor enim ille immenſus diſſoluit fomentum putredinis, & abſumit humidum pingue: & frigus acre hyemis, prohibet diſſolui ſubſtantiam putridam, & eleuari uapores. ideo his temporibus non propagatur peſtis. Et ſimiliter ſi febris ſit ualde ardens, conſumit putredinis ſubiectum. Ex hoc etiam patet, cur pléraq; uenena ebibita non ſint contagioſa (nam occîdunt ſine putredine, ut uiſum eſt) ſed ſolum quod putridum eſt, eſt contagioſum: ergò talia uenena nō ſunt cōtagioſa. Quæ uerò uenena dicuntur à Galeno putrefacientia, nō rectè appellantur: ſed corrumpunt ſolùm, quia in his exhalat humidū, atq; ob id non ſunt contagioſa: longo tāmen tēporis tractu, et prope mortē quædā ſiunt contagioſa, quia non difflantur, refrigerato calore. In morſibus autem quia adeſt maior putredo, & maximè malè olentium ſerpentū, ut de dryino, propagatur, & fit contagioſum. Ex quo patet,

patet, cur multi morbi Epidemij non sint contagiosi, quia sunt citra putredinẽ: qui autem sunt ex putredine uaporum, necessariò sunt contagiosi,
Probl. 7. ut prima Problematum, non tamen ualde contagiosi: quia si essent ualde contagiosi, esset magna putredo in uaporibus, sed uapores ualde putridi statim occiderent. Ergo sola pestis ualde exitialis ex aere, est manifestè contagiosa: reliqua genera sunt contagiosa, sed non ualde. Animal quoque mortuum refrigeratum non potest esse contagiosum, nisi ratione pellis aut uestimentorum, quia refrigeratum nihil exhalat: partes tamen illæ pingues si incalescant, exitium afferunt. Quæcunque igitur corpora calida sunt & humida & immunda, aut etiam dicebat Galenus
Cap. 6. primo de Differentijs febrium, sunt parata putredini, ideoq; contagio: ut contrà, frigida, sicca, munda. Itaq; senes magis sunt remoti à contagio, quàm iuuenes: & iuuenes pueris, et masculi fœminis. At dices: si contagium est cũ putredine, & putredo facit febrem, & omnis morbus pestilens est cõtagiosus, erit omnis morbus pestilens cum febre: at hoc negare uidetur Hippocrates, tertio
Habetur Sec. 3. Tex. 60. Epidemiorum. Respondeo, quòd ibidem declarat de quibus intellexerit, cum dixit: Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa, atque ipse mor-
Tex. 55. bus multis erupit citra febrẽ, & in febre. Tormi
» na cũ dolorib. malignæ itẽ reuolutiones: multorũ
» quæ in corpore inerant, suppressaq; erant, exi-
» tus: quæ autem exibant, dolores non soluebant,
» multæq; erant corporis partes affectæ. Quibus ergo putredo uiget aut in extremis corporis partibus, & à corde remotis, aut in cauitatibus internis, magnis, ut uentriculo intestinisq;, quæ parùm ad uenas attinent: aut si, dum fit, putredo statim euacuatur: non est necesse consequi febrem. & tamen morbus poterit esse non solùm pestilens, sed etiam lethalis. In elephantiasi etiã, quamuis non extat humor, & sit in uenis, & sit pestilens & lethalis, non tamen adest febris: quia est corruptio, & non perfecta putredo. Sequitur etiam, elephantiasim non esse carcinoma
Lib. 4. cap. 1. in prin. 3. Quarti Tract. 3. cap. 1. uniuersale, etsi hoc dicat Paulus Aegineta, & Princeps. nam carcinoma contagiosum non est, elephantiasis autem ex maximè contagiosis est. nihil igitur elephantiasi cum carcinomate: sed potius elephantiasi Indica lues est persimilis, & utraq; tamen febre persæpè caret, quoniam fit separatio, & ideo refrigeratio, atq; ob id perfecta putredo absolui nequit. Sequitur etiam febrẽ contagiosam esse minoris putredinis, quàm factam ex aere. nam licet nunquam contagiosa sit, ut dixi, quia utraq; cum putredine: quia tamen quæ est ab aere uel uaporibus, est parũ contagiosa, erit etiam parùm putrido ex humore. sed quæ ex maiore putredine est; seu bubonia, nõ est multum calida, nec euidens: tum quia siccitas est lima caloris, & febris putrida est à calore humido, ergo non multùm acuto. Item, quia si calor esset magnus, consumeret humidum: ergo non fieret magna putredo. Ob hoc febres omnes contagiosæ, specie omnes sunt ualde mites. quandoq; tamen accidit, ut febris contagiosa sit etiam ardentissima: & hoc est, quoniam ab initio ichores etiam accenduntur: & ideò apparẽt urinæ turbidæ, & fiunt abscessus fluente materia. Sed sunt duæ febres. Febris etiam maculosa magis affligit nobiles & diuites, quoniam iungitur febri ex ichore bilioso: potentes autem ob cibos odoratos & calidos, & uina potentia, curas, libidinem, luxum, oua, carduos, farcimina, plus generant bilis, ideo magis subijciuntur febri maculosæ: illa uerò alia magis fit ob contagium, quo facilius prehenduntur pauperes ob immundiciem, loca occupata, & reliqua incommoda. Sunt etiam ex contagiosis hæreditarij, & non hæreditarij: & ex hæreditarijs contagiosi, & non contagiosi: contagiosi breues, ut pestilentes, non possunt esse hæreditarij. Homo enim prope mortem constitutus, quomodo potest generare: nec etiam fortuiti, qui adueniunt ex constitutione, quia non possunt uitiare membra generationis. At longi etiam cõfirmati uitiant semen, ideo sunt hæreditarij: sed quia aliqui ex his debilitantur, generant dispositionem sibi dissimilẽ, ut pediculi, lendes. Sed cum fuerint ualidi, generant similem prorsus morbum. Hæreditarij autem omnes putridi, contagiosi sunt, propterea podagra contagiosa non est. fit enim à cruditate, ut demõstraui in libello de Dentibus. Ex hoc patet, quòd podagræ duo sunt genera, cum putredine, quod est difficillimum. non enim potest finiri nisi sedata inflammatione, ut dicebat Hippocrates sexta Aphorismorum: sed non potest sedari in- 47.
flammatio, cum est cum putredine, nisi concocta materia: igitur hoc genus podagræ propè est insanabile. Vtrum uerò morsus & ictus uenenosorum sint contagiosi, dictum est quòd sic, in aliquibus, ut in dryino: sed & in cane rabido. qui rabidi fiunt, homines mordendo rabidos etiam efficiunt, ut affirmat Dioscorides in sexto, & Cap. 26.
Princeps in Quarto: ubi docet, quòd non solùm Fen. 3. Tract. 4. cap. 7.
canes, sed mustelæ, uulpes & muli rabiẽ morsi contrahunt: sed & lupi, & equi, & alia etiam.

non

Cap. 6. *non tamen scio animal quod occidat, præter canem & lupum, quia sunt eiusdem speciei, ut de-* 9. de Subtilit. *claraui aliàs.*

Quomodo autem simile à simili generetur & augeatur, quemadmodum de fimo columbi- Cap. 2. *no dixit Galenus libro de Causis morborum,* Cap. 5. *& repetit in primo de Differentijs febrium, licet euarient inter se exempla illa: in hoc tamen conueniunt, quod ex calido accendebatur, & citra aliam causam aut antiperistasim. Dico igi-* 4. Meteor. *tur, quòd ut uisum est superius ex Philosopho:* cap. 1. *Putredo fit à calore externo. ergo quod putrescit, incalescit. Verùm ubi causa permanet, actio omnis intenditur. Et sit a ignis, qui in una hora accendat b lapidem, dico quòd in secunda hora accendat plusquã c, quia in prima hora calefecit etiam c. igitur c minus resistet in secunda hora, quàm b in prima: igitur ex Aristotele* Cap. 8. *quarto Physicorum, citius quàm in hora accendetur e, & in una hora plus quàm e. In motu etiam (omitto experimentum clarum de naui, quæ uix mouetur à uento in initio, & pòst eodem à uento celerrimè mouetur) sit ut a moueatur ex b in c in hora, dico quòd in alia hora mouebitur plusquam ex c in d. Nam cùm iacimus lapidem, uis illa deperditur sensim, & tamen motor abest: quanto magis si a mouetur ex b in c per singula momenta, retinet aliquid prioris uis? seu sit in motu a, seu in aere circumstante. nihil enim potest subitò desinere, ut neque oriri & fieri. si igitur supra uim relictam motus ex b in c accedat tanta uis, quanta fuit ab initio in a, a mouebitur celerius, & maiore cum ui: quod est propositum. Ex hoc patet unum parergon, sed tamen notatu dignum: cur omnis motus natura-* 1. Cœli. cap. 8. *lis sit uelocior in fine quàm in principio. Moueatur ergo a ex b in i, & quoniam quod mouetur, & quod mouet, est idem semper, augebitur uis motrix: igitur a semper uelocius mouebitur. Cùm igitur quod putrescit, incalescat ab externo calore, ut uisum est: & calor rarum faciat, ut ex raritate fiat motus: necesse est ut ad unguẽ, quemadmodum in igne calor, flamma & motus perpetuò incalescat in putredine, licet obscurius: & hoc modo causa non deficiat, aut partes calidiores exhalent: aut fomes, quod est humidum, absumatur. In omni igitur febre, qualiscunq; sit, innatum est incrementum per se: licet aut per euacuationem educto fomite, aut apertis meatibus, & difflato spiritu, aut per frigiditatem superuenientem, possit contrarium contingere, & extingui etiam, ut sæpe accidit. Ex hoc possunt deduci multa corollaria ualde utilia, utpote quòd omnimodò transpiratio & quies sint procuranda in febribus: rursus, quòd extincto semel calore, totius febris decursus abrumpitur: & huiusmodi, utpote quòd omnis febricitans est in aperto uitæ discrimine.*



Sed illud iure merito admiratione dignũ, cur canis rabidi morsus, postquam patiens iam in rabiem deuenerit, efficiat ut alios mordeat: & qui morsi sunt, & ipsi rabiosi fiant. Et qui ederint reliquias cibi, uel potus biberint, rabie corripiantur: nec quicquam melius in hoc, quàm quòd ubi iam laborare cœperint, statim desinunt edere & bibere, in alijs morsibus ictibusq; non ita? An quoniam canis magis similis est homini serpentibus, ideo rabies contagiosus est morbus, cùm quasi pestis quædam sit. Simile enim à simili, per similes affectus & substantias, generatur.

DE QVINQVE PARTIbus nostri corporis, quibus maximè contagium communicatur.

Caput XIII.

PRopagantur autẽ maximè contagia quinq; modis, communi scilicet per aerem attractum, non solùm per os, sed per oscula arteriarum, diffusa in ambitu totius corporis: ut nono Methodi, & primo de Differentijs febrium. Et Cap. 1. Cap. 3. *hic est celerrimus, eoq; modo communicãtur omnes morbi, cordis, pulmonis, pectoris, & cerebri. Sed cordis minus quàm cerebri, & cerebri minus quàm pectoris, aut æqualiter: pulmonis autẽ maximè, quia primus occurrit aeri. Et licet uideantur morbi cordis magis contagiosi quàm cerebri, contingit hoc per accidens ob pulmones, qui facilè afficiuntur, cum his affectis etiam cor facilè patiatur. sic ergo phthisis communicatur. Secundus est per concubitum, quo morbi diuturni qui totum corpus occupant, cum putredine communicantur, ut elephantiasis, & lues Indica, ob seminis retentionem. Febris enim licet sit morbus communis toti corpori, non tamen causa est communis, sed pars ichoris tantùm corrupta est: & corruptio illa est potius ignea quàm putredo. Tertius est ex communi cibo, ac magis potu, quo morbi qui saliuam inficiunt, communicantur: phthoes, iterum aphthæ, tusses, ac huiusmodi. Quartus,*

P [illegible] per

per contactum, & per lintea uestesq; infectas, quo omnes morbi cutis inficiunt sanos: ut elephantiasis, lepra, scabies, pediculi, lues Indica, & quam uocamus capitis tineam: impetigo etiam, sed minus, quia est ab humore frigidiore et sicciore. Quintus est, cùm per radios contagiũ propagatur, ut in ophthalmia & lippitudine: neque enim sunt prorsus idem. nam constat huiusmodi morbos ex fixo intuitu cõmunicari, & ideo Fracastoreus credidit eos propagari per radios. nam si propagarentur per uapores, nil obesset fixus ille intuitus. sed non est uerum: radij enim cùm sint immateriarij, non possunt esse causa per se morbi: at hic uidemus quòd sunt morbi causæ per se, quia idem fit à suo simili, & lippitudo à lippitudine, & sicca à sicca. Igitur generatio horum morborum fit à uaporibus, non à radijs. Causa autem quòd magis propagetur ex intuitu fixo, est, quoniam oculos magis aperimus, ideóque etiam magis excipiunt uapores.

Modus aũt ille, cõsensus ex fœdis linteis cùm carnes tanguntur, est ualde communis omnibus. nam pestilentes & phthisij morbi, & elephantiasis, & Indica lues, & scabies, & lepra, & morbi ex contactu hominem inficientes, & lippitudo, si quis oculum fricet linteo lippientis, aut pectat caput pectine laborantis tineæ, & breuiter omnibus modis præterquàm tertio, inficitur per lintea. Pestis autem omnibus modis, ut quæ putredinem secum habeat maximam, & calorem tenuem communicatur. Itaque dormire in lecto, in quo laborans peste dormierit, non solùm maximum affert periculum: sed etiam in Indica lue, si non lintea lixiuio de more integrè fuerint expurgata. Tot igitur modis homo cum homine participat. Verùm in huiusmodi plerique morbi contagiosi pluribus quàm uno modo communicantur. nam lues Indica & edendo, bibendo, dormiendo, non solùm concubitu ex uno in alium transmigrat. Et tabes & pleraque alia, ut tutißimum sit non uersari cum huiusmodi uiris: quod & Moses

Cap. 13. prouidit in Leuitico. At contagium ex Venere, ut magis hæret, ita non tam facilè concipitur, ut si proluatur locus ad aliquot horas, non communicet. leuis enim est putredo. Quæ uerò facillimè concipitur, & citò perimit, & citò sanatur. Hæc igitur quatuor in unum conueniunt: communicari, augeri, perdere atque sanari. At certißimè inficiunt, quæ materiam præbent, & intus ingrediuntur, uelut quæ concubitu & quæ saliua contagium afferunt: non ita quæ spiritu, aut inspiciendo, aut linteis & sordicie externa propagantur. Omnibus autem commune est, non communicari à robustis corporibus, densis, multo exercitio assuetis, mundis, ac temperatè uiuentibus. Et si naturarum sit dispar ratio, ut rarò inter homines & aues, aut canes aut equos. Ea ratione à senibus omnes ætates contagio afficiuntur, & infantes ab omnibus ætatibus: ut contra infantes aliàs uix attingunt, nisi propinquitate sanguinis (hæc enim plurimum potest) & senes à nullis. Sic à masculis fœminæ, à fœminis non ita masculi afficiuntur. Iuuat & regio, & tempus anni, & constitutio, si pestilens fuerit, aut non: si æstas uel hyems, aut contrà autumnus uel uer. facilius enim communicantur & graui tempore & humido: & magis in uallibus quàm planicie, magis'que in hac quàm montibus: & si quis sordidè uiuat. Et timidi, dum imaginantur, facilius corripiuntur quàm fortes, & de rebus altioribus cogitantes. Et quædam horum inficiunt humores primùm, alia spiritus, alia membra, sed rarò.

DE FEBRE BVBONIA, & in quibus rebus potisisimè communicetur.

Cap. XIIII.

Febris bubones consequẽs pestiferos, duplex est. alia quidem, quæ bubones propriè sequitur: alia, quæ carbunculos, cuius memorabimur infrà. At bubones huiusmodi tum cũ in omnibus partibus corporis fieri soleant, maximè tamen, inquit Princeps, sub alis, post aures, & in inguinibus. Et qui sub alis, peiores sunt omnibus. nam Lib. 3. cap. 21. in fine. 3. 4. Trac. 1. cap. 17.
cor laborare principaliter indicant: deinde qui post aures, quos uocamus parotides, & fiunt à cerebro: qui uerò in inguinibus, à iecore. & plures ab his liberantur, quàm ab alijs: & si non liberentur, serius pereunt. Et fiunt bubones in omnibus etiam alijs partibus. Mater enim mea dũ esset puella, passa est bubonem prælongum in mento: quo execto euasit: & mansit cicatrix caua, donec uixit. Mundo Buzachareno apparuit anthrax sub genu dextro, & obijt in quarta die. Et apparent in pluribus locis, simul cum materia fuerit multa: & ob id securius est, quod est unum & procul à membris principalibus, magnum & rubrum, aut nigrum uel album,

non uiride uel cæruleum, aut luridum. Nam cum sit unum, non significat tantùm materiæ, ut non potuerit euinci à natura, sed coacta sit eã spargere: & quoniam est procul à membro principali, significat uim illius ualidam. Et licet magnitudo significet multitudinem materiæ contentæ, est tamen securius magnum ob id, quoniam significat nil esse relictum, quod nõ transmissum sit à natura ad locum, & maximè cùm cessauerit cum hoc febris. Et colores albi sunt suppuratæ materiæ, & rubri sanguinis puri, aut cum bile minus mala misti: & niger, finem actionis & exustionis: qui cùm sit in extremo corporis, non significat nisi prauitatem ulceris, non periculum. at luridus & uiridis & cæruleus, symptomaticam fuisse expulsionem scilicet, uigente maximè materiæ prauitate, & adhuc ueneni qualitate dominante.

Communicatur autem morbus hic omnibus modis, atque statim ac periculosissimè spiritu ipso. Sed & commercio, cuius etiam meminit Aristoteles prima Problematũ: unde demiror Galenum, qui tanto pòst floruit, nec uidetur huiusmodi pestem plenè agnouisse, ut in primo de Differentijs febrium. Verba Philosophi hæc sunt: Cur morbus pestilens solus ex omnibus uitijs eos afficiat, præcipuè qui ad laborantes eo morbo propè accesserint. Quanquam cũ de hoc in cõsilio de Constitutione temporum egerim, nunc satis sit modos contagij enumerare. Primus ergo est ex aere circumstante, non solùm qui per os trahitur, sed, ut dixi, per arterias in ambitu totius corporis: ideo non sufficit continere spiritum, nec quod plurimi faciunt, ori apponere spongiam aceto imbutam. nam aer totus est, qui laborat: & totum corpus est, quod haurit illum undequaque. Secundo loco sunt pelles, pòst pluma & laneæ uestes: quarto loco lineæ ac lintea. quibus succedunt canes, feles, equi ob pilos, pòst coria, inde ligna: lateres etiam ac metalla, inter quæ minimè ferrum. Aues uix contrahunt contagium, licet pluma integantur, ob illarum caliditatem ac siccitatem uehementem. De equis ac bobus exemplum non inuenio, quòd per hæc animalia contractum sit contagium: ubi tamen statim, postquam incaluerint, ac infectis pannis quis insederit, existimo contagium haud dubiè inferre posse: ubi refrixerint, non: quoniã calore & antipathia soluitur uenenosus uapor. Audiui tamen à fidedignis, magnæ pestis tempore, quæ fuit anno salutis M. CCCC. LXXV, equos, qui corpora & uestes mortuorum ex peste deferrent, bubones contraxisse: sed qui eos non ultrà læderent, quàm pro tumoris magnitudine, ut nullus febricitarit, nedum perierit.

Probl.7.

Cap.4.

Sed quæ tanta uis huic morbo peculiaris? Audistis nil esse quod agat, nisi medio caloris ac motus. uterque enim penetrat in intima, uterque innatum dissoluit robur, dum corpus rarius redditur. Propterea hoc interest inter motum exteriorem & interiorem: quoniam interior quidem dissoluit compagem, & accendit: exterior, resoluto humido superfluo densat ac temperat. Exteriorem uoco, qui fit per externa membra, crura, pedes, manus, brachia. manifestum est enim, eo tempore quiescere interiora, nec incalescere, sed potius reuocato interiore humido toto exinaniri, refrigerariq;. Quòd si quis eò procedat exercendo hominem, ut etiam interiora incalescant, deteriorem illius efficiet conditionem: nec solùm rarefaciet membra illa, sed etiam ad abscessus præparabit: quos si effugerint ob nudum corpus, aut quia frigus calori succedat, nihilo minus imbecilliora quàm prius essent, euadent. Dices: Cur igitur exercitio extrema membra confirmantur, euadunt crassiora & densiora, interiora non ita? at de hoc primo de Sanitate tuenda dictum est: nunc satis sit nos eò referre, unde sermonem deduximus, scilicet calorem & compagem dissolui à motu caloreque interno: cui cùm qualitas putrescens immista fuerit, intrò penetrabit, dico in substantiam sanguinis, atque spirituum hausto uapore per externa oscula arteriarum, quæ sunt in cute: unde sanguis totus primùm efferuescere incipit, & uenenum ad cor porrigi: febrisque inuadit primùm quidem, ut par est, ephemera: deinde paulo pòst etiam putrida, continenti similis: quòd si maxima fiat concussio, & interioris phlegmonis initium, concutitur iecur, & ut aliàs dictum est, rigor magnus exoritur, qui tamen non postea redit: sed omnibus euersis uiribus, adeò iecur afficitur, ut ex consensu uentriculus, qui & sensum habet & motum euersionis, quibus iecur destitutum est, ad similitudinem facultatis quæ in cerebro est, & sentit & mouet, cùm ibi solùm actus sit, non anima, neque uis animæ: & uelut nouacula, quæ tondet, cùm in ea tantùm sit actus eius potentiæ & artis & rationis quæ in anima est; fit nausea in uentriculo, & cibi abominatio grandis. quod uitium

Cap.1.

In Arte medendi parua.

est iecoris, non uentriculi, ut optimè sensit Galenus primo in tertium de Morbis uulgaribus. Com.13. Inde sæuiente fluctuatione, ardentibusq; ichoribus, unà cum humoribus, dum spiritus extinguitur, uis animæ naturalis ac uitalis nullā quietem habēt, sed perpetuas patiūtur uigilias, abscessus crudus plerunq; urget, insurgit natura, quæ mauult sub spe aliqua pugnare, quàm inulta & indefensa prorsus periclitari: & ut cæcus in tenebris aliquid propellit materiæ, efficitq; carbunculos atque bubones.

DE VENENO A MORSU, ICTU, UULNERE.

Cap. XV.

DVbium est, cur morsus aculeis sint magis uenenati? Et respondeo, quòd aculei sunt sicci, & ideo non possunt continere uires, sicut dentes: & ideo non possunt tantam noxam inferre. quia dentes sunt imbuti spuma, & halitu oris, qui ex corde & cerebro prouenit. Circa quod tria notanda sunt. Primum, quod ponitur à Principe sexta Quarti, & est ex Galeno: Trac.5. cap.3. Punctura scorpionis (dico idem de alijs, tum morsibus) si sit super arteriam, facit syncopim persæpe. Dico longè deterius est, si super neruos: quia sunt exangues, & dolent ualde, & principium eorum nō est adeò ualidum, aut calidum, ut cor: ut docui superius ex Galeno, sexto de Vsu partium. Cap.8.& 15. Secundum est, quòd de tarantula araneæ genere aliàs à nobis dictum est. 4.de Subtilit. habent enim aculeata omnia etiam in eadem specie diuersas uires. Est aculeus pastinacæ uenenosus, & draconis piscis, & scorpionis, & araneorum, & crabonum. & hæc omnia magis nocent diebus canicularibus, quàm alio tempore: tum quòd magis sint effecata, & corpora hominum sicciora & imbecilliora. Tertium est, quòd aculei sunt uel in lingua, dicebat Philosophus quarto de Historia animalium, Cap.7. ut in muscis & culicibus ac pulicibus: aut in aluo, ut apibus. Cap.6. quia dicit quarto de Partibus animalium: Formicis ac uespis dentes sunt. aut in cauda, ut scorpionibus: his enim in aluo frustra ad tutelam datus esset, cum alis careant. Sicut uespis, si extrà cauda promineret, grauaret uolantes: si extra & sine cauda, facilè corrumperetur. Sed cui usui, cum offendant, tantum non se tuta reddant ob hæc? Quis enim scorpium lapide uel fuste non atterat, aut pede magis ob odium, quàm id mittat ob periculum? Sed hæc alibi. nam apes, uespas, crabrones deuitamus ob id, præsertim multitudinem. Sunt & animalia forsan quæ aculeum scorpionis timent. Omnes præterea serpentum morsus grauiores sunt, ut Celsus ait, cum ieiuni sunt: atque ideò longè magis, cum oua incubant: & si ieiunus sit, qui læditur. lib.5.cap. 27.Sect.8.

Obseruandum est diligenter, quod dicitur à Rasi trigesimoquinto Continentis, quòd si læsio sit in arteria, facilè perimit, & incidit patiens in syncopim: Tract.2. cap.3.fol. 384.col.4. & si in uena, putrescent humores ac membrum, & ideo fiet uiride: & in neruo conuelletur, aut etiam comitiali morbo corripietur. Et si extra hæc loca, nec ere regionè principalium (nam supra cor, aut neruos, uel musculos temporum, quandoque illico occîdit: & suprà iecur corrumpit habitum ipsius corporis) detrimentum erit longè minus, ac serius mouetur, si sit perniciosum. Ostensum est autem planè in undecimo Paralipomenon, Sect.1. rabidi canis morsum non per uenas, neque arterias propagari, sed sensim per neruos ipsos prorepere. Atque ideo talia occidunt per uulnus: neque, ut dixi, per quodcunque uulnus, sed ubi neruus ipse lædatur. aliàs periculosiora sunt, quæ in uenas inciderint: in quo casu si sistas, retinetur uis lethalis in corpore: si nimium effluat ob imbecillitatem, periculum est ne pereat. Quod ergo diffunditur uenenum, aliud quidem statim uagatur: ut scorpij, & pastinacæ, & draconis marini aculei: qui omnes tamen magis per nerueam feruntur substantiam, quàm per uenas & arterias. Atque id uerisimile planè est. Siquidem Galenus, & rectè, primo de Locis affectis Cap.7. uult, uim illam qua sentimus, à cerebro, ut solis lumen diffundi ac permeare statim per neruos ipsos, atque ad extrema usque. unde etiam ab extremis ipsis statim ad ipsum principium remeat. Atq; idem de ueneno ipso dicendum est. receptum enim per cauitates ipsorum neruorum solita ui naturæ eorum, transgreditur ad prima principia, maximeq; cerebrum. quod etiam in simplicibus punctionibus ferro uel acu uel spina duriore factis, sentimus: tametsi ueneno uacent. Non negauerim alia esse uenena, quæ aliter inficiendo sanguinem prodeunt. Quorum omnium est statim inficere ipsum iecur, & morbum regium procreare: sicut quæ petunt cor, syncopim, sudores frigidos, palpitationem cordis atque liuorem unguium & extremorū. Tum ergo uidetur triplex ratio ueneni, triplexq; symptoma

ptoma

ptoma seu morbus: quod per neruos perreptat, & cerebrum petit, efficitq; conuulsiones: quod per uenas pulsatiles, petitq; cor faciens syncopim, & ea quæ ista sunt, atque horum utrunque celeriter perimit: & quod morbum regium creat, aut etiam albam pituitam, quæ quasi e regione morbi regij constituta est, petitq; iecur, & serius perimit. At quædam uiolentißimorum medicaminum duo aut tria horum faciunt, ut celerrimè & nulla cum spe auxilij perimant. uelut napellus, & quæ his sunt similia: unde omnium malorum origo. Quæ uerò sensim præreptant, nihil horum faciunt symptomatum, donec eò peruenerint, ut afficiant membrum principale, & ideo temporanea sunt. quæ enim de his medicamentis etiam epotis dicuntur, & cùm eò peruenerint, idem agunt quod præsentanea. Sed cùm præsentanea fermè sint omnia lethalia & immedicabilia, cùm tamen totum fermè corpus sit integrum, & auxila cordi ac cerebro transmittat: quanto magis erunt immedicabilia, quæcunque iam temporis progressu contaminarunt totum corpus, præsidia que sustulerunt? Ob id omnia talia, ubi cœperint esse uenena, statim interficiunt. Nec hydrophoni, qui à cane rabido morbi originem ducunt, ultra quartum superuiuere poßunt: atque ita temporanea uenena omnia quæ ad principalia tendunt, ut quæ putrefaciunt, quæ insaniæ quoduis genus lethale gignunt, quæ per syncopim aut cordis palpitationem occidunt, paucis in diebus postquam hæc symptomata genuerint, occidunt, cum ui morbi soleant diu durare, aut saltem non adeò citò perimere: ut hoc signum sit ueneni satis certum. Quæ uerò temporanea redduntur, quia particulam aliquam erodant aut inflamment, uelut etiam quæ tabem inducunt, & citius morbos ipsos producunt, & symptomata peculiaria morbo gignunt, & seipsa detegunt, & serius tandem occidunt.

Sunt præterea ictuum & morsuum ac uulnerum duo genera uniuersim. Primum, cùm simplex qualitas est in causa: secundum, cum materia. Et uterque modus duplex est: cùm uenenum propriè est ut in aculeis ac dentibus leonis, & in telo præparato: & est, cùm non est maleficum uulnus, nisi ob formam, uelut in ensibus limatis, & dentibus piscium: & hic modus propriè non est uenenum, uelut nec de sagittis quæ auelli nequeunt, & quæ lacerant. At si ueneni substantia adsit, duplex, ut dixi, etiam modus consurgit. Vnus, cùm est res tenuis, uelut in dentibus uiperarum, & canis rabidi, ubi dens est illitus saliua uenenosa: & in feris occidendis: ut de elleboro apud Hispanos, pro conficiendis ceruis in uenatione, affirmat Ioannes Langius. Sed mirum, quòd de hoc Amatus Lusitanus nihil dicat, & præsertim quòd elleborũ Hispanica lingua uocat Verdegambre: Langius autem Pedegambro, uel Ysambro. Vtcunque sit, ex eorum genere est, & causa diuersitatis nominum est, quod Amatus posuit nomen commune Hispanicum: Langius Lusitanorum & Galliæ uicinorum incolarũ, quos Nauarienses appellamus. Sed mittamus hæc, etenim pro exemplo, digno tamen, ascripta sunt. Quædam tela inclusam habent ueneni substantiam, ut id quo occisus est Sigeus Galleranus: in sagitta enim foramen erat, atque in eo uenenum, quod tamen parum nocuisse crediderim. nam profundo uulnere perijt potius quàm ueneno. nam uenenum illud corpulentum facilè extrahitur, & parum operatur. Credo id illum fecisse deteriore causa, quàm prodita. Ergo talia uenena multiplicia esse poßunt, sed artificium in huiusmodi à natura uincitur. Paucis enim illa rerũ omnium magistra finem suum assequitur: diximus tamen, plus poße artem in huiusmodi, quàm naturam. Sed aliud est quod communiter fit, ab eo quod fieri potest. Ferunt enim, Turcas ueneficia habere præsentanea, quæ solo attactu eadem die interimant. idq; frequens est apud illos: sed tamẽ solùm mandante principe. quanto celerius nociturum, inditum uulneri? De his uerò uenenis quæ per uenas & sanguinem quacunque uulneris ratione prærepant, dubitatio longè maior est, quomodo poßint tam celeriter inficere totum corpus. cum enim uis illa materiaria sit, & sanguis perpetuò fluctuet, necesse est aut statim æqualiter diffundi, aut sensim quamuis celeriter. Quòd si statim id fiat, cum subiectum non constet, & uis illa putrefaciat, difficile est intellectu consequi, quomodo procul eandem uim retineat, nec magis agat in propinquam materiam quàm remotam: uelut calor, frigus, amarum, asperum, atque huiusmodi. Quòd si per partes succeßio fiat, corrumpetur longè magis propinquior sanguis remoto. At id non semper uerum est: quinimò si uulnus sit in pede, oculi magis quàm crura colorem regij morbi induunt. Neutra igitur harum opinionum ue-

Epistola 68.

Lib. 4. cap. 152.

ra mihi uidetur. sed quemadmodum, si qui populo mulctam indicere uelit, primùm cogitur eam prætori significare: ille autem onus eius ciuibus distribuit: ita si uenenum debet propagari, necesse est ut membrum principale, id est iecur pro uenis inficiat, ex eo post modum in uniuersum corpus illud expandit. Quapropter neque regius morbus absque iecore, nec syncopis absque corde, nec conuulsio absque cerebro affecto fieri potest. Cur autem? Omitto, quod in promptu esset, quòd hi affectus sint principalibus non ortis, aut alijs peculiares. hoc enim uerum est: sed adhuc relinquitur dubitatio, cur iecur prius afficiatur (exempli gratia) quàm crura, cum illa sint pedi quàm iecur magis propinqua. Equidem id contingit ob plures causas. Prima est: quoniam non quiescunt, donec eò peruenerint: quæ autem mouentur, minus imprimunt. Præterea sit duplex motus, attractionis & accessus. attrahunt enim omnia membra principalia ad se uehementer, quoniam ea est Prima functio: cerebrum, ut sentiat: cor, ut uiuat: iecur, ut nutriatur. Exemplum apparet in testibus, qui quamuis inferiores cæteris principalibus, adeò in omnibus per superfluæ ueneris occasionem attrahunt, ut corpus contabescat. Alia est ratio, quòd licet omnis humor generetur in suo principio, uel propè, corrumpatur autem ubique: attamen corruptio omnium humorum etiam in loco principali necessariò fit: ob id seu uenena nòn prius corrumpant humores quàm ad principale uirus illorum membrum peruenerit, seu corrumpant, nō possunt omnes humores ab alio quàm principio corrūpi.

DE VENENO ILLITO, aut ex contactu, odore, & umbra. Cap. XVI.

INcipiamus quidem à manifestissimis, & fabularum oppugnatione, more ueterum. Esse enim uires quasdam, tum magnas, in his quæ illinuntur, apertum est: ex his præcipuè quæ ex argenti uiui inunctione accidunt. de quibus eleganter Fracastoreus in Syphilo ait:

lib. 2. Sic fatur, simul argenti ter fonte salubri
Perfundit, ter uirgineis dat flumina palmis
Membra superi, uenē toto ter corpore lustrat.
Mirantem exuuias turpes, & labe maligna
Exutos artus, pestemq; sub amne relictam.

Placuit. quantum in nobis est, hominem laboribus & ingenij felicitate dignum, immortalitate donare, & si suis scriptis illustris etiam sit: uerùm rem hanc non iam ut poeta auxit, sed maior est dicto ipsa res. Constat enim, ossa ipsa eijci, atque carnes, uincula, lacertos, membranas, cutim, tanquam exuuias serpentes. si igitur tantum potest ungentum ad salutem, cur non erit præsentaneum etiam aliquid aliud ad interitum? De umbra satis aliâs dictum, arboris pomorum mortis quàm noxia sit, & de rhododendro similiter in insula Sardiniæ, ut expertum se ait Conciliator, adeò ut etiam aqua In libro de Venenis cap proprio. quæ sub umbra eius, transeat. Et de his Plinius dabat unam regulam pulchram, dicens: Lib 17. Cap. 12. Omnis arboris, cuius folia adeò sunt densa ut umbram opacam reddant, umbra noxia est: ut iuglandis, pineæ & piceæ. & si aqua non peruia est, ut etiam in his, stilla insalubris est. Nemo stupidus adeò sit, qui existimet umbram ipsam huiusmodi esse, quæ sola est carentia lucis: sed uapores ex arbore profluentes. Quàm leuiter & occultè quis feriatur, animaduertet qui colocynthidam fregerit, præsertim paulò uetustiorem. si enim aperto id ore agat, intelliget quantum sit amara, etiam si non degustarit. Eadem erit ratio & in odoribus. recteq; agunt Principes, qui nil admouent naribus, nisi acceptum ab his à quibus etiam tutò cibos potusq; assumere sibi posse uidentur. Ostendunt specus naturales, & in quibus reconditum fuit triticum foueæ, quantum halitus possint.

Iam uerò eousque processerunt, ut etiam solo uisu quædā noxia esse credant. Plinius in octa Cap. 21. no libro, meminit basilisci ac catablepæ, quæ referunt uisu solo, auditu uocis, transitu quoque propè homines interficere. quin etiam Galenus Cap. 8. in libro de Theriaca ad Pisonem illius meminit, uiriumq; suarum. atque ipsum sic describit: Serpens parumper flauus, tres eminentias habens in capite, quòd etiam mortuum solo contactu hominem occidit, uiuum uerò & uisu solo et uoce. Inde subijcit de dryide, quòd maximè in quercubus latitet, sic uocatū: quòd si quis ipsum calcet, excoriantur illi pedes: & qui curare ægrotantem aggredietur, & ipsi pedes itidem nō solùm, sed & manus excoriantur. Et si quis serpentem illum occidere nitatur, omnia bene olentia, fœtida (contracto scilicet spiritu olido) uidebuntur. Et Aetius similiter. adduq; de dryi- lib. 13. cap. 29. & 33. no, quòd frequens est iuxta Hellespontum, obesus, duorum cubitorum, cum maximus est: quamuis armatus, ualde fœtidus, ut odore solo se prodat, ob idq; facile deuitetur ab hominibus.

De ba-

De basilisco autem, quòd omnes serpentes illius congressum fugiant, nec audent ad pabula ire, uel aquas, adeò exitialis est: unde ille id præsentiens, ubi eis occurrerit, sponte se retrahit, quamuis famelicus, ut etiam ob hoc nonunquam fame uel siti pereat. Tantum nugarum

Trac.3. cap.21.22. & 23. ille scripsit. Sed & Princeps, sexta tertij, tanquã illum uidisset, eum descripsit, dicens: quòd est duorum palmorum, acuti capitis ualde, oculorumq; rubentium: & quòd abundat in Nubia, & terra Turcarum: quæ tamen tantum abest à Nubia, quantum Italia à Sarmatis. Et ut in miraculo certare omnes uideantur, præter dicta ab alijs, addit: Quòd si lancea tangatur, (hoc autem est & in quibusdam alijs uerum) qui tetigerit, perit. Et si animal iuxta ipsum transeat, obstupescit, inde moritur. Et quòd plantæ omnes in illius circuitu pereunt, hæc tolerabilia: sed quòd, si auis uolet supra illius foueam, concidit, maius est fide. Addit & ille suum socium, ut Græci dryidem, Itali catablepam: sic Princeps armenum, parum inferiorem basilisco uiribus. At esse nugas, ostendit primò

Cap.1. Galenus, qui decimo de Simplicibus medicamentis, negat se unquam tale animal uidisse: nec ego uidi, nec alium qui uiderit audiui: sicut cõtingit in rebus alijs admirandis. dico de basilisco pro serpente, non prodigioso illo galli gallinacei filio. Neque enim primò uerisimile est, naturam procreasse genus animalis adeò omnibus exitiale (nam de monstro illo cum in genus non redigatur, esse potest. ea enim licentia quasi naturæ est, non norma) ut ab eo reliqua omnia deleri poßint. Deinde, si uidendo & audiendo illius uocem homo moritur, quis uidisse aut audiuisse

Lib.6. cap. ult. referre potest? Præterea Dioscorides ex Erasistrato cum dixisset, quòd est bestia, quæ rarò sese offert oculis hominum: proponit effigiem morsus eius dicens, Quòd plaga est aurei coloris, & quòd curatur castoreo epoto pondere drachmarum trium. Quare constat, non adeò esse lethiferum animal, cuius etiam uulnus curam admittat.

Lib.5. cap. 20. Eadem etiam à Paulo confirmantur, quæ à Dioscoride relata sunt. Sed & illud mirum, quòd Rasis experimentorum curiosißimus indagator, & qui in Africa habitauit, huius tanti miraculi non meminerit. Quocirca cum Matthiolo ipso, qui exponens Dioscoridem, hanc ut fabulosam historiã irridet, dicens: Cum tam paruum sit hoc animal, & eius spiritus ac præsentia tam exitialis, quis adeò (ut referunt) eam minutim considerare potuit, aut ausus est? Basiliscum serpentem esse scio exiguum; quiq; in ambitu suæ latebræ plantas enecet, & prope etiam aerem inficiat, adeò ut quæ illi appropinquant animalia, uelut specubus mortiferis pereant, non ex uisu aut auditu illius. At de basilisco ex ouo galli gallinacei, imago illa lapidea Mediolani in porta templi extra posita B. Mariæ ad portam: & ouum illud galli in Saccensi oppido discissum anno MDXXIIII. fidem faciunt, cum tota maiestate naturæ. tale aliquid generari posse, uiribusq; admirandis. cui suum etiam alexipharmacum, & ἀντιπαθὲς suus, & φαντίβιον, & exitiale malum ac in promptu paratũ esse existimo. At ui occulta aliqua etiã solo cõtactu occidere, exẽplo remoræ & torpedinis, et tot aliorũ, intelligere possumus.

Cæterùm hausta arterijs alia quidem ad cerebrum feruntur, statimq; perimunt: & magis olfactu ipso, quòd cerebrum sit exarmatum, & aliquanto serius ad cor ipsum delata. Cuius rei non aliud manifestius dedero indicium, quàm pestem ipsam, quæ attactis uestibus enecat tam citò homines. Omnia huiusmodi uenena esse ex putrefaciẽtium genere, uerisimile est, aut ex his quæ cogunt. Nam aspides ex hoc esse genere uerisimile est, qui sine dolore mortẽ afferunt, ut Dioscorides ibidem recitat, & fama pu- Cap.54.
blica est. Omniũ ergo fermè eadem ratio ac similis uis: quæ uerò peßima in hoc genere, sunt indita uestibus, & interulis maximè.

Quæ autem nocent multùm contrectata, ut corni & sanguinalis uirgulta. nam reuocant rabiem curatam ualidioribus auxilijs: & Matthiolus sæpè hoc experimento comperisse ait. Hoc plus est, quàm ut illitum sit aut contactu, aut umbra. Nam calefacto ligno, simulq; membris ipsis uehemens fit attractio per oscula uenarum atq; arteriarum, unde exitiale uenenum contrahitur. Cur uerò reuocare poßit, & quomodo extinctum uenenum, dubium est. nam si non prorsus extinctum erat, cur non repullulabat per se? si extinctum, quomodo rediuiuum factum est? Vnica igitur ratio aßignari potest, extinctum: sed uelut ignis in carbonibus, quamuis prorsus extinctis, siccitatem relinquit, ut facile rursus ardeant: ita ueneno semina relicta, ad actũ similitudine uirium reduci possunt: ipsa uerò membra siccata, facilius ad perniciem agunt patientem. est autẽ seminis uis in atra bile. Nam etsi non reuocata sit

rabies patri meo, quòd huiusmodi plantarum & umbram deuitaret: attamen fatebatur à morsu canis illius rabidi nunquam, ut antea, perfectè mente conquieuisse. Animæ leonum uirus graue est, inquit Plinius: ursi autem pestilens. sic ubi angues iacent, & præcipuè dryini & aspides: & sub densis cicutæ umbris, & apollinari atque mandragora: magis etiam sub napelli plantis.

Lib.12. cap. 53.

Porrò odor nullus occidere potest. nam sensilia perturbare possunt sensum, euertere non possunt, aut corrumpere: quæ autem sensilibus coniuncta sunt, id facere possunt. ignis corrumpit tactus instrumentum, solis lux obcæcat: odores praui, propter uapores qui eis iuncti sunt putridos, homines statim enecare possunt. Cauere debent hæc, qui timendi causam habent: sed ea ars non est, quoniam artifici nimis exitialis esset, aliter non usque nunc latuisset: tanta est perfidia quorundam, auiditas multorum, stulticia scribentium. Quidam uenenum nunc prodidit, exitiale sanè non parum: nec scio toto illo uolumine, quod non exiguum est, tantum boni contineatur, quantum mali in eo medicamento. Peruersa hominum iudicia, & anxia nimis cura. Summæ sapientiæ est scribere auxilia, non prodere deleteria, in quibus quandoque nocuit uel sciuisse, quod fieri posset. odore noxia tanto celerius occidunt, quanto illita efficacius: contactus utrisq; inferior, quo etiam umbra: minimè, ut dictum est, uisus.

Cum uerò in uenenis tot sint differentiæ communes, palàm est & in eisdem esse, sed non adeò manifestè. nam temporanea ex umbra nucis sæpe uidimus in rusticorum pueris, qui sub illa dormierunt: sic & unguenta, & suffitus. De contactu eadem ratio suadet, non tamen uidere hucusque contigit. In eo multum refert, qua parte tangas. Prope arterias non leue periculum, & ubi nerui temporum deteguntur, & e regione cordis. Longè magis ex illitu. Quidam produnt hæc, ut legantur ab improbis malefaciendi causa: boni, ut cauere norint: curiosi, ut delectentur. Ita improbum eum tabellionem Poggij imitantur, qui duo scripta fecit. Vnum, quo qui creditor non erat, peteret: alterum, quo qui nil debebat, tanquam soluisset, absolueretur. atque ex utroque pecunias exegit. nos autem ea arte hæc construximus, ut in quibus modum proderemus, res ipsa ignota esset: cum res nota esset, modum occuleremus. Maioris artis, non constantiæ solùm, posse inter tanta, quòd nos impetrauimus: non posse, etiamsi uelimus, scire.

DE VENEFICIO, FASCINO, præstigijs.

Caput XVII.

Fascinum esse receptum etiam ab antiquis, constat. Calcagninus recitat ex uetusto authore uerba apud Ciceronem: Ne pellicimento alienas segetes excantando. Et apud Virgilium:

— Vix ossibus hærent
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Baptista Pius super uerba illa Sidonij Apollinaris, in epistola ad Domitium: Nisi quid tu fascinum uerere. quoniam iactabat concordiam cum suis domesticis: aut potius, quòd Romanorum more, nomina in uocales desinentia, fascinum afferrent: ut olim Beneuento, unde mutatum in Beneuentum. hic autem Abitaci. Nam creditum est, nomen ficularum cannearum obfuisse M. Crasso in Parthos eunti. Vtcunque, ueteres magico susurramine in hominis caput ex locuto paricidali lingua reddebant, ex pingui & bene habito exsuccum, macerrimum atque strigosum. Hæc est illius sententia potius quàm uerba.

Sunt autem fascini propriè tres principales species: quæ à metu oritur, mala timendo, atque imaginando. Cuius curatio est, confirmare mentem. Ex alienis uerbis, & huic occuramus bene ominando: unde mos ueterum. Quòd si aliud non esset, depulso timore, effugata superstitione, corde atq; animo confirmato, cuncta melius cedunt. Alia quæ à modo agendi, tractandi, percutiendi, intentius respiciendi. Intentius respiciendo terrentur pueri, ut quandoq; in comitialem morbum incidant, quod maleficæ mulieres norunt & maximè uetulæ, & strabis oculis, actoruis: inde opinio nata strigarum. Et certè offendunt. tabescunt enim ex comitiali morbo, ut aliàs declaraui. Et idem accidit ex felium aspectu. intentè enim inspiciunt, ac lucentibus oculis. unde infantes territi fascinantur, & inde moriuntur. Ex eo nata fabula de lamijs, uerti lamias in feles: quòd hoc animal, non secus ac maleficæ mulieres, intuitu infantes perdant. Quid uerò id mirum? cum sæpe accidat, uiros etiam fortes alia cogitantes, ex felium aspicien-

7. Aphor. in fine Com. 5.

spicientium oculis terreri. Simili modo in manus despuendo, seu telo quenquam ferire uelis, seu puerum flagris cædere, seu quadrupedem saxo percutere, longè acerbior fiet ictus, & plaga magis urit: contrà, si post ictum despuas, credunt leuari dolorem: non satis comperta causa, cum acerbitatis non obscura sit, scilicet firmiter apprehendēdi, ut enim qui pede innituntur rei stabili, grauiter feriunt: qui inconstantis parum efficaciter: ita si despuat, augebitur uis ictus, qualiscunque sit. Similiter morsus animalium fascinat plantas, ut arescant. Et idem possunt hominis dētes ob saliuā & antipathiam. Ita stringere plantam uinculo, fascino aduersatur.

Quæ uerò fiunt imaginibus, suffosis'ue sub limine quibusdam rebus, tum præsegminibus capillorū & unguium, ac huiusmodi, ad ueneficia pertinent. Meminit in lusu suo Apuleius: nescio an irridere, an docere, an scire se uideri huiusmodi cuperet. Sanè talium aliqua sunt exempla altioris cuiuspiam tractationis potius, quàm præsentis. Sic putant arceri à concubitu eos qui in cubiculo sunt, si sigillum quod uocant Salomonis, gladij acie in hostio nunquam amoto gladio describatur, ueroq; nomine uocato, ubi responderit. quod ob suspicionem facilè accidere potest. qualiscunque enim timor in Venere non legitima, facilè penem deijcit. Sunt præterhæc excantationes, quæ per uerba tantùm fiunt, sed non sacra: deuotiones autem etiam sacrificijs indigent, & sacris carminibus. Præstigias admisit Plinius, dum de Nerone loquitur.

De Asino aureo lib. 3.

Mirum forsan uideri poterit, huiusmodi omnia ignota fuisse medicis pariter atque philosophis, uel neglecta. Si neglecta, cur non & à me cōtemnuntur? si ignota, unde mihi tanta accessio? Sed nos dicimus, hoc uisum fuisse Alzarabio, dum de comitiali morbo ageret, in Primo libro eius partis quam Practicam uocauit: nec Princeps id contempsit. unde Prima tertij, dum
» *dixit: Et quibusdam medicorum uisum est, quòd*
» *melancholia contingat à dæmonio: sed nos non*
» *curamus, cum naturalem scientiam docemus, si*
» *id contingat à dæmonio, uel sine eo: postquam*
» *perspicuum est hoc morbos, si fiunt, à melan-*
» *cholia primùm fieri, seu post modum illius melancholiæ dæmon causa sit, seu non. At ô generose uir (nam & quandoque bonus dormitat Homerus) si curatio morbi, est causæ ablatio, ut inquit Galenus in libro de Optima*

Tract. 1. Sec. 2. cap. 34. — Tract. 4. cap. 18. — Cap. 25.

secta ad Thrasybulum: & causa melancholiæ dæmon sit, quomodo manente dæmone sanabimus affectum, cuius causam extinguere non possumus?

Cap. 9.

Aetius libro sexto, omnino putat horum nihil esse, sed opinionem dæmonum: propterea tres opiniones de huiusmodi habentur. Vna, quæ negat omnes præstigias ac ueneficia, nisi epota sint, aut uulneri inuecta: cuius sententiæ uidentur fuisse Græci omnes, ac ex Arabibus etiam pleriq; medici. Secunda, quæ philtra & ueneficia ac deuotiones admittit, sed sine dæmonum præsentia: quæ cum uerior sit, paucos tamen habet defensores: cum qui hanc magiam fatentur, Platonici sint, mirum in modum addicti dæmonum confessioni. Tertia ergo illorum est, in qua etiam Apuleius fuit, neque medicus neque philosophus, haud forsan sanæ mentis uir. Verùm cum uideamus quotidie multa horum exempla, & maximè in lectis tot formas uarias, quæ non negarim ab ipsis uenditoribus plumarum immitti, ut pondus augeatur: alias etiā cogi sudoribus, mictu puerorum confici, nihilo minus tabescentibus illis qui in eis cubant, & incerta causa & exitu, non habeo tam quod in medium afferam, quàm quod negem. Deuotum scimus ex historijs, à Tribuno M. Crassum, & perijsse cum filio & toto exercitu. Deuotum Gasparem Vicomercatum, nobilem patricium, & obijsse. Multos etiam alios malè ob id perijsse. At quod nos tueri potest, id esse debet, quòd hæc curare alterius sit opus quàm medici. Magia pereūt, magia curantur. Plura de his alibi scripsimus. Amentia Plinij, & auaricia medicorum, hæc ars amissa est. Non malè uertit quòd uenefica, sed quòd benefica. nam quid attinebat Plinio negare, quod nesciret? Agyrtarum commenta non recipio: Iccirco medica ars uana est, quoniam tot fabulas in ea scripserit Cælius, Aurelianus, Octauianus, Horatianus: &, quod turpius est, fœmina Hildegardis. An astrologia uera non est, quia Gauricus eam fœdauerit, Pici maledicant, et plura proferātur mendacia quàm oracula? Duæ magiæ creduntur partes, diuinatrix atq; operatrix. Operatrix alia, quæ ad medicinā pertinet, laudabilis, quacunq; naturæ ui procedat: uenefica omnino abominanda, & θαυμαστική, id est admirabiliū operum effectrix: et παίγνια seu pægniā, ludicra. Diuinatricis partes alias, ut dictum est, naturales sunt septem: Astrologia, Pysiognomia, Naturalis, quæ per consequentia fit, ut ranarum & reptilium

Lib. 16. de Rerū uar.

ptilium multitudo, pestem, & maximè quæ per fluxum uentris grassatur, nunciat. Et signa in galla, quæ abundantiam aut sterilitatem nunciant. In hoc genere præcipua etiam sunt terromotus, maris æstus, siccitates, fulgurum casus, monstrosi partus, animalia non uisa. Ηεροπόμπα, quæ per aerem fit, & uisa in illo. est autem duplex, quæ ex illius constitutione alia prædicat, ut ubertatem, pestem: atq; docens ueris ipsam constitutionem. Prior rursus diuiditur in eam quæ per naturalem statum significat uentos, nubes, solis cadentis aut lunæ surgentis, aut stellarum colores, niues, grandines, fulgura, tonitura: alia, quæ per rarò uisa ac miraculis similia, cometas, irides, halonas, parelias, duplices lunas, multiplices soles, caumata, faces, lampades, cadentes stellas, aut die splendentes, uortices, acies armatas, animalium imagines, aut diuorum cruces, aliaq; huiusmodi. Quinto loco est somniorum interpretatio. Atque hæ puræ naturales sunt: reliquæ duæ chiromantia & metoposcopia superstitioni, quàm naturali sapientiæ proximiores. Superstitiosæ sunt, sed non æqualiter, sed magis quæ à nobis fiunt quàm quæ à natura: ut geomantia superstitiosa, minimè pyromantia, medio modo hydromantia. Hæ autem deductæ ab elementis uulgaribus, sensui notißimis: geomantia à terra, per puncta: pyromantia, per ignem ardentibus, maximè lauri folijs: hydromantia concussa aqua per circulos persimiles geomantiæ, id est superstitiosæ admodum. Alphitomantia, per farinam: & eleuromantia per triticum, farinamq;: tyromantia, per casei hiatus foraminaformam: astragalomantia, sors ex alea in pictas figuras, apud fœminas in usu: Axinomantia, per secures, Homero cognita. Magis naturales sunt, tripudium solistimum, è pullorum cibatione: coscinomantia, per forcipem & cribrum: sternomantia, à pectoris habitudine: ptormomantia, à sternutamẽtis: capnomantia, à fumo: aeromantia, à figuris nebularum: catoptromantia, cum puero ad speculum: xestomantia, quæ fit per urceum aqua plenum, in quo uidentur pueri uidere imagines. Hæ ambæ, & lecanomantia, næcyomantia, psychomantia, sciomantiaq; nefariæ & superstitiosæ habentur, à naturali ratione longius abscedentes, uelut & sortium qualiumcunque Virgilianarum, Prænestinarum, lexicomantiæ, uanitas manifesta. Securiores & ad naturam accedentes, aruspicina, per exta, & cum aues insolitæ insolito loco uidentur: & botanomantia, per uerbenas. Propè diuina est, quam Deus immittit uocem. Sed engastrimythi non uidentur ad diuinationem pertinere, uerùm potius ad naturæ miraculum.

Vt uerò ad ueneficia & præstigias, ac talia deueniam, non aliàs melius ludens Lucianus enarrat, ubi Bachis Melitam admonet. uide etiam quæ Cælius Calcagninus scripsit. Verè autem imaginibus, præsegminibus, telis, astrorum obseruationibus ac uenenis, unde nomen habent, constant. In Magia amatoria.

DE VENENO EPOTO. Cap. XVIII.

VEneni epoti ratio, differt à ueneno quod ex morsu aut punctione aduenit. indicio est, quòd quæ intus assumpta perimunt, exterius admota non idem agunt. neque enim auripigmentum album, neque argentum uiuum sublimatum, nec gypsum, admota ulceribus hominem interficiunt, tametsi uehementer discrucient dolore. Sed neque contraria ratione, serpentis aut uiperæ saliua in potu data interficiunt. Hæc, inquam, Galenus, quæ omnino falsa sunt: neque contendere cum illo propositum est, sed docere ueritatem. ille, ut aliquis esse uideretur,

Admiranda canit, sed non credenda, poeta:

Quòd enim quæ intus assumuntur, non semper exterius admota perimant, præter experimentum, etiam ratio ipsa suadet, quoniam minorem uim habent: quòd uerò uenenorum, quæ exterius admota perimant, ullum interius non occidat, assumptum nondum inueni. Napellus, aconitum, canthárides, & quæ exterius admota occidunt, serpentis uirus, intus assumpta omnia occidunt, ac celerius. Narrat Matthiolus de rustico, qui cum morsum aspidis fugeret, repentè mortuus corruit in terram. De spuma canis rabidi, ac huiusmodi, ipsi qui negant, uellem potius ut periculum facerent, quàm ego qui id credo. Quòd si quæ infrà scribuntur ex Galeno & Celso, quis obijciat: habebit etiam eregionè positum quid respondeat. Quod aliqua exterius perimant, non ut uenena, sed ut dolorem intolerabilem mouentia, qui cum uulneris noxa perimat, id sanè crediderim. At mirum planè esset, si uera essent quæ ille refert, ex tanta materia unam aut alteram inueniri

Lib.6.in Procemio Pag.2.

Lib.3.cap.3.

niri plantam, aut aliud quippiam, quæ uenenum non esset, & telo affricata perimeret. huiusmodi sunt paradoxa uiri illius, planè specie pulchra, re ipsa nihil ueri continentia. Neque nūc usque inuentum, nec in posterum usque in æternum quicquam inuenire licebit, quod interius assumptum non perimat, uulneribus admotum perimat tanquam uenenum. nam ut ἀδυνηρὰ fateor esse & λυπηρὰ, uelut scillam, cæpas, allia, quæ uulnera efficiunt sæuiora: ita nego quicquam horum uenenum esse, aut uenenatam ei inesse qualitatem: nec opus esse ut corpus ob id curemus, sed uulnus tantùm, nisi ob immodicum dolorem fluxionis periculum adsit.

Venenorum autem ebibitorum ratio huiusmodi est. quædam interimunt, quia calida sunt: alia, quia sicca: alia, quia erodunt: alia putrefaciunt, alia quòd qualitatem habeant per se contrariam humanæ naturæ, uel quoniam tabefaciant. Sed ratione singula membra distinguere oportet. Quæcunque igitur deuorantur & occidunt, seu tum seu multo pòst id agunt, uel quoniam substantia ipsa noxia est, uelut terra, lapis: atque in hoc genere sunt argentum uiuum & gypsum, aliaq; huiusmodi. aut natura seu qualitate, atque hæc adiuncta substantiæ erodens facit: si uerò substantiæ est, non autem cum illa agit, proprietas est. Separata autem calida quidem exurit, & eo magis calida & sicca: frigida uerò dolores mouet, & paulatim extinguit. calida & humida putrefacit: sed & humida, frigida & sicca, & sicca sola tabefaciūt. Iam ergo septē uenenorum genera esse cōstat, nec pauciora esse posse simplicia, neq; plura.

Eadem quoque ratio erit in externis uenenis, de quibus eadem manet dubitatio, quæ de his quæ per os sumuntur, scilicet an dentur uenena frigida. Morsum enim aspidis cicutæ succo, quod ad symptomata attinet, similem esse di-
Lib.6, cap. xerunt Dioscorides cæteriq;. Et Princeps, dum
11. & 54. de scorpionum ueneno agit, & reptilium maris,
Tract.5. cap.3.& in sexta Quarti. Verùm de uenenis quæ bibun-
26. tur, ostendemus paulo pòst, frigidum nullum eo-
Cap.21. rum esse: alterum igitur duorum esse necesse est, uel nullum ictum, nec morsum esse frigidum ex uenenatis animalibus: aut non esse similia. Sed certè stupor qui ex torpedine contingit, non est à frigore, ut neque opij: quare nec aspidis. Refrigeratio enim quæ contingit, post morsum non est, quoniam uenenum frigidum sit, sed quia spiritus absumit. Quæcunque igitur uenena calorem temperatum habent, pro frigidis habentur, quoniam sine caloris sensu perimunt. At non est ita, sed omnia calida sunt: uerùm quia calor non percipitur ex eis, & per resolutionem etiam patientes frigore afficiuntur, ideo frigida esse creduntur. At si talia essent, dolorem magnum afferrent: at non afferunt, sed leuem ac dulcem: quomodo ergo frigiditate occidunt?

Epotum ergo uenenū si qualitate sua occidat, quia calidum uel frigidum sit, uel erodens, statim uentriculum uexat: at si proprietate aliqua, aut quia calidum sit & humidum, non statim neque in uētriculo, uerùm uelut & reliqua omnia cum primùm effundi cœperit calor (contingit autem post quartam horam, & usque ad sextam) iam sanguinem permeat, & iecur afficit. Indicium uerò est, hoc tempore primùm uenenum ad iecur permeare, quòd podagrici, quorum quies est, dum uentriculus uacuus est: & maior, dum calor contrahitur ad uentriculum eodem fermè tempore: & tum demùm ad duodecimam usq; horam, aut propè ingrauescente morbo laborant. Post hæc à iecore ad cor per cauam, & exinde per totum corpus fermè eodem momento per uenas & arterias. Quòd uerò statim uentriculum dolore afficit, aut nausea, consensu neruorum sexti paris, etiam statim cor & cerebrum afficit. Quodq; exitiale ualde est, cor statim per se inuadit, ut uinum.

DE VENENO CALIDO. Cap. XIX.

VEnenum calidum percipitur plerunque sapore acri: ut si sit euphorbium, & siliqua Inda rubra antequam maturescat, & chalcanthi oleum, & pleraque olea ex his. Et aqua ardens sæpius destillata & æstum mouet in uentriculo, & ardorem, & sitim, & post hæc excoriat linguam & guttur: & mouet dysenteriā & dolores in uentriculo et intestinis, & febrē excitat, & regium morbum: & hoc modo deiecta ui appetendi, & doloribus ac uigilijs, febre fluxuq; interimit. Et persæpe talia excitant singultum, & est malum: & scinachiam, & est peius. Et ex eo genere sunt anacardi et thapsia. Verùm anacardi parū Græcis cogniti fuêre. Est etiā his propriū, mentem mouere, & resolutionem membrorū parere. continent hi fructus, qui dum sunt recentes, sanguini assimulātur, & formam quasi cordis animalis referunt: mel rubrum, quod uetustate

tuſtate nigret, acre ualde, & in medio candidum nucleum cortice tenui obductum. Oritur hæc planta in Sicilia iuxta loca illa quæ ardẽt, & in Aetna monte. fit medicamẽtum ex eo, quod memoriæ prodeſſe multum creditur.

Verùm illud ſciendum, quòd elaborata igne omnia uenena calida ſunt, & quanto magis, modò nõ diffluãt, diffluunt autẽ aqua, et quæ ex eius natura ſunt. Sicca uerò in naturã ignis tranſeũt: & aromata magis, & metallica & lapides, & cerealia & legumina. Sulphur autem dum in oleum tranſit, aſtringentem recipit ſaporem primùm, inde ſe exhibet odore & guſtu feruidum. Quocirca uidetur quiddam tertium inter guſtum & olfactum, quo feruida percipiuntur: cum tenuis ſubſtantia ita guſtum afficit, ut non ſit acris: ſed in halitum tota ſoluatur, caputq; petat. Calidiſſimæ animalium partes, fel & coagulum: plantarum ſemina, ſucci, radices: metallicorum, quæcunque per aduſtionem fiunt in terreo ſicco, ut calx & auripigmentum: licet non ardeant. Petroleum nanq;, ſulphur & bitumen ardent, quia humido pingui abundant, non quia ſint calidiſſima. At nitrum ardet, quia ſiccum: ſed nec ipſum pingui caret humido, ſed tenui.

Præterea in hoc genere reponi uidentur, quæcunque uehementius purgant: unde iocus ille ſalſus Neronis, largius purgandi am itam: tum præcipuè, ſi corrupta ſint. colocynthis igitur nigra, & agaricus niger, & elleborus albus nigreſcens, & condiſi ſimiliter, ſeu herba lanaria nigra, & lac tithymalorum: uel rancida, ut caſtoreum & anacardi, mel, quoniam pinguia ſunt: & quouis modo corrupta, elleborus niger, ſcilla, cyclamen, elaterium, & chamelea & thapſia, fiunt magis uenenoſa. Et quid mirum? cum nuces rancidæ uenenum ſint. Euphorbium au-
Cap. 152. *tem & herba lanaria purgant, ut Dioſcorides docet libro ſecundo. Omnia igitur uehementer calida ex plantis purgant, mouent ſternutamenta: & ſi corrumpantur, in acre uenenum euadunt.*

AN DETVR VENENVM frigidum. Cap. XX.

QVod maxima in controuerſia poſitum eſt, illud eſt, ſcilicet an detur uenenum frigidum, quale eſſe dicunt opium, hyoſcyamũ, cicutam, mandragoram, ſolanum, coriandri ſuc-
Cap. 1. *cum. Conciliator in libro de Venenis narrat, pharmacopolam æſtate cùm ſitiret, noctu hauſiſſe urceolum hydrargyrij, cùm manè mortuus eſſet inuentus, diſſecto corpore, apparuit quod erat: ſanguinem quoq; in corde coagulatum, tum ipſum cor, ideoq; frigidum uidetur. Et de hoc ſcripſit differentiam, ſicut etiam de cicu-* 151.
ta. Eſt aliud argumentum, quia ipſum eſt fri- 150.
gidum actu, & non lædit niſi pondere, ut Dioſcorides libro quinto refert. ubi dicit Matthio- Cap. 69. in fine. Com.
lus, quòd mulieres dant ſcrupulũ difficulter parientibus, & non offenduntur: & Braſauolus dabat infantibus deſperatis morbo uermium, & liberabantur. Præterea libro ſexto, cum decla- Cap. 27 & 28.
raſſet detrimenta ſpuma argenti, dicit quòd eadem operatur hydrargyrium: ſed ſpuma argenti eſt frigida, et damna quæ affert, ſunt frigoris: igitur & argentum uiuum frigidum eſt. Matthiolus ibidem cenſet frigidum eſſe & humidum, unde ob id putre facit ſanguinem. indicium ſumit à fœtore illorum qui eo inunguntur. Et licet quis dicere poſſet, quòd fœtet illis ob materias morbi Indici: diceret Matthiolus, & uerè, quòd etiam in alijs idem faceret, licet non tantum. Illud quoque maximum eſt, quòd omne metallum eſt frigidum & humidum, plmubum, ferrum, forſan de ære dubium eſſet: ſed æs uſtum eſt, igitur & argentum uiuum, quòd ſulphuris non eſt particeps. Offendit etiam neruos & cerebrum manifeſtè, & facit contractiones, tremores, ſyderationes, qui omnes ſunt effectus frigoris. Similiter de cicuta nihil eſt uulgatius, cum mortem inferat cum torpore & ſine dolore, ut apparet apud Platonem de morte Socratis, qui extinctus fuit ueneno è ſucco cicutæ. Præterea illud uenenum eſt frigidum, quod ut occîdat, ut frigidius ſit, eligitur: ideo dico de humido, ſed cicutam di-
cit Theophraſtus, ut efficeret uenenum quod ſi- Lib. 9. cap. 17. de Hiſto
ue dolore occideret, eligebat Thraſyas, natam ria Plant.
Suſis prægelido & opaco loco. Simili ratione, quòd cum aqua tantum tuſam darent detracto cortice, id indicat frigidum fuiſſe uenenum, & humidum. nam calidum & ſiccum ab aqua temperatum redditum fuiſſet. Dioſcorides quoque Lib. 4. cap. 31.
& Galenus de Simplicibus medicamentis, in tertio ordine infrigidantium illam collocarunt. Serapio quoque in libro de Simplicibus medicamẽ- Lib. 7. cap.
tis, & Princeps ſecundo Canonis, ponit frigi- proprio.;
dam in tertio ordine uſque ad quartum. Præterea multa ſunt alia uenena frigida, de quibus nõ eſt dubium: mandragora, hyoſcyamum, opium, ſolanum, ſpuma argenti, & huiuſmodi: igitur Cap. 330.
datur uenenum frigidum. De opio præcipuè, cu- Cap. 666.
ius antidotum eſt piper, ut ſecundo de Antidotis:
& piper etiam cum caſtoreo, uelut apud Pau- Cap. 7.
lum, &

lum, & apud Principem sexta Quarti. Si ergo alexipharmacum est temperamentũ contrarium
Lib. 5. cap. 43.
ueneno, ut infrà uidebitur: & etiam nono Con-
Trac. 1. Sũ ma 3. cap. 1.
tradicentium: liquet opium esse frigidum temperamento, sed etiam ualde frigidum. At res non sic se habet. neq; enim generaliter concedi uenenum frigidum potest: neq; dum singula inspicimus, ullum illorum frigidum aut ratione deducta
Lib. 5. cap. 14.
ex principijs, aut ex sensibus inueniemus. Ergo primum omne uenenum, quod sistit sanguinem, atq; congelat, ob id illud agit, quòd uis eius totũ penetrat sanguinem: sed hoc est opus caloris, non frigoris: quia frigus, ut rectè dicit Princeps prima Primi, non ingreditur opera naturæ. Igitur
Contrad. 17.
omne uenenum quod congelat, & stupidum reddit hominem, calidum est. Ratio etiam quæ addu-
Doc. 6. ca. 3. post principium
cta est, ijsdem medijs probat opium esse calidum, quibus probat esse frigidum. nam si piper. aut piper cum castoreo, alexipharmacum est eius ex
Cap. 18.
locis adductis: & clarè ex quinto de Simplicib. medicamentis, esset opium in extremo caliditatis, cùm alexipharmacũ sit natura mediũ inter naturã hominis et ueneni. Et ad hoc facit experimentum adductum in Contradictione, de qua dixi superius. Has duas rationes parum ualere uelim. prima ex communibus est: secunda, ut dixi, in contrariũ transferri potest. ad proprias ergo & euidentes deueniamus. Prima est sumpta à gustu, omnia huiusmodi quæ frigida esse dicuntur, acria sunt, aut amara ualde: sed sapores acres omnium sunt calidissimi, teste Galeno quarto de
Cap. 18.
Simplicibus medicamentis: amarus etiam sapor
Cap. 19. in princip.
à calido est, ut ibidem testatur. Ostendo autem, quòd talia omnia sint acria uel amara. De opio quod sit ualde amarum, constat sensu ipso: de cicuta quòd sit acris, fatetur Apponensis, & ma-
5. Collectaneorũ, cap. propr.o.
nifestè inquit. Sed & Auerroes & Constantinus calidum in tertio ordine esse dixerunt. De
Lib. 2 Pra.
solano cum ualde cieat urinam, octauo de Simplicibus medicamentis, quis audeat frigidum dicecere. Demiror, cum tenuium partium illud esse dicat, ac utile iecori, renibus, uesicæ, quomodo
Cap. proprio.
frigidum ausus sit pronunciare? Sed hoc solo falso argumento deceptus est, quòd somnifera omnia frigida esse putauit: sed non quia frigida, somnifera, sed quia calorem naturalem corrumpunt. Omnia etiam uenena huiusmodi, præsertim solanum, hyoscyamum, morion, amentiam & insaniam gignunt, teste Dioscoride: sed & cicuta ipsa, seu eius succus:. at hoc nõ est frigidorũ medicamentorum, sed potius calidorum, quæ in furorem agunt: tum quia nihil manifestè frigidorum hoc facit, uelut lactuca, portulaca, endiuia, plantago, rhus, rhamnũ, cucumeres, citruli, pepones, quos uocãt angurias. Omnia enim hæc cum frigidissima sint, neq; insaniam mouent, neq; stuporem, neq; somnum.

Quin etiam cum talia refrigerent palàm, dolores moueant acerbissimos, uix calescant in uẽtriculo, sitim extinguant: odorata bene sunt, atq; recreant hominem, quorum nihil est in his somniferis: sed omnia grauiter olent, fastidium mouent, & undiq; naturæ humanæ ingrata & insuauia. Et postquam à dolore quis conualuerit, cucurbitarum, cucumerũ frigiditas manifestè, & cruditas relinquitur in uentriculo & intestinis: at ex huiusmodi medicamentis stupor mentis, tarditas, obliuio, somni desiderium, quod uocant semisomnum, soporem, ἀγρυπνον Græci dicunt. tantum autem abest ut dolorem inferant, ut etiam illum tollant, & contra dolores adhibeantur. Quapropter nullum horum frigidũ censeri debet, nec ullum frigidum medicamentum somniferum esse, ita ut uiolentum somnum inducat. Quæcunq; etiã coagula, calida sunt in ter-
tio, & exurunt: sunt etiam sicca, ut apud Gale- Cap. proprio.
num decimo de Simplicibus medicamentis, & a- Cap. 368.
pud Principem secundo Canonis: hæc uerò manifestè cogunt sanguinem, ut coagula lac: constat igitur ea istiusmodi calida esse, non frigida. Quòd si quis pertinaciter Galeno hærere uelit, fateatur oportet duas esse substãtias: alterã quidem calidam & tenuem, qua sanguinem dissoluunt: alteram crassam & frigidã. qua illũ cogũt. Nã ut habetur primo Meteororũ: Aqua calida celerius cõgelatur quàm frigida, quia rarior est. Cap. 12.

Præterea odores omnes calidi sunt, & à ca- Ca. 5. ante & post medicum.
lido: Aristoteles in libro de Sensu & Sensili, & expressè Galenus quarto de Simplicibus medi- Cap. 22.
camẽtis. Et probat hac ratione: Quæ odorata sunt, aut multum uaporũ, aut tenues reddunt uapores, qui ad cerebrum pertingere possint: sed si uel multum uel tenuẽ uaporẽ emittant, calida sint necesse est: igitur omnia odorata calida. Quæ enim inodorata sunt, parũ remittunt, & crassum uaporem ob frigiditatem: at mandragora, hyoscyamus, & opium, ac talia non solum olent, sed grauiter olent: igitur talia omnia calida sunt. At quia hoc enim ad dignoscendam uenenorũ substantiam facit, grauiter olent, & malè, à crudo humido id fieri necesse est.

Modus ergo quo talia uenena interficiunt, & somnum etiam inferunt cum stupore & amentia, est, quòd talia medicamenta tenui calidi-

tate penetrant sanguinis & spirituum substantiam, eamq; corrumpunt: ideoq; hebetātur omnes sensus, & sanguis à motu cessat & coagulatur: ideoq; etiā reliquū spirituū extinguitur, unde postmodū sequitur mors. Et si euadant, transeunt in malū habitum, extinctis spiritibus, ut nō deficiant à concoctione, sed corruptos generent humores.

Sed de argēto uiuo Aggregator posuit ipsum calidū, cū dixit, Quòd corrodit quicquid est ob Cap.368. uiū. Galenus aūt uidetur ipsum numerare inter uenena, quæ tota substātia agūt: & uidetur etiā sentētia illus nō solùm calidū esse, sed etiā tenuiū Quinto de Simplic. med. cap. 19. partiū. Vnde decimo Artis curādi: Nullū exquisitè frigidū potest esse, tenuiū partiū. hydrargyriū est tenuißimarū partiū: igitur nō potest esse frigidū. Argumentū tenet à positiuo quod negat simpliciter, ad superlatiuū, quod negat illud. Vt si dicamus in prima figura: Omne tenue est non exquisitè frigidū, seu particeps caliditatis: & cōuertatur, Omne tenuißimū est calidū: inde subiūgamus minorē, hydrargyrū est tenuißimū substātia, igitur est calidū. Deductio prima habetur ex Dialectica nostra. Si enim tenuitas est ab aliquo calore necessario, sūma tenuitas est ab excellēti calore, aut saliē superāte. Præterea uel tu uis loq de hydrargyrio, ut extra corpus, et sic est frigidū in actu: sed piper etiā æstatis tēpore, aut dū est deductū ad actū in corpore nostro, & ita impellit materias multas: hoc aūt est opus caloris: igitur hydrargyriū calidū est. Dico ergo ipsum esse pximū tēperamento, nec occidere ut calidū, uel frigidū: nisi sit destillatū. nā cū destillatur, uel sali ammoniaco, uel chalcāitho solet copulari: unde tū societate, tum destillatione, ut in aqua separationis experimentū docet, calidißimū & siccißimū euadit. Opus aūt illud quod agit in scabie, nō solùm in Indica lue, fit ab eo tanquā calido & humido, & ideo segregāte, & putrefaciēte, et abominabili naturæ nostræ: cuius indicium est, quòd omnia metallica (ni forsan aurum excipiatur) etiam sulphuris oleum tam iucundum sapore, & odoris expers, si ritè fiat, uomitū statim mouent. Vnde qui hyeme inungūt, si differatur expulsio, manifestum periculum uitæ afferunt.

DE VENENO A' SVBstantia. Cap. XXI.

VEnenū quod substātia perimit, aliud quidē uentriculū propriè afficit, ex quo genere sunt, sanguis omnis crudus animalis, multis præditi fibris, quo ex genere est taurinus maximè, hic enim epotus, nihil triste habet: uerùm ob fibras cōcrescit in uētriculo, magnaq; mole cor frigiditate sua uexat, & suffocat pulmones. Celebris est hic morte duorū, ut fertur, insigniū uirorū, Coriolani, Themistoclisq;: quorū uterq; exulne uel patriā cōsilio euertere, uel fidē frangere cogerentur, mortem elegit celerē, et quasi fortuitā, quamuis in ipsa, ut par est, multū discrucientur. Aliud est, quod certè lentum est magis, uelut gypsum. hoc enim refrigerat et obstruit uenas, quæ à iecore ad intestina ferūtur, unde primū tabes gignitur, et cacoexia. inde fluxus epaticus lōgus, & hydrops flatuosa seu sicca generātur, ex qua tandē pereunt. Nā ex fluxu aßiduo, dum postea retinentur quæ eijci consueuerant, calor naturalis opprimitur: & qui præter naturā est, augetur: unde flatus materia & causa efficiens in tumorem redacto uentre, omnem functionē illius impedit atq; occidit. Sæpè autem in robustis hoc malum propellitur: in alijs, cum uenæ latæ admodum fuerint, ad renes, ultraq; transit uenenum. cuius etiam quandoq; portio defertur ad pulmones: atq; hinc lapides, illinc tabes gignitur, priore deterior, scilicet siccato pulmone. Referunt, Græcos perfidos huiusmodi ueneno totū Christianorum exercitum, qui contra Turcas ibat, in illorum auxilium sustulisse, ut è centum millibus hominū pauci superstites euaserint. uix eorū numerum, quos superfuiße dicūt, referre audeo. Atq; ea fuit gratia, unde etiam nunc meritas luere posteri pœnas uidentur.

Tertiū genus ueneni, quod à substantia est, perniciosum (cū natura omnia frigida sint, quæ ipsa substātia nocēt) est, quod substantia & forma potius nocet, quod nō est propriè uenenū: uelut nitrū, & ferrum, & æs. incidunt enim ac secant etiā uentriculum & intestina. & huiusmodi noxa nō transit ad iecur: plurimùm tamen periculi est à forma quæ diuidit, & acutam habet cuspidem, unde peßimū est nitrum: inde crystallus, gemmæq; omnes. nec uideo quid præcipuum habeat adamas. neq; enim duricie illa indigemus ad sectionem uentriculi, uel intestinorum.

Cap.69. Quartum genus propriè non dicitur à tota substātia perimere, sed potius à proprietate, quæ totā substantiā sequitur: cuiusmodi erit id de quo infrà dicemus. Nunc uerò de ipsa substantia agitur, nō quidem ut pura est (etenim nullum habet opus) sed ut expers est omnium qualitatū primarum, & à primis ortarum. nam magnitudo, & forma, & corpus, insunt substantiæ sine qualitatis ratione: leuitas aūt & grauitas nō. licet enim sint quasi formæ elementorū, Secūdo de Anima dicebat

Com. 108. 2. Con. 7. dicebat Auerroes: caliditas tamen & frigiditas sunt quasi formæ & ipsæ elementorum, ut à nobis est demonstratum, ideo de his non ago. Vel si libet grauitatem huiusmodi, causam mortis cõstituere, ut in argento uiuo, non erit sine manifesta frigiditate. Relinquuntur igitur quatuor genera iuxta hoc ueneni, à tota substantia. Primũ enim ad magnitudinem refertur, tametsi quidam signa proponant, tanquam proprietate quadam interimat: non tamen uideo, quòd si non congeletur, detractis scilicet fibris (ob has enim solùm cogitur, teste Philosopho) quòd interimant. 1. de Hist. animal. cap. 6. Secundum, ad corporeitatem, quatenus eam retinet. nam alia quæ non sunt ex hoc genere, dissoluuntur. Tertium uerò ad formam. Hucusq; propriè à substantia uenenum sumptum dicitur. Relinquitur quod à frigida qualitate, idest à densitate. at quia de hoc sermo non habebitur inferius, quod enim frigidum à Galeno dicitur, alterius est generis, uel omnino à putredine, uel saltẽ ex calido frigidoq; mistum. Omnium autẽ uenenorum propriè à substantia dictorum minus noxium est, quod à corporeitate interimit, & minus etiam quàm quod à grauitate. Idq; solũ, ubi curatum etiam fuerit, uestigium nullum noxæ relinquit in corpore: ut contrà maximè, quod à forma & à frigiditate: quod uerò à magnitudine, quasi medium est. Verùm omnibus uenenis à substantia accidit, cum non magna fuerint, ut tabefaciant. Inest autem hoc magis uni quàm alteri, scilicet secundo generi: propterea de tabefaciente statim dicendum est.

DE VENENO TABEFACIENTE. Cap. XXII.

IAm uerò quòd nullum sit proprium genus ueneni tabefacientis, demonstratum est: sed & quòd omne uenenum, cum sensim hominem ad perniciem egerit, ex tabefacientium sit genere, declaratum est. Non solùm ergo quod à substantia perimit, sed & quod putrefacit aut erodit, aut caliditate colliquat, aut proprietate destruit, tabefaciet: sed & quod est, uelut opium atq; cicuta, ut iam (ni fallor) nouẽ sint genera. Addatur & decimum, quod siccat. at hoc omnibus magis propriè tabefacere dicitur, cũ tamẽ nec illud propriè tabefaciat. exiccat enim in uniuersum, quod siccat: & quod obstruit, magis propriè tabefacere hominẽ dicimus. Quæ autẽ refrigerant, dolores mouent: tabes autem propria sine dolore est. quæ stuporẽ inducũt, inducũt et sensuũ hebetudinẽ, & alia quæ nõ sunt propria tabidorũ, imò potius malum habitum & albam pituitam, quàm tabem. Quæ excalefaciunt, uix longo tempore absq; corpus esse sinunt. Quæ aũt erodunt, & quæ diuidunt membra, dolores mouent: quæ putrefaciunt, & quæ à proprietate interimunt, cachoexias potius quàm tabes efficiunt. Magnitudo illa uix diu sine alijs symptomatibus esse potest, quin dura dolorẽ efficiũt, at mollia dissoluũtur: inueniuntur tamen dura lenia, lenia quæ sola tabefaciunt: quale in bobus ouum tandem. & si, ut dixi, omne uenenum cum lentè admodum egerit, tabefacere possit, tria tamẽ propriè dicũtur tabida, quod obstruit, quod siccat, quod leue corpus ac lene, sed durum & magnum, præcipuè rotundum gignit. His quartũ additur, cum genitus fuerit abscessus aliquis durus, maximè in cordis tunica: primùm ut narrabat Galenus, gallo quẽ dissecuit, accidisse: & etiam de aqua contenta in eadẽ, ut de simio qui contabuit. Hæc enim eadẽ homini accidere posse affirmat. Pòst est pulmo si quid horum ei accidat: inde de uentriculo. nam in iecore, quoduis horum accidat, ad aquam potius intercutem spectat quàm ad tabem. Ergo si ista per se accidere possunt, cur non etiã ex malo medicamento, tametsi ad hoc ipsum non exhibito? esset enim perquam difficile talia nisi, experimento fortuito consequi. 5. de locis cap. 2.

Ergo primi generis uenenum iam duplici modo tabem efficit. Primum, cum obstruit uias quæ sunt ad iecur, & tunc uentris fluxũ necessario gignit, qualis est epaticus: seu à mesaræo sanguinolentus scilicet: itaq; corpore nõ nutrito, palàm est necessariò tabem consequi. Huiusmodi morbũ non propriè tabẽ, sed uentris fluxũ potius appellabunt. Secundus modus est, cum obstructio acciderit in uijs quæ sunt à uenis ad membra, unde propriè atrophia gignitur. Et siccitas est propriè causa atrophiæ, dum membra consumunt proprium nutrimentum: aut si fit in iecore, consumit alimentũ totius corporis. Et propriè siccitas cordis est causa illius: quia ut exemplo apparuit, etiam ratio id ostendit: totus sanguis qui in uenis est, à calore sanguinis arterialis malè temperatur. Et tertium genus efficit, ut homo non concoquat: & cum chilus non fuerit bonus, non generatur ex eo bonus sanguis, & corrumpitur nutrimentũ corporis. Et hoc si moderato cibo omnino utantur, aliter in duos morbos simul incidunt: atrophiam scilicet, atq; albam pituitam. Et quãdoq; generatur lapis in uesica fellis, sicut apparuit in cadauere Papiæ dissecto: & tũc accidit scabies insanabilis ex eo, cum atrophia. Et gignitur atrophia ex lapide in uesica magno: sed

hæc est cum cruciatu. At quæ fit ex cordis affectu, uel membrorum ei necessariorum, exiccant corpus, ob id quod sanguis uenarum non pulsantium non nutrit; nisi ut ad actum deducitur à sanguine arteriarum, ut demonstratum est à nobis in septimo Contradicentium. Contrad. 10.

Illi autem absceßus, qui sunt in uentriculo, idem operantur, quòd moles illa leuis, de qua dixi. Sunt autem tria genera in huiusmodi, scirrhus, tuberculum crudum, & aqua. quibus potest addi intẽperies frigida, sicut in senibus ex defectu caloris naturalis, quæ coctionem impedit, dolorem tamen nõ generat. Est & quintus modus, cum sanguis adeò terreus fit, ut nutrire mẽbra nõ poßit, uelut in melancholicis: aut iusto calidior, uelut in morbo regio laborantibus. Et tabes omnis mala est, utpote quæ sit uia ad seniũ & ad mortem: sed quæ est cũ lepra & scabie, est deterior. Et est status infelicium. nam præter id quod corpus non nutritur, humorum adest magna prauitas. Sed scabies cum bono habitu, est ex his quæ hominem perducunt incolumem ad longam senectutem, natura se exonerante per eam uiã à corruptis humoribus. Et uenena præsentanea, cum quis eis occurrerit, nec perfectè illa potuerit superare, aut in cura nõ perseuerauerit, uel trãseunt ad tabem, uel ad morbũ regium, uel albam pituitam, uel scabiem, & sordida ulcera. & hoc est minus malum: & maximum est alba pituita, & deterior quàm tabes: nisi fuerit cũ tußi, & difficultate spirandi.

DE VENENO PUTREFACIENTE. Cap. XXIII.

QVæcunq; uenena putrefaciũt, etiã phlegmonas excitare, aut erysipelata solent, iuxta propriam naturam ac uim, nempè uiolenta celerrimè & magno cum æstu: temporanea autem serius, & magis putrida. atq; id in mollioribus partibus atque sanguineis: qua ratione maximè in pulmonibus. sunt enim molles atq; sanguine multo & calidiore præditi. Porrò cum omnis putredo contagiosa sit, ut demonstratum est, omne huiusmodi uenenum etiam contagiosum erit. Inde etiam putrefactis pulmonibus tabes fiunt, & sanguinis sputa: iecore autem morbi regij ac febres, tum uerò hydropes. Manifestũ est autem, quòd omnia talia calida erunt, quoniam à calido externo fit omnis putredo. Sed si contagiosum est in ipso homine, atque ad mortem perducit, quærendum est iure merito, cur quemadmodum & in Indica lue, non serpit ad alios homines, cum ualidior morbus sit, magisq; exacta putredo? Vnde illud admiratione dignum, quo nam pacto in eodem homine aliquid, & nõ leui cũ impetu serpere potest, & tamẽ in aliũ hominẽ migrare non potest? huiusmodi dubitationes minimè leues sunt, in quibus ratio unum docere uidetur, aliud ostendere experimentum. Quòd si negare uelimus esse putredinem, quæritur rursus, quomodo contagiosa sit, ac serpat ex una parte, ueluti iecore, in uniuersum corpus? Hæc proposuisse uelim, ut intelligerent homines, Galenum multa prodidisse obscurius, ac etiam quæ defendi non possunt. Putat enim ille, arsenicum, leporem marinum, hydrargyrum, fel & saliuam, uenenatorum, quæ quinto libro de Simplicibus medicamentis commemorat, putrefacere, ut existimo: tametsi apertè id non confiteatur. Cap. Quamobrem omne uenenum propagari necesse est, si lethale esse decet. Omnia quoq; propagantur ut lumen ipsum & homines, tum ignis: nec tamen quisquam adeò ineptus est, ut omne uenenum quod producitur, contagiosum esse dicat: aut si contagiosum esse uelit, audeat rursus affirmare, omne uenenum contagiosum putrefacere. Quod ergo dicimus putrefacere, corrumpere dicemus: atque ita non erit necesse, ut omne uenenum huiusmodi olida faciat, ac ualde fœtida excrementa: neque rursus, ut ex uno in alium serpat hominem. Ergo cum uocauit Galenus putrefaciens medicamentum, communi id ratione intellexit, id est, quod corrumperet substantiam hominis, humores siquidem atque membra. Ergo illud rursus dubitatione dignum, cur si uenenum ex hominis parte in partem serpit, cur non ex homine in hominem? diximus enim antea, contagium fieri calore. Omnis enim productio à calore fit, sed alia à naturali: ut, homo hominem generat. hæc autem generatio multis & exquisitis indiget. generatio autem ignis, & putrefactio, non multis indiget, quoniam informis est. Quodcunque igitur putridum est, ut Indica lues, etiam in aliud subiectum transit: generatio autem non ita. Sic scorpionis uenenum in eodem homine serpit, & usque ad cor, & usque ad cerebrum, & uiperæ, & aspidis, & argenti sublimati seu destillati, ipsumque hominem interficit, & breui: ex uno tamen homine in alium progredi, haud uisum est. Sed & corrumpit manifestè unumquodq; horum, & excremẽta, & urinas, &

sudores

sudores & sanguinem, & corporis partes, si ita contigerit, ut aliqua excidat, non tamen putrefacit. Innatum est ergo omne id in quo calor est, progredi ac ampliari, multiplicariq; in eodem subiecto: quòd tamen putridum non est, non potest in aliud commigrare. Sed & huius, quemadmodum aliorum nostrorum dogmatum, causa est manifesta, quoniam antipathia hæc cum sympathia minimè coniuncta est. neque enim scorpius aut uipera eandem habent cum homine substantiam, multoq; minus arsenicum, aut hydrargyrum: quo fit, ut putredinem efficere nequeant. Liquet etiam, maiorem fieri corruptionem à uipera quàm à scorpione: & à scorpione, quàm napello: & napello, quàm arsenico. sunt enim hæc remotiora à natura, atq; substantia humana. Vnde etiam aliqua serpunt, & propiora sunt putredini exactæ, uelut dryini, quod anguis sit multum habens sanguinis: atque eo magis canis rabidi. est enim canis naturæ humanæ quàm anguis propior, atq; ita de alijs. Putrefaciunt ergo maximè febres boboniæ, quoniam inter hominem & hominem sunt, ideoq; celerrimè perimunt, quod ad putredinis naturam attinet (alia enim proprietate deteriora sunt) & maximè propagantur, & excrementa habent maximè, rursus fœtida: aeris autem corruptio ad putredinem maximè accedit, propter eam quam nactus est in nobis familiaritatem. Ergo ex animalibus & sanguineis medicamenta, quæ putrefaciunt, sumantur iuxta antipathiam.

DE VENENO ERODENTE. Cap. XXIIII.

ERodens autem est duplex, ob id, uel quòd ob acredinem erodit, ut cauchalis, pityocãpte, salamandra: & quòd ob substantiam quæ putrefacit, corrumpit, uelut ex rubeta & marino lepore. Vtrumque etiam bifariam contingit, uelut in sensu præditis corporibus, uelut uentriculo & iecore. Sed secundi generis nullus est sensus neq; in uentriculo, neq; in iecore, ut sint tria membra seu genera erodentis ueneni: quod acredine sua erodit membra sensu prædita, quod erodit membra non sensu prædita, quod putredine ueloci erodit. Porrò membra sensu non prædita, nisi in ambiente circùm tunica sunt, quæcunque parenchymate constant, sed non ex neruea substantia: uelut pulmo, iecur, renes, & cerebrum. In his maximè sine sensu grassantur erodentia uenena, ex quo genere etiam est lues Indica. Sed non est uenenum erodens? non intendo litem de nominibus, modò intelligas, bifariam excidere partes membrorum & sensiliũ, absque sensu, & cum sensu, & quomodo, & cur. Est autem hoc in his admirabile, quod erosio uerè putrefacit, & uenenum erodens uerius dicitur putrefacere: quàm quod dicitur putrefacere. Etenim in erosionibus solent membrorũ partes excidere malè olentes. Quæ igitur uenena ualde putrefaciunt, eadem erodunt; & uerè inquam putrefaciunt. Vnde & in tertio Epidemiorum meminit Hippocrates huiusmodi putredinis, qua membra quasi erosa excidebant: cuiusmodi etiam in ignibus sacris, & in sphacelis cernitur. At cum ex his quæ erodunt, alia sint talia substantia, ut ærugo, arsenicum: alia ui, ut lepus marinus, atque cantharides: quicunque ui sola talia sunt, huiusmodi propagantur, reliqua non ita, sed ibi solum erodunt, ubi corpora eorum adhærent. Oportet autem huiusmodi hærere. Hærent autem propria sordicie, & pondere ipso. Hæc autem longè deteriora, & plerumque lentiora. nam facilius est qualitatem frangere, quàm corpus ueneni educere. At facilè utrumq; euitatur, quòd illud à quo erosio fit, acre necessariò est: quòd putrefacit, malè olet. neque enim fieri potest, ut magna fiat corruptio ab eo medicamento, quod putredinem magnam potestate non contineat: nec potest continere, nisi id etiã malè oleat. at quod acre est, acriora habet, piper Indicum & cõmune: quod etiam amarum est, amariora, gentianam & aloen ueneni expertia. at ærugo acris est, & amara ualde: hoc autem in nullo alio medicamento dispari inueniri potest, nisi in hoc ipso, aut sibi simili. nam si amarũ est, terreũ est; si acre, igneũ: si ergo acre & amarũ, igneum & terreum, igitur & erodẽs. Talia ergo sunt quæ erodũt medicamenta, uelut & alia: sed quæ ui sola interimũt, gustũ nullum excellentem habent: lepus tamen marinus, ut dixi, ex tertio genere est. erodit enim, quoniam putrefacit. Scripsimus & de hoc aliàs consilium, cuius exemplum in Hispanias delatum est, sed omnia illa tamẽ his fermè libris continentur. Hæc uolui adiecisse, ut intelligant homines, si unquam in illud inciderint, nostrum quidem esse, sed compendium. Vt ad rem ergo redeam, & inter erodentia quod à figura agit, reponi potest et nitrũ. nullum autẽ est genus ueneni, quod non maximè fallax sit, sed hoc præcipuè. Nos uerò ita rem obscurauimus, ut ad auxilium, quantum oportet, sufficeret: ad rei intellectum plurimi eo longius absfuturi sint ab eorum inuentione, quo propiores se

In Const. pestilenti.

res se existimabunt. Verùm quod notißimũ est, hoc genus est quod uulgus etiam nouit materiarium: ex argento uiuo destillato, arsenico, ærugine, aqua separationis, atque huiusmodi. Vtrumque autem piper nigrum scilicet & rubrum ex India in uenenum non transeunt: quoniam cum terrea eorum substantia pauca sit ac tenuis, à ui membrorum superatur antequam urant. Vrunt ergo solũ quæ terrea substantia craßiore sunt: quocirca quæ præsentanea sunt, uesicas excitant, inde erodunt intolerando uentriculi dolore: cætera quæ sunt temporãtia, adhærent membris, & sensim exiguoq; cum dolore idem efficiunt: difficiliusq; ob id, ut minus intellecta, sanantur. Est etiam aliud discrimen in temporaneis, quòd quædam illorum escharam suscitant, quoniam craßiora sunt, siccantq; plus quàm erodant: quod exemplum habes in humore scabiem faciente. simul enim partes aliquas liquefacit erodendo, & escharam gignit. Fit autem eschara humido illo iam colliquato exusto, exemplo ab igne deducto, ut quinto Methodi. (Cap.3.) tenui enim humido euanescẽte, quod terreum est cogitur in unum, idq; uidere licet in his quæ oleo frixa, ut pisces, diutius excoquuntur. Quapropter escharas gignunt misy, sory & chalcitis, ut nono de Simplicibus medicamentis. Est etiã aliud escharæ genus, cum cutis antequã dissoluatur aduritur, nec soluitur in his craßis, quæ à capitello et gallico sapone excitãtur. (Cap. de Misi & chalcitide.) Quæ etiã ibi, inquit Galenus, tenuiora sunt substãtia, minus mordicant. atq; circa experimenta & propiores causas uir hic fuit admirabilis. Cæterùm & erosio ipsa maximè fit in mollioribus corporibus, atq; idcirco magis in pulmonibus, & minimè in senibus. In uesica etiã facilè fit, & magnos infert dolores. Hoc quidem, quia magno est prædita sensu: illud, quod urinæ habeat societatem rei aeris, & in uesica diuturnam habeat moram. Qua ui autem cantharides magis quàm piper exulcerent, cum tamen piper aerius sit, ac magis terreum: causa est substantiæ diuersitas, in cantharide quidem terrea & crassa, in pipere uerò terrea atque tenuis, ita ut à calore natiuo prius dißipari possit, quàm partes interea adurere incipiant.

DE VENENO AB OCCVLTA qualitate, & quæ nam sint hæc. Cap. XXV.

VTrum hæc uenefica & diuersa qualitas occulta detur, dubitatione dignum est. Nam si homini uenefica est, contraria est: & si contraria substantia, substantiæ contraria erit. at substantiæ nihil est contrarium, ut inquit Aristoteles in Prædicamentis. (Ca. de Substantia.) Præterea si occulta qualitas uenenum est, erit illa qualitas, aut forma. si qualitas, non potest esse occulta: si forma, non est occulta qualitas, nec proprietas aliqua. At cõtrarium primo uidetur ex hoc decerni, quoniam Galenus illam esse fatetur, ut sexto in sextum Epidemiorum: (Com. 5. in fine.) & nos secundo & undecimo Cõtradicẽtium eam tractauimus quæstionẽ, quam (Cõtrad. 2. Contrad. 74.) ut legas hortor. Aliud est argumentum ab experimento. Cicuta, ut autor est Theophrastus, et aspis ille somniferus, ut Dioscorides affirmat, (9. de Hist. plant. 17) occidunt sine ullo doloris sensu. (Lib. 6. cap. 54.) at hoc non potest contingere citra occultam & propriã qualitatem deleteriam. nam quæ mutant, ut contraria in qualitate, & repentè dolorem excitant, ut Galenus fatetur libro primo de Symptomatũ causis. (Cap. 6.) At huiusmodi non excitant dolorem, igitur non sunt contraria in qualitate. Sed neque in substantia, tum quia substantiæ nihil est contrarium, ut dictum est, tum quia substantia non agit. Videmus ergo non solùm apud Platonem, Socratem sine dolore extinctum: (In Phędone.) sed etiam id docet ex Thrascia Dioscorides, dicens, quòd breui extingueret hominem, & sine sensu doloris. Idẽ refert Plutarchus de Cleopatra, & ut dixi, refertur à Dioscoride. (In uita M. Antonij.) Oportet igitur uim ineße occultam rebus illis, qua extinguãt spiritus. Sed adhuc dubiũ est, quæ nam sit hæc uis. nam si est ut in opio, erit uis frigida, aut quæ putrefacit: si putrefacit, nõ est uis occulta. nã omne putridũ putrefacit. Quærendũ est etiã, si putrefacit quod non est putridũ, quæ nam sit illa uis? Sin autem sit frigiditas, multo minus est qualitas occulta. Aut ergo uirus serpẽtis erit putredo, & hoc nõ: quia nullũ animal cõstat calido putrido, licet ab illo poßit generari: aut simile nõ à simili generabitur. Præterea esset serpens febris pestilens, et omnes morsi à serpente laborarent pestilenti febre. nam putredinẽ semper febris, & necessariò cõsequitur, ubi inualuerit: inualescit aũt, si hominem occidit, & celeriter. Dioscorides uidetur ad frigus retrahere uim aspidis, dicẽs: Congelatur sanguis celeriter in uenis, & ex uulnere modicũ nigri sanguinis exit. Sed si ex frigiditate esset hæc cõgelatio, sentiret patiens frigus in maxima corporis parte, tũ maximè quòd conuulsionis signa appareãt: congelatur aut ab extinctione spirituum sanguis, ut superius docui. (Cap. 20.) Nam de opio quis dubitare potest, cum dicat Diosiorides, uehementem pruritũ excitare, tum etiã calere. (Lib. 6. cap. 17.) Vnde ergo illi frigus? Propterea aliud dicendum est

de plan-

de plantis, aliud de animalibus: in plantis causa mortis est putredo, opio scilicet, cicuta, mandragora: & licet sequatur frigus, cōtingit ob extinctionem caloris naturalis. At in animalibus, cū, Lib.3.ca.7. ut dicemus, sympathia sit, dum communicant in substantia, & contraria sunt in qualitate: antipathia, dum contraria sunt in substantia, conueniūt in qualitate: fiet serpens contrarius homini per antipathiam secundi generis, ceruo autem primi. Constat ergo primum, quod cum ubi proprietas & occulta qualitas occidens, ibi antipathia. at nō inter plantam & hominem antipathia, nec sympathia: igitur contrarietas nulla in occulta qualitate aut proprietate. Neq; enim homo & planta conueniunt in primo genere, at serpens & ceruus conueniunt in genere: & dissident in prima differentia ratione essentiæ, ideo antipathiam habent. Est ergo antipathia duplex, serpentis ad ceruum, ob substantiam: & ad hominem, ob substantiam & qualitatem: & ideo serpens uincit hominem, & ceruus serpentem. Nam serpens est in ultimo ordine siccitatis, et ceruus similiter: & cerui natura est robustior, quia sanguinea: igitur ceruus uincit serpentē. at serpēs cū cōuenat cū homine in genere, & discrepet in prima differētia, habet antipathiā: & cū sit in extremo siccus serpens, homo nō, ideo licet serpens occidat pari antipathia, facilius tamē serpens hominē occidit quàm homo serpentē, quāuis aliquādo occidat. Et eadem ratio est in plantis ac metallis inter se. Sed uidendum modò, quomodo etiam caro uiperæ sympathiam habeat cum homine, aut etiam antipathiā. uidetur enim utrūq; uerum. Nam caro mortua non est caro, quia tum actu habuit antipathiam: ubi ad actū per hominē deducatur, antipathiā assumit, & liberat à ueneno. Et hoc est ac si uiueret, iuxta rationem proprietatis.

His propositis, dico quòd hæc occulta proprietas in similibus nō est aliud quàm perfectū ad imperfectū, uir ad puerū, & uir ad mulierē, et Herculeus lapis ad ferrū, & est sympathia. Deinde in contrarijs erit, cum principia sunt incōmutabilia inuicem. sunt enim similia & dissimilia in substantia, & eorum actio est per qualitatem, quæ seu sit similis, seu dissimilis, nil refert. Dices, cur asinus non habet antipathiam cum homine? quia nimis similis. Cuncta ergo animalia exanguia antipathian habent cum homine, sed non cum uulpe: quia homo est in extremo latitudinis sanguineorum animalium. nullum enim animal plus habet sanguinis homine. Et etiā quia homo est in quarto genere mistionis refractorū elementorū: demū quia est mollioris substantiæ. nō tamē est quoduis exangue animal illi uenenū ob imbecillitatem, utpote muscarū & uermium, sed tamē operātur operationes medias. Ratio aūt quæ demōstrat hoc, præter id quod cōsentit omni experimēto, est hæc: Omne agēs naturale agit medio qualitatis, quam habet, assimilādo sibi passum: sed in ualde distātibus idē est assimilare passum, et destruere præcedentē formā: igitur omne agēs naturale, agit destruēdo formā in principijs à sua dissidente. Verùm animalia omnia habent calorē suū actu: igitur omne animal destruit aliud animal quod dissidet in principio: & nō destruit ita plantā, quia nō est similitudo cum ea in principijs, cum animal sit tertij ordinis refractorū, et planta secūdi: & ideo nō recipitur calor ille animalis in plātā, ut in alio animali. Et hæc similitudo in materia cū cōtrarietate in principijs, uocatur Proprietas occulta: ex quo patet, quòd omnis occulta proprietas est comparatiua: ideo magnes trahit ferrum, nam recipitur ratione similitudinis, non carnem.

Remanet solummodo una dubitatio nō leuis, quæ est: quòd uidētur etiā aliqua uenena ab occulta proprietate enecātia in plātis, uelut de halicacabo cū scorpione, ut dicemus inferius. Lib.2.ca.5. Propterea dicendū, quòd huiusmodi cōmunicant in materia. insecta enim se habēt ad plātas, ut sanguinea ad insecta: sed sanguinea habēt antipathiam cū insectis: igitur et insecta cum plantis. Ex hoc patet, quòd insecta cum insectis, & plantæ cum plantis & huiusmodi habent sympathiam.

Sed rursus dices: At ex hoc sequētur duo absurda. Vnū, quod planta non poterit habere antipathiā cum planta, quod falsum est. nā uitē oderūt olea, ficus, caules. 8. de Subtil. in prin. Alterū, quòd inter diuersa nō poterit esse sympathia. at elleborum eodē loco albū refert scorpiones mortuos ad uitā restituere, atq; hæc iā manifesta ex dictis esse uidentur. Respōdeo ad primū, quòd antipathia propriè est, ut dictū est: sed et in plātarū genere est discrimē, uelut animaliū: uinosæ, ut uitis: et oleosæ, ut oliua: & ita etiā ficus. neq; enim ē genere pomorū est, aut nucū. Vitis præterea est in plātarū genere, ut homo in animaliū, obtinēs principatū: et ut animalia sanguinea ad hominē, ita mala, et maximè punica, ad uitē, sympathiā enim habēt. Caules uerò herbæ sunt, sed caules principatū quidē obtinēt, ut in fabulis: cū ergo duo habent principatum in suo genere, et iam cōmunicant in materia (sunt enim plātæ, et ambo robusta sunt) agūt inuicem uehemēter. igitur si similia sunt, sympa-

thiam necessariò habent: si dissimilia, antipathiã. Quæ enim in materia communicant, & uitam habent, habent & sympathiam uel antipathiam: sed quatuor obstant ne detegatur. Primum est, si unum fuerit ualidum, alterum imbecille, ut dixi de musca & homine, & idem dico de glyceriza & quercu. nã etsi una succũ habeat dulcẽ, alia amarum, non tamen apparet antipathia. Secundum, cum discrimen similitudinis & dissimilitudinis leue fuerit. tunc enim latet, ut inter plerasq; arbores: & hoc in genere & specie, in genere quidem, ut inter salsum & uinosum, dulce & amarum, acre & pingue: in specie, cum excelluerint uel fuerint pauci succi, & exigua fuerit qualitas. Tertium, cum natura soli non potest pati ambas plantas, quæ tamen sympathiã habent tunc, nec una aliam potest souere ob soli naturam: nec destruit, cum sint similes. Quartũ, cùm qualitatibus primis fuerint contrariæ, & natura ualde similes, tunc non facile deprehenditur sub qua differentia contineantur. Vitis ergo & brassica deteguntur in antipathia, ob sapores genere ualde contrarios, scilicet salsum & uinosum. Ad secundum dico, quod inter elleborum & scorpionem est antipathia, sed non simpliciter, uerum contraria in qualitate ad radicẽ halicacabi: illa enim frigida est & humida uehementer, ellebori calida & sicca ualde: & ideo sopito scorpione (nam non credendum est, quòd mortuo prorsus, cum ellebori uis contraria sit natura halicacabi radici) fit alexipharmacum illi, & restituit ad uitam. Et si dicas: Cur nõ omnes radices calidæ & siccæ? Dico, quòd radix ellebori, præter temperamentum, uim habet propriam ad cerebrum & neruos peculiarem, qua potest stimulare, & etiam consouere principium animalis. Præterea dico, eo quòd plures aliæ radices id possunt, sed non sunt adeò uulgatæ ut elleborus. Et ideo causa erroris principalis, & quòd tam diu latuerit natura sympathiæ & antipathiæ, est, quòd putarent eam esse uim absolutam quandam, cùm sit solum comparatiua. Secundò, quia crediderunt esse unius ad unum, ut Herculei lapidis ad ferrum, cum sit unius ad plura, & generis itidem persæpè totius ad totum aliud genus. Tertiò, quòd crediderunt esse unam causam tãtum, cum sint plures. Quartò, quòd existimauerint antipathiam & sympathiam esse à qualitatibus, uel perfici opus eorũ sine illis: quorum utrumq; falsum est. Quintò & ultimò, quod leues sympathias & antipathias non animaduertunt, quia ignorant illud principium, quòd inter duo quæcunq; uita prædita, & genere communicantia, alterum eorum necessariò semper intercedat. nã hoc superius est demonstratum.

DE TERTIA DIVISIONE VE- ueneni in præsentaneum & temporaneum, & de causa eius. Cap. XXVI.

Et uenenorũ quidem temporanea alia sunt, quæ post longum tempus interimunt, aut tabefaciunt saltem: alia autem statim, id est ipsa die, uel post unum uel duos, aut pauculos dies. neq; enim quæ post tres aut quatuor dies nocent, solemus temporenea appellare, tametsi magis tẽporanea sint quàm præsentanea. Dubitari igitur solet, an dentur huiusmodi uenena. nam si non nocent, nec nocebunt, inquam, nec uenena erunt: si nocent, statim ergo cum noceant, temporanea dici non poterunt. Experimentum tamen illud maximè ostendit in his quos canis rabidus momordit: quorum quidam sanato ulcere nõ solùm per plures dies, sed etiam menses & annos quiescunt sine noxa: inde subitò rabie deprehensi, nulloq; præsidio adiuti moriuntur. Galenus tertio de Simplicibus medicamentis, quæ putre- Cap. 11.
faciunt medicamenta, huiusmodi esse censet, ut dum sanguinem corrumpunt, ad quandam usq; metam non sentiantur prorsus: licet ubi postmodùm processerint, ineuitabilem mortẽ afferant. Alium ibidem tetigit modũ in erodentibus, quæ cum terrea sint, adhærẽt uisceribus, atq; interim minimè sentiuntur: tandem hominem ad mortem tamen deducunt. Talia uidetur intellexisse Princeps sexta Quarti, cum dixit: Et omne quidem Tract. 1.
quod interficit cum permutatione tẽperaturæ, cap. 2.
aut putrefaciendo, aut aduentu ad membrum aliquod, potest effectum suum post tempus producere. Licet quod putrefacit, quanto diutius in corpore manet, eo effectum deteriorem producat. In quibus uerbis tertiam præter erosionem & putredinem, scilicet intemperiem, Princeps super assignatas à Galeno adijcere uisus est. Petrus Carrariensis in sua quæstione de Venenis, conatur tribus rationibus ostendere, non solùm dari uenena temporanea (nam hoc experimento per se notum est) sed ad certum definita tempus. Est igitur prima ratio huiusmodi sumpta Tract. 3.
ex autoritate Principis prima Tertij, cum dixit cap. 8. cir-
de morbo loquẽs comitiali: Et causa eius quãdoq; ca med.
est sanguis, aut humor retentus in membro, qui propter obstructionem extincto calore natiuo putrefit, & uapor ex eo ascendit per circuitus temporum. Secunda ratio: Omnium eorũ quæ à natura

à natura & in natura fiũt, finis ex initio pẽdet.
Et est sententia Aristotelis quarto de Generatio
Cap.10. ne animaliũ. Igitur uenenũ assumptũ cũ naturali
bus uiribus agat, præstitutũ habet finem. Tertia
ratio: Mors aduenit cõsũmpto ac siccato humido:
sed humidũ à medicamẽto uenenoso potest habi-
ta ratione ad hominem exiccari certa ratione, ut
pro dimidio, aut pro decẽ annis: igitur possumus
deducere hominẽ ad definitũ uitæ tẽpus per uene
nũ. Istæ rationes declaratæ sunt à nobis uberius
in primo de Fato. Et certè quod ad cõclusionẽ at-
tinet, nõ est dubitandũ, etsi illæ nõ prorsus con-
cluderent: uerũ difficultas est, utrũ istud possit
sciri. Et ad hæc adducit rationes quasdã, sed pa-
rum cõstantes: ego aũt duas satis euidẽtes osten
dam, quarũ prima est: Circuitus insunt omnibus
affectibus naturalibus, ut clarũ est ex his quæ ab
Hippocrate in medicina sunt demõstrata, & ex
his quæ ab Aristotele prodita sunt: sed nihil no-
bis est naturaliter ignotũ (nã nõ esset animus no
ster potẽtia omnia quæ sciri possũt) Sicut enim
crises & tẽpora crisiũ cognoscimus prædictiõe
mirabili, ita & in cæteris. sed lucrũ fecit excoli
medicinã, nõ ita alias artes diuinãdi. Et sicut sunt
res quædã abditæ sensibus nostris, quæ tamẽ co
gnosci possũt: ita & rationes earundẽ licet occul
tæ uideãtur, abditis tamẽ modis ac regulis inno-
tescũt. Alia est ab autoritate, siquidẽ Theophra-
sti nono de Historia plantarũ, qui inquit, de aco-
Cap.16. nito loquẽs: Cõponi aũt ita ferũt, ut certis occi-
» dere tẽporib. possit, uidelicet bimestri, trimestri,
» semestri, anno cõpleto, nonnullũ etiam biennio.
» Pessimè illos de uita discedere uolunt, qui pluri-
» mum tẽporis resistere possunt. paulatim enim ta
» bescat corpus, & lãguore diutino pereat est ne-
» cesse: facillimè illos, qui confestim obeũt. Reme-
» dium nusquã esse compertum, sed falso dici quod-
» dam aliud illi resistere.

Cap.20. Et licet Galeno uideatur in libro de Theriaca
ad Pisonẽ, q uenenũ in his qui uulnerantur, per
sanguinẽ permeet, adeò ut si sanguini nõ miscea-
tur, nec etiã occidat: & dabat exemplũ de Hele
nio, quo infectæ sagittæ occidũt homines & cer
uos. cũ tamen ille liber Galeni hauddubiè nõ sit,
in quo fateatur amphisibenæ duo esse capita, fœ
minam uiperã abscindere caput masculo, & in
quo tam turpiter Pisoni adulatur: ideo illius sen-
tentia posthabita, dico quòd, ut docui in unde-
Sect.1. cimo Paralipomenon, uenenum canis rabidi fer-
tur per neruos ad cerebrũ, & non per uenas. Et
cũ putredinis semina egerit, propagatur ascendẽ
do uersus cerebrũ: & ita ratione loci, tẽperantiæ
& maliciæ ueneni, celeriter aut tardè mortẽ af-
fert. Cũ uerò magnitudo quæuis qualitatis sit du
plex, ratione subiecti et gradus, ut dulce, dulcius,
dulcissimum: ut mora, ficus, mel: et paries candi-
dus exigua parte, dimidia totus: uenena aũt iux-
ta utranq; rationem cum putrida fuerint, propa-
gãtur: & cum excesserint, morbos mouent: cũ
uerò adhuc magis inualuerint, perimãt in incre-
mẽto iuxta subiecti quãtitatem, nulla est difficul
tas: de gradu aũt nõ leuis est dubitatio. Multis id
probantibus, quòd nihil possit seipsum ultra me-
tas, nisi casu, euehere, ut obstructionẽ faciendo,
aut febrẽ excitãdo, aut mora putredinẽ augẽdo:
utrũ uerò corrupto sanguinè, licet non perfectè
neutro horũ modorũ, an latêre possit. Si quidem
latêre nõ potest, nullũ erit uenenũ tẽporaneũ. E-
quidẽ difficillimũ uidetur latêre posse, quin uires
imbecilliores sentiãtur spiritibus paucioribus fa
ctis, aut ægrotãtibus. corpus enim itidẽ imbecil-
lius euadere necesse est. At latitare noxam ante
rabiẽ, ante febres pestilẽtes, imò etiã in elephan-
tiasi inchoante per annos existimo, quòd cor ua
lidissimũ natura sit maximè in trahẽdo: sexto de
Vsu, inde nõ solùm trahit, sed secernit, ut quarta Cap.8. & 15 in prin.
Aphorismorũ Galenus: quo fit, ut in fame raro Com. 22.
uel ipsum uel iecur cõsumpta aut gracilia inueniã Cap.5.
tur, quicquid boni in toto corpore est attrahenti
bus, ut in libro de Tabe. ob hæc ipsa latitare ue-
nenũ tẽporaneũ posse crediderim. Porrò & simi
lem ptisanæ, candidusq;, sanguinẽ & uiridẽ me
uidisse, & aliàs scripsisse memini: albũ bis, similẽ
succo betarũ semel: quam uerisimile est diu affe-
ctã ueneno cũ multo antea hausisset, tum uerò
paucis ante diebus solũ ægrotabat. Porrò lapis
in uẽtriculo res rara, et in uesica adeò frequens,
exempla sunt ueneni & ipsa temporanei.

Vtrũ ergo certum præstituere tempus con-
ueniat, non facilè dixerim, postquã ijdẽ morbi in
his diutius, in alijs minus durant, iuxta robur cor
porũ: itaq; in huiusmodi longè maior erit diuersi-
tas, non solùm roboris uirium ratione, sed tempe-
raturæ, cõpositionis, ætatis, consuetudinisq;: cũ
alia statim hos enecẽt, alios serò ac uix. Adde di-
scrimen à quantitate. eorũ enim duodecim qui
ballarate uenenum sumpserunt (fuitq; singulare
exemplum) quod & aliàs retulimus, cũ unus tã-
tum euaserit, quia ex torta lactea nõ ederat, qui-
dã post quindecim dies obiere, quidã post mẽsem:
quidã cũ Romã iuissẽt, ut ueneficũ persequeren-
tur, uix post tres menses, cũ iam in patriã redijs-
sent, obierũt. Quis ergo audeat præfinire tẽpus
in incerto, in quo nec quæ ingrediũtur q potẽtia
sint

sint scire possumus, cum in eodem medicamento experimentum ostenderit quanta uarietas successus fuerit. Omnes tamen insanabiles fuere, & medicus ipse miser obijt: & omnes eodē morbo febricula quadā, quā escharæ crustæq; in capite, uelut in Indica lue antecedebant. Cætera nescio symptomata qualia fuerint, cum essem ualde puer uix undecim, ut reor, annos natus. Ergo temporanea uenena dari, & quæ omnino perimant, nisi certa ratione auxilia sint adhibita, certisq; terminis inclusa temporum, haud dubium est: at definita ad diem, stultum & fabulæ propius censendum est. Pleraq; autem tabifica in annum proferuntur, inde eo serius, quo fuerint temperatiora.
4. de Locis cap. 8. Nā tabes, ut Galenus docet, scilicet phthoe, terminum habet, ut intra annum perimat. Forsan & natura aliqua huiusmodi sunt & lapides, & partes animalium, & similia collo suspensa. neque enim fide caret. Et ego ita esse, certis rationibus existimo.

DE QVARTA DIVISIONE uenenī, in lethalem & non lethalem. Cap. XXVII.

ET rursus uenenorum quædam sunt quæ perimunt omnino: alia non omnino perimūt, sed nocent. nec perimunt, nisi casu quodam, cum tabèm aut putredinem ad extremum deduxerint. Et quæ longo pòst tempore etiam perimūt, ut elephantiasis & lues Indica, non tamen dicūtur tēporanea duabus ex causis. Prima, quia pleriq; euadunt ex his, ut ex temporaneis uicissim pleriq; pereunt. Et in temporaneis licet mors differatur ut in istis, tamen nec adeò diu: & differtur non solùm mors, uerum et sensus læsionis: in hoc uerò læsio non differtur, mors licet differatur. Neq; elephantiasis coloris prauitatem, uultus fœditatem, grauitatem corporis, pustulas differt: sed cum his longo pòst tempore occidit. Ergo lethiferum dicitur uenenum, quod cor extinguit. Primum enim & ultimum est, quod moritur: quoniā solo eo mortuo moritur animal, quinto de Locis.
Cap. 1. Bifariam autem contingit mori animal: extinctis spiritibus, non corrupto corde, ut in his qui uenis incisis moriuntur, uelut Senecæ & Lucano contigit: uel cum cor ipsum patitur.
2. de Placitis cap. 4 nam & detrahi potest, inquit Galenus, animali clamante pòst, atq; ambulante: an utroq; modo, quod uerisimilius est. Videtur aūt quæstio Soritica, de qua in Paralipomenis actum est.
lib. 12. Sect. 1. Sed non occidentium quædam sunt etiam pestifera & cōtagiosa, cuiusmodi lippitudo. tametsi enim putredine constent, non tamen occidunt loci ratione. Sic scabies, & huiusmodi. Contrà alia quæ perimunt, & pestifera sunt. quædā in toto corpore sedem habent, quædam autem in uno solo membro: ut peripneumoniæ, morbi laterales, phrenitides, anginæ, quæ ex putrido humore generantur. Pestiferum ego nunc non appello, ut Galenus, quod commune est, & ex maiori parte perimit: sed quod est commune, à putredine ortum habens, & contagiosum. Et similiter lethiferū, quod non necessariò perimit, sed quod plerunq;. Et sunt uenena quæ nō omnino perimūt, sed sunt ad debilitandum tantum: cuiusmodi usam ferunt Olympiadem erga priuignum Aridæū, ut regno esset inutilis. proli generandæ non esset inutilis: & quod ad amorem facit, quo Cleopatra creditur Antonium affecisse: & quod ad insaniā, quo Cæsoniam ferunt coniugem Caligulam euertisse. Et nostra ætate uidimus iuuenem sic affectum per sex menses, & euasit, & resciuit ueneni cōpositionem, quam palàm referebat, nescio an uerè. Vt sint in uniuersum quatuor genera uenenorum non lethalium: Amatorium, manicum, contagiosum ad metam, & quod debilitat. Sed hoc est ex genere uerè manici, ut sint tantū tria. Aridæus enim mente non constabat. Venena ergo quæ perimunt, uim suam proferunt: hæc autem continent, & nòn lædunt membra uitæ necessaria, scilicet cor, neq; iecur. Vnde sciendum, quòd cor & iecur cum malè afficiuntur, perpetuò semper efficiunt breuiorem uitam: at cū afficitur cerebrum, non ita. multi enim cum nota insaniæ, uel obliuiosi facti, uiuunt ad extremam senectam: sed si læsio magna sit, tunc celerius in cerebro quàm iecore perducit ad mortē, & certius: de corde autem non certius. nihil enim ad mortem certius læsione cordis, sed celerius persæpè. neq; enim morbus ullus est, qui adeò celeriter occidat ut apoplexia, quæ est morbus cerebri. Pòst tria principalia, sunt duo quæ inseruiūt: pulmo et uentriculus. Pòst est uesica, inde renes. Reliquorū nullum est necessarium uitæ, nisi accipiamus septum transuersum pro membro. Si igitur necessariorum aliquod magnum detrimentū accipiat ex ueneno, uenenum illud lethale est: Si uerò non sit uitæ necessarium, uel non sit tanta læsio, non est lethale. Dubitatione igitur dignū est, unde limes. cur enim putredo non planè corrumpit, cum motum habeat, & motus ex demōstratione habita superius. Dico quòd repugnante calore naturali reprimitur: & quòd illa demōstratio ostendit in his quæ non uiuunt corporibus, Cap. 12.

bus, aut continuè fiunt debiliora. Ex quo patet, quod morbus natura non lethalis, si sit ex putredine, semper in senio, nisi prorsus sanetur, lethalis euadit, ut lues Indica, & elephantiasis: & eodem modo, sed non tam necessariò ex mala uictus ratione. Ideo multos uidi senes ex lue Indica perire, qui antea morbum illum pertulissent.

DE QVINTA DIVISIONE ueneni, materiæ ratione. Cap. XXVIII.

Materiæ aũt ratione alia quidem ex metallicis, alia ex animalibus, alia ex plantis, alia arte, & alia putredine: & rursus alia natura, alia casu, alia arte. Ars plus potest cum natura, quàm quicquid natura per se possit. Dixi alias ex Ioanne Leone, uendi in Nubia uenenũ, quod grani pondere decem homines perimit, hominem autem statim. Natura per se plus potest quàm ars: sed iuncta, plus est in arte quàm in natura: uelut etiã in musica. Mediocri uoce præditus, cum artis excellentia præstantior est: quàm mediocri arte, naturæ aũt excellentia. Quocirca dubitatur, an ignis acuat, an debilitet uenena? Videtur aũt quòd debilitet, quandoquidẽ substantiam illorum corrumpat: ex qua pendent omnes proprietates rei. Et experimento etiã id deprehẽditur, quandoquidẽ auripigmentum crudum interficit, coctũ nõ ita. In oppositũ Tranquillus in Nerone: Locustas coxit iterum uenenum, & ita hœdum post quinq; horas occidit. Inde coxit ac recoxit, donec porcellũ subitò exanimauit. Ergo dicendum, ab igne semper extingui uenenum: minus tamẽ uenenosum, citius persæpe interimit ob substantiæ tenuitatẽ. An uerò putredinis sit putredo, an non. cinis enim non comburitur, carbo sæpius: & cinis sæpius uritur, sed nõ ignescit.

de Subtilit.

Quæ autem ex animalibus, alia sunt quasi actiones, ut morsus & ictus: alia transeunt in materiã, ut fel & saliua, quæ sunt excrementa: & caro & sanguis, ut partes: & quædam nocent intus magis, ut cicuta: quædã extrà, ut saliua uiperarũ & aspidum: quædam utroq; modo, ut argentum uiuum; & similia. Ex plantis desumuntur folia, semina, radices, succi & mel: ex metallicis autem, ipsa tota. Singula autẽ recensebimus inferius. Omnium efficacissima sunt in animalibus fel & pinguedo: præsentissima aũt, saliua & spiritus. Et ex plantis succi, inde semina, post radices, ultima sunt folia. Quædã trãseunt in uenenum casu, ut lac quod coagulo iam mistũ est, ut affirmat Dioscorides. nam ut epotum fuerit, concrescit in uentriculo, & suffocat.

Lib. 2. cap. 2.

Lib. 6. cap. 26.

Venena præterea ratione deprehenduntur, ut serpentes, qui putruerunt iam, & fungi: & si uenenum ueneno additum est. Et quæ ex locis aridis, plus quàm ex humidis, exceptis paucis: & ex mõtibus, quàm planicie: & locis calidis, quàm frigidis. Et adulti, nuper natis ac paruis. Et ungula, & cornu, & color uiridis, splendens & cæruleus, & uarius, & in oculis ruber. Et motus uehemens, & cum saltu, & similis motui caudæ lacertæ ualidæ, nuper abscisæ, declarant uenenum esse perniciosius. Et locus proprius. quidam enim serpentes in sepulchris inuenti, mortem attulerunt præsentaneam. Et quomodo non, cum tamdiu tulerint tetrum illum odorem? necesse igitur est, ut fuerit natura eorum ualde contraria naturæ humanæ. Et os, pili, ungues, stercus, non sunt materia ueneni, nisi rarissimè. Et unde ignis manifestè prodit, non est uenenum. Et nullum animal sanguineum, & rari pisces perfectæ formæ: sed nec pluma, nec squãma. Et flores plantarum uenenatarum, nec uenenati omnino sunt, nec à ueneni qualitate immunes.

LIBER SECVNDVS DE Venenis.

DE SIGNIS GENERALIbus ueneni, dum est præsens, dum deuoratur, dum iam assumptum est congeniti: de prognosticis. Cap. I.

Venena deprehenduntur colore, natura, sapore, odore, effectu, & coniectura rationali. Sapore quidem omnia fermè amara aut acria sunt, etiamsi mistum alium habeant saporem. Referunt tamen, Colchicum solum esse gustu iucundum: huius meminit Dioscorides. Porrò signa ueneni ex odore, si genitum sit, in uentriculo sunt: quoniam lutum quandoq; olet, aut uirus, aut pisces, atq; innumera alia, quorum numerum recensere uix queas: uelut tertio de Symptomatũ causis, uelut est odor ouorũ, allij, caseiq;, corruptorũ. Extra antem sunt praui odores noti, stercus, assa fœtida, caro putris. Videntur enim hæc tria esse omniũ pessimi, ac grauissimè olentis odoris: in specie

Lib. 4. cap. 86.

Cap. 1. in fine.

cei autem uidentur totidem eſſe mali odores quot boni. nã bonos in tertio de Rerum uarietate ex-
Cap.14. Com.7. plicauimus. Circa colores autem uiridis eſt & pallida putredo, ut tertio Prorrhitici. Veri tamen colores ſunt. fuſcus, liuidus, ferrugineus & albus, non candidus, nec ſplendens. Verùm in uiuentibus colores ſplendidi ſunt deteriores, ut in fungis ac ſerpentibus: eſt etiam color non ſplẽdidus, quocunq; ſplendido colore deterior. Ex ſaporibus acres pernicioſi ſunt: ſed ſi cũ tenui ſubſtantia iungantur, urinas proliciunt: ſi cum craſſa & terrea, erodunt interiora: unde patet nõ eſſe erodentia uerè uenena, aut non ſaltem quæ putrefaciant. Quòd ad tactum attinet, putredo comes eſt caloris acris, mordacis: ſecundo de Dif-
Cap.11. ante medium & lib. de Venæ Sec. ferentijs febrium. Ideo dicebat Galenus primo in tertium Epidemiorum, quòd febris acuta eſt comes putridi humoris. Qualis autem ſit hæc, di-
cap.5. Com.1. cebat quarta Aphoriſmorum, quòd ea eſt acuta & indeſinens. Quamuis, ut in ſecundo Contra
Com.43. Cõtrad.18. dicentium, Galenus ſibi ipſi uideatur aduerſari. Natura notiſsimum eſt, ſerpentes, ſcorpios, araneas, fungos, leporem marinum, aconitum, napellum, auripigmentum, argentum uiuum, cæteráq; huiuſmodi uenena eſſe: ut etiam rabidi canis ſpumam, tum quæcunque cognita ſunt: effectu uerò, quòd muſcæ gallinæq; pereunt, tum canes ac reliqua animalia. Et ſi homines ex eodem perierint, & ſi guſtata ſequitur inflatio linguæ, labiorum, gutturis morſus, nauſea, palpitatio cordis: & ſi odorata ſequitur uertigo, dolor capitis, ſuffocatio. Quamuis neminem talia odorare ſuaſerim. Coniectura uerò, quòd ad illa muſcæ non accedunt, neque aliud ullum animal: & ubi tracta ueris, horror quidam ſequitur. Aut ſi computruit diu ſub terra, & magis in ſepulchro: aut ſi in illa egit uehementer ignis: aut ſi iuxta ea coiuere aut adnati ſint ſerpentes, aut ſi ea deuorauerint.

Dum uerò deuoratur, guttur lædit omne fermè uenenum, & gulam quaſi iuxta fauces aſtringit, & antea ſaporem præfert tetrum aut odorem: &, ut dixi, pruritum, aut æſtum, aut inflationem parit in partibus oris, aut ſub dentibus: dum manditur, ſtridet: deuoratum autem iam, perturbationem aut nauſeam excitat. Quòd ſi etiam dolorem excitat in uentriculo uehementem, aut palpitationem in corde, pernicioſiſsimum etiam eſt, & præſentaneum. neceſſe eſt autem ut in coctione, uel ſi tale ſit, poſtquam adeò naturæ humanæ aduerſatur, etiam ante coctionem contingere aliquid huiuſmodi. Tertium, ructus olidi & mali ſaporis atque odoris, qui non ſolùm uenenum eſſe produnt, ſed quale ſit. Quartum, ſunt uomitus, aut ſaltem nauſea perſeuerans, cordis palpitatio, dolor uentriculi: tum inteſtinorum, fluxus uentris, frigus extremorũ, liuor unguiũ, conuulſio, ſyncopis, ſudor frigidus. Vomitus autem etiam quæ ſit ſubſtantia ueneni, prodit tum; ſapore, odore, ſi ſit ater. Et ſi illum ſubſequitur dolor uiſcerum, ſitis, ardor, æſtus, ſingultus, inquies, anxietas. Caueat tamen, ne ob errorem iſta contigerit: uelut ſi crudus adhuc cibum ſumpſit, aut ſi ſe nimium ingurgitauerit, ſi uarios cibos deuorauerit, uelut olera cruda, lac ſimul & legumina: & præcipuè uarijs condita modis, ex aqua, iure, toſta ſuper prunas, frixa: tum malè affectus, & ſemi languens antè: & ſi graueolentia ſumpſit, allia, cæpas, caules, porros: tum agreſtia olera, fructus, & hos ſemiputres, præſertim popones, cucumeres, mora. Etſi feruentia uel frigida, calida, tepida: ſi aquam multam, crudam, præcipuè ex lacuna, palude, ſtagno, turbidam: aut in qua animalia quæ pedes habeant multos, ut ranæ, teſtudines, cancri, & quod his peius eſt, ſalamadræ uiuant. Et lac corruptum per ſe, & piſces frigidi, quandoq; ueneni ſymptomata referunt. hoc in me expertus ſum, dum eſſem iuuenis: illud, alij fide digni. Commune eſt omnibus, à uomitu ſolui omne malum. Temporaneorum aũt ſigna ſunt præcipuè ex lingua, quòd iecore, pulmone & uentriculo ex æquo fermè afficiatur. at horum unum aut plura ſumpto ueneno affici neceſſe eſt. Quæ enim pulmonem uitiant, tuſsim ſiccam, ariditatem, ſitim, inde tabem adducũt, & ſanguinis ſputũ, & per uapores atq; ſaliuã lingua cõtaminatur. Quæ uerò uentriculum, ad nauſeã, dolores, inflationem, fluxum alui, aut ſtrigmenta: & eorũ cõſenſus cũ lingua eſt, & per tunicam, & per ſaliuam. Et ego agnoui uirum qui uxorem reliquit, et ab ea ſe ſeparauit, & dedit ei uenenum, quo facta eſt tympanitica, & ſuperuixit paucis annis, forſan ſex aut ſeptem: & ego curaui eam, ſed ſanare nõ potui. Iecur aũt per uenas corrumpit colorem linguæ, & perducit ad lentas febres, & facit morbũ ſimilem naturali. Et ego uidi Hieronymũ Bertolium ita laboraſſe, quaſi eſſet amphimerina: ſed quia eò peruenit ut lingua eſſet fuligine omni nigrior, et adeò aſpera ac arida, ut appoſito orichalco non poſſet auelli, ideo exiſtimaui eſſe uenenum. Eoq; diſſecto, apparuit uentriculi imum quaſi excoriatum, & iecoris ſuperficies tota

quaſi

conuexa nigerrima. Omnibus inest sitis inextinguibilis: sed alijs magna, alijs parua: imò fermè nulla, & uix ulli colori linguæ proportione respondens. Ergo cùm talis sit, tam præceps uariaq; natura uenenorũ, ad summum peruenisset, nec prohiberi posset: sed lege naturæ uniuersali cùm ad id peruenerit, subiacet legibus humanis, atq; retunditur, decidit q; unà tota moles multis constructa annis, ut omnia per circulum in idem redeant: quæ norma cõmunis est etiã in mortalibus, ut finita infinitis, atque ideò parua magnis coæquarẽtur. Aliter ab hac pernicie nihil immune esset. cautũ per hoc plebi. unus homo multis millibus maior, multa millia unum nõ possunt æquare hominem. Sed hos numẽ regit. minima cuius pars accendere solet totum orbẽ. Sed nunquid malum à numine? aut non fieri potest, ut in lineis ἀσυνάπτοις?

Signa uerò geniti in corpore declarabuntur exemplo hystericarum: in quorum uteris generatur uenenum frigidum, & describuntur sexto

Cap. 5. in princ. de Locis. Cùm igitur illius tres sint species, In prima, dicit, quæ est uehemẽtißima, amittũt pulsum, & omnem respirationem, dicit Galenus: ac refrigerantur toto corpore, nisi quòd medio, id est, circa uentrem & pectus, exiguum relinquitur. & solet ad dignoscendum an spiret apponi lana, goßipium (ipse dixit lanam, sed hoc est leuius) e regione narium, & urceus aquæ super os uentriculi: & si aliquid superest spirationis, mouentur hæc, aliter non. Signum quartũ est, quòd amittunt motum. quintum, amißo sensu: nihilominus etiam cum his euadunt. Secunda mitior species, dicit, est, cùm manet sensus, & ægrè spirant: mouentur tamen, & pulsus est paruus. Tertia, cùm etiam mouent crura. adeò ut sint quinq; signa, si quis rectè consideret. Sextum signum, quod effectus ostendit, nec ibi meminit,

Tex. & Com. 17. sed tertio Prorrhitici, ubi dicit Hippocrates: Cõuulsiones in histericis sine febre faciles sunt, ut Dorcadi. & id experimentum docet. Est autẽ, ut in priore auctoritate, duplex causa, retentio seminis: & est deterior, dicit: & mensium: utrorumque tamen in naturam ueneni transeuntium. Cuius indicio est exemplũ, quod dat de phalãgij

Tract. 4. Cap. 17. ictu, inde etiam scorpij. Princeps uigesima prima Tertij, ponit differentiam inter hystericam paßionem & syncopim primò. & dicit, quòd hysterica paßio est grauior, quia illã syncopis antecedit. Est discrimen in hoc, quòd in syncopi manet respiratio, & sensus aboletur: quanquã in hysterica paßione, ualida etiam, sensus pereat.

Ab attonito morbo, quia manet sensus in hysterica affectione plerunq;, & non adest stertor, & non refrigeratur corpus. In comitialis differentia plurimũ laborat, sed non potuit emendare librum. Sed differentia est facilis. nam extrema hysterica affectio non habet cõuulsionem secũ iunctam, ut comitialis: & nõ extrema habet sensum, igitur differũt. nam dum redeũt hystericæ, recordãtur omnium eorũ quæ uiderũt. Vnde illud notandũ, q. dicit ibi, Spuma in hysterica est signũ salutis, in alijs præfocationibus lethale: ut secunda Aphorismorũ. A' lethargo distinguitur 43. febre. A' uenenis frigidis, dico, quòd tribus maximè distinguitur: quia non sudat, nec habet liuorem unguium, & extremitatum, et syncopis, ac deliquium animi, sunt longiora. nam hæc si ad sint in uenenatis, moriuntur. Sunt etiam in uenenatis aut uomitus, aut ictus, aut dolor internus. Aliorum autem signa referemus ex Conciliatore. Gypsum dealbat labia, dentes, gingiuas, linguam, difficultatem spirandi facit, dolorẽ in uentriculo, aluum sistit.

Cerusa uerò uomitum album efficit, dentes tamen nigros, dolorem uentris quasi ex pondere, sanguinem egerit, & patitur tinesmonem.

Plumbum ustum efficit labia, linguam, dentes plumbei coloris, anhelitum impedit: uox illius obtusa est, suffocatus moritur.

Argenti autem spuma uomitum magnum cit, & aluum astringit: adeò ut naturæ ordo perturbetur. urinam retinet, & quandoque intestina exulcerat. Eadem penè argentum uiuum efficitur.

Squamma æris dolores in uentriculo & intestinis efficit (pungit enim illa) & uomitum aut alui fluxum excitat. Idem facit squãma chalybis.

Vitri autem schidia dolores acutißimos in uẽtriculo & intestinis: inde patietur similia abscesfibus locorum prædictorum, sanguinem emittunt uomitu uel abscessu, & breui moriuntur.

Rubigo exsiccat paulatim corpus cum mordica punctione, & est uenenum temporaneum: ærugo autem præfocat uehementer, & erodit uentriculum & intestina, & dolores excitat in eis: & perducit ad ulcera, & deiectionem sanguinis, & saniei.

Herculeus lapis perturbat mentem, & melancholicos efficit. Idem fermè lapis lazuli dictus: sed & hic nauseam mouet, & uentriculum subuertit.

Cinnabaris uel minium, omnia rubra efficiunt: astringunt uentrem, & uomitum mo-

R uent,

uent, & efficiunt ſpirandi etiam difficultatem.

Arſenicum uomitum mouet magis quàm argentum ſublimatum, ſtringit uẽtrem, erodit uentriculum, & facit ſitim & æſtum, exſiccat corpus & iuncturas. Et eadem facit arſenicum citrinum ſeu croceum, ſed uehementius. Argentum autem ſublimatum omnia hæc uehementius præterquam in uomitu, quo cæteris eſt fermè par: ardet, ſitim mouet, omnia excoriat, exſiccat linguam, ut expuere non poßit, inde etiam ſyncopim facit. Et cum effectũ produxerint omnia hæc, excitant febres prauas.

Aqua ſeparationis erodit inteſtina & uentriculum, & quæ ſunt illi conſequentia efficit: acris eſt & aſtringens, linguam, os & guttur albis ueſicis replet.

Opium reddit odorem in uomitu, ſomnũ & hebetudinem ſenſuũ facit, & mentis ſtuporem. Idem faciunt mandragoræ ſuccus, radix, poma: ſed & amentiã addũt, & ruborem oculorũ & faciei. Seſſus eodem modo perturbant, & ſtupidos reddũt, coriandri ſuccus, Itẽ apollinaris herbæ ſemen: ſed & magis membrorum motum impedit. Cicuta uerò eadem fermè facit, uertiginem excitat, ſtrangulat uehementer, & conuellit. Eadem in pſyllij ſemine, ſed motũ impedit magis, quaſi exſolutis uiribus, & exhalante natiuo calore: eadem in ſucco carpaſi, papauereq́; cornuto: opio enim ſimilia. Taurinus ſanguis præfocat, & impedit cibum ne deuorari poßit: & in gingiuis fruſtula eius cernũtur, lingua rubra. Eadem fermè in lacte, cui coagulũ fuit permiſtum. ſed rubri loco cãdidum adſcribe. pernecant breui conuulſiones mouendo: ſed magis taurinus ſanguis, quia magis concreſcit.

Fungi mouent dolores in uentriculo & inteſtinis, urinam ſupprimunt & ſtrangulant, ac præfocant: naribus uerò admoti, nonnunquam etiam occîdunt. Strangulat & cyclaminis ſuccus, & muſci.

Apium riſus è ranunculi genere eſt, ſed denſioribus germinibus: mentem mouet, & conuulſiones. unde dictum eſt riſus, quòd morientibus os in morem ridentium diducatur.

Cucumeris aſinini ſuccus, ſcammoniũ, guttur excoriant, & inteſtina & diarrhœam ac dyſenteriã mouent: ſitim, febrem, cordis defectum & ſyncopim: ſed magis ſcammonium. Et eadẽ ad unguem facit ſuccus chamæleæ & thimæleæ: tum uerò rucinorum & lathyridis & tichymalorum omnium: ſed rucinorũ & lathyridis uomitum uehementius mouẽt. Ellebori aũt utriuſq; & utriuſq; ſeſamoidis, tum peplij ſuccus fermè eadẽ poteſt: ſed elleboro maior uis, atque item notior, ſtrangulat magis quàm præcedentium, et magis conuulſiones mouet: in reliquis conuenit cum ſuperioribus. uomitu album magis, per inferna nigrum educit: quantoq́; facilius plura educunt, tanto minus periculi eſt ne cõuellantur: ſi tamen à multa purgatione conuellantur, lethale eſt. Colocynthis autem ſolitaria aut nigra dyſenteriam, uomitum, æſtum, dolores maximos in uentriculo, adeò ut nonnunquam breui perimat.

Euphorbio fit inflammatio in uentriculo, & guttur uritur, & morſus, & ſingultus, & fluxus uentris, & anacardi, maximè, eorum mel idem facit. Sed ut non ſoluunt uentrem, ita eius loco amentiam procreãt: caſtoreum uerò nigrũ, fœtens, phrenitidis ſymptomata mouet, deinde ſtrangulat, & ipſa die quandoque interficit. Condiſi uerò ſeu radicula aßiduum mouet uomitum, & excalefacit. Vitis albæ & nigræ ſuccus ſuperpurgat, uertiginem & amentiam facit, ſuffocatq́;: cornua autem & ſuccus oleandri, quæ notißima ſunt, mentem mouent, rugitum faciunt in uẽtre, & ſyncopim faciunt. Cornua uerò bedeguar, id eſt ſpinæ albæ, quæ cornu quædam fert, et in montibus naſcitur, cuius meminit Dioſcorides libro tertio, deglutiendi impedimentum afferunt, quoniam plurimũ aſtringunt: ſic Cap. ni cornua ſpicæ Celticæ (ſunt aũt nota cuiq;) mouent tormina & nauſeam. Semen quoq; ari, & ſpecierum eius, dentium ſtridorem facit, gutturis punctionem, & æſtum.

Ficus Pharaonis in Sardinia naſcuntur, teſte Conciliatore: febres tot mouent, quot quis fructus ederit. præterea laßitudinem mouet, et imaginantur ægri ſe eſſe hydropicos. Nux autem uomica appellata, uomitum uehementem cum uiriũ diſſolutione efficit: ita & nuces utræque rancidæ, & lauri baccæ rancidæ eadem efficiunt, quod uomica nux: ſed maiorem pariunt abominationem cibi, & minus educunt uomitu, & ob id non adeò uires diſſoluunt. Semen autem urticæ urit guttur, linguam, uentriculum, ueſicam.

Napellus eſt princeps uenenorum noſtra ætate præſentaneorum: ideò aſſumptum linguam inflat, cordis defectum & ſyncopim ſtatim parit, corpus totum denigrat, uenter intumeſcit, oculos conuellit, ſtrangulat & interficit. Aconitum autem princeps uenenorum temporaneorum antiquo tempore, uertiginem mouet, & lachrymas, & ſpirandi difficultatem, & peditus

multos

multos emittere cogit. dulce eſt & aſtringens, leuiter guſtu.

Lepus marinus proximus huic eſt. ſtranguriam facit, dolores ac tormina in uentre; uomitū bilis, & intermiſtum ſanguine. odorē piſcis corrupti, dum editur, refert: ſudorem exprimit etiā fœtidum: & abominantur qui eum ſumpſerint, omne genus piſcium. Rubeta morbū regium, et albam pituitam nigram facit, anhelitum fœtidum facit, ſuffocat, ſingultū excitat, & nonunquam gonorrhœam. Fel autem uiperæ, & fel leopardi, & extremitas caudæ cerui eadem efficiūt quæ napellus: ſed ſunt debiliora. Fel tamen uiperæ forſan eſt ualidius etiam illo.

Lacertarum corpora, & ſanguis menſtruus, & æluri cerebrum, amentiam gignunt: et uidentur lunatici, ac præſtigiati. ſed cerebrum æluri facit uigilias, et ſanguis menſtruus corrumpit ſanguinem, & generat amorem heroicum.

Caro ſtellionis in uino corrupta, efficit uinum uenenoſum, & generat dolores in uentriculo uehementes. & dicunt, quòd oua bubonis occîdunt in una hora: ſed credo quod alharbe ſit
6. 4. Trac. 2. cap. 5. *aliud. nam Princeps cōparat animal hoc ſtellioni, & forſan eſt bufo: quia dicunt quod eſt animal uenenoſum: & forſan eſt ſalamandra. nam promittit ſe dicturū inferius, & nō nominat niſi hæc duo, nec pòſt, cum loquitur de morſu ſerpentum, nominat illud.*

Cantharides faciunt difficultatem meiendi, & fit mictus ſanguinis, et æſtus, & dolor in uentriculo, & abſceſſus in partibus uentris cum tumore ſimili hydropiſi, & ardor. Eadem ferè ſalamandra et ſtaphiſagria. ſed ſtaphiſagria mitior eſt, ſalamandra autem magis pernicioſa.

De morſibus autem canis rabidi, & ſerpentum, loquar ſpecialiter in locis ſuis.

Signa autem prognoſtica ſumuntur tum ex cauſis, tum ex ſymptomatibus, tum ex proprijs differentijs ipſius morbi. uelut tabes omnis mala atque periculoſa eſt: ſed inſanabilis prorſus, ſi ſputum malum omnino fuerit, aut copioſum ualde, aut collapſis uiribus febris uel leuis ſocietur, aut etiam ſi febris per ſe ualida fuerit. Contrà, ſi ſputum paucum, nō fœtidum, exigua febris, corpus quadratum ac robuſtæ uires, inſanabilis prorſus non eſt. Dolor autem uentriculi magnus. at ſi ſtatim mutatio coloris adueniat, aut cordis palpitatio uel uertigo, lethalia ſunt: quoniam indicant membrum principale uehementer eſſe affectum: uerùm uertiginem oportet manere, & ſtabilem eſſe. Spuma autem ad os conuulſio, oculorum rubor; peſſima ſunt: ſed propiora morti, ſyncopis, ſudor frigidus & ſtrangulatio. Ex certis autem ſignis, & quæ non ſunt uulgaria, ſed multo antè ſignificant mortem quàm adueniat, eſt tumor uentris, & inflatio: quæ ſi non adueniat inclinante morbo, mortis certum eſt indicium. nam ſi ſenſim uentriculus & iecur ad flatuoſam hydropem deueniant, nil mirum: difficulter tamen ſanantur, & longo pòſt tempore. At ad illam ſtatim peruenire, præſertim ſtante febre, quæ flatus diſſoluere ſolet, quid aliud eſt quàm tantam euerſionem in uitæ fundamento eſſe factam: ut quod pro nutrimento eſſe debet, in flatum tranſeat? Deteriora autem ſunt hæc ſigna ex ueneno quàm ex morbo, cum uenenum iam fuerit propagatum: ante autem cum ſit ſpes curationis, per uomitum atque purgationem ualidam, non eſt adeò periculoſum. Ratio autem, cur pòſt periculoſius ſit uenenum quàm morbus, eſt, quoniam iam morbo aſſueuit natura, non medicamento. Præterea materiá morbi ſymptomatis cauſa eſt, quia mouetur, & aliquando expellitur: at in ueneno hoc non contingit. Ex aduerſo ſigna decubitus in membrum ignobile uiribus auctis, aut ſi ad cutim per modum ſcabiei, & generaliter cum totus morbus in unum ſe confert, nec exitialem affectum, hoc eſt ſalutis ſignum. Et uomitus, & alui purgatio copioſa, cum non fuerint propria ſymptomata ueneni, ſunt ſignum ſalutis. Præterea ſingulorum uenenorum uim, & hominum naturam ac qualitatem conſiderare oportet, ipſius quoque morbi proprias differentias: uelut difficultas inteſtinorum ab atra bile, lethalis eſt, ut dicit Hippocrates quarta Aphoriſmorum: at cru- 24.
enta ſine febre, ſine dolore, ſalutaris. Quæcunque autem ſigna talia, uelut ſanguinis puri excretio, uel multitudo humoris ſynceri, fermè non mali, aut ualde mali, nequeūt circa medium conſiſtere, ſed mortem aut ſalutem propè eſſe denunciat. Et conuulſio partis anterioris, uelut in morbis, & præcipuè pupillæ oculi, deterior eſt quàm poſterioris. Et cum lingua tumeſcit in omni ueneno ſicco, & morbo ſimiliter, exitiale eſt. Et caſus pulſus eſt generale ſignum mortis, & propinquæ: ſed magis in uenenis, cum perſeuerauerit. Et ſigna quæcunque contraria, ut propriè linguæ magnitudo, & fluxus uentris ſimul, ſunt indicia ueneni aſſumpti. nam ſecus, fluxus partes ſuperiores extenuat.


DE SIGNIS VENENI ASsumpti iuxta species suas, & etiam temporanei.


Cap. II.


TEmporanei ueneni peculiaria signa sunt. Fastidiũ in uentriculo, sitis quædã aßidua, licet leuis: molestia cuius causam nõ percipit, & quæ tamẽ somnij quietem corrũpit: color faciei & unguiũ liuens: & lingua nigrescit aut fœdatur. Et cùm plus prosunt alexipharmaca, q̃ præparationes, uenæ sectio atq; purgationes, iam est ex eis. Et generaliter cõsumptio corporis præter rationẽ, & malus habitus, indicãt uenenum temporaneum. malũ habitum aũt dixi duplicem, albam pituitam, & regiũ morbum. Præter rationẽ aũt dico, si quis robusto corpore, sanisq; parentibus natus, nec intemperatè uiuat, nec molestia animi opprimatur, nec percußus fuerit in membro ullo uitæ necessario.

Contagiosi ueneni signa sunt: cùm plures ex eadem domo ægrotant paulo pòst: aut si qui ægrum tractant, malè afficiuntur: aut cùm sensim serpit ex una parte ad aliam. Primi quidem generis sunt uelut pestis utraq;: secundi autem, ut qui morsi sunt à dryino. nam & qui curant, afficiuntur. Tertij autem generis uelut elephantiasis, scabies, atque huiusmodi. neque enim dubium est, cùm serpant ex membro in membrum, esse ex genere contagiosorum. Et quia omnes hi cum putredine sunt, commune est omnibus illis fœtor, sordicies, atque huiusmodi.

Præsentanei aũt ueneni indicia sunt: uehemẽtia symptomatũ, & numerus, & cùm perseuerant: et maximè, cùm sunt cõiuncta cũ caliditate uehemẽti. Et ideo liquet, q̃ cùm opiũ & cicuta sint præsentanea, q̃ sunt etiã, ut dixi, calida: quæ uerò nõ appetunt membra principalia, sunt temporanea plerunq;. nam quædã sunt adeò uiolenta, ut cantharides, ut breui mortẽ casu quasi inferant. Quæ igitur in summa superficie corporis serpunt, & in membris extremis, omnia sunt ex temporaneorum genere. Et quoniam quibusdam forsan uideri poßet, quòd non lethalia idem essent, quòd temporanea & præsentanea lethalia, atque ita tertia diuisio cum quarta coincidere: dico quòd sunt diuersa, quia lethale diuiditur in temporaneum & præsens. non omne enim uenenum temporaneum est lethale. Proponatur uenenorum tota latitudo a b, & secetur bifariam in c, ut b c lethale sit, a c autem non lethale. Et in d, ut a d sit temporaneum, b d præsens. Quia ergo palàm est quòd temporaneorum quoddam est lèthale, ut canis rabidi morsus: quoddam non, ut scabies: constat quòd omne præsens est lethale. Lethale igitur diuiditur in temporaneũ, & præsens. Pars enim c d sub lethali est, non tamẽ sub præsenti. Quòd si quis obijciat, esse uenenũ non lethale, & tamen præsens, quia semper nocet: & statim, nec tamen lethiferũ est, uelut urtica & thapsia exterius, echini castanearũ intus: propriè autẽ bulbus uomitorius, et lauri baccæ. Respondeo, q̃ talia nullo modo sunt è ueneni genere. atq; hæc simplex est solutio. Sed si dicat, hæc esse ex uenenorũ genere, ut quicquid maleficæ qualitatis particeps sit, ac uenenatæ, sub ueneno contineatur: tunc oritur difficultas generalis, quomodo singulum membrorum utriusque diuisionis bifariam diuidi poßit, uelut temporaneum in lethale, atque non lethale, & præsens itidem: & rursus lethale, & non lethale, in temporaneum & præsens: & tunc res circulo describetur.







In recta autem, necesse erit uno membro in medio constituto alterũ ad extrema diuidere. Igitur, ut ad rem redeam, non lethalia temporanea sunt, uelut amor & præstigiæ, quæ ad insaniam potius q̃ ad mortem perducunt. Omnium igitur taliũ propriũ est, nec principalia mẽbra multum lædere, nec uitæ necessariã aliquã operationem aut ualde utilẽ impedire, uelut somnũ, cibũ, mictum. Materiæ uerò ratione scire primùm oportet, Aetium multa ex innumeris per singula genera connumerasse: ex morsu animalium, serpentium omnia genera: ex his quæ pungunt scorpiones, phalangia: & omnia quæ aculeum demittunt, uespæ, crabrones, apes: inde uulnera

Lib. 13. cap. 45.

uulnera omnia uenenata, quæ suo loco describemus. Desumitur etiam uenenum inpotu, & ad uulnera inficienda ex cantharidibus, buprestis, pityocampis, salamandra, rubeta, lepore marino, uermibus rutæ innatis, hirudinibus, felle & saliua omnium serpentum, cauda cerui. ex felle leopardi, ex cerebro æluri, ex omni colluuie non sanguineorum animalium. ex putredine medullæ, & partium sanguineorum animalium. Ex seminibus autem, hyoscyamo, cicutæ, coriandro, psyllio. Ex succis, opio, cicutæ, carpasi, thapsiæ, aconiti, elaterio. Ex radicibus, napelli, mandragoræ, aconiti, Colchici, ixiæ. Ex plantis ipsis, fungis, taxo, oleandro, sardonio, apio, solano furioso, papauere cornuto, ruta syluestri. Ex familiaribus, mel Heracleoticum, Ponti urbe Heraclea factum. Ex metallicis, gypsum, argentum uiuum, sandaracha, auripigmentum, cerusa, calx, arsenicum, spuma argenti. Ex artificio factis, aqua separationis, & olim Pharicum.

Omnium autem cognitio sic habetur: Quæcunque ui ignis facta sunt, acuta & feruida omnino sunt: quæ uerò ex animalibus, omnia fœtida, horrida sapore, corrupta, nauseam mouentia. Quæ ex metallis, uomitum cieunt, strident sub dentibus, & strangulant. Quæ ex plantis, non unius & eiusdem generis sunt, sed omnia tamen tetri odoris, aut amara, & horribilis saporis: aut si omnino utraq; nota careant, nauseam mouent. Quæcunq; præterea febrem post aliquos dies excitant, & pustulas, aut sanguinis corrupti sputum, ualde perniciosa sunt, & ex genere eorum quæ putrefaciunt. Narrat Aetius,

Lib. 13. cap. 47. si quis sphragidem cum iuniperi fructu cõponat in melle, sumptum medicamentum innoxium esse, nec quicquã mouere: at ubi uenenum quis suprà sumpserit, uomitũ insuper cõmoueri. Atq; id optimũ, si uerũ & persimile claui nostræ: quam si quis seræ ignarus tractandi includat, extrahi non potest, ita auxilium hoc detegit, & curat simul: diuinum prope, cuicũq; contigerit. nam idem euenire assumpto pezar affirmant.

Ergo cùm sint morbi qui uenenum sequuntur maximè, & præcipui, gutturis strangulatio, linguæ inflatio, dolor uentriculi & intestinorum, uomitus, difficultas spirandi, difficultas intestinorum, urigo urinæ, palpitatio cordis, sudor frigidus cum ardore interiore, syncopis. Post hæc etiam symptomata, pulsus amissio, linguæ nigricies, liuor unguium: Et si morbis uis addere conuulsionem & distentionem, non aberrabis, & singula ex his à propria etiã causa sequi possint: propterea considerandum est primò, si adueniãt sensim, non sunt ex ueneno: si confertim, sunt. Et si aduenìant sine causa ulla, sunt ex ueneno plerunq;: & si ex mala uictus ratione, non est adeò suspicandũ. Tertium, quod est potentius omnibus, cùm coniunguntur incõiuncta, est uenenum: uelut si dysenteria cũ spirandi difficultate, & uomitus cũ liuore unguiũ: & tumor linguæ, cũ urigine urinæ. Et si sint se cõsequentia, non est indicium, difficultas intestinorũ ex materia flaua post icterum, uel ex nigra post lienis tumorem: & difficultas intestinorũ post diarrhœam, & tumor linguæ post strangulationẽ.

Singula igitur sic distinguemus: ueneni signa sunt, primùm strangulatio cum ardore, uel cum sapore & odore graui: uomitus ostendens materiam ueneni, uel uehementissimus post cibum, et qui ex uomitu non sedatur, cùm ante cibum nausea non teneretur, & ardor in ipso uomitu, cùm bilis nullũ appareat signum. Linguæ inflatio, cũ ariditate & siti, nulla præcedente destillatione. Dolor uentriculi cum siti & ardore, & qui exitu flatus non alleuiatur: & non est tendens, sed arrodens & pungens. Difficultas spirandi cum ardore, & sine destillatione. Difficultas intestinorũ sine febre, & cũ dolore magno, & in qua exit aqueus primò cruor, nec humor ullus, maximè biliosus: & cùm nõ sentitur caliditas in exitu, sed intus punctio manet: & cùm à lacte statim iuuatur. Et urigo urinæ cum sanguine, uel cũ impedimento meiendi statim superueniẽte, nec tamẽ breui cessat, cordis palpitatio in non consueto, cum pulsu malo: & statim à cibo cũ nausea: uel multo pòst, sed sine ea: & qui fit cum unguium liuore aut sudore frigido, aut syncopi, est ex uenèno. Et sudor frigidus cũ ardore interiore sine febre, semper est certum signum ueneni: & præsertim si adsit dolor uehementissimus in intestinis, uel nullus. Syncopis uerò cùm nõ præcesserint alia signa, non ex ueneno, nisi ex odore uel aere. Sed ubi syncopis aduenerit sine febre ac dolore, est signũ ueneni. In eodem ordine est pulsus amissio cum imbecillitate maxima, aliter erit ex obstructione. Et linguæ nigricies quãto magis per se fuerit, tanto magis significat uenenum. Et cùm facta fuerit sensim, & homo molestiam sentit quasi incerti generis, tunc significat uenenum temporaneũ. & in eodẽ casu est liuor unguiũ magnus, qui in dies augetur, aut tendit ad nigriciem. Et cùm post uomitũ sequitur conuulsio aut distentio, & nõ adsunt signa repletionis magnæ,

magnæ, tunc est signum ueneni. Et signa mala cuiusque, sunt signa illorum morborum posita ab autoribus: & malum regimen in morbis. maximè exhibitio uini nigri præbet suspicionem ueneni sæpe, & non est uenenum. Alij etiam illitu argenti uiui aut sublimati ad curandam scabiem, uel luem Indicam, eodẽ modo decipiuntur. eadẽ enim fermè, quòd ad signa attinet, efficit illitum uenenum, quæ & interius sumptum.

DE SIGNIS VENENORVM & specierum, & potentia illorum. Cap. III.

CAndida omnia uenena, si splendorem habent, nec sint perspicua, calidissima sunt: uelut calx, argentũ uiuum destillatum, & quod uocant arsenicum. Quæ uerò aut splendore carent, ut cerusa & gypsum: aut perspicua sunt, licet splendida, ut nix, alabastrum, lapis specularis, & nitrũ (quanquã nitrũ natura, sed figura nõ occidat) frigida sunt: hoc enim demonstratũ est à nobis in libro de Coloribus & gẽmis. Nã primi generis terrea sunt, & ignea, quia terra nõ splẽdet. aquea aũt perspicua sunt: aerea non sunt uenena, calidissima igitur sunt. Quæ uerò in secũdo genere terrea, quæ in tertio etiã aquea: palàm igitur est, omnia talia esse frigida, quæ cũ occidũt, aut substãtiæ ratione id agũt, aut ob immoderantiã frigiditatis. Palàm igitur est, Galenũ in his quæ à prioribus nõ accepit, inuẽtione caruisse. Existimauit enim colore temperiem nõ posse deprehẽdi: argumẽto sumpto, quòd alba quædã calidissima sint, alia frigidissima. sed nõ animaduertit, frigida esse uel perspicua, uel nõ splẽdida: calida uerò utrũq; exposcere, & quòd splendeant, & quòd nõ sint perspicua. De lapide aũt speculari, lib. 36. cap. 22. *cuius materia transit in gypsum, Plinius diffusè egit: et agnouisse uisus est id genus. quod silici adnascitur in Bononiensi agro, nec aliud desideratur nisi usus. nam pulchra res & æterna sui natura: uerùm neque ad fenestras, neque ad specula utilis, quod scindatur facillimè in laminas tenuissimas. ideoq; tum ob tenuitatem etiam ab aura frangitur. neque enim tanta latitudo cum tam tenui corpore diu persistere potest. Diuiditur etiam fissura recta, & secundum lineam admodum rectam frangitur absq; ullo labore. dicas regula factum, quod casu accidit. Perspicuus est, non propriè specularis, nisi à tergo aliquid opacum ponatur. Habeo ego plurima frusta, quod crassum est, satis durum est, multisq; corticibus constat. Vilis est ob immensam copiam: &, ut dixi, ignotum illius usu, Si deradas, puluis adeò tenuis excidit, ut collyrij uice fungi possit. est enim omnino leuissimus, ac etiam candidus. Cum uerò nullus puluis perspicuus esse possit: nec mirum, si nec hic ipse. Ipse lapis in aqua mersus splendidior euadit, & magis perspicuus, ut uitrum, multiq; lapides candidi, & ex alabastri genere omnes. Ratio est, quòd nitor nitori additur, & perspicuitas adiuuat perspicuitatẽ, & splendor ac lux penetrat in id quod iam perspicuum est. Aqua autem natura sua splendet, nitet & perspicua est. Puluis qui ex eo deciditur, gypsum est, idq; optimum: ut Plinius paulo pòst testatur. Vt uerò sciamus cur splendeat la-* Cap. 24. *pis hic coactus, dum puluis est, candidus sit: ut omnium quæ splendent, crystalli, uitri: intelligere oportet, cur nullus puluis possit esse perspicuus. Pulueres enim albi, ut uisum est in libro de Coloribus & gemmis, ob aerem sunt candidi: qui si plurimus in eis contineatur, non solum albi sunt, sed etiam lucent in nocte, uelut nix & calx: quæ autem aerem solum ob puluerem recipiunt, id est inter illius partes, nocte neq; lucẽt, neq; alba uidentur. Qui ergo pulueres non sunt, ex materia perspicua terrei sunt: ob id neque perspicui, cum in puluerem redacti sunt. qui uerò è crystallo, uitro, lapide speculari, sale purgato, perspicui sunt: quoniam aquea congelata substantia constant, ut in glacie uidemus, quæ est aqua coacta. at cũ in puluerẽ uertuntur, plurimo adueniente aere dealbãtur necessariò: at nullũ albũ potest esse perspicuũ, ut ibi est demõstratũ.*

Ex odore aũt, qui grauis est, uenenum ostendit, quod putrefacit ac cogit: uelut opium, mandragora, solanum, apollinaris, cicuta: omnium enim acutus est odor, tum grauis ac fœdus, nõ tamen ualde fœtet. Quæ uerò putridum exhalant odorem, deteriora sunt. corrumpunt enim nõ solùm spiritus, sed & humores: & ex genere sunt contagiosorum. Quæ uerò odore suffocant, lethalissima sunt, et quæ pernecare statim possint, naturæ humanæ aduersissima. nec tutũ fuerit talia experiri, ut nec quæ plurimũ aerem & prauũ spirant odorẽ. talia enim calida sunt, ac putrefaciunt: corrumpuntq; nõ solùm spiritus & humores, sed etiã membra. At uerò quæ odore carent, omnino frigida sunt: ut cerusa, gypsum. gypso enim refert Plinius extinctum C. Proculeiũ Augusti familiarẽ, cuius historia legitur. Similiter et casu corrupta sunt: & ex contagiosorum genere, quæ admota naribus uomitum mouent.

Sapores autem acres, non fœtidi, caliditatis indicia sunt: fœtidi autem, etiam putredinis: at

amari

amari et horribiles, ac quasi incerti, putrefacientium uenenorum sunt indicia, & fel quidem uiperæ acuti & amarissimi saporis. Et ut quædam sunt uenena gustu iucunda, uelut superius de Colchico diximus: ita multa sunt dulcia, uelut aconitum: quod erat, ut dicit Dioscorides, dulce, atq; astringentis saporis. Dorienium quoq; lactis refert imaginem, ut ille refert. Mel autem Heracleoticum dulce est, sed & alienum refert saporē: at poma mandragoræ & ipsa dulcia sunt, odorisq; iucundi: uelut Sardonicū apiū, reliquo apio nō tā simile forma est, quàm etiam gustu atque odore. Pharicum autem, de quo etiam diximus, sapore & odore non iniucundum fuit, nempe simile agresti (ut refert Dioscorides) nardo: ut uideatur natura nos uoluisse etiam fallere, nedum uim inferre.

Lib. 6. cap. 7

Ibidē cap. 6.

Cap. 19.

Licet & ex forma, quæcunque dura sunt ualde, & in aciem præacutam finiunt, loco ueneni habenda sunt: ut adamas & nitrum. Sed nitrum magis, quoniam maiora & longiora habet frusta & schidia: ita & crystallus, aliæq; gemmæ. Terrea, ut gypsum, splendore ac stridore sub dentibus deprehēduntur, tū pondere: & quòd difficulter primùm è uētriculo excernitur, & tardè, & laborem illi infert & frigus. nam frigidum uenenū & nos esse concedimus, quodcunq; terreum, saporis expers: sed non ut mandragora, ut opium, ut hyoscyamus. Ergo his quinq; notis gypsum, quod difficillimū est, deprehēditur: quæ fermè et in silice trito, et marmore, et nitro animaduertenda sunt: sed gypsum ut efficit cādidius, ita lucidas aliquas retinet partes, silex efficit nigrū. Pondus ergo & in his, & stridor, et quod non facile deijcitur, & uentriculū refrigerat: sed & nigricies aut splendor necessariò adsunt. nā quæ ualde candida sunt, ut demonstratū est, ubi lumē transmiserint, nitent aliquantulum. Dices, cerussa non huiusmodi, sed grauis admodū, & dentes dealbat manifestè. Diligentē & accuratū esse oportet in huiusmodi, cū de uita agatur. Similiter si conieceris loco mora uitiū aliquod cōtraxisse putredinis: et maximè si tum natura talia sint, uelut dictum est de fungis, cucumeribus, peponibus et melopeponibus. Sunt qui tubera falsò adnumerent. neq; enim à corruptis, modò odor & sapor ferri possit, magni mali quicquam succedere uidi, multo minus à recentibus & integris. Ergo in carnibus & medullis maximè putredinē uerebere ris. Sed quid si quis uiperæ carnes casu uel dolo iuri incoxerit cum alijs carnibus? primùm quidem, cū fugere oporteat sapores odoresq; tetros, in omnibus, tum maximè in iuribus, uino, aqua, lacte, quod eorum quantitas magna soleat sumi: tum uerò quòd in iure ob suauitatem, in lacte ob dulcedinem, in uino ob iucunditatē latêre soleāt. Itaq; ubi primùm aliquid sumpseris, ex iure illo, nausea excitatur: neq; fieri potest ut si parum coquatur sanguinis, & uirus uestigium non appareat: sin autem multum, sapor horridus, & odor quidam insuauis. cum ergo uel minimum uestigium senseris, abstinere oportet. Nec, ut dixi, credas Galeno, quòd huiusmodi sumpta per os uenenū non sint, sed non adeò acre: quia nō pars illorū peior incocta est, dentes, os, fel. Fel quidē amaritudinem excitat intolerandam, os & dentes primùm se forma produnt, deinde coctione uim amittunt, & parua quantitas in multo iure dissipatur. At magis hæc uenena esse etiam intus quàm extrà, ostendit experimentum, cum ex carnibus innoxiarum uiperarū (si modò uiperæ sunt quæ in aqua degunt, & ueneno carent) homines depilantur, & glabri euadunt. Summa igitur diligentia cauendum est, ne carnes aut pisces, sed hoc minus: deterrimæ autem sunt cochleæ, et ranæ magis morticinæ, ni coquantur cum cibis, nedum ut in cibo sumantur. Accidit enim illis idem quod de cucumeribus Galenus dicebat, secundo de Alimentis: ut etsi tum non occîdant, imò ne obesse uideantur, habitum tamen corrumpant: & ad unam duarum, ut dixi, principalium affectionum deducant, scilicet albam pituitam uel nigram, & morbum regium, flauum aut nigrum, quæ sunt matres omnium aliorum morborum.

Lib. 1. cap. 18.

Cap. 6.

Ex operationibus uerò distingues: quæcunque sumpta exurunt linguam & uentriculum, calidissima sunt: quæ uerò astringunt guttur, uenena mala et perniciosa, qualia napellus, & quæ putrefaciunt. Quæ nauseam mouent, putrefaciunt, aut è metallicorū genere sunt. omnis enim metallicus puluis uomitum commouet, aut saltem excitat nauseam: quæ autem dolores in uentriculo sunt è genere erodentium & elaboratorum, ideoq; pessima plerunque esse solent. Quæ linguam & dentes dealbant, frigida, & ex metallicorum genere. Quæ malum odorem faciunt oris, corrupta & putrida, & perniciosa ualde: quæ odorem referūt, ex his sunt quæ stuporem inducū: tut opiū, apollinaris, mādragora. Quæ regiū morbū, etiā in mēsa quandoq; præsentanea sunt. Quæ cordis palpitationē, proprietate & antipathia aduersantur, ideoq; statim occîdunt. Eadem fermè de extrinsecus aduenientibus.

SIGNA MORSVS ET ictus uenenati, ubi de cane rabido. Cap. IIII.

ICtuum morsus uulnerum uenenatorū eadem penè sunt indicia, nisi quòd uulnera nō se produnt, nisi proprijs signis. Primùm igitur inspicere oportet, an ulceris uestigium adsit, & an sentiatur punctio intus cum quadam distentione, tum liuor labiorum & loci. Et si tumor durus, rubens, & inflammatio: aut si cum his inflammationis loco frigus sentiatur, & horror, & labium friget & tremit, & sequitur uomitus, & mutatio caloris totiùs corporis, et molestia quædam intus, omnia hæc punctionis uenenosæ signa sunt. Sed si accidat palpitatio cordis & syncopis præter hæc, signum est perniciosissimi ueneni. Et si animal sit ex genere serpentum, aut eorum quæ ex ouis propagātur insectorū, quodcunq; contingat symptoma maius quàm pro natura uulneris, animal ipsum indicat esse uenenatum. Et nullum animal pedibus duobus aut quatuor præditum, hucusq; in nostro orbe inuentum est, quod morsu lethum afferat, nec ullum animal ex putradine genitum, & maximè quod paruū sit, aut quod serpenti aut ranæ terrestri non assimiletur. Et iurè quidem: esset enim uita humana, quæ secus miserrima est, etiam longè miserior. sed neque ullius, quòd sciam, piscis: aculei tamen pastinacæ & draconis, & aranei & leporis marini caro uenenata sunt. Et si ex morsu uel ictu animalis natura uenenosi aut dubij uulnus uirescit, statim animal est uenenatum. Quòd si animal tale non sit uenenato cibo usum, constat aut rabie efferatū esse. Sus enim cum bufones edat, & lucius piscis & uulpes, si dum in uētriculo adhuc cibus ille est, aliquem momorderint, lethale uenenū uulneri inferunt. Idem de ciconia & pauone. Et spuma ex ore profluens, ueneni indicium est, & perniciosi, ut suprà uidimus.

Porrò signa morsus canis aut alterius animalis rabidi, sumuntur ex tribus: ex cane ipso, qui uulnus intulit: ex qualitate uulneris, & symptomatibus. Signa canis rabidi (per quæ intelligemus de uulpe, lupo, mustela, mulo, equo, cercopytheco) sumuntur ex natura, ratione uictus & actionib. Natura quidem, hirsuti, non magni, qui parū latrant, senescentes, colore ferrugineo & uarij, qui quasi obliquè ambulant, pilo crasso, & in dorso e regionè pedum anteriorum hispido, ac quasi diuulso, qui parum blandiuntur, & paucis facilè corripiuntur: & si è genere sint canum rabidorum, & si caput est macilentū & quadratū, & in motibus præceps, nec libenter ingreditur aquas. Contrà blandi, pingues, tenui, molli, longo & flexo pilo, senes, iuuenculi'ue, qui in aquis sponte proluunt, albi uel rubri: uel si dentibus, dum lactarēt, primus caudæ nodus præcisus sit, rarò admodum, uel nunquam rabie corripiuntur. uictus ratione, ex longa fame aut siti, aut edulijs calidis aut putridis, ex aquis corruptis: & in magnis caloribus per æstatem fit rabidus, & etiam succedente autumno: & in magnis frigoribus per hyemem, & succedente uere: & cum prouocatur ad iram assiduè: & cum fit scabiosus, inde sanatur, non mutato malo uictu. Et ideo uenatici canes maximè corripiuntur rabie, ob hoc, & quoniam in uinculis detinentur. Ex actionibus, cum iam corripiuntur, primùm leuiter abhorrent aquam, postmodum etiā omnem cibum & aquam fugiunt: pòst demittunt caudam, inde aggrediuntur externos, & mordent, & alios canes: pòst discedunt è domo, & obliquè feruntur currentes, & mordent omnes obuios, præter dominum: & tunc spuma iuxta os abundat, nec obseruant uiam aliquam. Et præcipuū signum illorum est, nullam edere uocem, etiāsi grauiter percutiantur. Et eius oculi rubri sunt, & toruè inspicit: & linguam exerit, os apertū, materia mucosa è naribus fluit, & cōtorquetur in latus quasi esset lignū obliquū, manetq; in ea forma, nec quiescit, & aures demittit. Et si modò latret, uox eius est rauca. Et canes fugiunt ab eo: sed si euadere non possint, blandiuntur, donec euadant. Et sunt sexdecim signa.

A uulnere imbuatur sorde illa panis, & cani offeratur: si rabidus est, quamuis famelicus, non gustat illum. Et si nucis ponticæ nucleus supponatur per diem naturalem, inde offeratur gallinæ, non comedit: quòd si per os eius inijcias, moritur. Ex his autem symptomatibus quæ sequuntur, uigilat, tristatur sine causa, uidet somnia mala: apparent nonnunquam formæ canum, præcipuè patienti, in urina. Et fugit lumen, & societatem, & terretur sine causa, & uox eius est rauca, & extrema quasi conuelluntur: & sitit, & lingua est arida, & patitur inquietem magnam, & rubet facies. Cum uerò iam corripitur, odit aquam uel tanquam fœdam, & quæ ei nauseam commouet: uel quia imaginem canis mordentis in ea uidet. inde etiam cibum omnem: pòst latrat, & mordet. Inde strangulatur, syncopi arripitur, frigidum sudat, ac moritur. Et si à theriacis & auxilijs sanguinem mingit, optimum est signum, & euadit. Et rarius in rabiem deueniunt,

niunt, ex quorum uulnere multum sanguinis fluxerit. nam ueneni magnam partem cum sanguine fluere, est necessarium.

SIGNA ANIMALIVM VEnenatorum. Cap. V.

ET uenenata quidem animalia sunt uel ex genere noto, ut uipera, armenus: aut ignoto, ut quæ ex putredine generantur. Constat enim infinita esse uermium genera: quorum quædam sunt uenenata, ut uermes qui in uite generantur: & quædã non, ut qui ex fimo, et sub terra uermes geniti. Et quædã sunt ex notis, sed natura non uenenatis, sed casu, ut in præcedenti capite, cane, lupo, uulpe, mustela, equo, mulo. et Italia non est ferax generũ. sunt autem præcipua tria: phalangium, scorpio, & aspis. Proprium aspidis est, quòd cum coniuge uiuat, diliguntq; se adeò inuicem, ut, si Plinio credẽdum sit, alter al- Lib. 8. cap. 23. terius necem persequatur etiam in ciuitates & conuentus hominum. Oculi huic animali à lateribus sunt, ut ægre prospicere possit: præsertim, quòd parum uideat, sed auditu præstat. quocirca mirum illud quòd referant, cum excantatur, aurem unam terræ affigere, alteram cauda occludere. ita miraculũ ex miraculo confingũt. Quis enim credat uerbis excantari serpentem, qui procul absit, cum præsens etiam nihil intelligat, sed fugiat, aut ulcisci conetur? Et nos cogimur nugas narrare. Sed breuis est: & apice cau- Plinius lib. 11. cap. 27. pag. 5. dæ, quasi ungue: dentes interius habet inflexos, ut cibum continere possit: sed duos habet prælongos exterius prominentes, cauos, quibus uirus illud eiaculatur, ut hominem intra tres horas plerunque, nonnunquam etiam celerius conficiat. Colos cineritius multus. Et alij alia sunt longitudine, uelut & species: dipsas, cenchris, hæmorrhois, prester, seps, hypnalis: atq; aliæ quæ à Solino narrãtur. Vario modo perimũt: unde & nomen celebrant. hypnalis morte Cleopatræ reginæ Aegyptiorum, quæ somno interimit: dipsas, siti: hæmorrhois, quòd morsis undequaq; fluat sanguis: cenchris à similitudine morsus, ut miliũ: cerastes, qui latet in puluere insidiosus, & dryinus, quasi quercinus. Meminit & Olaus Magnus in historia Getarum, & descriptione Borealis regionis: quo fit, ut autores nomine aspidis non unum genus serpentis, sed omnia fermè exitialia comprehendisse uideantur: sub uipera autem mitiora. Illud utinam obseruassent, an aspis è uiperarum sit genere: id est, ut ex ouo in utero concepto fœtum uitalem excludat, quod Cap. 29. illi proprium est. Princeps sapientũ unũ facit genus aspidum solũ, octauo de Historia animaliũ: cuius morsui, inqt, nõ est auxiliũ: quod etiã magis est præsentaneũ, eo quo uescitur improbis cibis: quod omnib: generale est morsibus. adeò ut Ludouicus Vertomanus in sua Historia referat, tyrannũ quendam, qui cũ ueneno uesci solitus esset, cùm uellet noxios occidere, mandebat nescio quid, inde spuebat in damnatũ: quo sputo ille breui cõficiebatur. Refert ergo Aristoteles, aspides propriè in Africa inueniri. Ex eorũ corporibus uenenũ illud (q. tum notissimũ fuisse credendum est) exitiale confici, quod corpora putrefaceret. Ita ut sentiat caloris ingẽtis hoc animal esse: nõnunquã tamẽ, ut dixi, in Italia inuenitur. furit caniculæ dieb. cũ & canes in rabiẽ feruntur. Et sibilus indicium est in serpentibus, toruusq; aspectus, & incessus cum impetu erecto capite, indicia sunt magni ueneni.

Proximus, sed longè dispar forma, uehemẽtia ueneni est scorpius: qui et ipse rarò in Italia exitialis est. deterior regione & tempore calido ac squalido, ut reliqua omnia uenenata. Et qui nodos septẽ habet in cauda: nam plerisq; tantũ sex. Feruntur aliquando per aera flatibus, nescio an ulli pennigeri. At in aculeo ictus uis, referuntq; fundi candidum uenenum. Notissimum animal, & q. pereat raphano, reuiuiscat elleboro albo, tradidit Plinius rursum: Sicut aspides torpescere ha- Plinius lib. 11. cap. 25. lib. 25. cap. 10. licacabi radice mirũ in modum, uelut ruta, maximè aceto aspersa omnia uenenatorũ genera. Et si imponatur, languescunt: unde fraus circulatorũ.

Phalangium aranei genus exitiale quod Arabes rutelam, nostri tarantulam uocant: Plinius Lib. 21. cap. 31. breuiter eum describit, paruum, acutum, uarium, assultim ingrediens: hoc somnum profundũ excitat, et uocatur Rutela uespalis, id est, uespæ similis, ut habetur à Principe sexta Quarti. Sed Ra- Lib. 11. cap. Tractatu 5. cap. 6. sis distinxit rutelã uespalẽ à tarãtula, cuius mor- 24. sus interficit breui. Et fiunt symptomata ex eius morsu pessima: dolor uentriculi, retentio fecum, stranguria, frigus, tremor, uigiliæ, lachrymæ, regius morbus, uomitus, & secessus aquosi, sudor frigidus, genitalium inflatio, iuncturarum contractio similis conuulsioni. Et mors statim post hæc, & à principio breui. Et quod mirum est, sicut de cane rabido diximus, in excrementis 35. Contin. Tract. 2. cap. 3. utrisque apparet simile telæ aranearum. Sed ut dixi, ex ratione etiam curãdi apparet temporib. nostris, quòd tarantula carum inducit: uenenata aũt ignota ex colore dignoscũtur, & forma. nam serpentiũ habentium oculos, nullũ est tutũ. Et cum motus est cum impetu, & magnitudo,

quanto

quanto minor in perfecto animali: et pellẽ habente durã, eo deterior. Et similiter odor spirit⁹, spuma & motus incerti, sunt signa ueneni ex casu.

SIGNA VVLNERVM VENENATORUM. Cap. VI.

VT uulnera non latêre possunt: ita signa, uenenata quòd sint, cognoscere difficillimum est. Magnum huius argumentum est, doloris uehementia, unde Galenus sexto in sextũ Epidemiorũ inquit: (Com.5.) Dolores ex uenenis maligni, liuor præterea labiorum, uulneris & putredo & odor grauis, propria etiam indicium præbẽt. Et si exugantur, iuuantur plus quàm ex medicamentis: & anxietas, & cordis palpitatio, sunt ex eis quæ docent uulneri uenenũ inditum esse, & telum uenenatum. Vulgatum fama est, telo exposito aeri sub diuo, aut ense, quo quis percussus est, uulneratum torqueri grauiter: tanquam non satis sit, potuisse lædi nobis uidentibus, aut saltem præsentibus. Et contrà esse unguentum, quo si telum aut ensis, cum quibus uulnus illatum est, illinatur, non secus leuari ægrum, quàm si ipsi uulneri salutare imponatur medicamentum. & ut fidem faciant, rei descriptionem etiam addunt. constat autem thure, croco, myrrha, bdello, moscho, humana pinguedine, aut saltem osse, sarcocola, aloe, centaurio, seu eius succo, lachryma abietis seu laricis, gumi eleni, styrace, pæoniæ radice, panacis succo, pice liquida, iride Illyrica, uerbena, betonica, cocco, brassica rubra, ozimo, ulmi folijs, lachryma sycomori, sorde balnei, uino, melle, sale: nec telum aut ensem detersisse oportet. Sunt qui dicant, quatuordecim tantum constare medicamentis. Itaq; hæc ad signa potius quàm curationẽ pertinent, cum etiam absentem afficere liceat.

Est etiam genus ueneni, ferrum desquammatum & rude: & si ferrum sagittæ erui nequeat. omnia enim ad non consuetam curandi rationem pertinent. illa siquidem intus relicta, dolores excitat intolerandos: quamobrem & abscessus & uigilias efficit. Dignoscuntur huiusmodi ex doloris acerbitate, & caro fit liuida. Præterea si sagitta extrahi nequit, aut duriori corpori affixa est, aut alata est. Extrahi posse referunt, duobus indicibus digitis apprehensa illa, cum forcipibus ferreis non cedat: & si cesserit maximo cum dolore, hoc modo nullo prorsus. Dubitandũ igitur, an uerũ, et an liceat. Quæ sympathia fiunt, non uerborum ui, in dæmonas referre præiudiciũ est. Nam si herculeo lapide, carne ranarum, radice arundinis, resina laricis, lacertis, limacibus, narcisso, diptamo, siluro pisce, bulbo, aristolochia rotũda, sinapi, conficitur emplastrum, quod sagittas reliquaq; extrahat: cur non eadem uis hominis digitis inesse potest? ut qui sub quouis temperamento, & substantiæ similitudine esse possit, ut demonstratũ est à nobis in Naturalibus? At emplastrum ut ad actum deducatur, spacio aliquot horarum indiget, nec motum habet: at digiti hominis actu uim suam retinent, cum partes sint uiuentis: & motũ præterea habent coniunctũ, unde statim dexteritatis etiã auxilio telum uel sagittã prorsus sine dolore eruere possunt. hoc autem uni, non alij, & sine fraude aut conceptis uerbis concessa esse oportet. Vt contrà quibusdam chirurgicis manus sunt pro napelli aut aconiti radice, qui quotquot curauerint, inficiunt quasi lethali ueneno, perduntq;. contrà alijs, etsi non ad extractionem telorum sufficiant, admodùm salutares.

Quod autem uenenum per uulnus inditũ est, maiorem longè uim obtinet quàm epotum, modò uenenum sit, multiplici ratione: adeò ut exigua quãtitas in telo sufficiat exhibita, in potu eadem quantitas ne noceat quidem ut sentiatur. Primùm, quia quod in uulnere est, iam in ægri corpore est, quod languet dolore, uulnere, sanguinis effluxione, abscessu aliquo; præterea timore, tristicia, ira, affectus est animus. horũ nullũ inest ei qui bibit, præsertim cum ignoret. Ob id medici cauere debent, ut quæq; auxilia exhibeant ad uenena, ne ægro id significent, nisi magna necessitas cogat. Præterea uenenũ illud in uẽtriculo coquitur, cibis tẽperatur, iterũ coquitur in iecore, retinetur societate reliqui alimenti ita debilitatum et imminutũ, cum pars permeat ad intestina, cum fecib. ad cor peruenit: in uulnere statim per eleuationẽ aßiduã alternatã, nec medio horæ spacio ad cor permeat. Indicio sunt uulnerata animalia, quæ statim cõcidunt. nã si post duos aut tres dies cõficerentur, quis esset usus talium medicamentorum? Præterea uenenum in uentriculo diuiditur propter amplitudinem spacij, colligitur autem in uenis uel arterijs: quamobrem ut longè efficacius sit oportet. Multum autem refert diuersitas corporum in hoc, uelut diuersitas inter hominem & ceruum. ceruo in telo elleborus est uenenum, ob siccitatis immoderantiam: homini non ita. Sed & uenena quæ ad neruos prærepant, efficaciora multo sunt ex uulnere, quàm ebibita: uelut canis rabidi uirus. Parati ergo ex uulnere uenenato magnæ noxæ sunt, qui plenum habent corpus

prauis

prauis humorib. tumidi, imbecillia habētes membra principalia: cum locus minimè carnosus, sed in articulis, & iuxta capita musculorū, cum paucus fluxerit sanguis, & uulnus profundum. uitiatur autem etiam in feris, uenenato uulnere occisis, tota caro circa uulnus: etiamsi uenenum illud homini uenenum non sit.

SIGNA AFFECTORVM VEneficio, & fascinatorum. Cap. VII.

FAscini indicia sunt, color malus, oculi tristes, & demissi cum lachrymis, aut nimium sicci, suspiria, cor triste, uigiliæ, insomnia mala, macies in toto corpore. Et hyacinthus rubens, & coralius, in fascino impallescunt, nitoremq; amittunt. Et si annulum digito immiseris ex asini ungula, fitq; latior post aliquot dies, fascino uel ueneficio affectus est.

Præstigiati uana loquuntur, uaniora imaginantur, extra mentem sunt, oculos habent lucidos: &, ut cogitantium intentè, uigilant, macent et gracilescunt in dies, floridus color euanescit.

Deuotos curæ magnæ exagitāt, semperq; timore & audacia agūtur, tristes et iracundi, consilij inopes. Deos aspernantur, & superstitione tamen laborāt. nihil infelicius hoc hominū genere, quod etiā nocturnis terrorib. agitari solet. in omnib. rebus suæ miseriæ imaginē atq; experimentū uident: crudeles, auari, sibiipsis parū fidentes, odiosi etiā suis. Horum plerosq;, tametsi Epicureos, laruæ tamen & monstra nocturna exagitant: id fit seu per atrū humorē cōcepto cacodæmone, seu per deuotionem eiecta è sede mente ac ratione.

Excātati sunt, quos multi dæmonio laborare credunt: quanquā non negarim aliquos dæmonio laborare. Sunt qui narrent mirabilia, & nomina dæmonum referant. Et de scientijs disputant, & linguis loquuntur, quas nunquam didicerūt. Ex hoc genere sunt, qui pactis certis dæmonib. se deuouerunt: & uidentur conuiuia celebrare. Horum intuitus toruus: hanc dæmonum adorationem magni faciunt, ac quasi mußant, seu ob metum legum, seu uenerationem, seu uanitatem.

Lib. 1. cap. 17. Ueneficio etiam contabescunt quidam: & quale sit, & in quo differat à fascino, superius dictum est: commune tamen utriq; est, ut dixi, tabescere. Vnde si myexim annulo incluseris, excidatq; annulus sponte ex digito, ueneficiū est: sed si digiti fiant craßiores, & boni habitus, fascinatio non est, sed timor solùm.

Porrò omnibus commune est mentiri: atq; hæc omnia in mendacio & errore posita sunt. Quidā uerè mentiūtur, quidā falso uera se dicere existimant. fascinatis solùm morbus est in corpore, ab initio cum processerit, etiam ad animam usq; prærepat. Atq; eadē ex morbis contingūt. Sed si ex causa exteriore, quasi repentè in hæc mala decidūt; sin autem ex morbo sensim, cumq; statim & sine causa mores in deterius mutantur, ueneficij indicium est. Aliàs sæpè docuimus, creditum à Cæsonia id factū in Caligula esse, nō tam dolo quàm necessitate, cum in cūctos quanto essent chariores, desæuiret acerbius: id ergo excogitatū pro tutela. Itaq; & philtra ostendūt amoris maiora incendia, uelut in M. Antonio erga Cleopatram: & nostra ætate creditur in Solimano Turcarū principe, ab uxore uocata Rubra. Sed frigidos declarat euentus. At qui natura sunt tales, ad nullas arrigunt: qui casu, non ad ullam, præter unā: qui maleficio, ad omnes, præter unam. Nam maleficium prohibet, ne ad illam poßit accedere, sicut metus & cogitatio & abominatio. uix autem maleficio uni patebit aditus: quia si antea non poterat, maleficio potens fieri non potest, neq; ad illam. Frigidis quibusdam potus nō arrigitur, quibusdam arrigitur: sed cum tractatur, paululū elanguescit: alijs usq; ad opus perdurat, sed immitti nō potest, præsertim si magnus sit, arcta uulna: alijs, quod raro cōtingit, semen non effluit: pluribus, antequam immittatur, effluit. Contingit hic affectus maximè his qui ingenio plurimum ualent, studiosis literarum, pictorib. & sculptoribus egregijs: & qui plurimo tempore à concubitu abstinuere. Qui aūt à gonorrhea proficiscitur, aut illi cōiunctus est, morbus est, nō ueneficiū. Magna res est cōcubitus, q. ad conseruationē generis fit: ideoq; multis modis à natura illius appetitus ornatus. Et ubi finis nullus est ad metam, ibi nec est inuenire terminum uoluptatis. Et in concubitu ipso uoluptas, est in illecebris, dum exercetur. Est, dū absoluitur: est in meditatione, est in memoria. Et dolor & uoluptas in patiente delectant, seu pudeat, seu ultrò se offerat, paria fermè sunt. Ipsa forma, quæstus, modus, tentigo, seminis effusio, omnia ex æquo iucunda. iuuat occurrentem ultro uidere, iuuat occursum declinantem, iuuat è rimula aspicere: ubique est quod præferas. nudam, ornatam, semicomptam, omnia libidinis stimulos accendunt. Si in domo sit, gaudes commodo, gaudes ludis: si extra, gaudes furto. Si humilis sit conditionis, quòd

omnia

omnia tibi liceāt: si nobilis, quòd diligaris ab illa. Si publica sit res, quòd cuncti tuæ felicitatis participes sint: si occulta, quòd plus habeas quàm existiment. Nil mirũ est igitur, si ob hoc ipsum maria terræq; perturbentur: & in ipso tot fascini, philtra, ueneficia, tot affectus, & corporis atque animæ passiones sint constitutæ.

SIGNA LATITANTIS IN rebus ueneni, aut ueneficij.

Cap. VIII.

HAec eadem sunt sex signa, quæ superius dicta sunt: natura, coniectura, experimentum, color, sapor & odor. Et natura quidem deprehensi sunt in medicinis homines admiscuisse uenenum, quia arsenicum descenderat. Et ego quidem interrogatus sum aliquando à Principe, qui nunc obijt, an uenenum ullum posset uino admisceri? & ego dixi, me nescire. & ipse dixit ridens, quòd adamas non poterat admisceri illi. Et ego transiui in aliud propositum: ipse tamen plurima nouerat in hac causa, sed credo tentasse illum me. Ergo, ut ad rem redeam, arsenicum descendit in his quæ bibuntur ad imum, & candidum est. idem agit sublimatum, quod uocant argentum uiuum, & album est, & lucet: sed soluitur. Indicium est ergo à pondere etiam, & à gustu. Ita à gustu & odore rubetæ & salamandræ & uiperæ etiam uino mersæ se produnt. Et in huiusmodi uenenis pinguibus neque color neq; claritas constat: et telam splendidam, uarij coloris, cum uel modicum quieuerint, in superficie obducunt: ut deprehẽdere talia facile sit, nisi ignauis, & ad omnia conniuentibus, adeò ut sublimato argento nil deterius sit. Sed & illud quantum amittit de colore, eo acriorem succum reddit, cui immistus est: ideò ab acribus ualde cauendum, & in mensis principum maiora mala, latitãte ueneno in aromatum abundantia.

Coniectura grauis est omnis animalis, quod sponte perijt, caro: aut enim repentè mortuum est, atq; id nisi à nitro necatum: sed & sic contabescit, ueneno perijsse suspicandum est, ideoq; perniciosum edere. Narrat enim Amatus, filiam Aribæ tabefactam ad mortẽ, quòd carnẽ gustasset gallinæ arsenico enectæ. (Cẽturia 2. Curat. 65.) Longè ergo tutius edũtur carnes occisi telo animalis, licet insecto, quàm intus sumpto. Quanquã & sic enecti, uulneris carnem latè præscindi antea suaserim, nec sanguinem degustari: at uerò si longo morbo perijt animal, contabuisse & semiputrem carnem esse necesse est. Quid ergo boni inesse potest? imò quid tutum? Ideo statuit antiquitas, & rectè: non solum abstinendum ab huiusmodi animalibus, quæ sine manifesta causa periêre, sed etiam occisorum spectanda uiscera. ideò non solùm quadrupedum, sed etiam pullorum exta inspiciebant: & cum iecur totius corporis hac in parte, quæ ad sanitatem & morbum attinet, fons esset, illud præcipuè inspiciebant. Sed cum uilesceret hoc negocium, & opinionem nimiæ molliciei apud plebem ipsorum potentium etiam usque ad seditionis periculum păreret, uelo religionis obtenderunt, dicentes etiam futura prædici ex hoc posse. Quod seu dæmoniorum auxilio, seu casu contigerit, fidem habuit multis ex euentibus: quanquam & in pluribus, uelut & in alijs fucus subest, fefellerit. Adiuuarunt rem edictis cum pœna, religionis autoritate, dolis, ambiguis responsis, rumoribus. ita difficile fuit falsa deprehendere. mansit tamen malus fructus superstitio. siquidem aruspicium & obseruatio iecinoris, ab optima planta, scilicet carnium animalium salubritate aut morbo, ortus. Est aliud coniecturæ genus, cùm, ut dixi, optima & multo aromate condita, ac saccaro, in mẽsa, & sub fine conuiuij, cum iam saporis cognitio in lingua ob ciborum multitudinem ac uarietatem obtusa est, tibi offeruntur, præcipuè speciatim. Itaque furculam ex optimo orichalco Germanico, quod ut aurum splendet, habeto sociatam, gladijs auratis: ut lateat, quantum fieri potest, cautio: atque attinge offam interim quasi oblitus, aut audiendo, aut sermoni operam dabis. namq; interim rubiginem contrahet. Quòd si eueniat, noli tentare fortunam secundò, sed totus sermoni incumbens, ac ex industria incalescens finito, nil degustando, conuiuium absolui: tũ eũ qui apposuit, obseruato. Reliqua extra hãc artem. Experimento propè alio, muscas, si quæ sunt, obseruato: & ab eisdem abstine, quibus & illæ: leue est, sed tamen aliquibus profuit, ut referunt. Cerasti dicunt quatuor adesse cornicula, (Plin. lib. 8. cap. 23.) certum est ungulam quarundam aspidum caudæ inesse, quæ inclusa auro pro gemma, creditur sudore prodere uenenum. Creditum est de myexi, de monocerotis cornu. Vas è porcellana, quam dixi esse myrrhinum antiquorum, uel etiam ex electro natiuo, non facticio, ut superius dixi. Sed hæc omnia aliquid sunt: generaliter tamen uera esse nequeunt. Color sanè plurimorum ex his uenenorum præsentia uitiatur: atque utinam non etiam ex alijs. Esset enim quorundam

rundam certum argumentum. Debes præterea facies inspicere inferentium. dici enim solet:

At quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Obserua insolitas blanditias & sermones incertos, nec cohærentes, atque abstine: tum uerò & mutuos aspectus, nutus, nictationes, administros, & in cibis ipsis colorum uarietatem. Varia hæc uidebuntur quibusdam, sed in magnis sceleribus difficile est omnino se continere: Et exigua inuersione omnia pereunt.

SIGNA MORBORVM pestilentium. Cap IX.

Signa autem febris pestilentis cuiusque propria ac generalia sunt tria. Primum est, fœtor exeuntium intolerandus, quia resecantur ex re putrida, ut dictum est: & hoc in calidis morbis: in frigidis autem dum egeruntur solùm, & sunt pingues, sanguineæ & nigræ. Secundum est, quòd sit quieta exterius, cum sæuißimls tamen symptomatibus, & cum pernicie plurimorum. causæ iam dictæ sunt. Tertium, quod maximè pertinet ad contagium: ut scias primum distinguere genus à secundo, id est quod fit ex consuetudine solū, ab eo quòd fit ex aere. quod est, cū uideris post unius mortem alterum ægrotare, atque deinceps inter familiares, & eos qui uisitauerunt, in alios uerò distantes non: tunc est ex contagio primi generis. similiter, si adsint bubones. tertium est, si mors sit ualde præceps, ita quod uideantur bene se habere, & læti sedent in lecto: inde intra duas uel tres horas moriuntur. & unumquodq; eorum est certum signum pestis contractæ ex tactu. Per contrarium singulorum ostenditur, quid sit morbus communis ex aere: scilicet si semper crescat, si sit sine bubonibus, in locis glandosis, & inuadat in pluribus locis diuersis simul, & etiam qui inter se nō

3. De Præsag. ex pul. cap. 4. conuenerint. Sed huius signa sic Galenus tradidit: Color corporis inæqualis, partim ut in erysipelate, partim ut in herpete, spiritus fœtens, calor exterius circa pectus. Dico non magnus, sed mordax: qualis in hecticis, quem neque ipsi sentiunt: & tamen non possunt ferre uestes, ne-

Com. 29. Sec. 1. que integumenta ulla. hoc enim in sexto Epidemiorum docuit. Vrinæ autem sanorum urinis similes, aut sine contentis, aut turbidæ: aut cum contento colore simili telæ araneæ, ac in modū cumuli lanæ coactæ. À balneo etiā sitiunt non parùm, cibumq; respuunt: cùm reliqui ægri soleant ab illo minus laborare siti, & cibum appetere: tum uerò oculos habent flammeos, & calidos. Pulsus plerunq; sano similis. Fernelius autem dicit expertum esse, quod & nos experti sumus, immoderatam uigiliam atque perennem. Nostro autem tempore maculæ per totum corpus, maximè in dorsi parte superiore, & humeris: & quandoq; circa renes uestigijs morsus pulicum similes apparêre solent, atque hæ rubræ, purpureæ, nigræ, fuscæ: sed omnium peßimæ nigræ. uidi citreas, alij referunt etiam uirides se uidisse.

Et præter pestilentem febrem puram, sunt innumeri alij morbi, qui communes sunt, & lethales, maximeq; dicti. À membris pectoris, peripneumoniæ, morbi laterales, sanguinis sputa, febres sudorificæ, ut in Anglia dictum est: à cerebro, cynāche seu anginæ, phrenitides, insaniæ: à iecore, morbi regij, atque dysenteriæ, tum carbunculi praui. Omnium horum præter propria signa uniuscuiusque morbi quandoque communia, quæ sunt multitudo languentium, & mors maioris partis, & propria etiam signa pestilentis febris iam dicta. adest quartum genus signorum, proprium unicuique generi, ideoq; definiri non potest. Nam in Anglico sudore adest punctio non grauis, in quadam parte corporis non determinata. Sic in peste illa MCCCXLVI: 2. de Subtil. præter bubones aderat sputum sanguinis: & in ea Constantinopoli, cædi ab alio: & genera interitus propria, atque similia. Cum ergo ultra morbi propria signa signum aliud adest, quod omnibus conuenit, ac si esset pathognomicum, tunc morbus est pestilens. Verùm certò scitur, cum ad mortem tendunt patientes: aliter erit epidemius, ex intentione Hippocratis. nam ego pestilentem dicam ex corruptione aeris aut aquæ, licet non tanta sit ut interimat languentes. quo in genere collocauit Princeps uariolas & 1. 4. Trac. 4. cap. 6. & 8. morbillos, cum peste. Signa autem communia illorum atque illarum sunt, efferuescentis sanguinis, uelut spirandi difficultas, rubor faciei & oculorum, dolor capitis cum grauedine, tußis, febris ualida, dolor dorsi, oscitatio & pandiculatio, & tremor pedis, dolor in pectore, uocis raucedo, lachrymæ, inquies, & æstus magnus. Et signa lethalia sunt, cum aduenit angina uel diarrhœa cum aliquo malo symptomate: & huiusmodi morbi raro interficiunt, quia sunt generales toti humano generi: paucißimiq; euadunt ex his qui ad ætatem deueniunt perfectam, quin utroque morbo ex his corripiantur, quia fiunt ex duobus excrementis sanguinis craßi ac te-

S nuis à

nuis à principio generationis. Et aliquando corripiunt hominem plus quàm semel & bis.

Et scias, quòd omnis febris quæ ab initio detegit naturā uenenosam, est minus mala ea quæ post aliquot dies: non solùm quòd medicus in cu ratione non errat, sed quia genus ueneni est minus prauum, & habet ortum quasi ab externa causa. Et quanto plus distulerit, eo peius.

SIGNA AERIS ET AQVAE corruptorum. Cap. X.

Elementa hæc multis modis corrupta dignoscuntur: ratione propria, non propria, signis proprijs, ab effectu, signis communibus, casibus: aqua autem etiam sensu. Ratione pro-
21. pria ex dictis Aristotelis prima Problematum, cùm scilicet aer plenus est uaporibus: inde tota illa constitutionum pestilentum series descripta in libro de Prouidentia, ex temporum anni constitutione. Non propria sumitur ex astris, & hæc est triplex. alia quidem per luminarium defectus, cùm maleficæ præfuerint: & si etiam color malus fuerit, ut secundo Quadripartiti, qui modus est communis cometis ac stellis fortuitis, cùm magnæ fuerint, diuq́; perdurauerint. Et ideo fuscus, & niger color, & plumbeus pestem portendunt. Tertia coniunctio Saturni & Io-
Cap. 8. & 9 uis in signis aereis: ut in ea quæ fuit causa pestis antea descriptæ, quæ inchoauit anno M. C C C. X L V I, cùm eodem anno fuisset coniunctio in Aquario, ut refert Matthæus Villanus: non ta-
Lib. 1. cap. 1. men potuit, permanere in una regione plusquam quinque mensibus, & occidit tertiam partem humani generis. Et post has sunt coniunctiones Saturni & Martis, præsente Sole aut Luna in eisdem signis, maximè Libra et Aquario. nocet etiam Scorpius. Signa autem propria sunt, quod panis expositus uesperi aeri mucescit in una nocte: caro in die una corrumpitur: aer ipse pulueru
Trac. 4. cap. lentus uidetur, ut Princeps prima Quarti, et in hyeme maximè, & nebulæ graues sine pluuia in æstate. Et in die magnus calor, in nocte frigus, quoniam corpora humana non illam ferunt mutationem. Et urbes quæ sunt obnoxiæ huic mutationi, sunt etiam obnoxiæ pestilentiæ: ut Roma olim, cùm uix unus aut duo anni possent continuare sine peste, nunc mutato situ, beneficio Pontificum, tametsi obnoxia sit eisdem rationibus pestilentiæ, multo tamen minus ac rarius quàm antiquo tempore. Ab effectu autem, quoniam homines uidentur suffocari, uigilant nocte, lassitudinem sentiunt, pecudes moriuntur & sues: & apparent in hominibus lippitudines multæ & melancholiæ, & mulieres abortiunt, & parientes & abortientes moriuntur, si fœtus sit magnus: & apparent scabies, & pueruli multi pereunt: & apparent febres continuæ multæ: & mors auicularum, & fuga earum ex regione, & fuga etiam murium.

Ex communibus aūt signis sunt, ranarum multitudo, & magis serpentum, & erucarum, & limaciarum, & reptilium & talium: uelut etiam locustarum multitudo, quarum uita penuriam parit, mors corrumpit aerem. Et casus multiplex est: primum, si contingant in autumno ignes & faces & flammæ & nebulæ puluerulentæ ante solem & lunam & sidera maiora: Canem & Pleiadas & Hyadas & Orionis cingulum, quæ pluribus diebus appareant. Et in aere quasi profundi specus sine nebulis. Et tristicia hominum, & timor, & nouæ superstitiones, & partus fœdi. In secundo genere sunt clades magnæ, terræ motus, uentorum exhalatio malefica, inundationes, & hoc præcipuè. nam cum siccantur, corrumpitur omnino aer: ideo in Aegypto hoc est frequens. Et sepulchra antiqua aperta: et pluuiæ multæ, quibus magnus succedit æstus, & penuria magna, cui succedit abundantia magna. Tertij casus sunt, multitudo hominum, atque improbitas. sed hoc altius esset repetendum. Quòd ad præsentia attinet, dubium non est mul Lib. 4. De Arcanis Aeternit. cap. 13. Et 4. De Fato cap. 10. & 26.
titudinem hominum exhauriri peste aliqua aut penuria aut sensim, cum pauciores nascantur quàm moriantur: contraria enim ratione creuerunt. Præterea ortus plurium infantium, & præsertim puellarum, & uno partu, signum est pestis, natura quasi præoccupante defectum futurum humani generis.

Verùm casus admirabiles sunt, uoces, strepitus, somnia, aliaq́; terribilia signa. Quidam audiunt currus euerti ante domum maximo cum strepitu, ac si tabularum magna moles simul caderet: alij uident funeream celebrari pompam. De his autem aliàs dictum est. Dubitare tamen contingit, an talia uera sint, et an uera saltem, qui dicunt, dicere se credant? an omnia conficta à nasutis & improbis: quibus non satis est malefacere, nisi etiam irrideant bene sentientes de pietate. Sed neque, quod aliàs disputatum est, quærere hic propositum est: sed si modò admittantur, quomodò naturalia esse possint? Difficillimum est de his tractare: tum quia in principijs homines dissident, nec quicquam incertius: deinde, quòd tenuia sint huiusmodi principia, ut nec ex illis propositum deducere

ducere liceat. Demùm, quia in experimentis est magna dubitatio. Plures, ut dixi, causa irridendi alios talia confingunt: alij simplicitate aberrant. Sed rei ueritas est, quòd his temporibus tum ob aeris corruptionem, tum ob metum maximum, tum ob tristiciam charißimorum amissorum abundat ater humor, q refert has imagines & strepitus, & somnia uera. constat enim, quod in Pa-
Lib.7. Sec. 9. ralipomenis discussum est, humorem illum atrũ dæmonis naturam sapere. Ergo nõ omnino falsa sunt huiusmodi: sed uidentur, audiũtur, ut ab his qui se imaginantur principes, aut damnatos ad mortẽ. Et tales sunt medij inter insanos & dormientes. Causa ergo est, quòd homo in uigilia nõ sentit, nisi à magno sensili: quoniã spiritus est in perpetuo motu. & dũ dormit, sentit alias affectiones: quoniã spiritus quiescit. Et quies est causa facilitatis sentiendi, ut motus impedit: & ideò ater humor cũ sit frigidus & siccus, sistit spiritus, & ideo facit ut recipiant impreßiones, quæ sunt à cœlo, uel ab anima, uel à dæmone nobis cõiuncto, uel ab ordine uniuersi, seu fato. Videtur ergo, quod ibi dictũ est, potius referendũ ad modũ operationis quàm ad principiũ præcognoscẽdi futura. nam humor ater est principiũ solum recipiendi species illas, nõ autem prædicendi: imò quantum est ex sui natura, est causa potius erroris. propterea insani & homines sanæ mentis, pestilentiæ tempore uident & dicunt multa falsa. Quòd si cui poßit stabiliri spiritus absq; illo humore, ut contingit in his qui pacato sunt animo, & boni, sine perturbationibus, & quorũ cogitationes sunt fixæ in Deo & uitis, necesse ést ut præuideant multa, & omnia uera. & hæc est summa felicitas humana. Humor igitur ater, est causa sentiendi absque sensibilibus: non autem prædicendi futura uera. & ideò cùm tales prædictiones, uisiones, strepitus'que apparent, signum sunt corruptionis aeris, aut aquarum.

Est etiã ratio peculiaris in corruptione aquarum maximè: quia primùm cum corrũpuntur, sentitur odor in eis, & sapor malus & fœdus: sicut ego sensi anno MDLXII, mense Iulij, Papiæ in puteo meo & aliorum: & tamen non est secuta pestis ulla. & tamen cum corrumpuntur ualde, hoc euenire necesse est. Et signum huius est, mors piscium in fluminibus, & plantarũ in æstate, cum annus non sit siccus. Et contingit corruptio diuersa, adeò ut aliquæ moueant præsocationem, aliquæ febres, diarrhœas, intestinorũ difficultates, colores colicos. Et non est pestilens corruptio, ut dixi, nisi cum morbi interficiũt. Et similiter ut mors mundorum animalium, & piscium, & bonarum plántarum, & utilium hominibus, est indicium corruptionis aquæ: ita generatio immundorum, ranarum, uermium, erucarum, asilorum, muscarũ, multipedarum, araneorum, & ignotorum insectorum, tum serpentium, est indicium eiusdem corruptionis. Et eadem est ratio in aere, cum corrumpitur. Et oculis uidetur offuscatio, & in aqua quasi puluis sparsus, & quædã pinguedo in superficie: & dum bibitur, sentitur humidũ adhærens palato, & uidentur colores in ea. uirescit enim, fusca fit, flaua. Et animalia, maximè boues, & pòst equi non attingunt, nisi ex magna siti, & quasi prælibant: inde abstinent. Et conferunt se ad aquas fluuiorum currentium. nam tales rarò, uel nunquam corrumpuntur. Et similiter in aere sentitur odor quidam sine causa, & lingua fit siticulosa, & homines abominantur cibos. Et fit lingua quasi cœnosa quadam illuuie fœda & turpis. Et ex aqua & aere corruptis generantur herbæ uenenosæ: maximè cicuta, hyoscyamus, napellus, tithymalorum genera. & si non prorsus uenenatæ, saltem tetri & mali odoris, ut cotula uocata fœtida, urtica agrestis, atque huiusmodi. Et similiter generatio plurima fungorum, & perniciosorum: & aeris prauitas detegitur in nocte & crepusculis. Et si quis melius degat in cubiculo concluso, quàm perflato. Et corrumpitur aer in uallibus, & locis quietis, & aqua, ubi non est profunda, sed iuxta terræ superficiem.

SIGNA PESTILENTIÆ BUBONIÆ.

Cap. XI.

Bvboniæ pestis ac contagiosißimæ signa, sunt eadẽ quæ etiam in omnibus pestilentibus cõmunia, sed præcipua bubones. Inter quos qui sub alis sunt, omniũ sunt peßimi: inde, qui sub mẽto, uel parotides: ultimò, qui in inguinib. sunt. atq; in his obseruare oportet, an alleuietur ex his morbus. Et parui sunt deteriores magnis: & nigri, fusci, liuidi, cærulei, uirides, sunt ualde mali. Et naturales colores sunt, albus & ruber, post quos est pallidus: reliqui mali, sed nõ peßimi. Adest palpitatio cordis aßidua, et dolor capitis cum sensuum interiorum stupore, & nausea quam uomitus non sedat: etsi, ut dictum est, plures ex eadem domo pereant, aut saltem febre simili laborent, Hypochondria tenduntur, & tumet uen-

ter. Et aluus demittit fœtida, nigra, cruda, colliquata, aut pluribus ex coloribus mista: aut quæ non unum retinent colorem, sed uariantur, pinguia. Et cum adest, dolor capitis est uehementissimus. Et hoc, quia si uires constant, causa est ualidissima: & si non constant, non omnino sentit.

Cap. 9. Et adsunt, ut dixi, in signis morborum pestilentium signa propria quædam unicuique generi. Et mors, quæ accidit passim, non permittit dubitare de re, cum iam bubones apparuerint. Sed dubitatio est antea quàm prodeant. tunc ergo oportet considerare omnia quæ superius dicta sunt. nam in hac sunt uehementiora, ut dixi: quia cum in hac non adsit alia causa constans quàm morbi, & tamen celerrimè interficiat, necesse est ut omnia symptomata sint longè ualidiora quàm in illa.

Signa autem mortis sunt fermè eadem quæ in uenenis generaliter, sed loco doloris uentriculi magni adest nausea, & abominatio cibi magna: & tumor in uentre, non declinante morbo est, ut in uenenis: sed loco spumæ ad os adest urina aut turbida ualde, ac fœtens. Nec adest mutatio coloris statim, ut in uenenis, uerumeius loco mentis alienatio. Reliqua quinque sunt ut in uenenis, cordis palpitatio, oculorum rubor & conuulsio: sed hæc minus in peste quàm uenenis, syncopis, sudor frigidus, & strangulatio.

Signa salutis in huiusmodi morbis nulla sunt, sed exitus rei demonstrat: maximum tamen est, si quis bubonem emittat satis magnum, & febris remittatur, & cibum appetat. Et signa etiam lethalia non sunt adeò certa, ut in alijs morbis: quia sunt quasi pathognomica ob febris uehementiam, & putredinis magnitudinem. Et crisis in his affert celerem mortem, etiamsi bona uideatur: quæ tamen est cum anthrace, & disrumpitur, ut mihi accidit per stuporem, statim liberat. Et quæ non est adeò secura, est cum morbus permutatur per crisim ualidam in anthracem, & uires non debilitantur. Tertia est, cum in crisi solùm anthrax exit: at quæ per stuporem fiunt, uomitum, lethales sunt: quæ uerò per aluí profluuium, meliores: his meliores per urinas, cum tamen plerique pereant ex omnibus, uelut etiam ex ea quæ per sanguinem narium. Et liuores nigri circa faciem, & ubique: tum uerò uestigia, ut in flagellatis in dorso, omnia lethalia sunt. Et sunt in ea anthraces, & sunt minus mali, pòst bubones pallidi: his deteriores sunt abscessus similes colore prunæ, & forma piscibus.

SIGNA MORTVI EX peste. Cap. XII.

HI qui ex peste uera & contagiosa moriuntur, carbunculos aut bubones habẽt, iuxta ea quæ diximus in præcedenti capite: & caro pendula aurium nigra efficitur, & nasus similiter à lateribus iuxta partem latiorem: & quandoque emittunt uestigia nigra solum, absque ullo tumore. & hoc non accidit ex uarietate naturæ morbi, sed quia transmutationem præuenit illius maxima uiolentia. Et cum plures sic moriuntur, est pestis ex aere maligna, & boboniæ similis. Et cum celeriter ualde mortuus est, nec apparent signa ueneni, nec abscessus interioris, est pestis: & maximè cum plures sic pereunt, & pestis ualde malæ. Nam cum morbus citò perimit, aut ob abscessum interiorem, aut ob uenenum exhibitum, aut genitum, aut cõtractum ex contagio, id agit: sed sublato abscessu interno, et ueneno exhibito, necesse est ut sit uehemens & putridus, ideo contagiosus: quare ex boboniæ pestis genere.

SIGNA MORTVI EX ueneno. Cap. XIII.

GAlenus non in hac parte quàm alijs diligentior, signa posuit mortui ex ueneno, mortem repentinam, cum bono regimine antea uteretur, corpus liuidum, aut uariũ, aut nigrum, præcipuè dorsum. sub hoc etiam repentè mori intelligas, syncopim pati frequentem, extrema refrigerari, & frigidum sudare totum corpus, aut faciem solam cum ceruice, unguium liuor, & cõuulsio: præterea nausea perpetua, & dolor in uentriculo erodens, ungues nigri post mortem, qui facilè auelluntur: & capilli qui sponte decidunt, adeò ut aliquibus integri manipuli auellerentur, nullo labore aut nixu. atque id signum ex quarto signo Galeni pẽdet, cum dixit: Quòd caro diffluit, aut malè olet. hæc enim accidunt, cum uenenum putrefecerit carnes: secus, non id potest. Ideo hæc signa quæ à Galeno posita sunt, meliora fuissent, si dum homo ægrotaret, præscripsisset. in mortuis enim parum utilia sunt, nisi ad litem intendendã forsan pro hæreditate. Et mirum est, quòd nec ullus eorum qui Galenum sequuti sunt, ea posuit. Nisi dicamus in specialib. quæ Princeps sexta Quarti posuit, etiam generalia, & aliquid plus contineri. Quanquam contingat ueneni signa exhibiti cognoscere: & quale sit tamen nescire.

6. De locis cap. 5. pag. 3.

Trac. 1. cap. 3.

ALEXI-

ALEXIPHARMACA QVAE sint, & eorum cognitio.

Cap. XIIII.

Alexipharmaca dicuntur propriè, & ex ui nominis, quæ epotis malis medicamentis aduersantur. ἀλεξέω, arceo & auxilior. Alexiteria autem, seu ἀλεξητήρια, quæ obstant, auxiliantur, ab illis præseruant, cum θηρίον serpens sit. Galenus quinto de Simplicibus medicamentis (omissa hac exigua differẽtia) alexipharmacorum tria genera ponit: quæ contraria sunt qualitate, ut castoreum opio: quæ caliditate ipsum uenenum distrahunt: & quæ ipsum attrahunt & euacuant. attrahunt autem substantiæ similitudine, quæ dicit media esse substantia inter humanam naturam, & ueneni. Dico ergo, quòd inuenitur quartum genus, quod resistit generaliter etiam uenenis, & uocatur bezahar apud Arabes, cum sine adiectione profertur: & cum refertur ad uenenum certum, dicitur Bezahar eius, ut napelli moschus, sexta Quarti. Galenus ergo commune alexipharmacum non nouit, scilicet ceruilachrymam: sed neque smaragdum, ut resistit omnibus uenenis, spiritum uitalem & animalem confirmando: igitur bezahar Arabum non idem est, quod alexipharmacum Græcorum. Idem Galenus uidetur alexipharmaca propriè credidisse medicamẽta, quæ exhibentur intus, & sunt contraria natura, uelut castoreum opio: at alexiteria, quæ extrà applicantur & trahunt uel substantiæ similitudine, uel ob calorem, tenuemq; substantiam: quæ uerò intus exhibita proprietate naturæ uenenis resistant, uelut dixi de smaragdo, & infrà ubi numerabuntur alexipharmaca, non uidetur Galenus agnouisse, aut libri illi eius ad nos non peruenere. Vnde nunc duplex labor in singulis, rem scilicet docendi, & ostendendi an illud Galenus cognouit. Et si dicimus quòd cognouit, quamuis non cognouerit, tamen silent: sed si negemus, oportet integras scribere Iliadas, quasi nefas sit dicere, Galenum pauca ignorasse: cùm Aristoteles dicat, maximam partem eorum quæ scimus, esse minimam illorum quæ ignoramus. Et certè quotusquisque non infinita ignorat, paucissima nouit? Sed uitium hoc est temporis, imò auariciæ medicorum, imò peccatorum nostrorum pœna grauis. Plurima ignorauit Galenus præstantissima auxilia, manna, rabarbarum, horum inquam usum solum: tamarindos autem, & cassiam nigram, & multa alia, & longè plura in dies: sicut è diuerso balsamum nouit, & cinamonum, & amomum, quæ nos ignoramus. Ignorauit Indicam luem, pestem buboniam, curam ueram pestilentis febris, ueram naturam uini: quædam notatu digna in anatomia, uelut pylori situm. at si quis hæc conferat cum tot illius pulchris antiquorum inuentis, quæ eousque perdurarunt, nos quidem imperitos & stultos esse ostendet. Imperitos siquidem, qui pauciora plures, & tot librorum auxilio sciamus, quàm ille norit: stultos, quòd adeò anxij simus pro falsis opinionibus, & indigna laude unius hominis: qui quantumuis præclarus fuerit, non tamẽ pro deo habendus est. Horum autem quædam ut simplicia, alia ut composita sunt. Simplicium autẽ quædam, ut etiam innuunt. Referunt aryngij radicem attactu occidere salamandram, seu in aqua sit, seu extrà. Sed ut ad rem redeam, celebrantur inter generalia alexipharmaca, sordes oculorum ceruii uirosi odoris, quas seruant uenatores in Sicilia, ut ait Scribonius Largus. Sed in regionibus calidioribus, & maximè in Africa concrescunt in lapidem: & hic est qui ab Arabibus Bezahar dicitur, & eum cognouit Auenzoar etiam. Est & Pezar lapis, qui ex India aduehitur: pro quo ne sæpius idem repetã, uide quæ à nobis scripta sunt, tum ab Amato in secundum Dioscoridis. Smaragdus autem & mus napelli, pro herba quam putant esse zeduariam nostram, sunt longè inferiora his. Generaliter autem omnia adnata uenenis potentissimis, non casu, sed natura & semper, & partes ipsorum uenenorum, & excrementa, cum non occidunt, necessariò sunt optima alexipharmaca, si sint ex plantis aut metallicis: aut alexiteria, si ex animalibus.

Causam differentiæ horum alias attulimus.

Marginal notes: Cap. 18. — Tract. 1. Summa 2. cap. 1. — 5. de Sim. med. cap. 18. — Cap. 163. — 7. de Subtilitate. 17. de Rerũ uarietate, cap. 97. Cap. 39. — 9. Contrad. 17.

LIBER TERTIUS, DE CURA UENENORUM.

CUSTODIA A' UENENIS. Cap. I.

Oportet eum qui se uult custodire à uenenis, fidissimos habere famulos & ancillas: & magis pueros quàm iuuenes, & iuuenes quàm senes, nisi sint spectatæ iam fidei, & nobiles genere. Et ob id Principes, licet huic periculo sint maximè obnoxij, ob nobilitatẽ eorum quorũ opera utuntur, raro periclitãtur. Quãuis referant Alexandrũ magnũ à Cassandro affectũ ueneno, sed iussu patris: & ob id etiam quanto paucioribus ministris utetur, eo securius deget. Seneca cùm timeret à Nerone de ueneno, nullius opera in cibis utebatur. Habeat præterea uestes, & maximè interulas plures sub clauibus bene siccas: et dũ lauãtur & siccantur, quempiã è suis fidis apponat: et dũ conduntur, spargat eas ruta & scordio siccis: & dum induere uult, multa flãma siccet, & odore ac fumo belzoi eas imbuat, quod & ad gratiã facit. Tertiũ est, ut deuitet cõuiuia omnia, neminem patiatur uersari in coquina, in uinaria cella, iuxta cubiculũ, iuxta mensam, nisi è proprijs familiaribus, quibus fidit. Sciat familiares suos ubi diu uersentur cum aliquibus, & lõgos ferãt sermones, cũ quibus id agant. Tristes & cogitabundos, & uerba cum risu præter solitum tecũ miscentes, amanda. Præterea lusoribus minus fidas quàm furibus, utriq; enim proditores: sed lusores aliquãto audaciores, & repentinæ perfidiæ. Nullum cibũ peculiarem edas ex consuetudine: nec solus, sed omnia oẽs: nullũ locum certum in mensa, quibus duobus Principes priuatis uiris sunt inferiores. q; et si prægustent, qui uinum & cibos exhibent, parũ est ei si non sit qui prægustet, hominem unum plus occidere, qui ea est audacia, ut decreuerit occidere Principem. Si dolus sit in ministro ipso, mille sunt fallendi modi, potest præmunitus accedere, parum est quod sumit dum prægustat: alia ex parte sumere potest. Propterea ceremoniæ potius, quàm cautionis loco habenda est hæc institutio. Loci mutatione panis, quod ingens est periculũ, euitabis.

His quæ tractãtur plures oculos præponere oportet: sed nullas manus, aut quàm paucas, ut dixi. Cornua cerastes sudare præsente ueneno referunt. Sed & electrũ: at electrum metallũ id est, est & electrũ myrrhinum, seu id dicamus porcelanã: ita ex metallo ad lapidẽ, imò figulinum opus trãslata est hæc uis. Aurichalcũ etiã, ut aliàs dixi, ne pauperibus suũ præsidiũ denegetur, miro modo ab omnib. uenenis metallicis mutatur: sed & ab aliјs potentibus, præsertim si calidũ sit cui immergitur: eligi debet ualde splendidũ & purũ. Et nisi etiã ab omnib. succis acribus aut acidis uitiaretur, rem absolutã undequaque haberemus. Sunt & q catulos meliteos, feles, aues, maximè psittacos, q; sint pamphagi, horum gratia alant. Rursus eum qui uelit huiusmodi pericula deuitare, oportet ut abstineat à ferculis ualde mistis, tortis, farciminib. emphractis, intinctibus, botellis atq; iuribus, quale est nigrum Laconicũ de herbis: tum uerò à uehemẽter odoratis: dulcibus quoq;, atq; acribus. in huiusmodi enim solent abscondi exitialia uenena.

Tum uerò in edẽdo summã adhibere oportet diligentiam, ut de nulla alia re cogites. & cùm primũ cibũ in os mittis, odorẽ explora. nã extrà ut malè oleat, nõ est faciẽtis, sed pdentis uenenũ. Quòd si quid naturæ inimicũ cõtineat sordidũ putridũ ue, diuq; lingua ac dẽtibus tractaueris, abominaberis bucceã: eadẽ quasi hæreat, impedimentũ afferet gutturi, ut p gulã demitti nõ possit. q; si sapor aliquis acris sentiatur, reiectetur uelut sensisses stridere sub dẽtibus. nihil enim huiusmodi ne uel helluones deuorare solent. Maior est fallacia in potu: & ideo etiã maior adhibẽda cautio. non igitur hauries unquã potũ, sed primũ prægustabis & exsuges. Legatus Solimani principis, dũ potũ à Barbarossa classis præfecto, et Iuliæ Cæsareæ in Mauritania tyrãno exhibitũ explorat, pitissatq;, uitã seruauit et amicitiã adeptus est illius, tũ grãdia munera expressit ab eo metu patrati sceleris. Qui à ueneno tument, ouis uescuntur: sed ibi periculũ maius, ubi maiorẽ putas esse securitatẽ. nã & in ouis abdi uenenũ facillimè potest, hauriturq; eo magis improuidè, quo difficilius existimatur posse immitti. Dicere solebat Carolus, q; & aliàs recitaui, non nisi gulosos ueneno cõfici posse. nam sola cõfidentia latêre potest uenenũ. Ideoq; nec famelici, nec sitibundi ad mensam, maximè alienam, accedemus.

Vitare decet fungos, & quæcunq; sunt similia uenenatis, ut anguillas & ranas: non solùm quòd & ipsa uenenosa esse possint, sed quòd malefici sub ea occasione uenenũ exhibeant: quemadmodũ et ægris princeps Istonij et Bonromeus antistes

antistes ueneno sublati sunt fungis deuoratis: duo patricij mihi noti, dum ranas edissent, nullus, ut puto, ex his ui ranarū fungorū ue. nota historia de Claudio Cæsare. Nec apiū, quod simile sit apio risus, nec petrosiliū paruū cicutæ persimile. Bononiæ ignotas herbas miscēt. cauere oportet οἰνοχόον prudentē habeas, qui è situla, nō phiala aquā, è cōmuni cirnea uinū. Creditur Ludouicū Belʒoiosiū Barbianū è principib. nostræ ciuitatis perijsse aqua è phiala sumpta: eiq; porrecta gladiū appositū deterge. Acie gladij si quid det, altera parte edito, aut non edito. Sic pro constāti habetur, Franciscum Sfortiam secundum ueneno debilitatum, aut postmodum sterilis euaserit, & parum superuixerit.

Securitatem autē ab animalibus præstant educata, quæ illa edunt, ciconiæ, pauones, æluri, mustelæ. Quæ alliciunt & detegunt, ut ignis.
6.4. Trac. 3. à cap. 4. ad 10. *Quæ odore ingenti fugant, styrax, asa, serapinū, pix, cedria, asphaltum. Et quæ sapore acri, alliū, serpentaria, seu aron. Et quæ proprietate illis aduersantur, cornua cerui, folia cupressi, pini, iuniperi, mali punici, arbos tota et umbra fraxini, trifoliū, asphalticū, ruta: ut contrà, saluia eos densitate foliorum allicit. Fugant & quæ illis uenena sunt, auripigmentum omne, raphanus seu radicula, & elleborus. Sub hædera tutò & libēter iacent, nec ullibi frequētius: sed fœniculū credo fouendi uisus gratia diligunt, reliquæ plantæ quasi sunt indifferētes. Sed si sub mortifera planta anguis lateat, lethalissimum uenenum habere solet. nam plerunq; pigra animalia ijsdē sub plantis latitant, quibus uescuntur.*

EA QVAE NOS DEFENDVNT à noxa uenenorū. Cap. II.

EA quæ nos à uenenorū noxa defendūt, alia sunt alexipharmaca: unde illud ostēdit exemplū Mithridatis regis, q adeò sua Mithridatica cōpositione profecit, ut cū uellet seipsum ueneno perimere, nō potuerit. Et de Agrippina, quā filius Nero uenenis illis adeò exquisitis tētare nō est ausus, quòd sentiret antidotis præmunitā, ut inquit Suetonius. Neq; existimandum est, curam hanc ac solicitudinē oportere esse infinitam, sed habitus corporis in contrarium transit. ut non malè Martialis dicat ludens:

Profecit poto Mithridates sæpè ueneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi:
Sic tu cauisti cœnando tam malè semper,
Ne posses unquam Cinna perire fame.

Quanquā hoc ad usum potius uenenorū ille retulerit, quàm antidotorū. Venenū etiam ueneno alexipharmacum, ut mēstrui sanguinis, uiperarū caro, et multorū uenenorum, ut infrà dicemus, cantharides. Lac præterea, butyrum, ruta, oleū, theriaca præcipuè, alliū etiam, hebetāt uim omniū uenenorū, si quis huiusmodi assiduè utatur: uerū tamen theriaca uitā breuiat. Sunt & amuleta quæ collo appensa hebetant uenenū, uelut ferunt de achate lapide, peʒar etiā gestatū, et smaragdū & lachrymā cerui aduersus uenena plurimū prodesse crediderim (habet enim rationem:) sed et coraliū, et quæcunq; mutātur, quia mutāt.

Et ex familiarib. auxilijs quæ uenenis omnibus resistunt, si cū illis edātur, aut paulo ante: sed in eadē cœna, aut etiā paulo pòst, ut diebus sequētibus antequā sentiatur, sunt radiculæ, folia cū oleo & sale. Vulgatum est de theriaca illa Mithridatis minore, scilicet quæ ex nuce plurima & ficubus, tū rutæ modico, et salis grano cōstat, quod præsumpta cibis tutos à uenenis præstet: quod ui cōpositionis potius quàm singulorū natura accidit. Sed & nuces ponticas, & rutam orientalem, & ficus itidem eligere oporteret.

Inter præcipua quæ uim uenenorū frangunt, mustela etiā à Galeno numeratur: credo potius imposita, quàm in cibo sumpta: ab Aueʒoar smaragdus: antithora etiā, cui persimilis est thora: sed uenenū hoc, describiturq; à Matthæo Syluatico In dictione Antithora, seu Anthora. his penè uerbis: Duæ herbæ unà orientes folijs fermè uiolarū, sed rotundiorib. modicè incisis, flore cyclaminis: sed anthoræ subruber magis, thoræ uiolaceus. Videtur Gesnerus eas agnouisse, qui & tractatū de eis edidit. Existimant quidā thorā napellū esse: antithoram, ʒedoariam, seu napellum Moysis, aliū esse dicens ab animali. Et post inquit: Zedoaria melior est quæ cū napello crescit, 2. Can. e. 500. cuius uicinitas uires napelli debilitat. Et est theriaca Cap. 745. non solū illius, sed etiā uiperæ, & omnium aliorum uenenosorū. Sed si est antithora ʒedoaria, erit thora napellus: at non est. uerùm sexta Quarti Trac. 1. cap. 1. dubitauit, an geduar, & bis mus buha sint idē aut diuersæ. Sed & mus napelli, & napellinæ muscæ, uisæ sunt à Matthiolo Senensi: et omnia hæc debilitāt, ut dixi, uenena, quia sunt ex uenenorū imperfectorū natura, ideoq; etiam alexipharmaca. Sed et peʒar meminit Amatus libro secundo in Dioscoridem, Cap 39. ponitq; illius duo genera, nos unum tantùm uidimus: satis est & ipsum frangere uim omnis ueneni. Sed dubium est de alexipharmacis generalibus, quoniā si media sunt natura inter humanam & uenenum, cum uenena sint diuersa: igitur non poterit esse unum generale alexipharmacum. Præterea si

alexipharmaca sunt media inter naturam humanam & uenenum, non erit cura uenenorum per contrarium: quod est contra regulam generalem. Respondeo, quòd alexipharmacum genera le nullum potest dari secundum mentem Galeni: sed dantur medicamenta quæ roborant uires omnes, & excitant uomitum cuiuscunque rei noxiæ: non tamen sunt alexipharmaca iuxta principale significatum, & sunt duodecim. Dico Galeni aduersus pestem, bolus armenus: theriaca generalissima, ut apud eundem de Theriaca, ad Pisonem: & de illius usu, ad Pamphilum. Quatuor Principis, zeduaria, mus napelli, & sphragis, et medicamen cõpositum ex semine sancto, quod est absinthiũ Aegyptiũ, et radice ac folijs assæ fœtidæ: & describitur post illa. Et tria sunt Auenzoar: smaragdus, lachryma oculi in ceruis, & stercus columbinũ. sed hoc solùm ad pestem. Et adducit rationem Galeni: Est enim quodãmodo simile putrido humori ex peste corrupto. Tria Italorum, pezar Amati, muscæ napelli, et oleum scorpionum Matthioli.

9. de Simpl. Medic. cap. de terra Samia. Cap. 16. Cap. 1. 6. 4. Tract. 1. cap. 4. & 5. In princ. & dum de uenenis agit. & 3. Theisir, Tract. 3.

Cæterùm quæ prohibent ueneni impreßionem, sunt: ejus lactucarum multarum cum butyro: atque hoc circulatores utuntur. Verùm omnis uenenorum consideratio circa tria uersatur genera: custodiam, defensionem, & curam. De cura proximè agendum est, cuius septem sunt præcepta iam non dubia: quorum sex in sequenti capite, septimum in ultimo huius libri declarabimus. Quinque uerò dubia, an cibus plurimùm nutriens dandus, secundò uinum? an calidus aer conueniat? Et si non potest uenenum educi uia qua ingressum est corpus, an uenæ sectione, quod per uulnus est impressum: an medicamento, quod per os educendum sit: demùm an somnus conueniat, cum somnus omnes euacuationes retineat, præter sudorem, secunda Primi. Dicemus autem nunc.

Doc. 2. Summa 1. cap. 13.

DE CVRA VENENORVM generali. Cap. III.

Communis omnium uenenorum intentio est, reuocare per eam uiam qua corpus nostrum est ingressum: ueluti si assumptum fuit per os, uomitus: si per clysterem, clyster alius educens: si ex ictu aut morsu, uulnere ue, exsugendo. ob id ergo uomitum facilem efficere utilißimum est: adeò ut nihil sit securius, ac perstantius. Mouere etiam uomitum per ea quæ & redundantia eum cieunt, & quæ proprietate. Redundantia, ut oleum, lac, lixiuium, butyrum, natura, elleborus albus, flos genistæ seu sparti, anethum, & nux illa quam metel uocãt, quæ uomica est uerè. Ego autem floribus genistæ, anethoq́, thlaspi etiam, aut staphisagria, spumeoq́ papauere, si eius copia detur, libentius utar. Commoda quoque in his quærere oportet, quæ præcipuè quatuor sunt. ut facilia sint: unde elleboro quod per se uenenum fermè est, uix utar: rarò etiam staphisagria. Secundum, ut uenenum eradicet, unde oxymel utiliter additur: tum uerò lixiuium lacti præstat. Tertium, ut ueneno aduersetur: cũ uerò pulueres omnes etiam ex saccharo uomitum cieant, commodißimus erit lapis pezar atque smaragdus. Quartum, ut substantia hebetet, ut pinguia omnia, oleum, butyrum, lac. Quanto igitur detergendo lixiuium præstat, & oleum hebetando, ac facilem prouocando uomitum, tanto lac multitudine ob facilitatem. Manifestum est aũt, q. & multa ex his permiscere licebit, ut lacti oxymel ac theriacã. Princeps sexta Quarti, butyrũ cũ aqua lacti præponit. uidetur enim magis posse hebetare uim ueneni, tũ uomitũ ciere. Oportet aũt tãdiu in uomẽdo perseuerare, quoadusq́; nec sapor, nec odor, nec morsus, nec nausea, nec anxietas sentiatur, quæ sunt quinq́; indicia propria reliquarũ ueneni. Quòd si uomitus difficilis sit, aut non potuerit exquisitè purgari per ipsum, tũc medicamẽto ualido, si non ultrà gibba iecoris penetrarit, purgãdus est. Et est regula Principis, adeò ut iuuent clysteria & medicamẽta quæ purgãt utrinq́;, uelut thlaspi, elleborus, & similia. Iuuat & per se multũ, duos à pollice primo digitos gutturi immittere.

Trac. 1. cap. 4.

Sed si morsus sit, aut ictus, exsugere uulnus oportet. Et qui exsugit, non habeat ulcus in ore, nec in gingiuis. aliter maximo in periculo uersaretur, cum secus sit securus. Vnde Celsus: Venena animaliũ exsugere loco calido & ægro procliui decet. nam non sunt uenena, nisi gingiuæ aut palatum exulceratũ sit. unde Psillis nihil præcipuũ, præter audaciã. colubra enim tutò estur, ictus eius occîdit. Ex quo colligitur, uenenũ id ab animalib. prætenue esse, quod in uentriculũ uacuũ receptũ prius absumitur, quàm permeet: contrà auripigmentũ crassum, adeò ut nunquã permeare exterius infusum uenas poßit, intus attenuatur & occîdit. Quòd uerò etiã morsus eorũ nõ noceat, cõtingit, quia medicamẽto dentes serpentũ obstupuerũt. unde patet, literã Principis in 6 Quarti, Et nõ habeat dentes corrosos, debere emẽdari: Et nõ habeat ulcus in ore. Præstat aũt ut oleo rosaceo uel uiolaceo colluat antea os, pòst aũt uino odorato: quanq́ neget Celsus ullis esse pericu-

Lib. 5. cap. 27. sec. 3. Trac. 3. cap. 1.

periculum, modò sanæ sint oris partes. Quòd si

Lib. 2. contrad. 23.

dicas, superius contradictum fuisse aperte huic opinioni: Dico, in contradictionibus responsum esse: si uerò non adsit qui exsugat, secundũ locum obtinet cucurbitula, maximè lata, cũ multo igne: et si etiã incidatur locus minutim, nõ erit abs re. Tertio loco sunt quæ superimponuntur ex similibus, ut gallinaceus pullus, et hœdinæ aut ouillæ carnis nuper iugulatorum frustum, ut calor ille naturalis attrahere non solùm uenenum, sed uim illius eneruare poßit. Similiter uniuscuiusq; caro multũ prodest ictui suo, uel morsui superposita, cum & sympathiæ ratione trahat, & uim ueneni molliat: quòd ut Galenus dicebat, alexipharmaca natura sint media inter hominis ac ueneni naturã.

5. de Simpl. Med. cap. 18.

Sic uiperæ caro, uiperarũ morsibus: et iecur rabidi canis, canis rabidi morsui, eiusdẽ præcipuè: et scorpius, scorpij ictui, atq; eadẽ ratione. Quarto loco sunt emplastra ex attrahentib. uehementer, uelut radice arundinis, carne ranarũ arborearũ, limaciarúm'ue, siluriq; piscis, tum lacertarũ, et pleræq; bullosæ radices, tum sinapis, aristolochia, diptamusq; Cretẽsis, angallis, ac similia. Quintũ ac sextum locũ obtinent, imò primũ ui, sed horrẽda sunt, incisio carnis ad os ipsum usq;, tũ quæ exurũt ex candenti igne, aut Brutia pice liquata et superinfusa. Cõsulit aũt Celsus, ut calidus semper locus foueatur, quod uenena pleraq; frigefacere soleant. Quanto magis quæ aculeo poti⁹ quàm morsu perimũt. sunt enim huiusce modi exãguia. An qa uis ueneni omnis sit, natiuũ extinguere calorẽ. Sed & iubet, ut si bibant atq; euomant, aßiduè ius anserinum, hœdinũ aũt ouillum, quanquam uenenũ exterius aduenerit, repelli tum motu, tum ui uenenũ ad exteriora, putat.

Secundum præsidiũ est ex alexipharmacis cõmunibus, tum intus tũ extrà. Extrà quidẽ est oleũ Matthioli, nostrũq; huiusmodi: ℞. olei expreßi è semine iuniperi & napi librã unã, rutæ montanæ, hypericoni s iam semen concipientis, singulã manu quantũ bis potest capi: contundantur, & per decẽ dies in ardenti sole cũ oleo exponãtur, inde expreßis ruta & hypericone, denuò tantũdẽ atq; tantũdem: tertio addatur eadẽ ratione, pòst uiuaces scorpij, magniq; in eo numero centũ extinguantur. His addantur olei è floribus uerbasci & sambuci facti in sole, singulorum unciæ duæ, croci oriẽtalis unciæ dimidium. Quòd si theriacã optimã habes, adde: si sole uti non potes, balneũ Mariæ decẽ dierũ loco per unũ diem adhibebis. Intus aũt recipe seminũ iuniperi, napi, rutæ, smaragdi oriẽtalis (magna enim est copia) boli armeni uulgaris: sed tamẽ quẽ uocant orientalẽ, diptami Cretẽsis, scordeon, singulorum drachmã: scobis ex ebore deraso scrupulum, excipe mombasio et melle simul eatenus feruentibus, donec despumari poßint.

Tertiũ est, ut homo mulo exenterato, capite prominẽte, statim dum adhuc feruet, sic inseratur, ut tãdiu in eo iaceat, donec liberetur à ui ueneni: quod si unus non sufficit, alter iterum exenteretur. Atq; hoc modo constat Valentinũ Borgiam, pontificis Alexandri sexti maximi filiũ, solùm hoc præsidio euasisse, multisq; annis egregia facta, aut potius scelera admisisse, cum pater alijq; oẽs qui ex eo uino medicato biberãt, obijßẽt.

Porrò uictus ratio odoratis optimisq; edulijs, & cor cõfirmantib. constat, iuribusq; præcipuè cum succo mali medici coctis. cõstat enim malũ medicũ adeò uenenis aduersari, ut Athenæ⁹ referat, ut etiã infrà citabimus locũ ex Theopompo Chio historiarũ scriptore, Clearchũ Heracleotã Põti tyrannũ, q multos cicuta necauerat, ubi resciuere uim citrij, illo prægustato, neminẽ è domo solitũ discedere q eũ nõ assumeret. ibi etiã aduersus oẽs ictus serpentũ illũ extolit. Verùm quod de aconiti alexipharmaco, qua ille potius quàm cicuta interimere ciues suos solebat, potius ad meã quàm ad citriũ est referẽdũ: uideturq; locus ille quoquo modo quibusdam uerbis necessarijs mancus. Sed ad rẽ reuertor. Lac in potu ac cibo esse præstantißimũ, præter rationẽ, et auctoritatem Dioscoridis lib. 2, quàm refert Princeps in secundo Canonis, qui referũt illud cõuenire omnib. uenenis fermè: ut ardẽtibus, quòd extinguat: erodentib. quòd mitiget eorũ uim: frigidis ab his appellatis, uelut hyoscyamo, adeò ut eos rationi restituat. Illud ego apertißima experiẽtia didici,

Cap. 43. Tract. 2. cap. 442. in fine.

cum ægrotarent quinq; filij Euangelistæ Syrtiri, mercatoris Mediolanensis, obijssentq; in manibus duorũ medicorũ, quos uulgus clarißimos existimabat: hos uerò etiã pro deploratis reliquißẽt, existimantib. illis febrẽ esse pestilentẽ, cum tamẽ nullus alius tota urbe eo genere febris correptus diceretur, intellexi esse uenenũ omnib. ꝓpinatũ. ideoq; oẽs paui lacte, ille fuit cib. potusq;: adeoq; fortuna me iuuit, ut oẽs seruati fuerint: cum tamẽ puella inter cæteras esset, ut reor, parũ trimatu maior, quam intra mediã noctem expiraturã putabãt, cũ esset tũ hora uespertina. Reor ex his quæ nũc cõiector, fuisse argentũ uiuũ distillatũ.

Vtrũ uerò à ueneni cõtagio somnus sit utilis, hoc solùm dubitatione dignum est. Princeps sexta Quarti, inquit: Et oportet ut non dor-

Tract. 1. cap. 4.

miat

miat omnino, & nõ dimittat seipsum sic, ut dormiat: imò oportet ut euigilare ipsum faciant prorsus, rideantq́;, & clament in circuitu eius. Et causa huius est triplex. prima, quia tales indigent auxilijs, et uomitu etiam, quæ in somno adesse non possunt. Secunda, quia oportet ut cognoscamus detrimẽta illi⁹: sed ista latẽt magis in somno, ideo præteribit tẽpus auxilij. Tertia, quæ est euidentior, est, q̃ interim uenenũ trahetur super membra principalia, et interficiet: quæ causa cum sit communis etiam ictibus, morsibus, febribus pestilentibus, palàm est, in nullo ueneni genere cõuenire somnũ, donec extinctũ fuerit uenenũ, et in declinatione. Et quando morbus est breuis ualde, tũc facile est, et purũ præsidiũ, ut in Anglico sudore: quia finitur plerunq; intra 24 horas. Deterior aũt hora somni est, cum uenenũ adhuc est in uentriculo, pòst, cum fuerit in uenis mesaræi & intestinis: pòst, cum fuerit ultra iecur. Cum aũt fuerit iam in corde, uel propè, necessariũ erit, si uirtus sit imbecillis, ut permittatur dormire: sed si uires non exigunt, melius est ut uigiles usq; ad morbi inclinationẽ. Frictiones etiã ab initio sunt malæ, donec uenenũ fuerit citra cauã partẽ iecoris & antè, pòst aũt sunt maximè utiles ad reuocãdam materiã ad partes externas. Et quod dixi de somno, idem fermè iudiciũ erit de potu uini. Verùm uinũ potest ultra somni occasionẽ cõpetere trifariam. Primùm in casu, ut sit materia uomitus. Secundùm, ut dẽtur cum illo alexipharmaca potentia. Tertiò, ut obruat uim ueneni per se, ut de cicuta. Nota est historia illorũ, qui cum furtũ fecissent, timerentq́; deprehendi, secum cicutæ uenenũ attulerãt, uasq́; uini, quo id mali sanabatur. Quintum præsidium est, ut quàm diligentißimis rationib. natura ueneni propria, ut illi occurrere poßimus per sua alexipharmaca. Quæ tamẽ nota sunt à libris, tũ ratione dicta: sunt enim media natura inter uenenũ & naturã hominis, ut aduersemur propriæ illorũ actioni. Napellus cor petit, lepus marinus & cantharides exulcerant, aconitũ tabefacit: ærugo erodit, sanguis menstruus putrefacit. Sextũ, quòd nõ contemnendũ est, autoritatib. rationeq́; id docẽtibus, est ualida urinæ prouocatio, sed solùm hac in parte non generalis, cum adhuc uenenũ est citra gibba iecoris, nam & in morsu canis rabidi cantharides exhibẽt, et in alijs uenenis: & cum uenenũ est in uenis, quo alio præsidio melius aut efficacius auerti poterit à principalibus membris, quàm uehemẽti medicamẽto, quod illud ad urinæ uias auocet. etiã si cantharides biberit, eruthrodano et glicyrizа cura-bitur. Censet aũt Galenus, attractionẽ ad exteriora in omnib. uenenis utilẽ esse: inter ea uerò quæ intus pro antidoto exhibẽtur, prætulit quod ex sanguinibus constat, secundo de Antidotis. 5. de Simpl. med. cap. 18. Cap. 8. in fine.

CVRA VENENI CALIDI.

Cap. IIII.

Illud ut certũ statuere debemus, uniuscuisque ueneni, modò non citò perimat, esse curã, atq; ideò omniũ temporaneorũ. Sed tria maximè obstant, quo minus omnes curari poßint. Primum, quòd nesciamus ueneni qualitatẽ: secundũ, q̃ temporanea anteq̃ innotescãt, iam totũ hominis corpus deprauarũt. Tertiũ, q̃ uiolentia sua homines perimãt, uelut & uulnera grauia, & ictus: uelut illud quod argẽto uiuo & aqua separationis constat, sed nõ nisi ui exhiberi potest. Datũ fuit, ut audiui, in uinculis posito ac dãnato, ut experirentur medicamentũ circulatoris, quod ille frustra iactabat. statim enim miser illo cum medicamẽto perijt. Ergo ueneni cura p̃ cõtraria fieri solet, sed mediocria primũ facultate, actu uerò etiã tepida, ne cogitantes extinguere incendiũ cogamus, ut quandoq; contingit, dum ignẽ ex oleo uel bitumine accensum aqua conamur restinguere. Itaq; exhibebimus aquã lactis, & uinũ granatorũ, & succum citruli, & cucumeris, & endiuiæ: & refrigerare cor et iecur cum santhalis, et caphura, & rosis, ac uiolis. Et potus ac cibus sint iura pinguia, et cũ ptisanæ hordeaceæ cremore, et succo pomorũ acidorũ. Et omnia sint frigida, tam actu quàm potentia: adeò ut exterius aliquãdo necesse sit adhibere aquam niuis. Et sapa spissa, & butyrum, & decoctio dactylorum, sunt ualde bona. Et calidorum uenenorũ generaliter exustio interiorũ, & ardor, et inflãmatio sunt symptomata: sed peculiariter pleraq; ex his lethifera, diarrhœã & dysenteriã generãt: unde astringentib. indigent, & cibis q̃ nutriãt, et tẽperent uim medicamenti. Et aer sit frigidißimus & humidus, et in uomitu adhibeatur lac aut ptisana frequẽs: et à purgatione per inferna abstineatur, et somn⁹ magis cõuenit quàm in alijs: et quiescat omnino. Et cum peruenerit ad uẽtris fluxũ, theriaca aut Mithridatũ utile erit. Et testudinis sanguis, & ciconiæ, & anatis uidẽtur esse utilia in huiusmodi affectionibus, quando exurunt potius quàm aluum mouent: aliter ius illorum pingue. Et balneum in hoc casu multum iuuat multis modis, & somnum conciliat, qui solùm his generibus uenenorum conueniens est: sed & pleraque calida uenena purgant uehementius, curaq; est per eadem fermè, quib. calida uenena curantur.

Quiete,

Quiete, somno loco frigido, balneis dulcis aquæ astringentibus, confirmantibus uires, nutrimentis mollibus, pinguibus iuribus, lacte. Et debent exhiberi qua substantia constent, nec adeò diffluant. Et ab initio etiam, quæ uomitu interficiũt, uelut elleborus albus, uomitu curãda sunt: sed uomitus debet esse cum pinguibus. uomitus enim non tam uentriculũ labefactat, et uentris fluxus intestina, quantum uoluntas irrita uomendi. Et cum euacuatũ fuerit totum uenenũ fermè, tunc iuuant intus & extrà succus cotoneorum, & malorum bene olentium: ut sunt, appiana, & succus pyrorum moschum redolentium. Et est mirum, quòd odor moschi in pyris sit antiquus, & moschus ipse sit res incognita antiquis Græcis ac Plinio. Et confert etiam uinum malorum punicorũ, & ribes, etsi incognitus antiquis fructus: uelut & uua crispina, & omnibus his uis inest omphacij, conferuntq́; non parum uentriculo. Et in his (non in calidissimis medicamentis) confert mithridatum plus quàm etiam theriaca. Et differentia inter mithridatum & theriacam est in tribus. Primum, in his quæ ingrediũtur, quorum numerum inferius explicabimus: sunt enim longè plura in theriaca. Secundum, quòd in theriaca ingrediuntur pastilli ex carne uiperæ: in mithridato non. Tertium, quod & theriaca confert longè plus uenenis serpentum. Verùm dico, quòd mithridati compositionem non habemus, quoniam Andromachus senior unam posuit, aliam Antipater & Cleophantes, tertiam Damo-

Cap. 1. & 2. crates, ut secundo de Antidotis. Intererat & Galeni docere, quæ nam fuisset Attali & Mithridatis regis: at hoc cum non fecerit, suspectam omnem compositionem reddidit. Quidam præferunt descriptionem Andromachi ob uiri autoritatem, alij Antipatri & Cleophantis ob simplicitatem, & quòd non uerisimile sit ambos mutasse ueterem rationẽ: alij eam quæ Damocratis, quod ob carminis leges errorem nõ admittat. Certè eam præferre decet, quæ constat quinquaginta quatuor rebus: ut Plinius, qui ante Galenũ fuit,

Lib. 29. cap. 1. & Andromachi tẽpore, testatur. Videtur ergo quæ Antipatri, uera esse: nam L I I. componitur medicamentis: & si iuncum odoratũ à rotundo distinxeris, erunt L I I I. Sed uinum non admittit: quod si admitteret, perfectus esset numerus. nam quæ ad Andromachũ refertur, X L I I I. tantum constat medicamentis: quæ uerò Damocratis, X L I X. tãtum. quòd si dicas in carmine

Pli. lib. 20. cap. 24. deesse unũ, erunt L. Et ideo legerẽ apud Plinium L I I I, uel illa uerba de uino nõ imponẽdo, superflua sunt, aut aliquid deest in tãta uetustatis caligine. Est etiã theriaca Antiochi facilis, cui tamen parum tribuo.

CVRA VENENI, QVOD FRIgidum esse dicunt. Cap. V.

PRo cura aũt uenenorũ quæ frigida uocãtur, et uerè putrescẽtia debent appellari: dico ꝙ peculiariter debemus quietẽ imponere, cõtrario modo quàm aqud Platonẽ, siquidẽ inquit: Nihil " aliud ages quàm ut statim à potione inambules, " donec grauari crura tibi sentias. postea uerò iacere " supinũ, contectũ primùm: deinde cũ refrige " rebatur detegebant eum. Hæc igitur ratio cõuer " sa est eius quod ille dicebat. Id mirũ, ꝙ tam breui necaret id ueneni genus: siquidẽ uesperi dum fermè occideret sol, assumpsit, paucis post horis, dico duabus aut tribus perijt. nam intra mediã crura inflari uerisimile fuit: pòst aũt quantũ uixerit haud constat. certè si longus fuisset mortis cruciatus, omnes securim potius præoptassent. Ergo in hoc casu uinũ copiosum dulce & potẽs dandũ est cum pipere, castoreo, gentiano atq; pistacijs. In aere frigido ipsum constituere oportet, uomitumq́;, etsi nihil euomat, perpetuò irritare. Et cũ crura intumuerint, et caput grauatur, cucurbitulæ cum multo igne sunt applicandæ. Et dicebat Galenus tardando operationẽ illius, fit ut nõ noceat. & procrastinatio est cura. Dico tamen ꝙ Galenus potius quadam ratione persuasiua egit quàm solida, uel experimẽto. Primùm quòd credidit paruam quantitatẽ non obesse. hoc est falsum: quandoquidẽ cicuta Atheniensiũ ita rectè tẽperata erat, ut drachma in tribus horis occideret: quod nec napellus facere potest. Deinde ꝙ credit non officere si uincatur: imò præparat ad malos morbos cerebri, attonitũ, conuulsionẽ & tales. Tertiò quòd sanati remanẽt cum dispositione ad hydropẽ, & cum principio illius ꝓpriè à cicuta. Et hoc, quia cicuta, ut dixi, & reliqua hui' generis corrũpũt spiritus nõ ob frigiditatẽ, sed ob putredinis naturã: tũ maximè quia, ut demonstraui in libris de Subtilitate, frigiditas est sola priuatio, et nullã habet actionẽ ꝑ se, sed agit impediendo. Quæret aũt quispiã quare talia uenena cõuulsionẽ excitent cum interficiũt? Et respõdeo, ꝙ huiusmodi exiccãt cerebrũ ob frigiditatẽ, et ideo cõtrahitur. et hæc est causa quare moriẽtes oẽs cõuellũtur: cerebrũ enim anteꝗ congeletur, naturali sensu, cõtrahit se, tanꝗ à causa lædente se conetur tueri. Sic et aqua cõtrahitur dum gelascit, remanẽtq́; ob id mortui oculis rigentib. ob eã causam: soluitur enim prima uel secũda cõuulsio, qa cerebrum

3. de Simpli. Medic. Cap. 18.

cerebrum extenditur, quamuis contra causam contrahentem, demùm euictum se contrahit. Cura igitur fit per assam fœtidam propriè: acetum, absinthium, & syrupus acetosus, undecunq; causa sit, origanum, ruta, sal & allia, & sulphur, nuces, mel, oleum rosaceum, & theriaca, & cinamomũ, & uinum antiquum, tenue, odoriferũ, in multa quantitate extinguit talia uenena: & excitetur sternutamentũ cum condisi, & trahantur capilli, & non permittatur dormire. Et cicuta est deterior opio: opij enim drachmæ duæ occidunt solùm in duobus diebus & per somnum: cicuta aũt reddit deprehensum, & cum cõmate uigilante. Et inungat tempora cum oleis de lilio, & calidioribus etiam, & odoret castoreũ, moschũ, rutã, & sedeat propter conuulsionẽ in balneo aquæ dulcis, & utatur iuribus pinguib. Et si talia nõ putrefacerẽt, sed refrigerarẽt, nihil esset deterius. Et nux methel est media inter opiũ & cicutam. nã aureus in una die interficit, & fricare oportet extrema cũ linteis asperis. Et cũ potest moueri, & iã rectius se habet, exerceat se donec sudet. Et uomitus in frigidis uenenis debet esse cum nitro, & tartaro albo. Sed & in putrefaciente, & omnibus quæ nõ sint extremè calida.

Et curatio nostro tẽpore optima, sed antiquis ignota, ex qua nemo perit, nisi ante admotũ medicamẽtum iam planè sit cõclamatus: fit cum elysir uitæ, cuius descriptiones cum sint innumeræ, facilem tamen & potentẽ adducam. Recipe uini mombasij libras XL. mellis optimi X. rutæ, sampsuchi cum seminib. chelidoniæ cum radice, singulorum libram unam: pyretri libram mediã: garyophylorũ, utriusq; cardamomi, piperis nigri & longi, cinamomi electi, gingiberis, ligni aloes, maceris, nucis myristicæ, zedoariæ, saluiæ, cum radice betonicæ, stipitum rorismarini, gentianæ, iridis Illyricæ, thlaspi, corticis medij fraxini, baccarũ iuniperi, spondilij, serpilli, singulorũ uncias tres. thuris, myrrhæ, belzoi, opoponacis, bdelij, styracis, chalbani, croci oriẽtalis, singulorum uncias duas: baccarum lauri uncias quatuor, caphuræ sexquilibram: terãtur omnia, & misceantur, & sub fimo equino ualde calido condantur per 40. dies. demùm destillentur secundũ artem, sic ut prima aqua clara colligatur ad usum: secunda, quæ feculẽta est, ad unctionẽ locorũ arteriarũ seruetur. Præcipua pars est oleum tenue, rubrũ ardentis saporis, cuius usus est intus è tribus guttis usque ad quinque, & extrà: nigrum extrà.

CVRA VENENI A' SVBstantia, & tabefacientis.

Cap. VI.

OMnia quæ tabefaciunt uenena, tẽporanea sunt. tabes enim sensim procedit, & longo pòst tempore interimit. Est aũt tabes multiplex, nec est unius modi. alia enim tabefaciunt uẽtriculi functione euersa, alia iecoris: alia quia obstruunt: quædam immodicè calefaciunt corpus, & regium morbum inducunt: alia refrigerant, alia ulcus in pulmone inducunt: quædam dolores, quædam uigilias mouent: quædam pruritum, qui sedari nequit: quædam, quia siccant nimiùm. Vt uideatur non unus modus tabefacientium uenenorum, cum quædam fastidium etiam moueant: ita nec unus modus temporaneorum morborum. Sed alia erodunt, alia tabefaciunt, alia putrefaciunt, alia proprietate sua tandem interimunt. Cum ergo ita sit communis curatio, est scobs auri uel chalybis, si, ut plerunq; contingit, metallica sint. His, cum alijs, radiculæ folia, radix, succus, auxilio sunt: theriaca, & diaæmaton. Ita oportebit non solùm uenenum temporaneũ per genera, sed etiã species curare. generalẽ enim præter hæc curationẽ habet, quã inferius docebimus. Quæ uerò propria est & sufficiẽs, Cap. 16. est aqua terræ, & illius aer. oportet autẽ eligere quæ aduersetur natura ipsa uenenis: uelut ex Lẽno, Melita, Armenia. Et constat experimento id deprehensum esse, (oleo enim ponderoso unguntur) & si non sufficit, aquã bibunt: reuomunt enim omnia molesta naturæ, & ui ipsa, ac cũ eis uenenũ uiolenter trahunt. Oleũ igitur graue est huiusmodi: olea aũt destillatione confecta, leuia sunt generaliter. Quod uerò adiuuat ueneni actionẽ, calor est: calor aũt instrumentũ, nõ uenenũ. Instrumentũ quidẽ naturæ, ut Princeps ait, nõ 6.4. Tract. 3. cap. 33. ueneni: sed dum natura in illud agit, etiã illud agit eodẽ medio in naturã. Quocirca in ualde senibus irrita fit uenenorũ natura, quoniã calor extinguitur. Venenũ igitur agit, cum natura agit: sed & eodem modo alexipharmacũ. antea ergo exhibitũ, ut aliàs dictũ, ueneni uim irritã reddit, quoniã illius ui membrũ, & calor qui in eo est, celerius extinguit uim eius, quàm accendat: paulo pòst aũt assumptũ, dum uires adhuc ualent, calore iuuatur. ita calor ueneno & alexipharmacò auxiliatur: at serò, cum ueneni uis obiinuit, si sumatur alexipharmacum, à calore nõ deducitur nec ad locum, nec ad actionem: sed obsesso membro, cum calor sit exiguus, prodesse nequit.

Curatio singularis, & ad omnes tabidos magna ex

gnæ ex parte sæpius experta. Recipe carnis ceruinæ, testudinis cũ interioribus, sola cute omißa, & cortice, sanguinis suilli, carnis anatis uel ciconiæ uel anseris, limaciarum, chelarum, & caudarum cancrorum fluuialiũ, aut astacorũ, ranarũ, anguillæ excoriatæ (sed anguilla & testudo coqui debẽt, donec cutis separetur: sed ante coctionẽ caput abijciatur) radicis raphani, singulorũ librã unã: cõtundantur omnia, & coquãtur sola in balneo Mariæ, donec fiãt sicut ius, inde destillentur in eo usq; ad extremũ, & de hac aqua capiat patiẽs ab uncijs quatuor usq; ad sex, cum uncia media sacchari tepidũ in aurora, & superdormiat. Et post quatuor horas edat panẽ cũ lacte asinino, uel caprillo: & post horas nouem comedat carnes testudinis, aut pulli, aut pisces petrosos, aut suillam: sed antè cappares ex oxymelite. Et post tres dies illa aqua si fiat densior, aut odorẽ contrahat, destillatur. Item detur aqua destillata eodem balneo ex recẽti melle, post hãc per quadraginta dies. Præterea scire debes, quòd curatio per aquam aut aerẽ non confert adeò, cũ ab initio non fuerit administrata. Post hæc conuertes te ad cognoscendum causam tabis, & ei adCap.23. hibebis propria alexipharmaca, ut infrà.

Quomodo aũt medicus probus poßit cognoscere causas uenenorũ omniũ, & genera illorũ, & modũ operationis illorũ in corpora nostra, & ex hoc auxilia, & omnino nescire uenenorũ cõpositionẽ, tacere decreuerã iam, ut aliqua alia admiranda: sed dicere cogor, eiusmodi sum usus arte. Nũquã uolui discere operationẽ aliquã, utpote ut destillarẽ, adurerẽ, miscerẽ, putrefacerẽ: sed solũ omnia ratione concepi, & deductis omnibus ex principijs, certè in inueniendo apertæ sunt res admirandæ, donec ad incredibilia perueni: & ex his perueni ad inuentionẽ auxiliorũ, & exußi principia illa: & ita remansi, Deo uolẽte, duplici modo sine cognitiõe uenenorum: tum quia deleui principia, tum quia exercitatione carui. nam in huiusmodi nõ solùm plurimũ potest exercitatio, sed est necessaria: aliter homo primũ se, quàm alios, in tã uiolẽtis uenenis cõficiet. Est ergo hoc, ac si quis rotas illas uersatiles apparet, et cũ his loricas et arma plura utilia saluti hominũ construat: pòst rotas omnes cum toto artificio periculoso destruat: ita decet uirum, præcipuè medicũ, probũ facere. Eos uerò qui hæc ex principijs deducere nequiuerint, satis erunt quæ nos tradidimus circa auxilia. nã non nisi ex Dei uoluntate ad illa peruenitur: etiam postquam publicauero Dialecticam, Paralipomena, & reliqua huiusmodi. Fama publica est, esse quendam uirũ senẽ Veronensem, nomine Martelosium, nõ alioquin paruæ existimationis, Venetijs degentẽ: & ob detectas quasdã cõiurationes aduersus eorũ Rempub. præmia & pensiones ab illis annuas cõsecutũ: qui uenena omnis generis factitet, & experiatur miro exemplo. sed nunquã tamẽ audiui illos tali auxilio usos, sed ne tentasse quidem, neq; in insensißimos hostes, nec periculosißimis temporibus. Alios noui alibi; quorum opera regulos quosdam usos fuisse constans fama est: sed boni genij fuit, tales non eò sapientiæ peruenire posse.

CVRA VENENI PVTREfacientis. Cap. VII.

CVra eius quod putrefacit ueneni, in eo quod putredini resistit, reposita est. quale maximè est scordiũ. at illud non in pestilentibus, forsan quòd uel frigidũ, uel purgatorium esse necesse sit: quorũ neutrũ cũ in scordio sit, ob id scordion in uenenatis quidẽ ictibus omnibus ac morsibus maximè prodest, tum uerò in ebibitis medicamẽtis: uelut primo de Antidotis. in pestilẽ Cap.12. bus morbis nõ eandẽ retinet uim. Videtur autem laudari smaragdus & stragis, coagula etiam leporis aut cerui uel hœdi, tum chamæpitys. Inde quæ sudorẽ prouocãt, succus radicis cyclaminis, lignum sanctum rorismarini, uel parthenij eius, quod ambrosiã, tanacetũ, uulgus Danedã uocat, decoctũ tamẽ amaranthi florũ, seu lagopoi. At inter aquas destillatas, solani, smyrnij, cardui benedicti, quam herbã Turcam uocãt, florũ sparthi seu genistæ. Illita uerò foris oleũ pyretri, urticæ'ue, tum radicis lõgæ aristolochiæ, uel abrotani: origanũ quoq; intus atq; extra, sed orientale præcipuè, quodq; acre est. Excitatur & sudor laboribus & exercitationibus, ut in tarantulæ morsu, sed hoc in alijs saltẽ periculosißimũ. Cel- Cap.16. sus libro secundo: Sudor duobus modis elicitur, calore sicco (ut sunt fomenta caldarum) & balneo. Ex his patet, ut uice uersa medicamenta epota exterius curantur, uelut per interius morsus, ictus, uulnera, ut paulo pòst dicemus. Quare Cap.10. patet, mulum exenteratum commodißimè, si intra illum patiens includatur, curare eos qui uenenum biberunt, uelut omnes sic affectos, & uulnere malefico perditos: sed maximè putrefacientibus conuenire, atq; eadem ratione cucurbitulæ atq; huiusmodi. Vt uideatur hoc uoluisse Ga- Cap.18. lenus quinto de Simplicibus medicamentis, cum dixit: Omne deleterium uenenum à foris impositis medicamentis euacuatur.

Verùm in hoc genere est aqua & aer terræ minor, quæ à cornu ceruino destillantur. namq; cornua cerui tyrocnesti comminuta, maximè iuuenum, destillantur balneo Mariæ, & ut cinamomum, exitq; aqua minor, quæ uenenum potu auocat: reliquum destillatur in oleum per duplicem ollam sub terra conditam, quo loca arteriarum inunguntur. Modum hunc planè docuisse me memini: est autem ceruus tota sui natura contrarius omni uenenorum generi, causam autem demonstrabo. Et primùm, quod siccißimum sit omnium sanguineorum animal: idq; tribus certis rationibus constat. Prima, quod omnium animalium maxima pro corporis magnitudine cornua gerat. Quòd si de ungifero opponas, ille non est animal commune toti orbi, ut ceruus: sed neque illius maiora sunt cornua, licet plura, nec minus ramosa: & forsan, quod ex eorum genere est. Sed etiam ceruus solida habet, & quæ singulis annis, si Aristoteli credimus, mutet. certè sæpe mutare, ostendunt cornua paßim inuenta. nam multi credunt non posse tantam molem singulo anno excrescere. Indicio tamen est pro Philosopho, omnis magnitudinis cornua in magnis etiam ceruis inueniri: sed, ut dixi, creditum est, ramis à mutatione annos numerari, ut cum absoluta fuerint, tum decidant. Secunda causa est, quòd felle careant, ut idem autor est. Vnde amarißimum illi intestinum, ait. Et achainis (genus id est ceruorum, non à regione dictum) in cauda, quare hi uenenum in cauda ferre dicti sunt. atque hi soli, sed non fel, uerùm uirus quoddam & uenenum, ut quidam dicunt, lethalißimum. Tertia, quòd plurimùm se exerceat. atque hæc procul à dubitatione. Quòd si addamus etiam prodita ab alijs, ceruos edere serpentes cauernis spiritu eorum extractos, nil superaddi potest. nã quòd oderint serpentes, quòd è cauernis extrahant, dixit etiam alibi. at quod edant, etiam Scribonius autor est. & quòd illis esitatis, ad aquas confugiant, ab eodem dictum est. Minus sanè mirum uideri poterit, uerba Aristotelis cõsideranti: Cerui, inquit, à phalangio icti, uel consimili animali, cancros edunt. Ergo si ita est: primùm qui edat carnem ceruorum aßiduè, nil mirum sit si perpetuò febre cariturus sit, quod etiam Plinius in posteriore loco testatur: sed et si siccitate tanta sunt, diutius uiuunt, quanquam de hoc Aristoteles addubitauerit. Plinij uerba sunt loco citato. Vita ceruis in confesso longa, post C annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obesitate. Quòd si siccißimi sunt, & sanguinei, serpentes autem & insecta siccitate sua uenenum fundunt, cum participent in qualitate, dissideant in materia nobiscum, contra constabit antipathia primi generis. Quare omnium uenenorum ex animalibus ceruus erit alexipharmacum. Et non solùm dormire sub eorum pelle, aut cornua exurere, nos tutos ab huiusmodi animalibus præstabit, quod omnes autores fatentur: sed etiamsi si quis carnibus eorum uescatur, tanquam Psyllus aut Marsus euadet, nec subijcietur periculo putrefacientium uenenorum. Et si bibat perpetuò ex uase facto è ceruino cornu. Demum, ut dixi, aqua & oleum illitos quibuslibet uenenis ex animalibus, tum etiam putrefacientibus, seu metallica sint, seu plantæ, egregiũ erũt alexipharmacũ. Nec uera erũt quæ Celsus putat, Marsos & Psyllos sola contra serpentes præstare audacia. Ex hoc patet etiam, quòd cerebrum cerui auxilium est maximum destillationibus, Et scias, quòd agaricus purgat omnes humores putridos ex natura sympathiæ, & per modũ alexipharmaci. Est enim inter putridum & syncerum medius, & ideo propriè purgat eos humores ob substantiæ similitudinem.

[margin: 2. de Hist. Animal. ca. 8. — Cap. 15. — Plinius lib. 28. cap. 9. — Lib. 8. cap. 32. — 9. de Hist. Animal. ca. 5. — 6. de Hist. Animal. ca. 29. — Lib. 9. de Subtilitate]

CVRA VENENI erodentis. Cap. VIII.

VEnenum erodens pinguibus & purgantibus indiget, propterea olea & pinguedines ab initio multum conferunt. Postquam autem erosio facta fuerit, pinguia, etsi dolorem sedent, putredinẽ tamẽ augent, ut tertio Methodi habetur. Igitur & siccantibus indigent, & sedantibus dolorem, & alexipharmacis utemur. hoc enim inferius declarabimus. Sed non licet, ut in exterioribus, uti medicamento ex ærugine, cera & oleo. neq; enim cera aut ærugo interius solent administrari. An quia interiores partes imbecilliores sint, quàm ut poßint hæc medicamenta ferre: sed non id, sunt enim ualidiores: an quoniam, ut dictũ est suprà, quæ crassæ substantiæ sunt, ut ærugo, uenenũ sunt intus assumpta: exterius non nocent, quia non attenuantur, & etiam temperata sunt oleo atque cera? Venenum igitur erodens his indiget, quæ mordacia minimè sunt, quale est lotos seu melilotum: & tamen siccant, atque detergunt. Erit ergo curatio ulcerum internorum, admistis alexipharmacis, Ea igitur erunt, quale centaurium, thus,

[margin: Cap. 2. — Cap. 26. — Cap. 5.]

thus, & eius manna, garyophylata, solanum, polygonon, spondylon, tußilago, aloes, iris, cyperus, uua passa cum aniso, rhu, balaustium, mel roseum: sed nil præstantius sphragide, & radice cyclaminis, & aristolochiæ maximè longæ, & cinis cancrorum, chrysocolla, dracunculus. Et in aßiduo usu sit radicula, quam raphanum quidam dicunt. detegit enim non solùm saniem, sed etiam uenenum, atque ulceris causam. Sarcocola autem, ob miram uim quam habet in carne consolidanda, nomen traxit. Sunt & alia multa à posteris inuenta efficacißima: sed & Armenia gleba etiam, quæ in usu est, multum prodest in huiusmodi casibus. Radix quoque panacis & filicis, inter optima numerantur: propterea in eiusmodi casibus etiam alia adhibebitur intentio: ut scilicet medicamentum adijciatur, quod ad illud membrum quod erosum est, dirigat. itaque ad uentriculum sufficiet, quod non abducat, absynthium, menta, cotoneum: ad iecur, lupi iecur, agrimonia, quæ eupatorium & cicorium: ad renes, erithrodanum, halicacabum & cantharides. Liquet ergo, uenenorum in huiusmodi non paruum esse usum. Iam uerò post hæc quinta consurgit intentio confirmandi quod laborat membrum, si necessarium sit uitæ. Liquet autem, quòd in hoc opere principalißimum est iecur. nam cor uerè principale est: quia rex totius corporis, in quo uita: ideo & anima in eo esse, sed falso dicitur, cum in corpore non sit. neque enim est in loco, quia corpus non est. Cerebrum autem, quod ad operationes, principale est, ac uelut uicarius regis: siquidem cor sibi uiuit solum, cerebrum autem fungitur munere cordis: at iecur est minister, & uelut quæstor totius corporis. Hæc distributio parum æquis auribus accepta, medicos in errorem trium principalium membrorum deduxit: & exinde, quod maius est, etiam triũ animarum. Si igitur principale dicas uitæ fundamentum, uelut rustici in ciuitatis constitutione, non aliud quæras quam iecur ipsum: at si de cerebro ut fungitur omnib. operationibus, principale dicemus. unde si tactus uel alius sensus esset in corde alio modo quàm uis uidendi, cor non esset cor. quod tamen uidet, audit, cogitat, cor est. Maxima igitur est habenda ratio iecoris. Si uerò erosio sit in pulmonibus, difficillimè sanatur: facilius tamen, quàm si ex causa morbi propria: difficilius tamen, quam si ex Gallica lue aut ictu. Non est ut comparemus has ambas, quoniam sunt in diuerso genere. Nã ex Gallica lue mitißima est, & sanatu facillima: ex ictu difficilior: sed ex ictu cum est recens, mollis est, ex Gallica lue semper est antiqua. Si ergo medicamenta inuenerimus, quæ omnes habeant uires opportunas, aut plures: & quanto plures erunt, meliora aut optima, quòd melius à natura compositio fiat, quàm ab arte. Aliter autem utemur medicamentis compositis ad huiusmodi laudatis, qualia quæ ad phthisicos, ad renum & uesicæ ulcera, ad dysenterias fermè deploratas, cuiusmodi nono de Medicamentis secun Cap. 5.
dum locos celebrantur longa narratione, ut ibidem sit petendum auxilium. Nec unquam theriacæ obliuiscemur, in huiusmodi negocijs. Oportet autem ut sit optima, nec quid simile inuenitur. Porrò totum corpus purgare, siccareq;, ac ad optimum habitum reducere conueniet. Et maximè iuribus ranarum, testudinis, anatum, anserum, ciconiarum, & ceruinæ carnis. Et comedet butyrum aßiduè, & uuas passas: & ex oleribus symphytum & betonicam, & lac potabit.

CVRA VENENI A' proprietate agentis. Cap. IX.

VEnenum, quod proprietate sua occulta interimit, spiritus, ut dictum est, extinguendo, id agit. ob id illius cura est generalis utroque modo: scilicet, per ea quæ illum euacuant, & quæ resistunt. Euacuant autẽ alia quidem substantiam, ut uomitus, purgationes ab initio, & pòst sudores, urinæ, quæ uim illius, & quod iam affectum est ex humoribus, distrahunt ac minuunt: ut non sit necesse, quod ad hanc partem attinet, proprium aliquod auxilium commemorare. At in his quæ resistunt, alia quidem communi ratione, qua calorem naturalem fouent. Atq; hæc iam toties dicta sunt, ut stultum sit ea commemorare. Relinquitur solum, ut de his dicamus, quæ proprietate uim eius comminuunt, tanquam contrarium contrario oppositum. Ergo illud in dubium solum reuocatur, an proprietas proprietati poßit esse contraria? nam de qualitatibus istud est manifestum: de proprietate autem non. In animalibus nihil adhuc uidetur esse contrarium. neque enim quippiam herculeo lapidi contrarium est, quatenus aut dirigitur ad boream, neque quatenus ferrum trahit. Sed de adamante fabulantur. de cæpa autem palàm est, quod id agit communi ratione, quia acris est ualde. idem allium, & quæcunque

Aristot. in Prædic.ca. de Substã. Libro 2.ca. 14.

huiusmodi sunt. Præterea substantiæ nihil est contrarium, uidetur autem proprietas consequi substantiam ipsam. Quod si quis opponat, quæ iam dicta sunt superius de alexipharmacis proprijs, nihil est ad propositum, cum sint talia media natura, non contraria: quæ autem contraria qualitate, nõ natura talia sunt. Dictum est autem

Cap.25.

uberius etiam de ea in primo libro: oppositum tamen uidetur ratio docere. nam, ut dictum est

Lib.2.cap.5.

superius, scorpiones raphano exanimantur, albo elleboro reuiuiscunt: & ratione identidem. Cum enim proprietas iam concedatur contraria (nam istud dictum est) qui fieri potest, ut non sit similis etiam? nam contrarium unum uni

Cap.2.

solum est contrarium: primo Cœli. Et ideo cum simile etiam sit unum uni genere, dico, necesse est quæcunque similia sunt hominum naturæ, esse contraria proprietate ueneno lethifero. Multa igitur numero, quemadmodũ uiro uir, frater et uir, & puer & fœmina, & equus, sunt similia: cõtrà dissimilia, uenenũ basilisci, armeni, aspidis, hypnomalæ: atq; hæc illis, illa his contraria. Vt non laborandum sit multum in quærenda proprietate occulta uenenis, quæ & ipsa proprietate perimunt. Namq; hæc eadem genere, specie & numero eadem sunt his quæ corporis uires similitudine adaugẽt. duplici ergo ratione, unica tamen ui, hæc alexipharmaca uenenis resistunt, & ut natura contraria illis, & ut calorem confirmant naturalem: ideoq; promptè eorum seges se nobis offert. Dicam ergo, quòd smaragdus, hyacinthus, margaritæ, coralius, aurum, argentum, ceruini cordis os, inula, buglossum, borago, pezar, theriaca, uinum, oua, & quæcunq; talia, proderunt, & resistent ueneno, ut contraria. atq; hic primus modus curandi.

Alter fit per alexipharmaca propria, quæ media sunt natura, ut educatur uenenũ. Quærẽdũ est ergo, utrum inter cõtraria secundũ substãtiam mediũ esse possit? nam esse oportet, si alexipharmaca sint. At nõ uidetur, quoniã Aristoteles in Prædicamẽtis ait, medium nõ esse inter ea

Ca. de Oppositis.

opposita, quorũ alterũ semper subiecto illi inesse necessarium est: & dat exemplum de sano et ægro. At simile & dissimile ita se habent, nõ igitur mediũ est ullũ. Sed fallimur: quoniã mediũ hoc sub uno genere cõtinetur, scilicet dissimilis: sed non adeò dissimilis. An ergo tutum erit exhibere huiusmodi medicamenta, quæ certam habent uim ueneni qualitatem augendi, educendi non adeò certam? Videtur sanè mihi hoc dubitatione dignum: atque utinam Galenus hoc explicasset uel uno exemplo, sed nullum tale habemus. nam caro uiperæ in theriaca medium non est natura, sed prorsus uenenum, & prorsus simile: at cohibetur, atque coniungitur alijs, quæ theriacæ compositionem ingrediuntur. Ob id ergo dixerim, scripsisse Galenum has in parte aliena potius quàm propria, ut uerecundè loquar. In qualitatibus enim piper dare ei qui euphorbium biberit, esset laborantem enecare: ei qui arsenicum sumpserit, dare cantharidas: aut ei qui cãtharidas, dare buprestin aut pityocampã, ne id quidem sani fuerit cerebri. Ita ergo intelligendum est in his solum quæ exterius applicantur: ueluti ferunt de carnè cuiusque animalis uenenati, uiperæ, scorpionis, iecore canis rabidi: interius tantum cum purgantibus medicamentis, & ueneno natura contrarijs, non medium, sed ipsummet uenenum, aut simile iunctum fuerit, familiaritate certè attractionem adiuuante.

CVRA MORSVS ET ICtus uenenati animalis. Cap. X.

GEneralẽ horũ curationem ad unguẽ explicauimus suprà: postquam autem uenenum eduxeris, cogita quòd fieri non potest, ut securus sis de exquisita illius eductione: ideo ne properes ad consolidationem, sed singulis diebus sugas, aut imponas cucurbitulas, aut carnem mustelæ, aut pullum dissectum, aut frustũ carnis ouillæ uel hœdinæ: atque etiam quæ extinguunt uenenum ex proprijs aut generalibus, uelut oleum scorpionũ pro scorpionibus, & phalangiũ si inueniatur, & stellionũ pro uiperis, tum cancri marini & testudinis marinæ sanguis, & ranæ, & oleum laurinũ, & scilla ex Dioscoride. & generaliter, ut dixi, à partibus iuxtà nascentibus, à contrarijs, ut scorpio, & eius oleum in punctura araneorum. cum sint inimici, ob antipathiam: & araneus ipse mortuus, ob sympathiam, & caseus antiquus. Generalia uerò quæ extinguũt, ut mandragora: quæ trahunt, ut sulphur: quæ resoluunt, & sunt calidissima & subtilissima, uelut petroleũ. Sunt igitur ex his sal, fel taurinũ, acetũ, sinapis, calx, sisymbriũ, calamẽtũ fluuiale dictũ, & caprillũ stercus etiã ebibitum. Atq; hæc, donec prorsus dolor & reliqua symptomata circa locũ cessant, uirus, malus color, et iam apparet optimum pus: tunc uerò curanda sunt

Cap.9.

Dioscor.li.3.cap.116.

Libro 2.ca.162.

sunt cura ulceris: nunquam ergo neq; in principio, neq; in fine, cura uulneris.

Intus autem propriè conuenit semen harma-
Cap. 48. la. uidi hanc herbam apud Ioannem Daum An-
Cap. 117. glum, mathematicum insignem. Folio est rutæ
Lib. 6. cap. 40. exiguo. inuenitur, sed rara, ut refert, in Italia: frequens in montibus, quorum nomen excidit: credo esse inter Germaniam & Italiam, aut ab Italia non procul. Dicebat epotũ primò inebriare, inde stupefacere: adeò ut doloribus podagricis singulari esset auxilio. et asphaltici trifolij ambo à Dioscoride descripta libro tertio: Allia, cæpæ, porri, mel, uinum plurimum, opium, cicuta, myrrha, piper, crocus, gentiana, endiuia, dicit Dioscorides, astragalus, erica, propriè baccæ lauri, cyminum, ruta, semen porri, & theriaca, tetrapharmacon. Non præscribitur autem tempus in his, sed in principio exhiberi debent, ut uenenũ à uulnere diffusum per corpus repellant: postquã aũt diffusum fuerit, ut extinguant, et irritũ reddãt: ubi iã extinctũ fuerit, ut detrimenta quæ in-
Cap. ult. tulit, tollant, ut infrà uidebimus. Itaq; in huiusmo-
Trac. 3. di laudatur à Principe sexta Quarti, coagulum
Cap. 33. leporis, pòst cerui, butyrum uetus, & ius ranarũ. Et propterea in omni morsu aut punctura uehementis ueneni, ut basilici, armeni, hæmorrhoi, cerastis, aspidis surdi, dipsadis, ac similium: aut si iam inualuerit uenenum, quanquam non sit natura uehemens, sed ob moram tale euaserit: curandus est patiens, ac si bibisset ipsum uenenũ. ideo
Cap. 39. dandum est, ut ibi Princeps, oleum aßiduè, & uomendũ, inde etiam clysteribus educendum est uirus. Et sufficiunt quæ ducunt feces & aquam ut aloes, oleum rosaceũ, soldanella, mercurialis, blitum, malua, mel. Et ita uides, quomodo morsus & punctura transeunt in medicamenti ebibiti curam, & cur. Ergo supremum in huiusmodi, & ex omnium consensu est theriaca optima, & pezar, quod dicam, aut sordes oculi ceruini. Est & tertium genus, quod forsan fit ex sorditie illa ceruini oculi durata, & est lapis, quem describit
Cap. 82. Conciliator his uerbis: Bezoar, est lapis rubens, puluerulentus, leuis ut spongia, & fragilis ut gypsum.

Propriè autem morsui uiperæ conferunt, potus uini puri, & allia comesta. Et dicunt, quòd morsui aranearum confert ferrum superimpositum, & endiuia: morsui autem rutelæ, balnea ualde calida, & sedere in cinere, & bibere semen melanthij: punctioni autem apum, bolus ar-
Lib. 5. cap. 27. sec. 4. menus, & caphura cum aceto. Aduersus morsum aspidis, est potus aceti, dicit Celsus. Punctioni crabronum, frigidum ferrũ superimpositum: scorpionum ictui, semen heliotropij herbæ bibitum: aduersus ualde uenenata animalia, trifolium, asphalticum, mentastrum, panacon, cũ aceto dabis.

Per genera autem sic: Omnia uenena quæ magnam sitim mouent, uelut dipsas, & canis rabidus, urina prouocantibus sunt curãda. Omnia uenena quæ corpus ipsum refrigerant, ut scorpij & uiperæ, uinum, balneum & medicamenta calida. Aduersus ictus qui putrefaciunt, cura est, ut fluat sanguis multus, & superponatur stercus caprinum cum aceto ab initio. Et dentur in potu theriaca in magna quantitate, & lapides qui conferunt cordi: pòst administrentur emplastra, quæ conueniunt ulceribus putridis. Cùm autẽ dentes serpentis in uulnere hæserint, si ualde uenenosus sit, excindere oportet carnẽ, & adurere: sin autẽ non sit ualde exitialis, fricetur locus cum oleo & cinere, inde apponatur emplastrum ex fermento & cinere. Serpentes uerò qui sanguinem multum è uulnere exire cogunt, curantur semine raphani, aut radice lilij, & papauere, cum uino in potu: exterius autem portulaca, chamedaphne, plantago, & quæ uicem gerunt cauterij, ut porri, ruta, urtica, cũ hordei farina & albumine oui. In his etiam quæ celeriter occidunt, quod ex symptomatum sæuitia dignoscitur, oportet statim præscindere membrum. & si fieri non poßit, ligetur strictè ualde: inde incidantur uenæ, & permittatur sanguis fluere, & aduratur locus uulneratus. Et dicũt, quòd bibere urinam propriam, secundum à morsu, est alexipharmacum in omni morsu & ictu uenenoso.

CVRA MORSVS CANIS RABIDI. CAP. XI.

CVra morsus rabidi canis, est uelut cæterorum morsuum uenenatorum, nisi quod suctio periculosior est. oportet ergo uenenum ad locum ipsum attrahere. Et si æger sustineat, candenti ferro. nihil melius est, aut tutius. Quod si non sustineat, proximum est ut cucurbitulæ cũ multo igne super locum apponantur, ac incidantur uesicæ, & secetur caro uulneris, & sæpius admoueatur ignis cum cucurbitulis. Et attractio prima est optima & potentißima. Et indè, ut fecit felicis memoriæ pater meus, superponatur cæpa cruda, & hoc per quadraginta dies, bis in die mutando. Et cum ego superposuissem morsui canis

canis non rabidi, non ſum expertus quòd nocuerit, imò iuuit. Et ideo eſt auxilium tutiſsimum. Et poſt hæc cõuertemus nos ad peculiaria auxilia, dando primùm cinerem cancrorum fluuialium, quem paratum tenebimus, quia non ubiq; inueniuntur: Bononiæ quidem non ſemper, Mediolani nunquam. Eſt tamen immenſa copia aſtacorum fluuialium, illorum qui prælonga ſunt cauda. Et admiſcere gentianam, ſicut faciebat Galenus. Et manifeſtum eſt, quòd etiam bonum eſſet comedere aſsiduè ex illis. Et theriaca in hoc ueneno minus confert, quàm in alio ullo ueneno. Et cura fit per quadraginta dies, quia rarò pòſt, tametſi aliquando fiant rabidi poſt illud tempus. Et ſecundum auxilium, eſt elleboriſmus ſingulis quatuor diebus exhibitus. Et hoc eſt indicium, quod iſte morbus, ut dixi, præreptet per neruos, & elleborus neruos purgat. Et non deſcribo modos, quia medicamentum è cinere cancrorum declaratur undecimo de Simplicibus medicamentis. Et elleboriſmus deſcribitur in libello Oribaſij, qui adnumeratus eſt inter libros Galeni, cui titulus eſt, Quos & quando purgare oporteat. Tertium auxilium eſt à cantharidibus, quæ ut per ſe uenenum ſunt, ita egregium ſunt alexipharmacum canis rabidi. Præter enim quod educunt illud per urinam, exiccant adeò utrus illud, ut reddant effœtum. Sed hoc mali eſt in illo, quòd cum ſit uenenum per ſe, non oportet ut exhibeatur, niſi affectis morbo: quia, ut dixi, ualidum debemus, non quemadmodum in alijs, efficere medicamentum. Si ergo ſit remedium canis rabidi, opitulatur, & minus nocet: ſi autem canis non rabidi morſui adhibeatur, nocet longè magis, quia natura non ſe exonerat à malo, & cum hoc nihil iuuat. Quartum præſidium, quod etiam multum iuuat eos qui iam ad timorem aquæ deuenerunt, eſt radix cynorrhodi: & eſt commemoratum à Plinio, & leges hiſtoriam apud illum. Sunt autem duæ plantæ: cynosbatos, id eſt, caninus rubus: & cynorrhodos, roſa canina: quia, ut reor, utraque aculeis eſt durioribus. & tamen hoc eſt commune utrique, ut ferant ſpongijs quiddam ſimile: ſed cynorrhodos ſæpius. & in illis uermiculus eſt frequens in ſingulis caſulis, ut ſunt apum aluearia: unus albus, qui deuorati plurimùm proſunt comitialibus: ideo res magnam habet rationem. Sed difficultas eſt, quia nil uolunt bibere nec edere tales, ideo ſunt cogendi contecto uaſe, ita ut nares contineantur, & ſint uincti, ut deuorare cogantur. ideo primis ſolum horis quibus tenẽtur eo timore, prodeſſe poteſt. nam, ut dixi, hic morbus nunquam excedit quartam diem. ideo ſi conatus fueris ſic exhibere ſecunda die, aut pòſt, ſtrangulabitur æger in manibus miniſtrorum, aut omnino reijciet medicamentum. Et debet eſſe recens radix, & ſiccata ſtatim, & læuigata optimè, ut omnino ad cor, inde cerebrum, uis illius deferatur. Eſt aliud auxilium Celſi, de mergendo patientem in aqua: quod credo eſſe imaginarium. Debuit enim in tanta re, uelut Plinius, addere hiſtoriam aliquam ſucceſſus. Eſt etiam illud conſideratione dignum, cur tam in hoc ueneno quàm alijs morſibus locus ſit religioni, aut ſuperſtitioni: non autem ita in alijs morbis. Sanè conſtat multos ſanari ſolo attactu clauium ferrearum, etiamſi non ſint calefactæ: cumq; id contingat in tam multis, neceſſe eſt fateri aliquid eſſe proficere hæc auxilia. Contingit ergo hac ratione, quòd animus opinione confirmatus exhilaratis illis depellit uim ueneni per ſudores & halitus. Vnde uenatores & milites forti animo, rarò ex hoc caſu pereunt: ſed uiri & pueri timidi, ſegnes, quieti.

Ca. de Carcinis uſtis. Pag.2.

Libro 25. cap.2.

Lib.5. cap. 27. ſect.2.

CVRA VVLNERVM VENENATORUM, & in quo differant à morſibus & ictibus. Cap. XII.

PORRÒ cura uulnerum uenenatorum, eadem penè eſt quæ aculeorum & morſuũ: uerùm cum in his perſæpe accidat uenas arteriasq; diuidi, neruos præcidi aut pungi, non ſolùm curam de ſe indicant, ſed perſæpe præcipuam: utq; in uenis aſtringentibus utamur, quo in caſu plerunque lethalia eſſe cenſentur. Et duo uidentur in huiuſmodi cõmunia auxilia, uincula & ignis. Vtrumque prohibet uenenum ſerpere, utrumque dolorem finit aut lenit, utrumque ſanguinis prohibet effuſionem. Et in huiuſmodi caſibus præcidi ſolet membrum, & uri. Et permittere ſanguinem fluere neceſſe eſt: ſed non, ſi uires apertè minuantur. Et ſuper cor refrigerantia, odorata imponere oportet, & exhibere patienti alexipharmaca potentia, ut theriacam, & præcipuè cum uino. Et cibos dare paucos, frigidos & ſiccos: ſed tamen qui plurimùm nutriũt, ut alas pulli cum aceto roſaceo.

Specialiter autem & per ſingulos modos, ut ſuperius docuimus, ita res tractanda eſt. Primùm

Lib.1.ca.15. Lib.3.ca.3.

mùm si spiculum infixum fuerit, uel quoniam lignum exciderit, uel quoniam ferrum sit alatum, emplastro attrahente, quali ad uenena dictum est superius, ex ranis, limacibus, & arundinum radi- [Li. 1. ca. 15.] ce, sed & multo herculeo lapide, addito empla- [Lib. 3. ca. 3.] stro, extrahendum est. interim uerò sanguis ex aduersa parte, si corpus sit plenum, detrahendus, inde ex eadem. si non ex eadem, deriuare bonum est, ut in capitis uulnere, ex cephalica eiusdẽ lateris. etenim pars detumescit, & dolor non ita acerbus est, ut facilius ferrum medicamento cedat, & minus sit periculi ne phlegmone corripiatur. Præterea si homo inueniatur [Lib. 2. ca. 6.] ex his, qui duobus digitis educere solent, ferrum adhibeatur. declaratum enim est superius, quòd id naturale est, non præcantatio ulla. Tertium præsidium est, ut generalibus præmissis auxilijs, & carne circumcirca incisa detrahatur ferrum maxima ui. Oportet autem illud maximè considerare, ne frustra uexes: qualiscunque uis, modò irrita non sit, ferri leuius solet, quàm si nitaris incassum. Sed & illud animaduertendum, ut ne detrahendo ferrum, uenam magnam frangas, aut neruum. Pro his autem luculenter scri- [Cap. 5.] pta à Celso libro septimo consules. Meminerat [Cap. 19.] & prius in Quinto de emplastris extrahentibus: commemoratq; sex descriptiones, à Diadaphnide incipiens.

Quòd si uulnus ex serrato ferro sit, & cuius scobs in ipso concludatur, emplastris commemoratis utendum est, & sanguis mittendus: laxantia non adeò sunt necessaria, ut cum ferrũ teli in uulnere remansit. Multo magis autem herculeo lapide utemur: quòd si optimus sit, etiam integer, eximere poterit squammam ferri. at uerò hoc iam quasi præter propositum. Cum uerò uenenum apertè in ferro fuit, per propria alexi- [Cap. 23.] pharmaca, quæ subijciemus, erit extrahendum. Quòd si ignotum sit, ranarum caro & mustelarum optimæ erunt. nam auocant & uenenis, cum hoc etiam sunt salutares. Sed & stelliones oleo incocti, & aristolochia longa præcipuè. Aut si horum copia non fuerit, quæ uehementer trahunt, theriacæ sunt admiscenda. Intus autem exhibenda, quæ etiam in morsibus ac puncturis uenenatis, præsertim autẽ pezar seu bezoar antiquum: si non, nouum: si non, sordes oculorum cerui. Post hæc sunt theriaca, & Mithridatum, & sphragis, & smaragdus. Quòd & ubi ista defuerint, os monocerotis etiam iuuat, rarò tamen & ipsum inuenitur. Sed & si non habeatur, supponemus scordeon, diptamum Cretense falsò creditum à Dioscorde, quod flore careat, ut Poeta medicum superauerit: harmala, gentianam, zeduariam, longam aristolochiam. Verùm ubi nullum sit uenenum corporeum, sed uel uis tantum, aut succus quidam, ad ignem confugiendum. ille enim, ut sæpius dictum est, omnes qualitates finit, ultimam naturalem ex alienis à sua relinquit. Sed cauere oportet, quod aduersissimus est neruis. Ob hoc, si non maximus uitæ metus sit, emplastris eisdem est utendum. Mutare autem oportet auxilia, quæ prodesse debuerunt, cum non prosunt, plusq; experimento quàm rationi tribuendum. At si periculum sit uitæ ingens, perdatur membrum igne, ut totus æger seruetur. Iam uerò intus tum danda sunt omnia, quæ maximè uenenis resistunt. At si periculum non sit ingens ex ueneno, sed dolor urgeat, adhibenda est caro calida pullorum, agnorum, hœdorum, mustelarũ, murium, assidueq; immutanda. Præcipuè autem in uenenatis uulneribus hoc est considerandum, præter morsuum serpentum curam, aut canis rabidi morsum, aut ictum ex aculeo, quod in huiusmodi ratio nulla uulneris habenda sit, sed metus omnis ex ueneno. At in uulneribus rarò uenenum magnam uim habet. nam si aspidis saliuam cauo telo intrudas, uix nocebit. uiua enim ex uiuis prodire debent: plurimùm potest dentis ipsius præsentia. Tum uerò magis licebit exsugere, quòd longè tutius sit, & plus conferat etiam sympathiæ ratione, quàm si ullum emplastrum adhibeas. Quòd si uenenum cum hoc diffundatur, & homo periclitetur, maxima auxilia adhibere conuenit, ut scilicet mulo intrudatur. Sed & balneum pluribus profuit. Cauendum tamen est, ne calore aeris balnei uires dissoluantur. Sed & homines sunt tam propitij in hoc, quàm serpentes aduersi, ubi ex serpentibus uenenum sit: sed si ex metallicis, nil prosunt.

CVRA NOXARVM EX INVNctionibus & suffitibus factis cum hydragyro. Cap. XIII.

HAec quidem ad libros de morbo Gallico manifestè pertinet, ibiq; descripta est: sed non mei moris est, bis eadẽ de eisdẽ scribere: Hic ergo, quod par est, describemus remedia alia paratu facilia, quemadmodũ oleum hypericonis completum, & de baccis lauri. his curati sunt, quicunq; conuulsione ac doloribus detinebantur.

tur. Porrò inungere oportet loca patientia, atq; spinam dorsi bene, & pingui manu, diuq; fricare, & ex calidis bis unaquaq; die: ægrumq; ut in cæteris periculosioribus morbis, tenuissimè, quòd ad quantitatem attinet, alere, prohibereq; à uini potu omnino. Exhibere autem panē coctum ex iure pulli paucum, & loco calido cōtinere. Cæterùm noxam hanc primùm communibus auxilijs auertere docet, uelut si mulo includatur, aut balneo, & corpus totum alexipharmacis muniatur. Cōueniunt optimi cibi atque potus: non tamen uinum, quòd hoc metallicum neruos offendere maximè soleat. Causa est, quòd cum calescit, attenuatur, & ut in officinis uidemus, ascendit, ac summa petit. Et ut ibidem uidemus, ex aeris frigiditate rursus in metallum redit, ita in homine ex cerebri & ossis, ibiq; consistit, adeò ut uisum sit quibusdam per nares integrum emanasse: aliorum, in caluaria longo post obitum tempore collectum, inuentū sit. Nocet autem maximè cerebro, quòd cerebrū exangue sit, & à frigore patiatur, à calido autē iuuetur: at argentum uiuum dum in cerebro est, ut dixi, cogitur, & frigiditate sua uehementer nocet, atq; inde etiam transmittitur ad neruos: unde siderationes, & resolutiones graues, & contractiones: in corde autem præcipuè, cum dissoluatur ob caliditatem, & tunc calidissimum sit. Offendit uehementer etiā antipathiæ primi generis ratione, quamuis non cōmunicet in substantia, nisi quatenus à natura euictum est.

Ea igitur ratione omni studio adnitendum est ut educatur, & ut noxa capiti illata, ac neruis emendetur. Quæ educunt, communia iam dicta sunt, proprium autem nihil inuentum est. Communia quidem sunt emplastra, quæ uehementer trahunt. Et frigiditas facit, ut cogatur & descendat. Et calor attenuat ipsum, & extrahit. Ex proprijs est ipsummet: simile enim ad simile fermè. Et metalla omnia illud combibunt. Si ergo assiduè quis se exerceat, argentum per poros exhalabit. causa tamen est hæc difficilis attractio argenti uiui, uigiliarum, doloris capitis in morbo Indico affectis, cum putent esse symptomata morbi. Et in corporibus mortuis quandoq; effluit è naribus, quoniam ob frigus necessario cogitur. Eadem autē est ratio cinnabaris, & minij, quæ argenti uiui. res enim redit ad idem. Noxa uerò emendabitur iisdem, quibus curari solent resoluti & contracti, maximè cum metallicis. Balnea igitur sicca, & quæ sulphure, sale & bitumine constant, non solùm confirmant neruos, & excrementum quod ex mala coctione redundat, purgant: sed etiam argentum uiuum euacuant: quocirca asphalto fouendi sunt.

Quidam uerò ex his tremuli euadunt, hos omnes, & qui ob id difficulter spirant, purgabimus medicamento è stibio. neq; enim quicquam melius est. inde confouebimus corpus totum, & præcipuè tremula membra fœno uiridi, dum in pratis sole siccatur. Alij cæci, alij surdi fiunt. Plurimi ex his ob sudorem copiosum media æstate ex ligni sancti decocto curantur. In uniuersum, cum frigidum sit hoc medicamentum, calefaciētibus, concoquētibus, digerentibus, ac uires confirmātibus eò usq; curari debet, donec alexipharmacum occurrat. Bene fecisset autem Galenus, si huius & aliorum alexipharmaca tradidisset. Palàm est autem, quòd sumenda sint ex coniunctis in generatione terræ generibus.

Præterea multis collabuntur dentes, gingiuæ inflammantur, strangulātur cum anxietate, appetitus cibi abscedit: atq; hæc etiam post purgatam copioso sputo morbi materiam. Hos restituere decet medicamentis ex similibus, uelut decocto ex alumine: metallicū enim est. antipathia enim, ut dixi, & sympathia ex eodem genere sumenda sunt. sympathia quidem ex similibus patienti, ut decocto cornu ceruini, cōtrarijs autem qualitati peregrinæ: antipathia autem ex similibus substantia causæ morbi, contrarijs autem in qualitate. Plurimùm ergo in hoc casu confert aqua separationis: iuuant & coralij affricati, qui etiam gingiuis conferunt. hominis autem causa mel rosaceum. Appetitus autem deiectionem restituit exacta euacuatio. Palàm autem est, quòd argentum uiuum, dum coactum est, frigidū est: destillatum autem, calidum & exurens: coactū uerò, quale in unguentis, & ad minima diuisum, haud certum est cuius naturæ sit. Sistit illud fumus metallorum, sulphur, saliua. Vt enim ad minima redactum fuerit, cuicunq; lento humori misceatur, immobile redditur: mistum eadē ratione plumbo firmatur. Prius ergo cum frigidissimum, & ab omni calore alienum, postea uerò calidissimum, & ab omni frigore remotū, eo in statuerit actu frigidissimum, potestate autem calidissimum.

CVRA VENENORVM ILLItorum, odorum uenenatorum, umbrarumq; lethiferarum, Cap. XIIII.

VNguentum unguento oppositum: Olei de scorpionibus & hypericonis completi, singu-

singulorũ libram mediã: bufones uiuos magnos tres, uerberatos uirgulis, donec uirib. uidẽtur augeri: uiperã orientalẽ, quæ morsu pullum statim exanimet: rutæ semina & scordij, singulorum ℥iij. coquãtur in balneo per horas duas, inde maneant diu in sole ex quo inungantur.

Ad malos suffitus, recipe rutam, rorem marinum, hypericonem, cæpas, succinũ: coque in aceto acri, & suffumiga quotidie bis. Mali suffitus per antipathiã odore optimo terræ tolluntur. nã mali è fungis, ut dictum est, fiunt: boni ergo contraria ratione. Succinum aũt, & ambra, & asphaltum, sulphur, myrrhites: & quæ redolent gemmæ suffitæ in usu esse debent. haurire autem fumum naribus, nõ ore, quippe cerebrũ afficitur: atq; ambrã cum succino & moscho secũ ferre.

Quæ uerò lepram inducunt, mala sunt & periculosa: si tamen occasio detur celeriter occurrendi, Recipe absinthij, lupulorum, rutæ, capraria seu herbæ gallicæ, soldanellæ, sonchi uiridiũ, singulorum fasciculum unum. sulphuris uiui in acerrimo aceto per tres horas infusi: seminis corticum, succi citrij, singulorũ drachmas duas: ellebori nigri drachmam unam & mediam: ex herbis prioribus quinque detrahito succum: pòst additis reliquis, præter theriacam, coque omnia in balneo Mariæ: pòst addita theriaca conficies medicamentum, de quo capiet drachmam unam & mediam bis in die per horas quatuor ante cibum. Exterius inungito hoc unguento. Recipe axungiæ porci non salitæ libram unam, olei hypericonis completi libram mediam, pinguedinis uiperarum uncias tres: misce, fiat unguentum. Et si urget res, addito cantharidarum drachmas duas. Porrò tota ratio uitæ constituenda est in sudore, exercitatione, balneo, prouocantibus urinam: idq; tamdiu faciendum, quoad uenenum prorsus explodatur. Plerumque enim, ut aliàs diximus, huiusmodi uenena contagiosa sunt. Et quandoque necessarium est curare illos affectus inungendo arterias cum argento uiuo extincto, & medicamentis cordi conferentibus, & habentibus sympathiam. Medicamentum nostrum. Recipe argenti uiui extincti drachmas duas. inulæ, belzoi, soldanellæ, singulorum drachmam unam & mediam axungiæ porci masculi nõ saliti uncias tres: olei de lilio cum speciebus, olei hypericonis, singulorum unciam mediam, medullæ cerui drachmas sex: misce, fiat linimentum. Iuuant & ad hoc olea nostra in hoc libro descripta.

Non accedas in his casibus ad medicamenta uiperarum, quoniã nõ est labefactanda natura multis uarijs cõtrarijsq; rationibus: sed neq; uiolẽtis purgationib. corpus euacuandũ, quales ex elleboro fiũt, sed leuibus: ut lupulis, fumaria, rosis, aqua lactis, quæ sanguinẽ purgãt, uelut & tamarindi, uiolæ, atq; ius galli mercurialis etiam. Omnium autem una ratio, quam inferius explicabimus, admiscenda alexipharmaca leuia medicamentis, ut scordion propriè, & buglossum & melissam. Et existimant aliqui, quòd margaritæ plurimum possunt in hoc: & oxalis etiam utilis est utriq;, causæ scilicet & symptomati. Et myrobalani, & coralius est ualde utilis in hoc. Et succinum, & lapis lazuli, & ribes, & sericum maximè cocco tinctum, & santhali.

Sed si medicamentum omnino lethiferũ sit, tunc ualidioribus auxilijs opus est. oportet igitur ut statim hominẽ nudũ, uelut & in ueneno epoto, intrudas mulo exenterato, exhibebisq; alexipharmaca cõmunia cũ cantharidibus: aut si times infamiã, cũ erythrodano. Et si deficiunt uires, dabis uinum copiosum cum zeduaria. Et si non potes mulum habere, nec equũ, pone eum in balneũ, & permuta aquã calidã sæpe. Et da illi theriacam; & reliqua alexipharmaca cõmunia: sed præstãtior hoc in casu est theriaca. Et si non habet, uel nõ iuuant, da ei myexim subtiliter contritũ, & allia contrita & diluta. Et da carnes uiperæ decoctas: sed tutius est, si tempus habeas, dare carnem pullorũ, qui pasti sint ea carne. Et fac ut exerceat se assiduè, nec dormiat. Et rarò euadunt tales omnino incolumes.

Vmbrarum autem malarum cura est, per ea quæ occurrunt comitiali morbo: igitur in hoc casu exordiri oportet rationem curandi comitialem morbum. Et in hoc non me extendam, sed sufficit commemorare smaragdum inter reliqua, pæoniam, rutam, & huiusmodi. Verùm umbræ quæ terrent, homines aliquos mutos reddunt, aliquos expilant, aliquibus ungues cadunt: quidam ægrotant, aliqui etiam ex eis moriuntur. Vmbræ autem tribus modis apparere possunt: uel, ut una res sub alterius specie appareat, quod frequenter accidit: uel ut imaginetur, quod nõ est, et præ timore illud uidere sibi persuadeat: uel, ut uerè à dæmone aliquo spectrũ se offerat. Nõ est aũt locus, ut hoc determinemus hic: sed dicamus, quòd cum homo timet propter umbram, calor reuocatur ad intima, & mens perturbatur, ideo homo amittit uocem. Et si timor magis urgeat, extrema refrigerantur & contrahũtur, & pili cadũt. Et si adhuc magis,

uelut

uelut in frigore, corrumpuntur ungues, & denigrantur, & cadunt. At si, cum hoc corpus plenum sit malis humoribus, grauiter ægrotant: & si uires sint imbecilles, aut aliquod impedimentũ ex membro aliquo imbecilli uitæ necessario, morietur æger: si non necessario, siderabitur. Oportet igitur timorem esse magnum & diuturnũ, & hominem insuetũ & solum: aliter qui nauigarẽt in tempestatibus, post eas interirent. Causa est, quoniã ubi est aliquid spei, uel ubi sensim timor inuadit, nõ est metus ille adeò perniciosus: quoniã ubi sensim cõtrahitur sanguis, spiritus seruãtur, nec cor opprimitur: sed quem recipit sanguinẽ, remittit ad uenam arterialẽ, atq; ita impletur pulmo, & ob hoc à metu multi fiunt tabifici: ubi non posßit plus remittere, non recipit, sed repellit: atque ita non suffocantur. Similiter, si adsit spes, motus ille reditus sanguinis tardatur, & non suffocatur homo. Ex quo patet, quòd aliqui mortui concidunt ex metu, dum cor nimis impletur, ut non posßit dilatari. Et rursus, quòd metus repẽtinus periculosior est, & deterior quàm expectatur. Et quòd multis qui pro mortuis elati sunt, & postea uerò sunt mortui: si quis statim sanguinem misisset è uena, rediissent ad uitam. Illud etiam ex hoc patet, quòd in umbris, quæ metum incutiunt, prima curandi ratio debet esse à misßione sanguinis, & quàm celerrima. Postea sunt inducendi in balneum, sic ut respiret patiens frigidum aerem: & fricandi artus atque extrema aqua calida, donec rubescant, & liberè respiret. Pòst danda sunt, quæ cor confirmant ac refrigerent: uelut rosæ, santhali, endiuia, & talia: & aluum subducere oportet, & ut maneat in loco temperato.

Pueris autem hæ umbræ terribiles, ob id solent mouere comitiales morbos, quòd sanguis ex timore contrahatur: & fit suffocatio in corde: unde concusso primo principio & inflammato, repentè cerebrum, quod imbecille est, in illis impletur superfluo humore & cruditatibus, & ex eo incidunt in comitialem morbum. Vnde curatio eadem esse debet. mittendus est sanguis per cucurbitulas, fricanda sunt extrema, ponendus est in balneo aquæ calidæ: danda sunt quæ comitiali morbo puerorum aduersantur, smaragdus, craneum hominis à uiuente aut occiso excisum, & statim siccatum: semen cupressi, uermes spongiæ, cynorrhodi. Abstinere in huiusmodi morbis uiris à uino necesse est, pueris uerò adhuc magis.

Porrò odores cum aliquando statim occidãt, sicut & timor, unguenta autem intra diem unam: exemplo sumpto à peste ipsa bubonia, quæ quandoque intra diem occidit. at unguenta ipsa uehementiora eße necesse est, si occidere possunt, cum non inficiant aerem: igitur celerius occidunt quauis peste. Similiter & odores, cum cerebrum feriant. Contingit illud idem, quod Hippocrates dicebat septima Aphorismorũ: Qui 44 bus cerebrum concussum est, in tribus diebus pereunt: si uerò hos euaserint, sani fiunt. non potest cerebrum externum incommodum diu ferre: & quanto magis est incorporeum, quòd detrimentum infert, eo uehementius oportet esse, & statim occidere, aut omnino non occidere, sed conuulsionem mouere. Itaq; cum talia sint fermè omnia præsentanea, oportet antea munire corpus ac cerebrum, ne obesse posßint. Magis autem nocent, ubi quis ieiunus fuerit: iuuant autem nõ solùm quæ naribus admouentur, sed etiam quæ manduntur. Non oportet odorare fungos, non capsulam ubi serpentes iacuerint: nocent odore putrida omnia, apollinaris, opium, mandragora, cicuta. Et ubi multæ rubetæ aut uiperæ habitarint, aut serpentes perniciosiores: specus, ubi reconditum fuit frumentum, adeò ut repentè occidant: & sepulchra antiqua, & arcæ cum pannis reconditæ. Et locus occlusus per aliquot dies calce illitus, & fumus argenti uiui, & lignorum rhododendri, & fumus carbonum, si locus sit occlusus, & calce illitus: & metallicorum quorundam fodinæ. Singula horum quandoq; repentè occidunt. Contrà confirmant cerebrum, rosæ & flores odorati, et mala appiana, & rubra quæ odorem remittunt, cotonea, pyra, santhalorum omne genus, gummi animæ albæ, uiolæ purpureæ, lilia, nympheæ flos croceus, lignum aloes, garyophyli, moschus, muscus, zibethum, caphura, sed pauca, crocus: & in suffitibus, belzoi, thus, styrax, myrrha. Sunt & alia plura, & maximè nunc ex nouo orbe. Et mors quæ contingit ex odoribus prauis, est similis apoplexiæ. Et dux Galeazius Maria uicecomes, qui tot urbes Mediolanensi regno adiecerat, ex illito ueneno creditur extinctus; quamuis morbus ex quo obijt, fuerit diuturnus.

CVRA VENEFICIORVM philtrorum, frigidorum, præstigiarum & fascinationum.

Cap. XV.

AD eos qui cõcumbere nequeunt, Apuleius (si qua fides huic uiro adhiberi potest) ita scriptũ reliquit: Leontopodij frutices septẽ absque

que radicibus decoque, & luna decrescente lauato eum qui frigidus est, & teipsum, ante limen suæ domus prima nocte. Et suffumigato herba aristolochiæ, & redi domum, illum nequaquam respiciens. Aliud uerisimilius. Ex pugione quo homo sit occisus, tres facies annulos. unum gestabit collo appensum, secundum in digito, tertium ceruici subdat. Iuuat & pugionem ipsum supponere ceruicali. [Libro 22. cap. 21. in fine.] Plinius mirum in modum cõmendat abrotonum, adeò ut etiam puluinari subditum, prodesse putet. Putant generaliter omnibus his generibus prodesse centaurium deuoratum. duplex genus: minus, cuius herba in usu est: maius, cuius radix rhapontici sub nomine uenalis est. Inde moly deorum, ab Homero appellatum, [Libro 24. cap. 4.] cuius Plinius describit figuram; medium quasi inter cyclamen ac scyllam: huius habet folia, illius radicem. Sed & cyclamen ipsum si seratur in domo, & uerbena si suspendatur, quam ob id hierobotanen, id est sacram uocant herbam, plurimum prodesse creditur. Huic succedit betonicæ semen, quod qua die homo degustarit, negant posse ullo genere ueneficij tentari. [Lib. 24. cap. 17.] Inde semnion à Plinio colore pennarum pauonis: & heliocallis, quibus Persarum reges intus priore, extra posteriore uti referunt. Post lotos, id est, sertula campana. Inde semen filicis, quod apud me est. Decimo loco scylla: hæc auerruncant.

Ad philtra & amorem heroicum, stercus amatæ, nesciente illo impositũ, cum odoris fœditatem senserit, amor soluitur. Soluũt amorem magna auxilia, sectio uenæ copiosa, purgatio cũ elleboro, uenus aßidua usq; ad delassationem, labor magnus, inedia diuturna, uerbera, longa peregrinatio, timor magnus, aut magna tristicia. Pudore, reprehensione non tollitur, sed contabescit homo. Studio tamen laudis & gloriæ, qui ingenui sunt animi liberantur, dum alterum perire necesse est. Vnde fertur, Agesilaum, cum in castris puerum haberet ægrum, quem plurimùm amabat, motis castris eum reliquit, dicens: Difficile esse amare ac regnare. Ludus quoq; aleæ & latrunculorum aßiduus multum iuuat: & margaritarum puluis, & mandragoræ radix sæpius ebibita, sicut obliuionem inducat, non insaniam. Et ebrietas ex uino dulci, hac in causa etiam perutilis est. Et moschus & inula, conueniunt omnibus philtris ac ueneficijs.

Fascinatum infantem suffumiga filicis herba, ita iubet Apuleius. Opitulantur fascinatis, quæ cũq; cor cõfirmant: smaragdus, hyacinthus, theriaca. Inungatur patiens succo artemisiæ, & suffumiget ea: uerbena aũt suppendatur in cubiculo, suffitus ex auro, thure, myrrha, quæ bibita etiam sanant comitiales. Item ex succino, sanguine accipitris, & aquilæ aut colũbæ. Et dormire in pellibus lupi: sed longè melius sub culcitra pellis leonis. Et carbũculus grauatus magnus, ardẽti prunæ similis, & quasi soli collo appensus. Et comedat aßiduè buglossum, petrosilium uulgare: & muniat animũ philosophiæ præceptis. Et legat Theonoston. Et mutatio regionis ad hoc cõfert: Et uincire frontẽ corio frõtis asini, creditur utilißimũ ad fascinũ: Et sapyrion herba cũ radice, si edatur, aut appendatur. Et pæoniæ masculæ radix plena luna. Præstigiatos, & qui terrentur frustra per somnum, ut aliàs diximus, sanat adamas sinistro adalligatus brachio, ut carnes tangat. Coralius etiam ualde ruber, suspensus ergionè oris uentriculi: amethystus quoq;, chelidonius & gagates appensi: & iaspis orientalis, topaziusq;. Sed præter cætera carbũculus albus, gemma alba: sed sic dicta, quia nocte splendeat: omnes enim tales gẽmas, cuiuscunq; sint coloris, carbunculos appellare solemus. Præterea gestatus in digitis cæruleus lapis intermicantibus aureis stellis, res pulchra, tametsi rara. Ex amuletis, nõ lapidibus, mumia, pæoniæ radix, tum moschus, densq; longior lupi, uel canis. In cibis caro lupi, & magis illius cor: auri scobs tenuißima, allia, cæpe, fraxinus, olea: purgare quoque corpus cum elleboro, uel armeno lapide. Mandragoræ succus ex duobus obolis, id est, granis uigintiquatuor. Est enim alexipharmacum magnum, sicut & quæ comesta & appensa, uelut dictum est: moschus, hyacynthus, topazius. Quæ uerò ob siccitatem cerebri multo elleboro indigent, & aßiduo usu eius, tum cærulei lapidis aut armeni, balneisq; & margaritis. Et comedant butyrum recens plurimum, & lac bibant ouillum longè plus, & edant cerebra gallinarum, & amygdalas recentes cum sacchar o. Deuotũ hominẽ delustrabis aqua fontana, immistis radicibus siccis asparagi. Apuleius. Ad idẽ tutius, & quod differt, quamdiu manserit: omnia conuertentur in bonum ex Dei auxilio, qui tibi præfecit, quo seruêris. Auxilium è supernis fallax nõ est: consistit aũt in perfectione summa, id est triplicata. Et sensus, & uerborũ, & elementorũ numerus in hoc conuenit. Nunquã amouebis à te, neq; mente, neq; uerbo, neque corpore. Serua cor syncerum erga Deum, & illius uita te tuebitur. Pœniteat, cupiat, deliberet, confidat,

qui

qui à deuotione liberare se uelit. Quod referũt de Psalmo illo, Iudica me Deus, & discerne cau sam meam: credo uerùm non esse, quoniam nõ iu stificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Melius ergo solum tutis inniti. Et umbra sapientis ac felicis defendit hominẽ, nõ deuotũ diuinis uerbis ob sympathiam. Deuotum autem magicis carminibus atq; opinione, confirmat adamas gestatus in brachio sinistro, uelut dictum est de præstigiatis. Differunt, quoniam præstigiati medicamẽtis mouentur à mente, deuoti re diuina, aut dæmone, uel astrorum ui, aut opinione. Ad deuotos plerũq; cõferũt, quæ ad præstigiatos. Et huiusmodi hominibus confert edere corda luporũ, & os cordis eorum, ac leonum: & cubare sub leonis pelle.

Ad ueneficia autem, quæ, ut dixi, potionibus & substratis, aut contactu maximè inniutuntur, celebratur asphodeli radix, tum etiam planta tota. Sed & aquifolia, ubicunque sata fuerit, arbor est. Rostrum quoque lupi, & ceruicis pellem integram gestare, amuletum creditur aduersus illa: ius etiam galli, aut gallinacei ueteris, ex agresti mustela ebibitum. Hæc magis rara, quæ subsequũtur: cynocephalia, quàm puto Iosephus Baras uocat. Sanè eius loco quæcunq; plan ta noctu splendet, gestabitur amuleti loco. Edidit de his opusculũ Gesnerus, & de Antithora. Amiãtes persimilis est gypso splendido, seu lapidi speculari: uerùm filis plenus est, resistitq; ignibus. hic gestatus, creditur ueneficijs resistere. Forsan si quis talchũ esse dixerit, ci parũ natura dissideat, nõ aberrabit. Vterq; enim splendet, ignibus inuictus, & fila habet, sed longiora amiantos. Generaliter aũt prosunt quicunq; ad præstigiatos, & similia facientes faciunt: uelut moschus, theriaca, syrupus, nymphea, caro ipsa uiperarũ, abscisso capite et cauda. Balneũ assiduũ, & ellebori potus cũ pinguibus, cõfert plurimũ. Referunt inter amuleta plurimũ prodesse chelidoniũ lapidem suspensum: sanguis quoq; caninus ob sympathiã, inter alexipharmaca numeratur, maximè cum hyacntho, smaragdis, margaritis.

DE CVRA VENENI temporanei. Cap. XVI.

Per hæc ad temporanea uenena, quæ quanquam periculosa sint, & difficilia, non oportet tamen animum remittere, sed fortiter resistere. Sunt autem quatuor generum: quæ putrefaciunt, quæ obstruunt, quæ erodunt, quæ à proprietate agunt, ut canis rabidi morsus. Quæ igitur putrefaciunt, aut à proprietate agunt, curanda sunt prouocantibus urinam uehementer, & sudores. Et ex sudorem prouocantibus sunt, quæ dicta sunt: principaliter autem etiam uenenis resistunt, radix aristolochiæ rotundæ, radix scordiam, rosmarinus, cardui benedicti radix, quibus potest addi lignum sanctum. Quæ autem urinam prouocant, Erithrodani radix, spica Inda, petrosilium: & si necesse est, cantharidarum modica pars adijciatur. Frangemus & ueneni uires antidoto hoc: Recipe theriacæ optimæ nondum fermentatæ, libram mediam, terræ Lẽniæ drachmas tres, smaragdorũ orientalium drachmas duas, pezoar grana quadraginta: succi cyclaminis, id est, radicum eius recentis unciam unam: aut si fermentata sit, concreti unciam mediam: albæ partis stercoris columbini drachmam unam & semis, cantharidarum drachmam semis, cineris cancrorũ drachmas duas, radicis gentianæ scrupulos duos, terãtur subtilissimè, et misceãtur, dãtur scrupuli duo cũ aqua destillata ad balneũ Mariæ, solani, uel rosmarini, uel herbæ Turcæ uocatæ, ad quadraginta dies integendo corpus. sudorem enim aut urinam prouocat, & frangit uim ueneni. Si uerò fuerit erodens, coralium exhibe assiduè, & radiculam agrestem, & oleum copiosum. nam uides quòd Galenus tertio Artis curandi dicit, quòd oleum prohibet æruginis erosionem, sicut æ rugo olei uim putrefacientem in ulceribus: & antequam putredo incalescat, pinguedinibus utemur: si iam erosio multa sit, uitro, & albo tartaro, & coralij puluere. At si obstruat medicamentum, chalybis limatura, aceto & aqua abluta toties, ut in formã argenti splendeat, tenuissima cum saccharo rosaceo molli utemur, nihil timentes nec morbum, nec auxilium. Sunt qui aureas limaturam adhibeant: quæ si prosit, etiam in reliquis utilior est. Ca. 2. ante med.

Quæ uerò erodunt, statim curanda sunt multo butyro, & radicula, & tartaro, & aphronitro. Et caro bubula, & lac, propriè resistunt erosioni.

Quæ autem proprietate interimunt, multo lacte frangenda sunt, & alexipharmacis, pezar, scobe oricis, multa theriaca, multoq; smaragdo, & si scias suum proprium adhibere antidotum: quæ uerò mole sua, iam dictum est de gypso. hydrargyrium autem purgante medicamento & saltu indiget (descẽdit enim) oleiq; aut pinguiũ iuriũ, si displiceat, immenso potu atq; assiduo. sit aũt calidũ. Inde cũ suo antidoto. Sed si in

autem

aurem immissum sit:facit autem dolorem auris, inde capitis,post conuulsionem saliuæ debet extrahi.De hoc aliàs diximus.Satis est quòd optimum est,ut manu contraria apprehendat anulum,& super partem illam, ubi est argētum uiuum,se inclinet,et saliat assiduè, donec totū excidat.Est spuma argenti parum à gypso dissimilis,eisdemq; auxilijs curanda.

Lib.9.Cōtrad.15.

Quæ autem tabefaciunt,propriè aconitum, & multa alia, theriacis,& balneo,& ficubus, & multo lactè curari debent. Et sanantur, nisi repetatur. et aqua limaciarum est optima in hoc casu.

Quæ autem uasa frangunt,thure,aloe,mucilagine psilij,citoniorum.Et antidotum eorum, est oleum balsaminæ, & bolus armenus,qui est in usu, & camecissi & plantaginis succus,et portulaca:& generaliter omnia frigida, quæ tenacem habent succum: & ærnatites Hispanus. Et herba Sicula,& quam uulgus uocat liliaceam.

DE MODO TRACTANdi uenena,sine noxa. Cap. XVII.

FOrsan quispiam hoc in malam partem uertere poterit:nā si docuerimus tutò tractare uenena,poterunt confici odore lethalia,quale illud circulatoris,nescio an uerum, quod Matthiolus enarrat,& quod attactu solo,de quo ambigendum non est. Illud sanè atrocius, cum neque tutum sit obturatis naribus talia tractare, quando quidem & ad cor permeant.Esse eiusmodi,docet uis illa sæua pestis bubonicæ: propterea nil tam sacrum,quod uiolari non possit:& paratæ falces in usum agri,conuerti in arma latronū. Itaque cum timere sit necessarium à cibis non solùm,sed attactu atq; odorib.(uelut de filio Turcarum principis,qui adolescens cùm ingressus fuisset balneū,(ut referunt)expirauit.) & cubicula sint suspecta: ne quis ingrediatur,nisi perflato loco, suaserim: nec ignibus aut odoribus fidat:quin etiam præmittat imbecilliores, & qui facilè exanimantur. Armatus sit undique chirothecis,obstructis naribus,mandet garyophyllum,aut rutam agrestem cum aceto, & imbuta oleo asæ dulcis. Et ut denique dicam, suspecta non attingat,nec odoret.Quo demiror, cum illi circulatores manifestè inimicitias exercerent, quomodo ille odorem floris hauserit. Tertium præceptum est, ut optimæ theriacæ magnam quantitatem præsumat:aut si nō habet,mediam, ut in succidaneis.Post hæc bene potus mero accedat.Oportet autem, ubi attigeris,reijcere chirothecas,locum multa aqua frigida cum cinere abluere.Vbi quis ex odore nocetur, sternutamēta,lanaria,radicula,pipere,ruta ex aceto excitet.pòst ubi senserit se recreatū,odores florum cum aceto,& moschum,maximè & succinum. Et ubi sub duo signa relicta sunt destillationum, nil attrectet, nec ibi consistat: sed more ueterum, uestibus omnibus exutis atque ablutis,seipsum lustrabit.

DE CVRA INDICAE LVIS, elephantiasis, scabiei, pediculorum, phthisis, atq; similium. Cap. XVIII.

POrrò phthisis curatio,quanquam difficilis sit ob distantiam loci,recta uia à gula,& assiduum motum pulmonum,tū quia tussi expurgari locum necesse sit, huiusmodi est,si spes subsit.Alatur carnibus auium,aut ouillis,aut piscib. cartilaginei generis semel in die,uomatq; ex lenticulæ decocto (id enim iubet Hippocrates secundo de Morbis) singulis quatuor diebus. Per interualla autem dabis ellebori albi totam quantitatem:aut,si uires minus ferant,dimidium.Purgabis quoque lacte asinino,in multa quantitate. Et si malè oleat sputum,suffitum parabis huiusmodi,quod ad ulcera praua & chironia conueniat:uelut radice aristolochiæ longæ, halliopsis, myrrhæ resina,cadmia usta,diphryge,rosis,centaurio,sarcocola,squamma argenti,chrysocolla. Quandoque autem necesse est transire ad minium,æruginem,litrum tostum, calcem uiuam, thus cum urina pueri impolluti. Facit & erysimum,& cinis cancrorum,& terra Sarda, qua tinctores utuntur cum sæuo bubulo. Camæleontis etiam nigri,& gallæ immaturæ,et chalbani,& ammoniaci.alia quoque quæ etiam in ore teneri possunt:squammæ æris læuigatæ ℨs. resinæ laricis siccæ ℨs. mānæ thuris ℥ij.melle crudo mūdo excipito:teneat in ore,et sine melle suffumigato:potes & diphrygem addere. Aliud: Ichthyocollam cum acerrimo aceto dissolue,& ei adde squammam æris, & terram eretriadem,et melle excipe. Tenere autem oportet assiduè in ore. Quædā etiam deuorari possunt: uelut cinis cancrorum læuigatus,ut sumantur ℨs pro uice cum zucaro rosaceo.Betonica quoque, & lappa maior,& irion,& quam uocant brancam ursinam:in cibo autē hanc assumere præstat.Facit & ad huiusmodi tussilago,& succus radiculæ agrestis.Hippocrates autem nos iubet, si quic-

Pag.17.

si quicquam ex cerebro in pulmones defluat, per nares deduci debere. In omnibus autem bonum est, ubi curatus fueris iuxta Galeni præceptum, ægrum & lacte asinino, & mutatione aeris ad locum eminentem recreare. Sunt etiam inter auxilia carnes ericiorum, uulpis, testudinis: sed uulpis maximè pulmo. Iuuant & ossa maxillarum lucij, tartarum album cum saccharo rosaceo. cucubali folia, & thyrsum (est autem descri- pta à Plinio) partem unam: pastelli, quam de- (lib. 27. cap. 8. in fine.) scribit Plinius Secundus, partes duas: infundes (Lib. 2. cap. 3.) in uino, aut succum exprimito, & cum pane imponito foris: tum uerò etiam intus edendum dato, & contineat etiam in ore. Optimum autem est, quod est secundum sympathiam ex pulmonibus, utpote uulpis: & ex his quæ ulcera sanãt insanabilia, uelut quæ ad sordida ulcera & carcinomata & chironia, & habentia labia dura: ex metallicis, & herbis, & oleis destillatis, uelut chalcanthi.

DE CVRA.

DE Indica autem lue, tum elephantiasi, curam ut proponam specialem, locus non est, cum ad eam uix sufficiãt octo libri à me instituti: uerùm solũ generaliter horum capita attingam. Quæ quod ad uictum attinent, cõstant in exiccatione, & moderata caliditate aeris, cibi & potus pauci & natura sicci, exercitationis & sudoris, & euacuationis assiduæ cum elleboro nigro, & sanguinis detractione cum somno longiore ob coctiones, & ut opponatur siccitati reliquorum. Et unguentis ex napello & hydrargyrio, & minio, & cinnabari: tum suffitibus, & ligni utriusque Indici usu, tum cyna & sarza parilia, & alijs etiam efficacioribus. Quanquam ligni sancti decoctum, cùm sit acre id lignum, ualde amarum, pingue & odoratum, paucis cedat: reliqua sunt temperatiora, cyna & sarsa parilia, & mundicie.


At scabiei & pediculorum ac similium per aerem ualde calidum & siccum esse debet, ac perflatũ, cibos qui parùm nutriant, & sicci sint: & paucorum excrementorum: auiculæ tostæ, pisces petrosi assati, cum aceto & cinamomo communi, mel, saccharum, amygdalæ contritæ & coctæ, exercitatio, sudor, frictio longa, summa mundicies, mutare interulam, & quæ carnes tangunt quotidie. Sudor in balneo sicco, inde lauare se cum aqua in qua abrotonum decoctum fuerit. Purgatio assidua cum myrobalanorum decocto in gallo ueteri, citrinorum chebulorum uel emblicorum & nigrorum. Et si non sufficit, pascantur gallinæ et galli, qui etiam sunt meliores furfure, & elleboro nigro, & soldanella: sed sensim assuescant, ne pereant: inde coquantur plenè origano, thymo & mercuriali, & sumatur ius illud. Et inungantur pulsus & uolæ manuum, & plantæ pedum, oleo ex sulphure & ex baccis lauri, addita myrrha odorata, aut styrace. Et fiat terra Cambili huiusmodi. Recipe sulphuris, æruginis, singulorum librã: squammæ aris, chalcanthi, aluminis, salis & nitri, auripigmenti citrini quod uocant rosagallum, picis naualis, resinæ laricis, baecarum lauri, staphisagriæ, radicum lapathi, singulorum libram mediam: hydrargyrij destillati, cantharidarum, singulorum uncias duas. trita omnia subtilissimè ponantur in uitreo uase securo & oblito luto, aut figulino uitreato, ex his quæ ignibus resistunt, & coquantur in fornace nitri aut laterum per tres dies, & extractus cinis subtilissimè teratur: cuius usus multiplex erit. Primùm pro pauperibus, & pro canibus & iumentis misceãtur cum oleo è lini semine, unciæ duæ cum libra, et coquãtur per tres horas super cineres: & inungantur pulsus, & loca affecta, ac uolæ manuum et pedum: inde inuoluantur linteis calidis, & bene tectus decumbat. antea cœna sit lauta cum carnibus pullorum, & aromatibus, & uino flauo, potenti, copioso: & hoc alternis diebus, sicut ter repetatur. Pòst lauet se in aqua decoctionis tartari & oxalidis, in balneo. qui ordo etiam seruandus erit in omnibus. Modus secundus, pro nobilioribus, idem fiat in oleo roseo pigmentariorum, & tantundem coquatur in balneo Mariæ, & coletur. Modus tertius, pro delicatioribus, in aceto destillato aut succo limunij per tres dies maneat: inde coletur, & erit pinguis. sed bene exprimatur, & addatur moschus. Aliud facile. Recipe olei laurini ℥ij. olei ex sulphure ʒ s. ellebori albi læuigati, tartari albi, lachrymæ iuniperi, singulorum ʒ ij. lactis tithymali uel alterius similis, quanto plus colligere potueris, aceti destillati ℥ ij. styracis ʒ s. confice unguentum. Ad acrem scabiem. Recipe olei ex tartaro albo ℥ iij. caphuræ ʒ ij misce & inunge. Est tartarum album, fex uini albi, quæ concrescit Bononiæ, et Romam uersus, uel propter alumen quod ei miscent: uel quia uini natura lapidea est, & salsa. unde, quomodocunque id accidat, huiusmodi uinorum potus, quæ splendidam fecem gignunt, ut ibi uidi, calculos generat tanto efficacius, quãto pulchrius est. Tartarum Mediolani non concrescit in lapidis duritiem, tantũ abest ut in splẽ-

didam

didam materiam, ubi ustum fuerit, & in calcem candidissimam redactum, uase marmoreo, uel etiam sponte, loco humido soluitur in oleum. Chymistæ, ut celerius conficiant calcem eius, ardente aqua excipiunt: & ubi solutum fuerit, aquam igne absumunt: sed hoc impurius est. At ut ad rem redeam, qui acri scabie laborant, maluam et herbam purpureæ uiolæ affatim edant, & lupulos, & semina peponum. Et zeæ panis confert huiusmodi morbis, quia siccior est, & minus nutrit triticeo. & tenere in arca cum interulis sacculum croci recentis & staphisagriæ, prohibet generationem pediculorum in his qui interulis illis utuntur.

DE CVSTODIA AB AERE pestilenti. Cap. XIX.

Custodia à pestilenti aere multiplex est, ac prima quidem uersatur circa ipsius aeris partes, uelut mutationem regionum, maximè ad montana. ubi enim assiduus est uentorum flatus, neque corrumpi aer, neque uapores corrupti diu uim suam retinere possunt. Iuuat etiam conclaue eiusmodi habere apertum in sylua ex odoratis plantis, quale uides. Sunt autem, malus medica, ex plãtis hortensibus arancia, limonia, myrtus. Ex arboribus, laurus, cupressus, iuniperus, rosæ, picea, etiã pinus ac larix. & quæcunque uirent tota hyeme, et sunt odoratæ. Ex herbis autem, sampsuchus, ozimum, uiolæ, & quos uocãt garyophylos: cumq; è terra uapor prodit, altiora cubilia sunt utiliora: cũ mucescit panis in illis, inferiora. Qui uerò non tam potentes sunt in cubili circumuestito, è tabulis cupressi, aut saltem piceæ ad amussim se condunt. At si moram nõ patiatur res, odoribus atque suffitibus, locus est muniendus. Sunt autem è suffitibus, urina hirci, & asa dulcis seu odorata. Ex his quæ citra ignẽ odorẽ reddũt uehementissimum atq; iucundum, sunt moschus & crocus integer, tum garyophyli cum camphora, & rosæ siccatæ in umbra, aquaq; rosacea conspersæ, & eædem recentes, tum lilia. Et ex fructibus



Cap. 5. cotonea, & mala medica. Refert Athenæus in tertio Dipnosophistarum, citrium & per se & melle conditum aduersari omnibus uenenis, tum soluere uentrem: qua ratione etiam ad præseruandum ualet, uelut & aspergere pauimentum aceto, maximeq; rosaceo, tum etiam abluendo corpus.

Alia est ratio circa corpus ipsum, ut aer non noceat, ac primùm præfertur exercitatio. narrat Rasis ex Galeni auctoritate, cõtigisse ut in quadam peste, in qua omnes periere, soli seruarẽtur uenatores, ob assiduam exercitationem. exiccat enim corpus, uelut et Ruffi catapotia, quæ aloe, ammoniaco & myrrhæ dimidio pondere constant (aliter describuntur ab Arabibus) ex quib. ille affirmat neminem obijsse, qui quadraginta perpetuis diebus usus fuerit. sumuntur cum uino diluto. Laudatur theriaca à Galeno, & bolus Armenus, ut nono de Simplicibus medicamentis: et purgatio ac uenæ sectio, quorum meminit Princeps prima Quarti, & sumpsit à Galeno in primo de Febrium differentijs: sed ipse non meminit sectionis uenæ. Et in eodem genere est, quod expertum est, deferre auripigmentum album super cor. Et forsan iuuat ex antipathia, seu sympathia. utrũq; enim dici potest: sympathia ad genus, antipathia ad speciẽ referri potest.

30. Cõtin. Tract. 13. cap. 2. fol. 420. col. 2.

Paulus lib. 2. cap. 36.

De usu Theriacæ ad Pamphylum, cap. 1.

Cap. de terra Samia. Tract. 4. cap. 4.

Cap. 4.

Celsus præterea iubet, ut alternis uicibus aqua & uino utamur: additq;, quòd peregrinatio & nauigatio optima sunt, de quo dubium non est. Verùm de purgatione, uenæ sectione, atq; alterna uini potione, etiamsi ad dies referatur, difficultas est non leuis. uidetur enim primum sectio uenæ imbecillius reddere corpus: præterea purgatio mouet humores tempore adeò periculoso. Similiter & alterna illa potio quantum obesse possit, quisq; uidet: quantum iuuare, non intelligo, nec uideo. Propter hæc dico, quòd præceptum illud de uenæ sectione intelligẽdum est, quandocunq; corpus fuerit robustum, & dispositio aeris nondum inualuerit. Et ideo ista sunt facienda ab initio, cùm constitutio nondum multos cogit ægrotare: ubi autem inualuit, non est tutum. Purgatio autem securior esse uidetur, & maximè cum his quæ à proprietate resistũt prauæ qualitati humorum, in quo casu laudari solet trifera Persica. Sed non est hæc regula etiam tuta, quia, ut uisum est, adueniunt etiam in pestis tempore fluxus perniciosi, quo in casu minimè tuta esset purgatio: sed potius danda sunt quæ prouocãt urinam. & hæc sunt securissima, tum ratione generali, ut uisum est in cura generali uenenorũ & canis rabidi, tũ ratione auersionis.

Olei quoq; usus copiosus eadem ratione quæ

 dicta

dicta est, præseruat à putredine. non enim calescere possunt, quæ non siccantur, sed refrigerantur. Tormentillæ quoq; radicis usus uidetur aduersus aeris iniurias salutaris: tum uerò & quæ dicta sunt generaliter aduersus uenena, & quæ dicentur aduersus contagium: sicut & hæc, aduersus illa, sed non tam propria. Inter reliqua autem quæ utilia sunt, & iucunda, est serapium ex succo limoniorum, si quis eo aßiduè utatur; post quem est syrupus ex succo citrij. Verùm usus horum copiosus esse debet, atque aßiduus. Et dicunt, quòd spiritus equorum non sinit corrumpi aerem, ideo uersari in illorum stabulo bene mundo (nam fimus coinquinat illum) est salutare, securumq;. Et dicunt, quod uti carne columborum aßiduè, aut gestare hyacinthum orientalẽ, præseruat perpetuò ab utraque peste.

DE CVRA FEBRIS PESTIlentis ab aere. Cap. XX.

PRimùm igitur incipiendum esse à sectione uenæ, iubent medici. cuius causa tamẽ non id conuenit, sed in duobus tantùm casibus. primus est, cum habitus id exigat, etiamsi nulla febris adsit. Cap.10. Nam Galenus libro de Sectione uenæ, iubet illam sanguinis multitudinem redigere ad temperamentum, inedia, balneo, frictionibus, atque huiusmodi: sed in pestilenti febre, cùm non det tam longas inducias, & periculum adsit ex plenitudine, etiamsi nulla adsit febris, necesse est statim sanguinem mittere. nam iuuat ratione habitus præter naturam, & materiæ febris etiam: nocet autem ratione qua pestilens: quia ut pestilens est in toto sanguine iuxta quantitatem, licet non iuxta perfectam qualitatem: igitur duo commoda debent præferri uni iacturæ, & mitti sanguis. De hoc igitur legas in undecimo Contradicentium. Contrad. 76 Dubitatio relinquitur solùm, quando cum plenitudine exacti fuerint aliquot dies, & tunc quoniam febris ex pestilenti aere totum sanguinem corrumpit, & quatenus illum corrumpit, non est facienda sectio: igitur ubi magis corruperit, eo minus est facienda sectio: quo ergo aer magis fuerit contagiosus, et corruptio maior, tanto minus conuenit, si differatur. Si ergo pestilens fuerit aer & febris, aut morbus fuerit ex eo genere qui perimat quarta die, non licebit mittere sanguinem ultra primam diem: nec forsan si multitudo non fuerit nimia, ultra duodecim horas primæ diei. Sed si perimere consueuerit in undecima (raro enim exeunt dies iudicatorios) non nisi in secunda die: & si in quartodecimo, usque ad tertium. nam hæc perinde se habet ad quartamdecimam, ut primus ad septimã, ex regula Dialectica reflexa. Nam octauus dies tantum distat à quartodecimo, quantum primus à septimo: sed si in octauo facta est corruptio media & maior die una, igitur per primam regulam debet retrahi ad quintum diem: sed in quinta cum sit paritas ex ratione materiæ, uires sunt debiliores duplo, ac magis quàm in prima, cum morbus mortem est allaturus in septima. septima enim pars est minor dimidio tertia parte: igitur tertius qui est medius inter primũ et quintum, se habet ad quartumdecimum, ut primus ad septimum in morbis, in quibus septimus & quartusdecimus pariter sunt exitium allaturi. Pari ratione usque ad quartum, cum morbus est exitialis in uigesima: et maximè, quòd in quinta non licet, aut raro, ob acceßionem mittere sanguinẽ. Sed si non sint exitiales, uerùm plures euadunt ex regula Dialectica, licebit ulterius extendere tempus sectionis uenæ: & quanto plures euaserint. igitur & in secunda, si ex dimidio fermè seruentur: & etiam in tertia, si plus quàm ex dimidio. Secundus casus est, cum febri pestilenti absceßus iungitur, uel ipsa febris pestilens per absceßum perimit: oportet autem eum esse ex interioribus. dicemus & de hoc peculiariter infrà. Porrò ubi adsit neceßitas, nec liceat sanguinem mittere per uenæ sectionem, Cap.25. cucurbitulas applicabimus, tum maximè quòd natura eò crisim, id est ad exteriora dirigere solet; tum quia materiam non trahit super membra principalia: tum quia non miscet sanguinem, nec debilitat uires quantitate, de qua sit curandum.

Circa purgationem autem, cum in his uideatur materia turgere (certè ubi non turgeat, non est purgandum, cum omnia detrimenta quæ in non pestilenti obstant, augeantur) sequi oportet rationem generalem, & purgare oportet. Peßimè ergo faciunt, qui in materia quieta minuere conantur, cùm nihil utilitatis afferant, sed multa incommoda: augent febres, obstructiones, debilitant uires, mouent materiam è loco, ut tardius corrigi aut concoqui poßit. Præterea addunt peculiare damnum, appetitus deiectionem: quod perniciosum est, ut dixi, in huiusmodi morbis. Et est sententia Hippocratis tertio Epidemiorum: Pag.7. & qui ex longis morbis, & qui ex acutis, omnes alui purgatio sustulit.

Quod ad nutritionem attinet, uidenda sunt primùm ea quæ in sexto libro Contradicentiũ Contrad. 27. scripsimus. Et breuiter, uti oportet cibis qui aliquo modo nutriant: & quanto febris est minor,

& mor-

& morbus magis pestilens. nam causa morbi
non est, quæ coctionẽ impedit, sed morbus: &
iactura uiriũ postulat cibũ: quanto ergo febris
fuerit minor, & prauitas maior, eo magis nutri-
entia conueniũt: contrà, minus. & ita de duo-
bus alijs mẽbris. Nam si febris & prauitas ma-
xima fuerint, seu dederis seu non dederis, omni-
no morietur. & cõtrà, si febris & qualitas pe-
stilens remissa, utroq; modo æger facilè serua-
ri poterit. Eandem quoq; rationem obseruare o-
portebit in tẽporibus morbi, plus nutriendo in
declinatione quàm in statu. Quo ad quantitatẽ
2. Contrad. aũt, se qui maximè cõuenit caloris naturalis ma-
20. gnitudinẽ (hic enim à uiribus multũ differt) &
cõsuetudinem, circa numerũ aũt cibandi consue-
Aphor. 17. tudinem præcipuè, ut in prima Aphorismorum.

Circa aerem, dubium relinquitur, an calidus
an moderatus sit utilior. Frigidus enim magis re-
staurat spiritus, pro quo generaliter disputatum
Contrad. est secundo Contradicentiũ. Certum est, quòd
21. aer siccus esse debet, purus & odoratus: cali-
dißimus autem est utilior, tum quòd prohibet om
nino putredinem, tum quòd dissoluit eam quæ
iam facta est subtracto fomite. Quin imò ad-
ueniente feruore æstatis, non solùm cessat pestis
multiplicatio, sed ex his qui ægrotant, plurimi ser
uantur: igitur calidior aer in extremo salutaris
est. Ignibus ergo & suffitibus est calefaciendus,
ac siccandus. Et succinum, acetum ex garyophy
lis, & xiloaloes, optima sunt, & similiter cor-
pus optimè uestibus integi debet: eodemq; in situ
manendum, nõ solùm ut materia foràs euocetur,
& meatus arteriarum in cute aperiantur: sed e-
tiam ut calor auctus putredinem extinguat. Et
1.4. Trac. si obijcias illud Principis, Et oportet ut infrigi-
4. cap. 4. des domos eorum: Respondeo; quod exponit
semet ipsum de frigiditate, quæ fit per odores, a-
liaq; potestate non actu frigida.

Quocirca quærit, an in huiusmodi febribus
conueniat materiam foràs auocare. uidetur enim
2. Aphor. utile: quoniam undecunque naturà repit, inde du
71. cere per conuenientes regiones. Natura autem
per abscessus, tubercula, pustulas & maculas plu
res liberat: igitur medicus ad eandem partem tra
here debet. Exemplum habetur septimo Epide-
Pag. 11. miorum de Andrea, ubi inquit: Circa uigesimam
,, quintam pustulæ pruriginosæ calidæ, uelut ignẽ
,, ambustæ, seruatusq; est. Et in quinto Epidemio-
Pag. 12 rum: Euphranoris filio pustulæ uelut culicũ mor
sus, postridie febricitauit. Et licet non dicat, ap-
paret tamen quòd seruatus est. Et quamuis Phe
recydes postea obierit, septimo Epidemiorum: cla
Pag. 17. rum est quòd non ui febris, sed ex morbo pecto-
ris, & abscessu obierit. Præterea abscessus fiũt,
inquit Galenus, nõ præcedente urina concocta. 3. De Crisi. cap. 11. in fine.
sed in huiusmodi morbis non fit concoctio: ideo
terminari non possunt, nisi per abscessus aut de-
cubitus. Apparet etiam ex tertio Epidemiorum: Pag. 6.
Plurimis igitur ipsorũ abscessus ad suppurationes
contigerunt, carnium ac neruorum elapsus ma-
gni. Erat autem et fluxio collecta, non puri simi
lis, sed alia quædam putredo, & fluxio multa ac
uaria. Quibus igitur circa caput horum aliquid
fieri contingit, his glabricies capitis ac menti fie
bat: & oßium denudationes ac elapsus, & mul-
tæ fluxiones tam in febribus, quàm etiam sine il-
lis. Erántq; hæc horrẽda magis, quàm mala. Qui
bus enim ad suppurationem taliũ maturatio per-
uenit, horũ pleriq; seruabantur: quibus autem in-
flammatio, & ignis sacer discesit; talem autem
nullum abscessum fecis, multi perierũt. Et ad hoc
facit dictum Principis in Quarto libro: Et opor Fen. 1.
tet tegas ægrum, sic ut calor exterius attraha- Trac. 4.
tur. Quidam tamẽ recusant hunc curationis mo cap. 4.
dum, dicentes quòd primum cucurbitulæ siccæ
non debent adhiberi, nisi purgato corpore: Gale
nus libro de cucurbitulis. in his autem, ut dictũ Cap. 3.
est, corpus est plenum humoribus prauis. Præ-
terea dicunt, quòd quæ cum scarificatione adhi-
bentur, refrigerant cutim: igitur prohibent natu
ralem euacuationem. Accedit; quod utroq; impe
diunt motus naturales, cum non sciamus quò na-
tura tendat: igitur nocebunt, & non iuuabunt.
Præterea euacuatio illa ad externa fit, non co-
cta materia, ideo symptomatica, quare nonnun-
quam bona: quarta Aphorismorum. Sed omnia Com. 22.
hæc sunt uana, & nugæ: nam attractio ad exte-
riora cum fuerit, ratione totius potest fieri. di-
ctum enim Galeni intelligitur, cum intendimus
euacuare, ut in scabie. nam plus attrahitur, quàm
educatur è loco. De refrigeratione loci dico, q̃
cucurbitulæ uicem gerunt sectionis uenæ, in eo
quod trahunt ab intus; non ratione totius corpo
ris; sed uenarum magnarũ. & colligitur hæc sen
tentia à Galeno in libro de Sectione uenæ, et ab Cap. 11.
Oribasio in septimo Collectionũ: Quòd uerò at Cap. 20.
tinet ad incertum motum naturæ, dico quòd cer-
ti esse possumus, nullã aliã uiam esse salutarẽ, præ
ter effusionem copiosam sanguinis; quià illa co-
ctionem non præsupponit, & urinarum multitu
dinem. iuxta illud primo Epidemiorũ: Vrinæ mul Pag. 4.
tæ, crassæ, uariæ. Pòst subijcit statim: Et eorũ ne ,,
minem mortuum uidi. Tum in tertio, ibi: Nam in
multis morbis purgationes per uesicã factæ, bo- ,,
næ sunt. Fallit, ubi fuerit ex colliquatione multi-
tudo, ut infrà: Multitudo urinarum non bonarũ, ,,

Pag. 8. colliquationes malæ. Ex his, omißis illis quæ Fra castoreo sine experimẽto, ratione et auctoritate dicuntur, sex occurrunt quæ maxime probãtur: Bolus armenus, theriaca, ut suprà, & smaragdus, ut etiam Auenzoar, & nos feliciter experti Cap. præcedenti. sumus. Tria reliqua, sunt cantharides, quæ ferme in omni ueneno, ut dixi, prosunt. Et stercus columbinũ, quod adeò laudatur ab Auenzoar in purgationib. Et auripigmentũ albũ, quo utebatur Aloysius de Vicecomitibus, cũ bolo Armeno & Lemnia terra. & si non habeantur hæc, poterũt loco eorũ addi hyacinthi & margaritæ, & huiusmodi. Et quãuis dicerent quòd inerficeret ægros: nõ negarim sanè, q. aliquos, sed ualde paucos, forsan ui medicamenti non occideret: nihilominus, postquã plures longè seruabat quàm cæteri medici, clarũ est non fuisse rectè dictum, q. occideret, sed fuisse calumniã ab alijs medicis iniunctam. nã in uere pestilentib. non puris popula ribus hoc utebatur auxilio. At si multi seruẽtur, mitioribus est utendũ, quale est etiã oleũ de scor pionibus Matthioli, & nostrũ, et quæ dicta sunt. Et ut experientia comprobatũ est, uelut cuiq; ueneno suũ conuenit alexipharmacũ, ita unicuiq; pestis speciei, quo inuento oẽs fermè sanantur. Porrò de his in sequenti agã Capitulo. nunc satis sit difficultates cõmemorare, quæ impediũt quo minus facilè huiusmodi febres curari poßint. At quæ harũ prima, est causa potens ac permanens, aer scilicet, qui cũ morbũ generare potuerit, et il lũ seruare & augere longè etiã facilius poterit. Ipsa contagij ratio, quæ finẽ nullũ admittit, nec p uenæ sectionẽ, nec medicamentũ, nec inediam: quæ tria potißima sunt, & sola medicorum usitata præsidia. Denique febris ipsa addita, quæ in ichoribus accensa est, concoctionem postulans, & inediã, quæ nõ patitur huiusmodi febris.

Erit ergo forma uictus, ut speciatim subijciã, hæc: Pullus oxalide, capreolis uitiũ, berberis re cẽtibus, tũ omphacio, labrusca, inula, melissa, petrosilio, boragine, buglosso, bibinella, cotoneis, auro, margaritis, hyacinthis, smaragdis, succoq; limonij, citrij araniijq; conditus: tũ etiam endiuia pro cibo erit, iusq; ipsum pro potu. citria quoq; tota comedat, si potest, cũ pane in eodẽ iure madefacto: nonnunquã & lẽticula odorata pro fer culo cũ pullo cocta, aceto insuper addito, utatur: uel in potu syrupũ de aceto duplicato acetosum cũ decocto tormentillæ: nõnunquã uinũ à malis punicis, aquæ destillatæ cũ tormentilla uel oxalide misceatur. Quandoq; si caput non lædatur, uel syncopis timeatur, uinũ albũ, odoratũ, leue cũ aqua, clysteres molles, frictio, alexipharma-ca, uigilia perpetua, donec inclinauerit morbus, magis necessaria quàm in intermittentiũ acceßionibus. oportet siquidẽ cũ hoste, qui aßiduè nos urget, etiã nos aßiduè acriterq; pugnare. Vnde & cucurbitulas affigere siccas in singulas horas, et aerem siccare succino dulci, assa, & hirci urina oportet, maximè cũ uel palpitationẽ cordis sentit, uel anxietatẽ, uel animi deliquiũ, uel cũ extre ma refrigerantur, aut nauseabundus est. hæc enim quinq; uiæ sunt ad interitũ. Porrò sub anxietate, inquies, cõprehenditur & suffocatio: quodcunq; horũ adfuerit, uel si utraq; peius, anxius di citur. Ergo in singulas sex horas (tot enim fieri solent mutationes, ueluti in anno à Sole, et in mẽse à luna) accipiat hoc decoctũ: ℞ ficus pingues excoriatas tres: scordij, florũ lupulorũ, foliorũ uiridiũ, cardui sancti quẽ uocãt herbã Turcã, singulorũ ʒ.i s. radicis fœniculi ʒ.ij s. lentiũ excoria tarũ ʒ vj. rhu seu rhois ʒ j. laccæ electæ ʒ ij. coquantur lentes primò in libra aquæ ad consumptionẽ medietatis, inde addantur reliqua præter scordion, quod in fine adijci debet: cola & exprime, & propina cum ℥ j. syrupi acetosi ex aceto duplicato. Singulis aũt duabus horis immisce saccharo è florib. boraginis, aut syrupo, succo citrij, puluerẽ ex bolo Armeno nostro, sed optimo, & smaragdo orietali parib. portionibus: quibus addatur orycis aut eboris scobs, & os ceruini cor dis, tertia ex parte foliati auri decima. in pollinẽ hæc præter derasam scobem redigatur. Loca pulsuum in carpis pedũ, manuũ, & in temporib. & cordis muniatur oleo suprascripto. Et licet im- Cap. 5. miscere oleũ asæ dulcis, seu belzoi destillatum. & nõ abs re fuerit oleo è santhalis atq; rosis immisto regionẽ iecoris inungere, et uentriculi: imò optimum esse duco. Super cor sacculũ deferat è nymphææ & croci floribus integris, tũ rosis, xi loaloes, santhalis citrinis, garyophyllis, caphura, belzoi, sæpius aspergatur aceto rosaceo. Superius docui suffumigium ad malos suffitus: cui ad- Cap. 14. dito flore sambuci, fiet egregium ad pestem.

DE CVRA PESTIS bubonicæ. Cap. XXI.

At bubonicæ pestis cura tanto difficilior, quanto morbus ipse præceps & contagium maius, adeò ut omnes societatem etiã charißimorum refugiant, uix parentes filiorum ægrorum consuetudinem sustinent. Quandoque una pestis tertiam partem hominum absumsit. Propriè conueniunt, quæ uires reparant. Et aqua rosacea in potu, boraginis, petrosilij, scordeon. Et potus multi olei in hoc iuuat, sed in siti magna loco aquæ exhibendum: pinguia ut accen-

accendunt calorem, ita putredinem, ut dixi, restinguũt. Referunt esse ignis speciem, quæ aqua magis accendatur, oleo extinguatur. credo esse flammam oleo ipso accensam. aqua enim, ut uidi, talem flammam irritat. Sed & potus multæ aquæ frigidæ persæpe curat eos. Et aquã filipẽdulæ multi collaudarũt. Medicamẽ nostrũ acceptũ à patre meo Facio Cardano, expertum ualde, quo uti debemus singulis sex horis. ℞. aloes partes duas, gẽtianæ radicũ, chameleæ albæ radicũ, centaureæ maioris radicum, diptami albi, quo utuntur pharmacopolæ, rosarum albarum & rubrarũ, santhalorũ itidem alborum, rubrorũ et citrinorũ, myrrhæ, bẽ albi, foliculorũ senæ, scordij, sphragidis, boli Armeni orientalis, quo utũtur pharmacopolæ, singulorũ partẽ unam: oßis cordis ceruini partẽ mediã, scobis eburneæ tertiam, croci duplũ, scobis auri foliorũ partẽ decimã: redigantur in pollinem, & dentur cum uino drachma una prima uice, inde media: ut seruetur, redigitur in massam cũ melle roseo: quantitas drachmæ duæ primùm, pòst drachma. Exterius cucurbitulis, si qua parte doleat, aut inflari incipiat, cucurbitulis materia est auocanda: tũ emplastris

Cap.3. suprà dictis, ammoniaci lachryma, fermento quoq;, tum bubonij radix, quam adeò collaudat

Cap.7. Fracastoreus lib. tertio de Morbis contagiosis, hoc modo: Folia angusta digiti longitudine, uirentia, subaspera: surculi multi ex una radice, in syluæ modum: atq; in eorum summo purpurei flores plurimi, qui in medio lutei sunt, & ob id speciosi. referunt enim chamemæli imaginẽ, iuxta Benacum lacum frequentes.

Propria uerò curatio in hoc genere est per ea quæ exterius trahũt uenenũ, & bubonẽ ipsum, et citò eũ cõcoquũt: et sunt hæc uaria in singulis specieb. Constat enim quòd anno M. CCCCLI. pestis illa nullũ recepit auxiliũ, nisi ex ranis uiuis superpositis: & cum moriebantur, applicabãt alias, donec cessarẽt symptomata prorsus omnia ueneni. Et ideo debem⁹ experiri cùm his, tũ muribus, gallis, palumbis: inde cum lacte, cæpis, ruta, ficubus, fermento: tum etiã cancris, piscibus, & per singula genera rerum, quæ uerisimili ratione

Tract. 1. cap.18. prodesse poßint. Princeps tertia Quarti laudat emplastrũ ex lupo salictario, attriplice, capillo ueneris, radice altheæ, cũ pauco ammoniaco et melle ac uino: tum etiã radicẽ cucumeris anguini cũ pice brutia, aut picea quæ spõte fluit. Sed in priore exẽplo Paulus, ex quo desumpsit, loco lupi sa-

Lib. 4. cap. 22. lictarij habet parietariã. sed et secundũ ad rũpendum est, uelut & lupini amari cum aceto dissoluti, & capparis radix, aut nitrũ cum fermento uel ficis. Et qđ optimũ uidetur, dissoluitq; ac trahit, aster Attic⁹, de quo suprà: ob id dictũ bubonion, ut reor, non quidẽ q referat stellã flore, ut cõmuniter creditur, imò folio potius, frequens in locis

aridis. In quo etiã consentit Mathiolus, asserens chamemælo similem esse, passimq; inueniri. Citantur ex Virgilij monumẽtis apposite ab eo huiusmodi carmina: *Lib. 4. cp. 122.* *4. Georgis.*

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecêre agricolæ, facilis quærentibus herba.
Nanq; imo ingentem tollit de cespite syluam.
Aureus ipse, sed in folijs, quæ plurima circùm
Funduntur, uiolæ sublucet purpura nigræ.

Deinde paulo pòst:

Asper in ore sapor. —

Illud non ferendũ, quod Princeps iubet in huiusmodi repelli, ambiguo sermone: cũ Paulus dicat apertè, si nõ adsit febris: febrẽ enim nõ adesse, & morbũ non esse pestilentẽ, se consequũtur. Quòd etsi latitare febrẽ cõtingat, ut repellendo falli poßis, respondebit quiuis Dialectica quantum opus est instructus: ut hoc raro accidet, ita rarus error contẽni in tam magna mole potest.

Sed ad uictus rationẽ redeo: Cũ in hoc morbo ab initio purũ ab impuro segregatũ sit, conandum est totis uirib. ne uirus serpat. ideoq; uomitorijs, clysteribus, frictionibus agendũ est, tum cucurbitulis, ac si quisquã uenenũ iam hausisset, quod partim citra iecur esset, partim ultra. Et q uiriliter in hoc agunt, plerunq; euadunt. Quòd si motus uehemẽs sentiatur, purgabis cum ellebo ro: & si quieuerit motus, urina prouocanda est cum his etiã quæ uenena educere solent, ut sunt phu seu Valeriana, apiũ, iuniperi fructus, et rapæ femina, betonica, & similia. celebratur et ab empericis ruta capraria, seu Gallica herba anagallis, ligustici radix, eius quòd Angelicam uocant; tum ari. Cauere in his oportet ab initio pinguib. & quasi media hæc est febris inter uenenũ et pestẽ, ut abstinẽtia utilis in eis sit. Et utemur iure pulli exili macroq;, ac bene cocto, & permutato cũ

ijsdẽ fermè, de quib. antea dictũ est. Et Princeps iubet ab initio imponi cucurbitulas loco dolẽti, et scarificari: quod à ratione alienũ nõ est. Et sectio uenæ & purgatio eodẽ fermè modo se habẽt, ut in ea quæ fit ab aere. uerùm in hac sunt minus periculosa, quamuis uideatur contrariũ: quia plures ex hac quàm ex alia pereunt, ob morbi sæuitiã. *Cap. præcedenti.*

De carbunculi autem cura cum fimo columbino, tum alijs (nam de eius essentia in secundo Contradicentiũ actum est) nõ malum forsan fuerit ascripsisse carmina Quinti Sereni præcipua: *Contrad. 22.*

Hunc ueteres quondam uarijs pepulêre medelis.

Tertia nanq; Titi simul, ac centesima, Liui
Charta docet, ferro talem condente dolorem
Exectum, aut poto raparum semine pulsum.

Inde paulo pòst:

Dulcaridum, laticemq; cumini semine iunges,
Atq; fimum pariter Paphiæ compone columbæ:
Hinc line duratas partes, & clausa uenena.
Præterea triti referant adoperata lupini:
Nonnullus calcem uiuam dissoluit aceto,
Fumantemq; niuem papulis apponit acerbis.
Est qui gallinæ perducat stercore corpus:
Allia uel piperi parcè commista linuntur,
Pythagoræ cognata leui condita cumino
Proderit, & madida fermentum polline turgens.

Primum aũt auxiliũ ex T. Liuio, ut dicit, decerptũ charta cẽtesima tertia, præstãtissimũ est.

DE CVSTODIA TRACTANtium huiusmodi ægros. Cap. XXII.

Cap. 13. GAlenus undecimo Artis curandi, breuissimè omnis putredinis curam atq; custodiã quatuor uerbis descripsit, dicens: Putredini contraria sunt euacuatio, uẽtilatio, perfrigeratio atq; cõcoctio. Ideo fontes, qui talia tractãt, sibi faciũt: et profuère multis nõ solũ in hac peste, sed ea quæ fit ex aere. Et similiter urinæ prouocatio: cum quibus autẽ, iam sæpius dictũ est. Purgatio uerò per aluum tuta non est, nec utilis: at sanguinẽ ciere, aut uomitũ, hoc ipsum pessimũ est. Ergo fontes in syluestri brachij parte, aut sub genibus facere consueuerũt. Accedentibus ad ægros, mandere corticem arantij utile fuit. & inter duos cereos magnos accensos, uentilatio hac in parte suspecta est. nam arteriæ aerem corruptũ attrahunt. Neq; ergo nimis aperire, neq; cõcludere poros: sed in hac aperire, in ea quæ ab aere fit poros occludere magis conuenit. Perfrigeratio aũt utilis est: sed facere, quàm dicere, difficilius, præsertim quòd multi ob id solùm seruati esse creduntur, quòd allia & cæpe assiduè essitarent, & aer frigidus plenus sit uaporib. multis, ob id frigida actu corpora seruare decet. Cæterùm cæpe & allia euacuãt per halitũ & urinas. Vnde etiã scabies utilis: concoctio aũt generali ratione est necessaria, ut ne quis crudo cum uentriculo aut iecinore motus suscipiatur.

DE ALEXIPHARMACORVM compositione, & numero. Cap. XXIII.

PRincipale alexipharmacum omnium confessione est theriaca, ignota antiquis Latinis, Celso Eroiuliæ, seu Eroti Iuliæ (fuit enim libertus eius medicus, Augusti ætate) Trotulæ falsò appellato, & Scribonio Largo ipsius Augusti medico. Primus enim eius inuentor Andromachus tempore Heronis, teste Galeno, primo de Antidotis: qui aliquot commutatis, inter reliqua uiperarum carnes addidit Mithridatis descriptioni, qui & ipse utebatur compositione sua mithridatica, licet non adeò efficaci: comprobata tamen in nocentibus per singula uenena singulis auxilijs. Testis est Celsus, libro quinto eam describens. Constat XXXVI medicamentis, melle excepto. Apud Andromachum secundo de Antidotis, mithridatica habet Radicem dulcem, salem, scordium, cypheos, fœniculum, nardum Indicam, meu, lachrymam Arabicam, scincum, phu, uinum: undecim plus quàm apud Celsum, quæ uerè fuit mithridatica. Deficiunt quinque: cuminum, rhaponticum, sagapenum, iris & longum piper: ut sint XLII simplicia. Suprà ergo mithridaticam Andromachi, eius theriaca habet pastillos uiperarũ, et scyllæ, & hedychroũ loco cypheos, napi semen, agaricum, schœnum, diptamum, stœchadem, apium, marrubium, calamẽtum, chamepitym, amomum, pentaphyllon, chamedryn, sphragidem, chalcitim, cẽtaurium, carpobalsamum, amnin, asphaltum, aristolochiam, quæ sunt XXII. Si quis ergo mithridaticam componeret ex descriptione Celsi & Andromachi, seniorem semper intelligo, contineret simplicia XLVIII. quia utrunque piper, uelut et in theriaca, apponitur, longum & nigrum: quibus additis XXII, fierent omnia LXX. at non sunt nisi LXIIII. omisit ergo Andromachus primo de Antidotis, sex, ex his quæ in mithridaticam suam uel mithridatis recipiebantur, cypheon, acorus, cuminum, sal, scincus, spica nardi. Sed mirum est, quòd in mithridatica ponat Andromachus nardum Indicam, & spicam nardi, quasi duo. Sed iam tempus est, ut quorundam præceptorum reminiscar. Primum, ut antidotum utranque, id est mithridaticam & theriacam, conficiamus iuxta Andromachi senioris descriptionem, non Galeni: cum priores expertæ fuerint à Cæsaribus, adeò ut Suetonius referat, Neronem non ausum tentare matrem ueneris, quòd sentiret munitam esse antidotis. Et Galenus ipse non suam, sed Andromachi confecit. Hæc etiam antidota, dicebat Galenus, præsumpta longè plus possunt, quàm si pòst quintuplum aut sextuplum sumant. Vnde patet, quanto celerius, tanto melius, ubi pòst contingat accipere. Illud etiam animaduertendum, theriacæ duo esse principalia fundamenta, crocum & uiperam: quæ si non optima sint, labor totus perit. nam

Cap. 1. — Cap. 23. — Cap. 1. — Cap. 6. & 7. — 2. de Antidotis cap. 1. — 2. de Antid. cap. 1.

rit. nam uiperæ carne propriè resistitur uenenis: croco autem deducitur statim medicamentum ad cor, ideo hæc eligi debent summa cum diligentia. Constat etiam theriaca medicamentorum pondere sibi proportione respondentibus, scilicet XXIIII. XII. VI. III. II. I. unde ponderis ratione scyllitici pastilli præualent, inde theriaci, opium & piper longum, & hedichroum. Post hæc erunt scordium, rosæ, napi semen, iris, agaricum, cinamomum, succus dulcis radicis, opobalsamum. Iuxta hoc ergo componemus mediam theriacam ualidiorem prima, sed nō adeò tutam. Recipe pastillorum scylliticorum par. XXIIII. pastillorum è uiperæ carne, hedichroi, opij, piperis longi, singulorum partes XII. agarici, cinamoni, scordij, rosarum, seminis napi, iridis, succi radicis dulcis, opobalsami. singulorum partes VI. croci partes III. mellis partes CCLXXXVIII. uini XCVI. Quòd si ademeris ea quæ sub pondere sex partiū adijciūtur, mel aūt CXLIIII. partibus, uinum XLVIII, fiet theriaca potentißima, sed minimè tuta. Perfecta ergo theriaca, ut dictum est, constat LXIIII. medicamentis: media, XVI: minima, VIII.

Vt uerò uiperam eligas, facilè id assequeris, si fœminam grauidam inuenias. nam sola è serpentibus animal parit: parit autem ad XX. nec mater aut proles cibum capta gustat: maximè tamen paruis auiculis è nido sublatis, & musculis gaudet. Superuiuunt tamen sine cibo ad triginta fermè dies. Vbi genus inueneris, præstat è locis calidis, siccis, aridisq; eligere masculas. hæ duos tantum caninos habent dentes, ut libro de Theriaca ad Pisonem: sub ueris fine, fuluas, uiuaces, lato capite, uentre propenso, toto corpore sinuosas, meatum habentes excrementi: imò caudæ propiorem, mobilē, uiuacem: quæ plurimum à plano se attollat, ardentibus & toruis oculis. inde coge singulas crus, aut sub ala pullū mordere: & qui celeriter expirabunt, eorum uiperas elige. 5. de Hist. animal. cap. 6. Cap. 13.

De proprijs autem singulorum Alexipharmacis tabulam hoc modo, uenenis præpositis, subiungemus.

		Alexipharma
1	Hydrargyrij	Columborū agrestium stercus, uel costum nostrum, quod in usu est.
2	Minium & cinabaris	Spodium ex ebore
3	Aeruginis	Coralius
4	Gypsi	Muris stercus
5	Cerusæ	Vinum dulce ad ebrietatem
6	Cyanei lapidis	Succinum
7	Napelli	Mus suus, Moschus
8	Leporis marini	Rubetæ cinis, caro uulpis assata, et ostrea
9	Fel uiperæ	Theriaca
10	Extremitas caudæ cerui	Theriaca
11	Salamandræ spuma	Halicacabi semina
12	Putrefactis	Scordion
13	Cucumeri asinino	Mentæ succus
14	Cantharidarum	Halicacabi semina
15	Chameleæ lxij	Origanum
16	Rhododaphne	Iuniperi succus
17	Ricini	Hypericon
18	Anacardi	Pini semen torrefactū
19	Nucis uomicæ	Citri cortex
20	Viperæ morsui	Theriaca epota
21	Scorpionis ictui	Scorpius superpositus
22	Aranei puncturæ	Enduia epota & superposita
23	Rutelæ seu tarantulæ	Melanthion, & saltatio ex musica
24	Odori uenenato	Vrinæ cerui suffitus
25	Vmbræ toßici et Rhododaphnæ	Iuniperi suffumigium
26	Opio	Castoreū, uel assa, uel ecysir
27	Mandragoræ	Radicula agrestis
28	Solano	Cancri marini, & locustæ
29	Thoræ	Antithora
30	Hydrargyrij cocti uel sublimati	Crystallus
31	Auripigmenti	Oleum è nucleis pini
32	Aeris squamma	Acori succus
33	Spumæ argenti	Ricini semen
34	Adamantis scobs	Radicula agrestis
35	Herculei lapidis	Smaragdus
36	Aconiti	Aristolochia longa
37	Rana lapidea	Myexis

38	Fel leopardi	Mus napelli
39	Menstrui sanguinis	Viperarum caro
40	Aeluri cerebrum	Moschus
41	Fungi	Allium
42	Scammonio	Ribes succus
43	Tithymali	Mumia
44	Ficus Pharaonis	Cucumeris semina
45	Ellebori	Nymphea flos.
46	Apij risus	Melissæ succus
47	Nucis Metel	Butyrum
48	Canis rabidi morsui	Cynorrhodi radix
49	Vulneri uenenato	Mustela imposita, uel stercus humanum
50	Crabrorum ictui	Ferrum frigidum impositum
51	Excoriationi à uenenatis, uel ruta	Iuniperi foliorum succus, uel endiuiæ
52	Cicutæ	Gentiana
53	Hyoscyamo	Pistacia
54	Coriandri succo	Vincetoxicum
55	Incertorum	Pezar, cerui oculorum sordes, smaragdus, orycis cornu
56	Omnium	Aqua, & aer maior & minor.

SVCCIDANEORVM COMmunium alexipharmacorum nostrorum.

Cap. XXIIII.

1	Pezar	Cerui oculorum sordes
2	Orycis cornu	Eboris scobs
3	Balsami	Stercus capræ ustum
4	Margaritarum	Concha margaritarũ
5	Laseris	Platani fructus
6	Armenij luti	Samium lutum
7	Scordion	Diptamus Cretensis
8	Ciconiæ uentriculus	Caninus sanguis
9	Mustelæ	Testudo
10	Alysi	Asclepiades
11	Ben album	Diptamus albus
12	Iuniperi fructus	Lauri baccæ
13	Cynorrhodi	Cancrorum fluuialium cinis
14	Absinthij Aegyptij	Ruta capraria
15	Mus napelli	Muscæ napelli
16	Smaragdi	Hyacinthus
17	Xylobalsami & carpobalsami	Violæ albæ radix
18	Theriacæ	Mithridatum
19	Terræ Lemniæ	Terra Melites
20	Antithoræ	Zedoariæ
21	Anseris sanguis	Anatis sanguis
22	Chalbani	Opopanax
23	Trifolium odoratum	Hypericon
24	Angelica	Tormentilla
25	Napi semen	Iridis radix
26	Asæ fœtidæ	Belzoi
27	Ceruiurinæ	Arthemisia
28	Myexis	Coralius
29	Adamantis	Topazius, id est, pirradoius
30	Chameleæ albæ radix	Diptamus noster
31	Moschi	Zibethum
32	Croci	Buglossum
33	Indici ligna ad uenena	Gentiana
34	Muris magni	Gallinæ cerebrum
35	Columbi agrestis stercus	Columbi domestici uel gallinæ stercus
36	Fraxini	Trifolium asphaltites
37	Myexis	Coralius
38	Cardui benedicti	Maluæ semen
39	Ambræ	Succinum
40	Rhapontici	Rhabarbarum
41	Rutæ	Persicorum nuclei
42	Radiculæ agrestis	Radicula cum sale & aceto
43	Inulæ	Citrium
44	Harmala	Ruta agrestis uel capraria
45	Theriacæ	Theriaca media, uel minor: pezar, sordes oculi cerui, smaragdus, harmala.

In omnibus alijs meminisse præstat, quòd domestica pro agrestibus substitui possunt: & quòd Dioscorides ita simplicia sua collocauit, ut proximè succedens pro antecedẽti, aut antecedens pro subsequenti substitui potest. Sed & substitutorum Galeni & Pauli Tabula est huiusmodi, eorum quæ non adeò aduersus uenena præstant, ut priorum: sunt tamen nobilia pharmaca.

DE LATERALI MORBO pestifero curando. Cap. XXXV.

COlligere oportet intentiones principales curandi utrunq; morbum, febrem scilicet pestilentem, & lateralem morbū. Febris pestilen-

Cap. 20. tis curādæ capita superius redegimus ad rationē uictus non exquisitè tenuē, sed cum iurib. crassis, ut ille uocat: dat præterea alliū, pisces salitos, cappares, præterea uinum absinthites. Et nos embāmata ex succo oxalidis, & mentæ, et gingibere: at in laterali morbo succ' ptisanæ ex aqua aut minus. Et in potu uitanda sunt uinum, amara acriaq;, danda insipida & dulcia.

De aere in peste, debet eligi calidissimus aut frigidissimus: in laterali aūt morbo tēperatus, in hoc etiā humidus & purus: in pestilenti aūt morbo purus, sed siccus. Debetq; ob id suffiri ladano, styrace, belzoi, succino, quæ omnia aduersa sunt patientibus abscessus circa membra spiritus.

In pestilenti febre non conuenit sectio uenæ, & maximè post initiū illius in morbo laterali. si sit in superioribus costis, conuenit non solùm, sed est necessaria admodum, & donec ad sputū peruenerit, & usq; ad sanguinis mutationem (secun-

Tex. 10. do de Victu in acutis) ut pro rubro liuidior, aut pro naturali rubidior exeat, atq; ideo copiosus admodū, rarò enim hæc mutatio fit citra sanguinis copiosam detractionem, uelut duarum librarum, certè non ante unius. Cucurbitulæ autem tempore initij procul à loco, & flatus super locum communes esse possunt.

De purgatione in laterali morbo superiore nō cōuenit, in pestilenti cum materia turgente con-

2. de Victu in Acut. 11. uenit, ut dictum est. uicissim in laterali morbo, cum dolor est in costis spurijs conuenit: in pestilenti non ex materia turgente, omnino lethalis est. contrà ergo conuenire possunt, ut in turgente & morbo laterali in spurijs costis: & cōtrario modo, conueniunt in hoc, quòd in nullo casu decet mouere materiā cum leuib. medicamētis.

De prouocantibus etiam urinam, ubi ad empyema morbus lateralis transierit, conueniunt in utroque: atque eo magis, cum materia non expuitur, aut parum de ea. Et etiam ante empyema: sed in eo casu non conueniunt, quia in morbo laterali debiliter ducentia, ut semina melonū, conueniunt, & dulcis radix: in uenenis autem ualida, ut dixi, uelut cantharides. Et si adsit sputum, etiam nullo modo talia quæ siccant, ut erythrodanū & spica, haud bona sunt. Præterea in morbo pestilenti conueniunt, ut dixi, quæ auocant exterius: at in morbo laterali solùm in principio, ne coctio impediatur: & in statu, ut dixi, quandoque, quando morbus in musculis, non in membrana fuerit. Præterea non ubiq;, sed in morbo laterali duntaxat, in ea parte ubi adest morbus, uel è directo: in pestilenti ubiq;.

Demùm cura febris pestilentis debet fieri per exiccantia, ut smaragdum, theriacam, scordion, & omnia huiusmodi, inter quæ solus bolus Armenus conuenit, etiam morbo laterali. loquor de uocato orientali, licet hic non sit uerus bolus Armenus Galeni, sed potius terra Samia. Et in hoc expertus sum, in Philippo Maluetio patricio Bononiensi, & in alijs expertum uidi, quòd non astringit pectus: imò autores plerique dicunt de hoc præsenti quem habemus, quòd respirationem liberiorem reddit: & licet non sit bolus Armenus Galeni, tamen multum confert in febre pestilenti ab aere, absque dubio. Et nunc deferuntur diuersorum colorum, ruber, luteus, pallidus: & luteus uidetur in casu magis accommodatus, dum æger laborat duplici morbo.

Quibus expositis, illud quod adiungitur pesti, uel est naturale, ut ætas, gestatio uteri, consuetudo aliqua, contrarium aut simile indicans, temperatura, morbus quidam naturalis aut imbecillitas: aut res non naturalis, tristicia, uigilia, crapula quæ præcessit, ebrietas, labor, coitus, seruitus, malum cubiculum, & planè frigidum & humidum, paupertas, solitudo: aut res contra naturam, scilicet morbus, morbiq́; causæ aut symptoma. Ex morbis autem quidam consequuntur febrem pestilentem, ut hoc anno morbi laterales, & de quibus dicebat Hippocrates ter-

tio Epidemiorum: Multis autem in febribus, & Pag. 6.
ante febrem, & ex febribus ignes sacri incidebant. Et paulo pòst: Lyenterici, multi dysen- Pag. 7.
terici. Et infrà: Soporosi uerò maximè phrenetici, & febre ardente laborantes erant. Sec. 2. ante finem.
Et in secundo etiam meminit de angina pestilenti. Sed discrimen est in cognitione ex tribus. nam morbi qui consequuntur ad statum aeris, sunt multi, sporades autem rari. Pestilentes accidunt, dum multùm sæuit, constitutio: sed si leuis fuerit, sporades existimandi sunt. Præterea ex natura morbi, diximus autem hos, in consilio de Prouidentia temporum, qualiter ex natura membri principalis dignoscuntur: & ex eo quòd retinetur materia, aut protruditur, aut colligitur, ut cum sint mēbra principalia, fiēt nouē genera morborū pestilentiū, species aūt plures: sed quæ nō cōtinentur sub generi-

generibus, neq; erunt inter species adnumerandæ. Sunt autẽ præcipuè, si caput infestetur, lippitudines siccæ et humidæ, furores & atræ biles, et morbi comitiales, et attoniti, & resolutiones, & anginæ, & parotides: & si cor, morbi laterales, peripneumoniæ, febres ardentes, tabes, æstus: & si iecur, uomitus, lyenteriæ, dysenteriæ, morbi regij, cacoexis, aqua intercus. Circa curationẽ ergo primùm consideranda sunt, an intentiones sint similes, an contrariæ, an neutro modo. Et si similes, nullam habemus difficultatem, quia augẽda sunt quæ præcipiuntur, uelut in diarrhœa pestilentĩ, haud dubiè cibus ualde nutriens erit exhibendus: & in ardente febre putrida, syrupus de limunijs. Et similiter si fuerint impertinentia: uelut quæ prouocant sputum, & dulcia in morbo laterali pestilenti. nam auxilia talia debent, quæ non sibi aduersantur, adhiberi. Difficultas tota est, ubi contrà indicauerint: & tunc quatuor erunt præcipuè consideranda. Primum, si aliquod auxilium diuersa ratione utrique conueniat, uelut dixi de bolo Armeno nostro, quod facilem efficit spirationem, & febri pestilenti aduersatur. & de huiusmodi auxilijs non est dubium quòd debent adhiberi. Secundum, an morbus coniunctus pendeat ex constitutione, an sit ex sporadibus, & fortuitò illi adiunctus: quod etiam licet coniectari ex causa externa: uel si eidem morbo sit assuetus, ut podagræ, diarrhœæ, qui sunt morbi multis familiares. Tertiũ, ex quo maius mortis periculum immineat. Quartũ, an unum sit causa alterius secũdum materiã, aut etiã sine quo aliud sanari non possit: & quodnam illorum sit principale. Si igitur morbus pendeat ex constitutione, datur una regula generalis: Omnes tales morbi sanantur, curato morbo principali: imò debent curari curatione morbi principalis. Et hoc est quod innuit Hippocrates

Sec. 7. sexto Epidemiorũ, dum dixit: His ita pressis nihil memorabile proderat, non uentris turbatio, non uenæ sectio, nec quicquam aliorum quæ tentaui. Secui enim uenam sub lingua, quosdam & sursum purgaui. Nam hæc cum essent auxilia anginosorum, non proderant: quoniam morbus erat pestilens, & cura pestilentis morbi curari debuit. Memini me sanasse filium Io. Petri Pusiani ex sputo sanguinis, quod erupisset illi ob Indicam luem: ea sanata per sua auxilia, additis pauculis leuiter astringentibus, cum alioqui futurus esset morbus ille insanabilis. Curatio ergo prima in omnibus morbis, qui pendent ab aeris corruptione, debet esse pestis: additis leuiter quæ cõueniant morbo illi proprio. Quòd si sporadicus morbus sit, qui coniungitur, uelut quis incaluit, & exercitatus est à cibo, inde in aura refrigeratus tempore pestilentis morbi uagantis, in quo plures ex fluxu pereunt, & quispiam corripitur morbo laterali: & hinc ad decem horas antè quàm uoceris, uides urinas turbidas, & fluxum uentris iam cœpisse: tunc tu intelligis quòd is correptus est sporadico morbo, scilicet laterali, & pestifera febre & morbo, qui est etiam pestilens: tunc clarum est, quòd morbi hi habent contrarias indicationes. quo in casu consideranda sunt tria. Primum, de quo dictum est, scilicet quis'nam morbus sit periculosior ex conditione generis: utpote si plures moriantur ex pestilentia, aut pauci. si primum, maior intẽtio debet adhiberi ad morbũ pestilentem: adhibebimus itaq; cucurbitulas cum scarificatione, in extrêmitatibus frictiones, eò dum ut morbus languescat lateralis, coquemus ptisanam cum iure non crasso, sed tamen bono pulli: dabimus in potu decoctam tormentillæ cum oxymellite: aerem calidum reddemus cũ suffitib. leuib. & siccantibus: dabimus lac à nucleis persicorum cum saccharo: fricabimus corpus quotidie, sed non adeò assiduè aut uehementer, uelut si esset febris sola: dabimus smaragdum cum bolo Armeno, & saccharo, boraginis floribus condito plurimo. Si autem pauci ex pestilentia moriantur, postquam prima dies non est exacta, mittemus sanguinem ex uena usq; ad mutationem illius: dabimus ptisanam cum aqua & saccharo: interdiu saccharum cum floribus boraginis conditum: adhibebimus aerem temperatum. Eâdem ratione considerabimus in ipso affectu, quis'nam morbus sit maior, febris & fluxus, an morbus lateralis. Et hoc ex proprijs signis, urinæ confusione, dolore sub costis, æstu magno, angustia & difficultate spirandi. Febris ipsa fermè communis est. Fœtore excrementorum, pulsu serrino, casu uirium, & appetitus cibi, & tussi ipsa. Et iuxta id quod magis urget, adhibebimus ualidiora præsidia, et iugiter, altero tamen non neglecto. Secundum, quod est consideratione dignum, est, ut cum curamus morbos contrarios, uel curabimus per medium, ut in calida iecoris intemperie, & frigida uentriculi, dabimus temperata, quæ sunt utrique contraria. Secundum est, ut ratione uariarum uirium prosit idẽ contrarijs. ut dixi de bolo Armeno, quòd siccitatis & frigiditatis ratione conuenit pestilenti morbo: proprietatis autem natura, omnibus pectoris morbis. Et ita myrtus ut astringit, pro-

dest

dest fluxui uentris: & ut dulcis, lenit tussim ac pectus. Tertium est, ut medicina composita ex contrarijs iuuet contrarios morbos. quia unumquodq; membrum trahit quod conueniens est: uel ratione naturæ: ut iecur, iecur lupi, & uentriculus, uentrē galli. aut ratione cōtrariæ intēperiei qua laborat, ut in hemitritæo piper trahitur à uentriculo frigido, & ptisana à iecore supercalefacto, licet sint mista. Quartū est, ut unū uno tēpore, aliud alio administretur. Quintū est ratione loci, ut epithemata calida super uentriculum, frigida super renes uel iecur. Sextū, ut idē membrum diuersis modis afficiatur: uelut si interius demus syrupum de succo endiuiæ, exterius inungamus aliquo unguento calido. Tertium est, ut dixi, quod consideremus, si morbus unus sit causa alterius, uelut in exemplis & modis qui declarantur quarta Primi. Et ideo in hoc etiam considerabimus tempus utriusq;, uelut si morbus pestilens cum hydrope coniungatur, curabimus pestilentem, quia breuis est, utendo refrigerantibus, & minus curabimus de hydrope. Et si febris acuta, non pestifera, iungatur anginæ diuturnæ pestiferæ, adhibebimus auxilia febri ardenti: atque ita in alijs. Cap. ult.

Et quòd dixi de febre pestilenti & bubonia, elephantiasi, lue Indica, intelligi debet de quocunq; alio etiam ueneno. si enim morbo iungatur, aut ille consequetur ad uenenum illud, ut tabes ad leporem marinum, & tunc cura est cura ueneni: quæ si potuerit esse perfecta & breuis, curabitur etiam perfectè tabes: aut morbus iam cœperat ante uenenum, sicut contingit, quòd laboranti morbo laterali exhibitæ fuerint cantharides, aut cicuta, aut aliquid aliud, & tunc debet curari seruatis regulis suprascriptis. Et cū morbi duo in eadem horà inchoant, unus est semper causa alterius: ut si morbus lateralis cum febre, aut ambo sunt ab eodem, ut in napello palpitatio cordis, & uomitus. Et si sint tales, ut unus ex altero pendeat, quandoque posterior prius sentitur, ut febris ante morbum lateralem: sed hoc paucis horis antè contingit. aut unus antecedit alium per aliquot dies: & si prior desinit aut remittitur, fit transmutatio unius in alterum. Et si uterque manet, tunc prior est causa posterioris per accidēs. uel hoc accidit ob paruitatem ab initio, quòd latuerit posterior. Sed si morbus qui relinquitur, pòst apparuit, antequam prior remittatur, tunc ex his quæ uenenis succedunt, de quibus mox dicendum est.

DE CVRA DISPOSITIOnum uenenis succedentium. Cap. XXVI

CVm uenenum ex morsu sparsum est, corrumpit sanguinem, & persæpe non occidit ut uenenum, sed ut causa alia quæ morbum induceret: & ideo tunc datur occasio secandi uenam. quare dixit Princeps sexta Quarti: Et Trac.3.c.6. « conueniens horarum sectionis uenæ est, cum sci « tur quòd uenenum est iam sparsum in corpore, « & non est ex eis quæ attrahuntur: & propriè « in eo qui est repletus. Sunt aūt dispositiones, quæ uenena sequi solent, hæ fermè: Malus habitus totius corporis, & ex genere leucophlegmatiæ, morbus regius, quod etiam testatur Auenzoar: tabes quædam, & phthisis, strangulatio et synanche, casus dentium, melancholia & tristicia, uigilia, furor, mala coctio, alui duricies, intestinorum & uentriculi dolores, tum difficultas seu dysenteria, splen tumidus, spirandi difficultas, resolutio membrorum, & duricies iuncturarum: sicut de arsenico rubro, quod uocant Arabes Realgar, uulgus autem Rosagallum, recitat Conciliator, cum curasset iuuenem, qui eum sumpserat. Et febres frequentes inordinatæ, defectus cordis, & oculorum debilitas aut prominentia, & conuulsio ac dolor totius corporis: uelut in arthritide, & urinæ flagrantia, seu urigo aut difficultas, & uertigo & nausea, & obliuio, & alia: sed præcipuè antedicta. In omnium horum cura illud diligentissimè obseruandum, quòd curatio mista esse debet ex cura principali, & cura morbi: & hoc, quia tales morbi sanantur sublata causa: & causa est, uel impressio facta ex ueneno, uel illa est causa causæ. Velut si ex napello aliquis incidat in phthisim, ex pulmonis ulcere, curatio erit triplex & mista: ex cura phthisis puræ, scilicet ulceris pulmonis cum his quæ Cap. 18. dicta sunt superius: & cura ueneni putrefacien- Cap. 7. tis per propria, ut etiam ante illud: & cura putredinis & abscessus iam facti, & hanc etiam superius diximus. Et ita uides, quòd hoc caput con Cap. 21 stat ex cura morbi propria, tradita in libris suo loco: & duobus capitibus, quorum unum est caput de cura illius ueneni, & aliud de cura modi, quo uenenum illud interficit. Et habet hoc priuilegium morbus ortus ex ueneno, ex peste, ex lue Indica, quòd curato ueneno, sanatur morbus ille qui ex eo fluxit, etiam quòd esset è genere insanabilium. Et ita curatus fuit bubo niger in illustri Marchione (Regulum dicunt Latini) Viglereani,

reani, quia ortus erat ex peste: quamuis bubones alij nigri sint natura insanabiles, & è genere carcinomatum. Et sputum sanguinis ex pulmone in Pußiano, quia ortum habebat ex Indica lue: licet huiusmodi sputa diuturna, quale illud erat, sint insanabilia, teste Galeno quinto Methodi. Sic facilè resolutionem, imò lacte ipso in filiabus Baptistæ Syrtiri, quod ex hydrargyrij destillati potu cõtigisset. Atq; alia omnia huiusmodi, modò uirtus ualida sit, & corpus adhuc succulentum. Et secũdum præceptum est, ut in morbis omnibus qui ex ueneno relinquuntur, sit cura per eũdem modũ, qui est ipsius ueneni, non solum per eadem medicamenta. Vt sit exemplum, balneum generaliter oculorum debilitati nocet: quia tamẽ euocat ad exteriora, debilitatẽ uisus ex ueneno factã curabimus balneo. & ita dentibus nihil erit melius, quàm auocare uenenũ ad exteriora.

Cap. ii. in fine.

Ad albam pituitam miscebimus theriacam, ut conuenientẽ ueneno: & rhabarbarum morbo, & semen harmala, de quo suprà, ut conueniens utriq;. Et exercitium conuenit omnibus morbis ex ueneno relictis, præcipuè autem frigidis: quia propriũ ueneni est, calorẽ naturalẽ minuere, humores & membra corrumpere. sed exercitium confirmat calorem naturalẽ, & humores corruptos educit per halitũ aut sudorem, & membra confirmat. Verumtamen in morbo regio non cõuenit nisi leue, & ut deambulatio. Ad regiũ morbũ: Recipe enduiæ aut cichorij, halicacabi seminum, singulorum partes duas, harmala decimam partem, uel eius loco rutam caprariam, ut dictum est, uel agrestem rutam. Sed in uenenis capraria non fiderem, hoc in casu probo moschi, quantũ optimè redoleat. In hoc genere etiam est radix cardui sancti, tum aqua herbæ illius. Ad dentiũ casum inũgatur totum corpus oleo hypericonis, & de baccis lauri, succino suffumigentur dẽtes, coralio quoq; lapide fricentur. Est enim antidotum ranæ lapideæ & æruginis tum similium, ut suprà uisum est. Melancholia & tristicia quæ ex ueneno oritur, ualde mala est, & plerumq; pernecat: tristicia autem, est melancholia leuis. neque enim potest quis tristiciam maximam pati, quin desipiat apertè. Huius igitur cura est sectio uenæ cum copiosa sanguinis detractione, elleborus frequens & magna in quantitate exhibitus, uiolenta, soporifera, inde margaritarum usus copiosus, & melissæ atq; boraginis, merumq; dulce, ac Venus cum puellis lætis atq; iucundis, inde balnea, lociq; amœni. Eadem penè furoris remedia sunt.

Deiectam coctionem instaurabimus aßiduo cotoneorum usu, cum coralijs & moscho: iuniperi fructus per se commendantur, inde pistacia, enduuia, menta, absinthium, echini marini ac buccinæ, cum aliquibus ex his: scilicet cinamomum, inula, eruca, piper, anisum, pulegium, echinus terrestris, sal. Ad alui duriciem, origano in iure galli utitor: oleo quoq; plurimo, & agarico. Ad dolores & tormina, cumino atq; ruta. Si uerò dysenteriæ reliquiæ remanserint, sphragide: nihil melius. pòst smaragdo, agarico, oleo omphacino, iure castrati. Ad splenis tumores, halicacabi semina, ruta cum aceto, semen iuniperi, spica celtica, iris illyrica, & fraxinus. Et in synanche & strangulatione utemur stercore canis, theriaca, sale, mittemus sanguinem ex humeraria: pòst etiam sub lingua copiosum: applicabimus cucurbitulas, dabimus iridem illyricam copiosam, si licet, & synanchicis insufflabimus: & quod admoniti sumus per somnium scribere, e regionè glandulas in brachio fricabimus, prementes adeò ualidè ac diu, ut intumescẽte brachio, ac dolente non mediocriter, gulæ omnino obliuiscatur. Non dico glandulas, glandosas carnes: neq; enim ullæ esse, uel ab Hippocrate, uel alio quouis anatomico connumerantur: sed tumentia ibi musculorum colla. Ad spirandi difficultatem, inula, iride illyrica eadem, croco, theriaca eadem ratione. Ad resolutionem, ungatur oleo ex floribus sambuci & hypericonis & bacarum lauri cum theriaca. Intus conferunt iris eadem, cardamomum, theriaca, iuniperi semen, balsamum, inula, nec maior ullus consensus. Ad iuncturarum duricies, ijsdem fermè oleis, addita pinguedine anatis, cuius descriptio est huiusmodi: Magna anas exenterata & depilata, uel ciconia, impleatur carnibus uiperarum & aspidum recentibus & semine iuniperi sicco, non carioso, belzoi, enula, canino sanguine, carne testudinis marinæ, opoponaco, galbano: & assetur in ueru, & perpetuo igne colligatur, quod exprimitur, aquosum illud primum quod effunditur superfundendo, donec purus adeps non sanguini, non aquæ admistus sit. Itaq; ignẽ & æqualẽ esse, et mediocrẽ oportet. huic decimã partẽ theriacæ admisceto: facit et ad podagrã. Ad febres inordinatas, uratur inula in cibis, endiuia, cichorio cum pipere, origano, aniso cum ptisana. Et per interualla sumat agaricũ cum mulsa ex descriptione Dioscoridis. In termedijs autem diebus ∋ theriacæ cũ succo petrosilij, aut citrij mali, totum contundendo.

Cordis defectus ijsdem curatur, quibus uenenum. inde sylua, Theriaca, smaragdus, os

cerui-

ceruini cordis, hyacinthus, coralius, margaritæ, inula, flores boraginis cum ſaccharo cõditi: roſæq; ſimiliter. Ad oculorum imbecillitatem ruta utatur, ac roſis, tum iecoribus anatũ & anſerũ, ac eruca. Vbi ſede ſint excuſsi naturali, parum proſunt auxilia: theriaca tamen cum cardamomo & longo pipere & ſmaragdo, ſpondylio, ſerpyllo, quæ etiã pro emplaſtris admoueantur. Ad articulorũ dolores atq; cõuulſiones, utatur elleboriſmo, nec non inula, & cardamomo in cibis. Habet & unguentum deſcriptum, quod diſcutit & emollit. Iuuat &, ut notum eſt, uulpinum oleum, quod & in duriciebus uicem obtinet ſuperius expoſiti, ſed longè inferius.

Ad urinæ uriginem, difficultatem, iuuãt quæ extinguunt ueneni uim, & præſertim halicacabi ſemina, maluæ & cyperi decoctum, tum amnus & lithoſphermi: & locum oleo de ſcorpionibus, & eſt propriũ. & theriacæ uſus aſsiduus. In huiuſmodi enim morbis longis, et ſine abſceſſu, theriaca nihil melius eſt, modò hectica nõ ſit: etiamſi à ueneno originem non habeant, quanto magis ſi habeant. Vertiginis eadem fermè cura, quæ & reſolutionis: ſed & uentriculi ratio habenda eſt. Proſunt cardamomũ, ruta, ſpica, bdelliũ, cinamomũ, cortex citri, agaricus præcipuè, betonica, ſaluia, roſæ, roſmarinus, calamus aromaticus, acorus. Et de nauſea eadẽ eſt ratio, quæ & de uertigine, ut à uentriculo ortũ habet: & de obliuione ſimiliter, ut à cerebro. Elleborus, agaricum inter ea quæ purgant. Et dicitur, quòd anacardinum antidotum confert memoriæ: & creditur quòd ſcobs eboris & meliſſophylli puluis eidem conferant, & mel inter familiaria: & debent exerceri, & in locis amœnis ſpaciari, & in aere libero. Iuuant & caſtoreum, peucedanum, ſphondilium, ſinapis, uitex, ſampſuchus, & cerebra gallinarum, & leporum, & pulli columbini. Et inter amuleta, ſmaragdus collo ſuſpenſa.

Proprium eſt autem ueneni, relinquere morbum quendam peculiarẽ ex tertio genere craſsi morbi, quòd fit à pituita putrefacta, ſeu illi abundè ſimili: quem uidi in pluribus qui à ueneno conualuerant, & maximè patre meo Facio Iuriſcõſulto, qui quotidie de eo conquerebatur. Eructãt acidũ, flatu multo abũdãt, uago dolore hinc inde torquẽtur, ac ſaltatorio, ut ita dicã: modò è pede cõfeſtim in oculũ, modò in uentrem, aut ex aure in manum. Mortuus eſt cum eo, non ex eo, neq; graue eſt ſymptoma, morbus aũt dici non poteſt. Curatio ex theriaca, ſmaragdo, electuario, ut aiunt, Alchermes, coctionem procurare. Hippocratis ratio in purgatione cum elleboro per ſuperiora conſtat, & hippophae, id eſt lappagine, de qua Plinius, per inferna: uictus totus ex lacte. Lib. de In. Af. pag.28. Libro 26. cap.10.

Credunt aliqui hoc ipſum ſymptoma dæmonem eſſe, aut ab illo.

LIBRI DE VENENIS TERtij Finis.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE PROVIDENTIA EX ANNI CONSTITUTIONE, LIBER.

INTER RELiqua munera quæ De° Opt. Maximusq́; mortalibus concessit, quæ quamplura sunt, ac præstantissima, illud prorsus diuinũ atq; incomparabile est, quo ea quæ futura sunt, humanæ prouidentiæ subiecit: seu in actionibus nostris per prudentiam, seu in naturæ casibus per tot artes, inter quas primum fermè locum medicina sibi uendicat. Etenim ex anni cõstitutionibus qui futuri sint morbi, quales, quãti, quãdo, ubi, quàm perniciosi, & quibus in ętatibus, temperaturis, uiuendi consuetudine, sexuq́;, præscire licet. Quorum auctor atq; inuentor, mortaliũ decus Hippocrates, nisi multis iam annis illius scripta latuissent, tam claram ac perspicuam doctrinam nobis reliquerat, ut nihil desideraremus. Iam primùm nũc annus trigesimusoctauus absolutus est, ex quo opera ac diligentia Aldi Manutij ciuis Romani factũ est, ut Italis Europæisq́; omnibus Hippocrates restitueretur. Vt nil mirum sit, si tam breui tempore res, quæ iam in desuetudinem abierat, restitui non potuerit. Accedit, quòd quæ Hippocrates scripsit cum in Thessalia ultimò, antea in Coo esset, non ita ad unguẽ quadrare nostris regionibus potuerunt. Verùm neq; tantum discrimen est locorum, ut possit impedire diuinationem. si quidẽ non tam Hippocratis dicta (quæ fateor esse propria magis) quàm illius rationes, quæ toti orbi sunt communes, expendere oportet. Quæruntur igitur hæc: Primùm, quales natura morbi fuerint, qui humanũ genus anno præterito uexarunt, & unde processerint: quiq́; etiam nunc magis uigeant, & qui nam futuri sint eiusmodi, à generalibus causis procreati. tum uerò etiam in omnib. his temporibus duo alia communia: scilicet quæ loca magis minusue obnoxia, & quæ uarietates morborũ, & generis, & magnitudinis ratione: tum uerò & illud tertiũ, in singulis temporibus an contagium ullum accedat. Quibus pro coronide adijcitur, quanto tempore timendum sit ab huiusmodi generalib. cõstitutionibus.

1 Morbi præteriti cuius speciei fuerint.
2 Morbi præteriti quibus in locis maximè, & quæ causa propria.
3 Morbi præteriti an contagiosi.
4 Morbi præsentes quales, & cuius speciei.
5 Morbi præsentes quibus in locis causas proprias habent.
6 Morbi præsentes an contagiosi.
7 Morbi futuri cuius speciei.
8 Morbi futuri quibus in locis quales uigebunt, & cur, & causa.
9 Morbi futuri an contagiosi.
10 Morborũ generalis constitutio hæc quousq; perseuerabit: & qualis scilicet, an mutabitur.

Digeràmus ergo singula, & fient decem Capita. Vt uerò causam reddamus omnium, auctoritate & ratione, tum experimento utendum est. Auctoritatem ex Hippocrate sumemus. Ergo cum posteriores non solùm his quæ Hippocrates tradidit, nihil addiderint: uerùm ne quę illa quæ tradidit, plenè sint assecuti: dico Galenum, Aetium, Paulum, Rasim, & Abenseni seu Auicennã: liquet, ex Hippocrate omnia desumẽda in hoc casu esse. At hæc quidem Hippocrates tractat in libris Epidemiorum, & tertia Aphorismorum, & libro de Aere aquis & locis. Videndum est igitur, cum ex libro de Aere aquis & locis, ac tertia sectione Aphorismorum satis constet, eos esse legitimos, de libris Epidemiorum, & in quibus maximè hæc tractatur materia, & qui sint legitimi: & rursus constat, tertium, inde primum, & præcipuè huic proposito perutiles esse, & etiam legitimos: in cæteris septimũ & quintum maximè spurios affirmat Galenus *Com. pri.* primo in sextum Epidemiorum: quartum autem similem primo & tertio, loquendi forma, sed contemplatione ualde inferiorem. Quam sententiã confirmat *Cap. pri.* tertio de Difficultate spirandi, & secundo de Diebus creticis. quaquam de quinto addubitare uideatur, in eadem tamen

tamen

Cap.4.in fine. tamen descendit sententiam. Quid plura? ex primo sumemus tres constitutiones, ex tertio non habemus nisi unam: ex secundo duas, prima & tertia sectione: ex sexto unam, in septima sectione: ex quarto duæ, sed ualde imperfectę: ut *Pag.2.& 4. Pag.7. in fine.* sint omnes quæ ex Epidemijs (nā quintus & septimus non habent constitutiones) nouem. Ex libro de Aere aquis ac locis, habentur sex, è quibus sunt quatuor illæ numeratæ in Aphorismis, & duæ aliæ additę. Quamobrem cum plures sint, & diligentius explicatæ quàm in Aphorismis, sufficiet illis uti. Appello autem constitutionē quotidianam, numerum dierum propè sexaginta cōplectentem, quasi unam è septem partibus anni: ut à Galeno ex Hippocratis sententia in libro de Septimanis, ut primo in primum Epidemiorum explicauit, consimilem & æqualem, uel in primis qualitatibus tantùm: uel in sereno & imbre, uel in natura uentorum: quorum omnium Hippocrates proponit exempla tertia Aphorismorū. Qualitatū quidē in eo, quādo æstas fit ueri similis: serenitatis & imbriū in illo, ex anni aūt constitutionibus quod in totū dixerim, uentorū uerò aliquanto pòst in eo: Quotidianæ autem constitutiones Aquilo- *Pag.2. Com.primo post Prooemium.* niæ quidem. Addemus insuper considerationem à situ locorū ex eodem libro: & est quadruplex, ut etiā quæ est à uentis. & fient omnia ex quibus coniecturā accipere possumus, decē & nouem, excepto ortu & occasu siderum: qui cum sit cōmunis, non sunt rationes horum illis tribuendæ, sed quatenus solùm augent aut minuunt. Hæc nolui ascripsisse, ne sæpius repetendo, longiorem facerem tractationem: aut omittendo, fidem dictis non facerem.

Constat igitur, annum hunc præteritum habuisse æstatem calidā, & siccam uehementer, adeò ut à Calendis fermè Maij ad mediū Septembris, nix ter aut quater, nec copiosè imbres ceciderint. Quod etiam ex astrorum constitutione facilè intelligere possumus, quoniam Mars occiduus & borealis iuxta eclipticam, ab eo tempore fermè usq; ad finem Septembris, Soli assiduus comes fuit: & eum antecessit, sub eius radijs. itaque quod ad primas qualitates atti- *Lib. de Aere & aquis & locis, pag.2.* net, haud dubium est, ex astris hoc pendere. Vnde Hippocrates: Cum enim tēporum mutationes, & astrorum ortus ac occasus obseruauerit, quemadmodū singula horū eueniant, prænoscet utiq; & de anno qualis hic sit futurus. hoc nanque modo si quis rimatus fuerit ac præcognouerit temporum occasiones, maximè de singulis sciet, ut plurimūq; sanitatem assequetur, & rectà uia procedet non minima artis suæ gloria. Quod si cui hæc diuiniora uideantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam, ipsam astronomiam: sed omnino plurimā, cum unà cum temporibus & uentriculi in hominibus mutentur. Quòd uerò dicat Fracastoreus, cum multæ erraticæ ex eadem parte coierint, fieri morbos uagantes, & contagiosos: siquidem intelligit mediò primarū qualitatum, rectè dicit, & cum Hippocrate & philosophis: sed si intelligit quòd influant, hoc est solum dogma Astrologorum, quos pro nūc mittamus: quandoquidem sufficiunt nobis pręcepta Hippocratis ad ueritatem eruendam. Cum ergo ex dicta cōspiratione Solis & Martis in Cancro, Leone & Virgine, signis æstiuis, fuerit æstas immmoderatè calida & sicca, inde per discessum Solis à Marte, facto Marte Orientali in Libra casu suo, & alijs rationibus fuerit factus Autumnus immoderatè humidus: & uenti æstiui fuerint Austrini, sicci partim, & partim Vulturni: autumnales aūt Cori & Thrascię, liquet grauem factam esse mutationem in corporibus nostris. Et quia morbi ab aere trifariā fiunt, primùm sensim ex constitutione aeris, ut tertia Aphorismorū (Aestate febres continuæ, & ardentes) *21.* cum enim calor est immodicus, ut primo de Natura humana, *Tex.34.* generat bilem plurimam: quæ cum non possit regi à natura, putrescit eius pars aquosa, & acceditur, & humor inflammatur, & fit febris iuxta naturam temporis. Secundus modus est ex congenitis humoribus in priori tempore, uelut in Aphorismo illo, Autumno morbi acutissimi: *Aph.9.3. partic.* dicit Galenus, quia autumnus succedit æstati, in quo multi humores sunt superassati, ideo fiūt morbi acutissimi. Tertius modus è ratione, sicuti dicebat Hippocrates in eadem particula, cū inquit: De temporibus, si quidē hyems sicca & Aquilonia fuerit. *Ab 11. ad 14. Aphorismorum.* Hæc causa multo potêtior est alijs, quia corpus percellitur, & post secunda, inde prima. Sed dubitatur, an quando tem-

pota contraria sibi succedunt, pariant
morbos tunc? Et dicit Galenus in ter-
Com.11. tia Aphorismorum, quòd non: imò po-
tius intemperies corrigitur. Velut si hy
ems fuerit aquilonia, & frigida & sicca,
& uer australe, calidum & humidum, di
cit Galenus quòd erit uer illud tempe-
Pag.7.in ratum. & ratio est ex uerbis Hippocta-
fine. tis in libro de Aete & aquis, huiusmo-
» di: Si uerò hyems quidem sicca sit, & Bo
» tealis, uer aurem pluuiosum & austra-
» le, necesse est æstatem febriculosam fie-
» ri, & lippitudines inducere. Quũ enim
» enim æstas derepentè accedat, tetra hu-
» mida facta à uernis imbribus, & ab au-
» stro, necesse est æstum duplicatum esse,
» & à rerra irrigua ac calida, & à sole uren
» te: quum uentres in hominibus nondũ
» constricti sint, neq; cerebrum resiccatũ.
» Non enim fieri potest, cum uer tale exi
» stat, ut corpus & caro non humore flui-
» da fiant, adeò ut febres acutissimæ in o-
» mnes irruant: maximè autem in pitui-
» tosos. At dysenterias par est fieri & mu-
» lieribus & uiris humidioribus. Solum
id restat dubitatione dignum, cur, si æ-
stas superueniens madida ex uere, terra
sufficit hæc gignere: quorsum adijcit in
singulis coniugationibus unũ tempus,
ut hic hyemem? qualiscunq; enim fue-
rit, omnino idẽ sequi esset necesse. Hęc
non disputandi causa, sed ut intelliga-
mus perfectè rationem temporum. Præ
supponit ergo Hippocrates ptimùm sta
tum, & non (ut Galenus) simpliciter in-
tetptetatur, non animaduertẽs sequen-
» tia uerba quæ sunt hæc: Si uerò hyems
» australis & pluuiosa & clemens fuerit,
» uer autem siccũ boteale & tempestuo-
» sum, pituitosis & mulieribus & dysen-
» terias fieri uerisimile est propter naturã
» humidã. Vnde ergo humidũ hoc in uere
boreali ac sicco? Dices, ex illo uerbo Tẽ-
pestuosum. At nõ est ex textu, sed quis-
piam addidit loco cõtrarij εὔδιος, quòd
est tranquilla seu clemens; καὶ χειμέριον,
12. id est tẽpestuosum, cum in tertia Apho-
rismorũ nõ adsit, nec Gręcè, nec Latinè.
Fuchsius autem solita temeritate etiam
in textu Græco sustulit εὔδιος, quod ta-
mẽ adest, sed nõ χειμέριον. Dico ergo: Vn-
de humidũ illud, nisi ex copia congestę
in hyeme pituitæ? cũ neq; in uere quòd
supponitur siccum & boreale (sic enim
legi debet) neq; in æstate cum sit calida
& sicca, sumi potuerit. Ergo Hipocrates
duo tempora, non unum (ut Galenus
putat) ad prædicendum, de tertio præ-
supponit. Quandoq; ergo unum tem-
pus præsupponit, ut de illius motbis
prædicat, uelut secũdo Epidemiorum: In princip.
Carbunculi in Cranone æstiui, pluebat “
in ardoribus aqua larga. Contingebat “
hoc per totum, & maximè ab austro: & “
oriebatur sub cute sanies. Quandoq; “
ex duobus temporibus uenatur rertiũ:
semper autem primùm assumit ęstatem
aut hyemem, & sequens autumnũ pro
æstate, & uer pro hyeme, & pronunciat
de futuro. ut in Aphorismis, & libro de
Aere & aquis, & secundo Epidemiorũ. Sec.3.
Quandoq; assumit quatuor tempora,
ut pronũciet de toto anno: uelut in pri-
mo & tertio Epidemiorum. Sed in ter- Constitut.1.2.
tio non solũ quatuor tempora assumit, & 3. in consti-
uerùm quinq;. Vt mirum sit, quòd in a- tut. pestilent.
lijs locis duorum tantũ meminerit. Vi-
dendũ est igitur, quando uelit tempo-
ra esse salubria, quãdo morbosa: & quã-
do morbosa, quot tempora assumete ne
cesse sit: & post, qui morbi ex quibus tẽ-
poribus fiant: demũ applicabimus hæc
proposito. Et repetam, quòd dixit Ga In proœmio.
lenus tertio in tertium Epidemiorũ, sta
tum esse temporum alium naturalem,
alium præter naturã, qui sit causa mor-
borum: & illum tribus (ut dixi) modis,
ratione humorum ptæparato tum alijs
temporibus, ratione propriæ intempe-
riei, & tatione ipsius mutationis. Cum
uerò considerauit duos annos, ut anni
pestilentis prædictionem conficeret, le
gere oportet tertium Epidemiorũ sub
hoc sensu. Cum totus annus fuisset plu-
uius, & austrinus: id est calidiusculus at-
que humidiot, austrinis uentis flantib.
sed ita ut omnino tranquillus, & sine
uentis sentiretur. Vt totum illud propo 3. in 3. Epide-
natur loco tituli, hoc modo, quod ab a- miorum com-
liquo interprete factum puto. prim.

ANNVS AVSTRINVS PLV-
uius, à uentis in totum silens.

Cum paulò superioribus anni tem- “
poribus squalores præcessissent, sub Ar “
cturum flante austro, multum pluit. Au “
tumnus nubilosus, umbrosus, largè “
pluit. Hyems, austrina erat, humida, & le “
nis: multo post solis reuersionem circi- “
ter æquinoctium aspera erat extrema “
hyems: & iam sub æquinoctiũ Boreas “
spirauit & ninxit, non ita diu. Ver rut- “
sus austrinum sine uentis, pluit multũ, “
& continenter ad canem usq;. Aestas se “
rena erat, & calida, magni eraut æstus. “
Etesiæ

» Etesiæ paruæ dispersim spirarunt. Sub » Arcturum rursus spirante Borea, multū » pluit. Cum esset totus annus austrinus, » humidus & lenis per hyemem, salubri- » ter quidem egerunt, præter tabidos, de » quibus modò scribemus. Ante uer, unà » cum frigoribus consecutis, sacri ignes multi. Et pòst peruenit ad illa uerba: » Vere longè plurimos exercebant sacri » ignes, tenebantq́; æstate, & sub autum- » num: æstate carbunculi multi, & putre- dines. Cumq́; posterius tempora com parasset inuicem, demum cōcludit hoc » modo: Omnibus quos suprà descri- » psimus, uer erat infestissimum, plu- » uiasq́; sustulit: æstas commodissima, » paucissimique periere: autumno rur- » sus, & sub Virgilias multi interierunt. » τεταρταῖοι.

Tex.30 Tex.50 Tex.56 Tex.71

Vocat autem annum ex toto silentē, scilicet sub Aequinoctio Boreæ, & Etesiæ flauerint per æstatem, quoniam cum essent uenti ordinarij, & necessarij tamē, » in primo addidit: Non ita diu, in secundo: paruæ dispersim. Liquet autē quod ab hyemis fine prædictionē inchoat, & extendit ad autumnum. Vt ad totum annum desit solum prima pars hyemis. Nec miraberis qui legis hæc: nam totus labor consistit in castigando textum, ut exemplar habeamus purgatum à mendis, hoc autem quantis laboribus, quisque intelligit qui expertus est, ex illa profunda caligine uetustatis eruere ueritatem, & lucidam interpretationem. Sed iam ad rē ueniamus. Quatuor sunt genera constitutionum anni, tum partium eius: primum est extremæ salubritatis, de quo dicebat Hippocrates libro
Pag.2. de Aere & aquis & locis: Si signa fiant » in astris orientibus & occidentibus se- » cundum rationem: & in autumno deci- » dant pluuiæ, & hyems sit moderata, nec » ualde clemens, nec modum excedens » in frigiditate, uere uerò & æstate tempe stiue: intelligitur pro ratione consuetudinis illius regionis, Romæ suo more, & Bononiæ suo, & Mediolani proprio. Quòd si excedant ad humidū, illud deterrimum est inter simplices intemperies, inter compositas calida & humida. Deterior enim est humida quàm calida: quia humida per se, & humida & calida, & humida & frigida, facit morbos.
4. Apho.11. Et hoc est quod dixit Hippocrates: » Ex anni autem constitutionibus siccitates » imbrib. sunt salubriores, & minus mor tiferæ. Calor autē per se non facit graues morbos: nec etiam multū cum siccitate. Cum uerò in omnibus quæ eduntur & bibuntur, calida & humida sint optima, solus aer (quòd natura uerè, dū purus est, frigidus sit, & siccus) cum fuerit calidus & humidus, pessimus est: aut enim huiusmodi uaporibus plenus est, aut substantia eius (quòd uix accidere potest) corrupta est. Humida ergo, & calida aeris tēperies, pessima est. inde humida & frigida: aut humida simpliciter, pòst calida: uel calida & sicca: inde optima est frigida, & sicca moderata. Nam cum aer sit ad temperandum calorem naturalē qui est humidus, & turbidus ob excrementa, optimus est qui est frigidus & siccus moderatè, & purus ualde. Dixi moderatè, quia nimis immoderata intemperies mala est, & excessus exiguus in qualibet qualitate nō potest parere morbos. Propterea dixit Galenus, cum cōstitutio parū uariat à naturali statu, non fiunt morbi: & maximè si ad siccum uel frigidum. Considerare etiam decet, quod dicebat Hippocrates libro Pag.pri.
de Aere aquis & locis, in cognoscendis futuris ac natura præsentiū, statum anni: scire oportet sitū, & rationē uictus. Status anni duplex, naturalis & præternaturalis: situs constat ex positione ad uentos, aquarum natura, & loco elato uel humili, terra arenosa, mōte, fluuijs, littore maris, boreā propè aut austrum. Scire etiam expedit, qui morbi ab unaquaque qualitate dominante fiant: hos docuit Hippocrates tertia Aphorismo- 16.
rum. Demùm cur, cum aliquæ constitutiones pessimæ fuerint, uelut secundo in primum Epidemiorum, cum dixisset « Tex.3. & 4.
quòd hyems Aquilonia, imbres multi, « largi, magni, post brumale solstitiū A- « quilo multum spirabat, ningebat, pluebatq́; plurimùm, & continenter: & reliqua. nihil tamen dicit accidisse insigne « circa morbos, quinimo subijcit: Cum « totus annus fuisset frigidus & humi- « Text.5.
dus, & aquilonius, per hyemem com- « modè ferè se habebat. Cum ergo tēpus « fuerit pessimè dispositum, id est uehementer pluuiosum & calidum, tunc statim & in ipso tēpore accident morbi. quod dixit & in secundo Epidemiorū: Pag.8.
Carbunculi in Cranone. Tertiū genus « cōstitutionis est, cū fuerint duo tempora similia. & dat duo exēpla Hippocrates libro de Aere aquis & locis, dicēs in primo:

„ primo: Si æstas pluuiosa sit, & Austro „ multū perfletur, similisq; sequatur au„ tumnus, necesse est hyemem turbidam „ esse, & his qui pituita abundant, & his „ qui quadragesimū annum excesserint, „ febres ardentes fieri uerisimile est: qui „ uerò bile abundauerint, lateris & pul„ monis inflammationes. Secundum exemplum est huiusmodi: Si neq; sub cane, neq; sub arcturo pluuiæ sint, autumnus autem Borealis & siccus, cōfert pituitosis, reliquis autem infestissimū est hoc tempus. Quartū genus est, de quo est nunc dubitatio, cum tempora à natura sua euariant. Solum restat ut doceā, quate cum immoderata sunt tempora, nonnunquam homines tamen per tempus sani degūt, & hoc maximè per hyemem. Duæ sunt causæ (quarum unius apertè, alterius obscurè meminit Galenus secundo in tertiū Epidemiorum) Com.5. aperta est, quòd cum tempora uariant, sed tamen uergunt ad naturalem temperiē, ut hyems iusto frigidior & humidior, æstas calidor & siccior, autumnus imbriferus, tunc corpora quædam contraria scilicet temperie affecta, melius se habent: reliqua paulo deterius, ut in eo casu sub obscura quæ uergūt in hyemē, & ad frigidam, quia frigiditas aeris iuuat ad salutē: tum primùm, quia roborat calorem naturalem (prima Aphoris- 25. » morum: Ventres hyeme & uere natura » calidissimi) tum quia humores congelat, & congelando sistit fluxiones: tum quia prohibet putredines, quòd rarò afferunt morbos. in ea autem constitutione ambo hæc iungebantur: ideò quamuis esset immoderata, non apparuerunt interim morbi uiolenti, neq; multi. Ex quo sequitur, quòd licet ob causas tales non ęgrotauerint, neq; statim, neq; per hyemem, seruatis tamē humoribus pluribus & prauis per hæc tempora, succedente uere & ęstate, & reliqua parte anni morbi plures ac uiolenti aduenerūt. Ex hoc etiam patet, quòd Hippocrates refert causam totam morborū in annū præcedentem, & non indiguit explicatione qualitatis temporū, in quo morbi ipsi acciderunt: quoniam sufficit natura temporis consueta paratis humoribus ad progignendos morbos: quod declarauit in libro de Aere aquis ac locis, loco iam adducto, cuius est initium: » Si uerò hyems quidem sicca sit. Et si quis objiciat, Non'ne posset succedere aliquid, quod augeret aut minueret hoc? Respondeo, quòd si successisset, & fuisset magnum ualde, tunc commemorasset illud Hippocrates: Velut æstas frigida. Sed si non est tantum quod posit euertere naturam propriam temporis, tunc non est in cōsideratione, cum iam adsint efficiens temporis, naturalis temperies, & materia humoris, scilicet congeniti prioribus temporibus. Itaq; liquet, quàm difficilis esset hæc ratio: & quòd personati isti medici fœdāt artes, dum pronunciāt de rebus difficilimis, tam leuiter eas tractantes. Ideo nunquā rectè pronunciant de rebus. Vt uerò de singulis locis dicamus, fieri non potest: illis primùm, quia oporteret singulas urbes adisse, & situm earum spectasse: deinde, quòd cū causæ generales ex astris sint eisdem, & situs locorum diuersus: igitur necessariò effectus erit diuersus. Et ut inquit ille,

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemq; igni.——

Propter hoc satis erit, si dicam de Roma: excusatum tamen me habebunt, quòd Romam non uiderim. sed si uera est imago antiquæ & nouę urbis: Auen- Strabo Geograph. lib.5. tinū montē habet ab occidente & meridie, Cœliū à meridie, & Almū fluuiū, aquáq; Crabram. Palatinū montē in medio fermè, sed partis magis cultæ à meridie: Tyberis totus ad occidentē positus (etsi pars sit urbis, non enim me latet, quæ Transtiberina dicitur) à septentrione fertur ad meridiem, unde 20. fermè M.P. in mare ingreditur. Esquilinus & Quirinalis ad orientē ambo positi: Tarpeius autem & Capitolinus, partes Saturnij montis (ut auctor est Philander Castillioneus, Roman' ciuis) ad septen- Lib.4.cap.5. trionē & occidentem partis magis frequētatæ: magnitudinis aūt respectu, ad medium positi sunt. Viminalis prope aggerem Tarquinij Superbi. Liquet ergo, intercursantib. tot collibus, uentos, ne latè prodeant, impediri: ipsosq; ob id acutius ferire, uelut solent & gladij. Tum uerò circiter horam æstus, scilicet diei, nonam, ut laterales morbi facillimè excitētur, & pulmonię. Ipsum quoque solum metallicum est, unde exhalant uapores praui, & aquæ puteorum corrumpuntur, argumento improbitatis terræ: & ipsæ (prætereo quòd inutiles) exhalāt ppetuos uapores, cerebro, cordi, pulmonibus ac pectori inimicos. Ipsa

Ipsa Tyberis aqua praua admodùm, licet secus alijs uideatur. Diligēterq; animaduersum ab erudito medico, memoriæq; mandatum : cum plures excipiat fluuios, quorum aluei & ripæ terra colorata constant, metallicam illis facultatem inesse. Quamobrē tametsi limus & puluis mora petat fundum, etiamsi decem annis maneat, nunquam spoliati potest metallica facultate : quæ etsi perexigua sit, cum omnia metalla imperfecta noceant pectori (ob sulphureā uim, & uentriculo) iecori ac renibus, illa quòd hydrargyrij sapiāt uim, hi quòd terræ: necesse est amnis illius aquam esse insalubrem. est etiam à septentrione posita, ut dixi, in qua parte cruda necessariò est. Vnde ex hoc liquet, non solùm Tyberis, sed cuiusuis fluminis magni aquam, præterquam Nili, esse malam: quòd magna flumina omnia, ut Padus & Ister, multos recipiunt fluuios. Dixi, Nilo excepto. is enim purus è montib. suis fluens, uix unum aut alterum excipit fluuium, excoctus candentis sideris radijs fertur in mare. Itaq; Roma ad occidentem & septentrionem sita est, ut Felsina ad septenttionem. nanq; Apeninum à meridie habet, qui cum excutrat in latera, ab oriente etiam & occidente hyberno tecta dicitur. Quamobrem cū duobus modis urbes ad regiones comparentur, sitq; hæc utroq; modo ad Boream sita, scilicet contecta à tribus parti bus alijs, & prona ex meridie, ac pendula quasi in Boream: necesse est, hyemalem illam habere sitū, & aerem crassum. Licet egregij medici quidam aliter persuaserint. Indicio etiā est, quòd solum bituminosum est: hoc enim à nobis declaratum in libris de Subtilitate. Qua propter & aquæ puteorum prauę sunt, & exhalatio corrūpit aerem, ut de Roma dictum est. Aqua uerò Rheni neci- pſa salutaris, ctuda, & quæ calculos in renibus, & urinæ impedimenta gignat.

Plin. lib. 3. cap. 6. & lib. 16. cap. 36.

Itaq; ut ad rem redeam, de Roma solùm dicturus sum, cuius exemplo singularium urbium statum intelligere licet. Illud tamen admonens, cuius Galenus meminit in primo Epidemiorum : cum natura loci constitutioni fuerit similis, adiuuat ad morbos procreandos. Velut Cranon Austrina ex constitutione deterius affecta est, quòd in ualle esset, & Austrinis uentis exposita: ita Roma à calida & humida constitutione plurimùm

Sec. prim. com. prim. in fine.

læditur. Calida enim & humida, in calido & humido loco, dicit Galenus, maximas putredines, statimq; cōcipiunt. contrà Thasus Boreæ, & in edito exposita. Ita Bononia frigida & humida est: est enim Boreæ, sed in ualle exposita. Cum ergo fluxiones fuerint ex cerebro in thoracis partes, id fuit conceptis longo calore ac siccitate humoribus tenuibus in capite: siquidē (ut dicebat Hippocrates) caput suprà sitū est cauum ac rotundum, humidum ex reliquo corpore contrahens, & corpus simul uapores omnis generis sursum in illud mittit, quos caput rursus infrà demittit: nō enim immorari ac manere potest id quod influit, non habens ubi sedem firmet, nisi sanè caput ægrotet: tunc enim non remittit, sed isthic retinet. Postquā uerò attractionem remiserit, fluxio uergit in glandulas, & nullam molestiam affert: donec pauca & moderata fluxio fuerit, & ipsæ glandulæ ualidæ extitere. si enim multa & acris extiterit, māseritq; acris & glutinosa, inflammatur & intumescit, atq; sic collum distenditur, & ad autem progreditur. Et quarto de morbis: Caput ut cucurbitula corpori incumbit, & quod ingestum est, cum ipso corpore, ex uentriculo ad se trahit: intelligens uapores. Cum ergo materia illa hoc anno immoderato ex calore & siccitate ascenderet, ut in mundo hic inferiore ad superiores partes, unde qui libet prudens uir largos & cōtinuos imbres expectabat: ut etiam post quoscūq; cometas. omnes enim cometæ immoderatas siccitates primùm, post aūt largos imbres decernunt: unde qui dicūt, cometas parere siccitates, uera dicunt: & qui pluuias & imbres, etiam uera dicunt: ordine enim certo & siccitates primùm longas, & ob id necessariò largos etiam imbres: & ob id rursus necessariò morbos communes, de quibus suo loco dicam, non solùm prænunciant, sed etiam faciunt: & inde mortē potentiorum & regum: propter id (quod dicam aliquando, neq; enim hic est locus) expectare oportebat in hominibus hanc collectionem, scilicet serosorum humorum, & tenuiorum in capite, & biliosorum exustorūq; in toto corpore. Ergo facta collectione, dicit Hippocrates, uel retinentur, uel dimittuntur: si retinentur, uel putrescunt, uel non putrescunt: si non putrescunt, dicebat sexta Aphorismo-

Lib. de Glandul. pag. 2.

Pag. 3.

rismorum, fiunt melancholiæ, aut apoplexię, aut cæcitates, aut conuulsiones, aut furores. Hi morbi ergo uerè expectãdi sunt, & maximè comitisles in pueris, & furores in adultis, & apparuerunt iam aliquot. Verùm magis hi qui fiunt ob putredinẽ, lethargi & phrenitides. licet enim per humidum autumnũ, ut dicam, facti fuerint morbi ex fluxione: illis tamen quibus non fuerunt fluxiones, incumbit periculum ne materia retenta fiant morbi de quibus dicemus. In uniuersum ergo hac æstate non erũt expectãdi multi morbi, quia licet cõcurrerẽt è tribus causis quæ pariũt morbos præsentes, in constitutione scilicet tranquillitas à uentis magnis, per quos aer non solùm à uaporibus purgatur, sed etiam temperatur à qualitate maximè frigida, & adesset immoderata & perseuerans intemperies calida & sicca: deerat tamen tertia conditio, scilicet quòd esset intemperies calida & humida, cum fuerit sicca. Ergo hac æstate, præter febres ardentes aliquas & tertianas (morbos tempori cõsuetos) & sporades, non fuerunt morbi cõmunes. At in autumno fuerunt pluuiæ multę, unde necessarium erat ut fierent fluxiones, non morbi in capite, quia nõ potest cõtineri diu multa materia. Sed animaduerte, quia illæ fluxiones debuerunt esse hyeme, non autumno: quia, ut dixi, duo tempora saltem requiruntur ad pręparationẽ: sed quoniam tam immoderata fuit utriusq; temporis intemperies, & æstatis calida & sicca & diuturna, & autumni humida, nõ potuit tãta materia, & tam tenuis, diu cõtineri, quin cõfertim flueret sub fine autumni, & magis in ciuitatibus humidiorib. nec calidis (ut Mantuæ, postmodum Felsinæ: sunt enim urbes ualde humidæ, & humidioris uictus) quare necesse fuit fluxiones fieri.

In autumno igitur necesse fuit fluxiones fieri: at fluxiones è capite (dicebat Hippocrates in libro de Locis in homi-
Pag.5. Pag.3. ne, & clarius in libro de Glandulis) sunt septem: tres dicit conspicuæ, ad nares, aures, oculos: quatuor occultæ, ad pectus, uentriculum, uenas, & spinam. Videamus ergo, ad quas partes debuerit esse defluxio. Et clarum est, quòd cum materia est mediocris in multitudine, & temperata, tunc regitur à natura, & mittitur per loca minus periculosa: scilicet nares: pòst aures, inde ad oculos. In his ergo quibus caput erat robustũ, facta est fluxio ad hæc loca. & mihi fluxit ad aurem dextram adeò copiosa, ut timuerim de surditate: quia sum iam senex. & his diebus per Padum ueneram, atq; ob id natura nõ potuit mittere per nares, quod erat optimum auxilium: quanquam non leuis pars per eas etiam fluxerit, & aliquid etiam ad uentriculum. Neque fieri potest ut quisquam, cui probè fluxerit materia per nares, perierit. At uerò qui materiam multã congesserunt, aut prauam, aut imbecilles fuere, his necessariò serosum illud fluxit aut ad uentriculum, aut ad pectus, aut uenas, aut ad spinam. At fluxio ad uentriculum mitior est inter interiores, sicut ad nares inter manifestas. Quæ igitur multa est, & mala, fluxit aut ad pectus, aut ad uenas: quæ ad uenas, facit morbos laterales, & pulmonias, & præfocationes, quæ citò interimunt: dicebat Galenus cum Hippocrate tertia Aphorismorum. Et hoc, dicit, accidit maximè senibus: unde plures senes quasi repentè interierunt. Et in hoc medici pleriq; aberrauere, eas fluxiones existimantes esse ex earum genere quæ possent per tussim expugari: & laborabant cum bechicis medicamentis, frustra uexantes naturam, & non parùm nocentes. Et ex simili morbo cum perijsset nobilis Cæsar Brippius Mediolani, quòd serò aduocatus essem, dissecuimus illum: & inuenta est sanies multa in uinculo quo iecur annectitur costis: & non erat pus bonum, sed liquidum: & superuixerat plus quadraginta dieb. cum hoc morbo. Et similiter dissecuimus Petrum Casatum, puerũ quatuordecim annorum, qui obierat extra urbem, & ideo non potui illum inuisere dum esset æger: & quoniam erat diues ualde supra quadraginta millia coronatorum, suspicabãtur de ueneno: & inueni in pulmone saniem tenuem è latere dextro, quæ eius partẽ exederat: & pronũciaui, quòd non perierat ex ueneno, sed ex fluxione, sicut primus. Et aderat huic spectaculo Gabriel Cuneus, chirurgus egregius, qui dissecuit. Dicam autẽ quod etiã accidit Comiti (hæc est Longobardica potestas) Aluisio Gonzaghę: ad quẽ cum uocatus essem quarta die, prædixi, non superuicturum ultra septimã. Itaq; mortuus est sexta die uesperi. Et nos (eramus enim quatuor medici) disse-

dissecuimus illū, inuenimusq; non esse abscessū: sed omnia uasa pulmonis ex triplici genere. magis tamē asperæ arteriæ rami erāt, pleni saniε simili lacti, adeò ut nullus adesset prorsus sanguis. & huic dissectioni, tum etiā primæ, adfuit Melchior medicus eruditus. Quid plura? Fluxio illa non erat ut duæ priores, sed pulmonia mēdosa. Quo genere mortuus est, qui uice legati fungebatur olim, Daniel Rizius Venetus, uir egregius, apud Insubrum præsidem: sed illum non dissecui. Differt hic morbus à pulmonia, quòd abscessus nō est. Hac etiam æstate ad finem dissecui puellā tredecim annorum nobilissimam, quæ cū esset prædiues, ad sexaginta millia coronatorum, & unica matri suæ, suspicantes de ueneno, ob magnitudinem patrimonij, cum non potuissem adesse ægrotanti, aduocatis à me in re tanti momenti octo alijs medicis, cognoui illam ex defluxione repentina obijsse, non ex ueneno. atq; ita omnes medici in unum consenserunt. Erat enim puellę morbus iamdiu in capite, & suppressa purgatione per ulcera, nec aduentantibus mensibus, correpta febri, cum alioqui non uideretur grauiter ægrotare, imò contenti fuissent duob. familiaribus medicis, repente tanquam siderata interijt. quo casu perculsi, suspicabantur de ueneno. Omnes autem huiusmodi fluxiones necessariò adducunt febrem æstuosam, nō tamē ardentem, nec ualde siticulosam: quoniam materia, ut dixi, putret propè cor, & implet uacuū pectoris, & est humida, & cruditatibus permista: demittit autem cerebrum in pectus, propterea quòd guttur non est contectum, & est eregionè, libro de Locis in homine. Sūt autem morbi cerebri uiolentissimi atq; acutissimi, nec non lethales, ac difficilis sanationis, ut dicebat in libro de Sacro morbo. Et illius fluxiones ad pulmones & pectus procliues. Vnde in libro de Carnibus: Similiter etiā ubi cerebrū ipsum de seipso plurimùm liquefecerit, in palatum, & fauces, & pulmonem, ac reliquum uentrē. Cognoscunt aūt hoc homines, & ex capite destillare dicunt. destillat autem & in reliquum corpus. Mors aūt contingit in senibus ob imbecillitatem, & quibus pectus angustum fuit, & immoderatis in ratione uictus, pleriq; tamen euasere. Sed cur magis Romę, & Mantuæ plures perierint? Mā-

Pag. 5. pag. ult. pag. 6.

tuæ, materiæ copia occidit: est enim inter paludes, Eridano etiā proxima. Romę uerò, & multitudo ob Tyberim & alias aquas, & auras pernecantes, & soli & aquarū quæ in puteis sunt corruptionem. Atque hæc de autumni, & initij hyemis statu, seu constitutione communi morbosa. Quo ad causas primas, liquidum est, fuisse aeris intemperiem utriusque temporis contrariam, ex siderum maiorum situ: proximas autem fluxiones omnibus è capite, sed diuersas, per uenas intimas perniciosissimas, & citò pernecātes: per cōmunes uenas, unde abscessus pectoris, pulmonis, & partiū circūmiacentiū: per palatū, ex quibus peripneumoniæ mēdosæ, & catarrhi, destillationes úe cū tussi: ad dētes præterea, aures, atq; huiusmodi: ad partes externas, unde multi uexati sunt dolore pectoris & dorsi. Et ita fuerūt quinque generū: sed prima tria solū cum uitę periculo, reliqua duo omnino sine periculo: & quòd senes, mulieres, pituitosi magis fuerunt in uitæ periculo, quàm uiri robusti, exercitati, biliosi: & quòd adueniente hyeme ualida cessauit. Et cur etiam loca humidiora prius occupauit: loca aūt ubi aer est deterior, magis uexauit, atq; ibi plures peremit. Quodq; paucos uiros insignes: nā cū causa morbi sit, ut dixi, cerebrum, qui cerebrū habent ualidū, non sunt obnoxij talibus morbis qui à cerebro originē ducūt: at uiri insignes armis, literis, prudentia & negociatione, ualidum omnes habent cerebrū, ideo in talibus constitutionibus pauci pereunt, sed uilis plebs. At si iecur & uentriculus, euadunt uiles, & pereunt indyti uiri: ut in febribus maculosis. Si uerò cor, omnes sunt in discrimine: ut in peste. quanquam in hoc diuites sint ex accidenti securiores, scilicet ob commoda.

Reliquum est ut dicam, an morbi isti contagiosi sint? Ignoscetis, si paulo longior hac in parte fuero, quam nemo alius explicauit, aut etiam intellexit: tum maximè, quod ex horū intellectu multa & præclara deducuntur, quæ ad curationem tum generalem, tum singulorum pertinent. Et quoniam non soleo quicquam bis repetere, ea solum cōmemorabo quæ in libro de Venenis, quem diebus istis cōscripsi, ut in hūc libellum referrē prætermisi: reliqua in libro illo, si quis uolet diligentius rem hanc scire, inue-

inueniet. Causa, quòd sit contagium, omnibus medicis incognitum est: quòd cum duplex illud sit, præsentes medici unum tantum genus, quod consuetudine contrahitur, norunt: quod ex aere, non sciunt. Antiqui contrà, quod ex aere contrahebatur, cognoscebant: quod ex consuetudine, ignorabant. At ut quis uerè sciat quid sit utrunq;, oportet ut unum ad alterum cõparare norit. at hoc per se inuenire nõ possunt: ab antiquis, qui alterum genus ignorabant, discere non potuerunt: propterea ignorant. Et ut id non sine causa dixisse uidear, Hieronymus Fracastoreus (uir nostra ætate insignis, & præter medicinam, etiam in Mathematicis rebus subtiliter exercitatus, & huic negocio totus intentus, ut qui tres libros in hac materia luculenter scripserit, inscriptos de Morbis contagiosis) ne umbram tamen contagij assequi potuit: cum tamẽ ex ingenio proprio multa inuenerit, atque in libros illos retulerit, & uera, & non aspernanda. Doleo tamen, quòd multi quæ hic scribuntur, cum non uiderint librum de Venenis, cogẽtur potius his credere, quàm ut demõstratione (quod mei esset muneris) persuadeantur. Sed quando liber ille iam à me sit absolutus, & cũ Aphorismorum Commentatijs proximè prodíturus in lucem, hæc tanquam alibi demonstrata subijciam. Ergo cum omnes morbi communes à re aliqua cõmuni proficiscantur: quatuor autem nobis tantum sint communia, Cœlum, aer, aqua, & terra: cœlum autem non nisi per aerem agat, etiam teste Ptolemęo: terra autem communis dici non possit, quoniam immobilis sit: constat, contagium commune non nisi ab aere uel aqua contrahi posse. quod etiam testatur Hippocrates secundo de Humana natura. Ergo de aere dicamus, quãdoquidem multa breuitatis causa omittere cogor. Si igitur ille causa sit morbi, cum maxima in copia hauriatur à nobis die noctuq;, & per asperam arteriam à corde & pulmone, & per nares & palatum à cerebro, haud dubium esse potest, si insignem prauam aliquã qualitatem haberet, cõfestim nos interituros. Propterea dicebat Curtius, sed pauci illum intelligebant: Malle se habere prauum aerem, quàm prauas aquas: quia aeris prauitas ubique adeò exigua est, ut facilè emendetur, aquarum non ita. Cum

Prim. quadri partiti c. 2. in princ. seu tex. cap. 10.

Tex. com. 4.

ergo prauitas non possit esse nisi admodum exigua, neque etiam magnas corruptiones efficere potest. neq; enim magnitudine qualitatis interficere potest, sed diuturnitate temporis totos corrumpere humores, atq; ita occidere. Si ergo hoc non nisi longo tempore, quãto minus in breui? Porrò aquæ, & per se ebibitæ, graues noxas inferre possunt: & quòd, ut dictum est, exhalatione aerem corrumpant. Idq; uidere licet in hyeme, cum tanquam fumus ascendant, & perpetuò, & multus ab unoquoq; puteo: neq; credendum est, quòd æstate ob frigiditatem non exhalet uapor ex aqua, cum calidior fit aqua æstate quàm hyeme, etsi non uidetur. Causa est aer calidior, qui illam dissipat: sicut etiam respirationem uidemus hyeme, non æstate, eandem ob causam. Sed intemperies hæc aeris cum fuerit manifesta, & ex primis qualitatibus, non est contagiosa: cũ uerò aliquam qualitatem corruptionis habet, necessariò est contagiosa: ut declaratum est in libro de Venenis. Si ergo aer est per se contagiosus, & qui respiratur ab ægro habet contagium, & morbi, & cõmune: sequitur ut cuiusuis morbi communis, qui non ex primis sit qualitatibus, natura contagiosa sit, si quis cum ægro uersetur diutius. atq; id primum. Secundum, cum declaratum sit, morbos qui sunt circa pectus, ob respirationem maximè & celerrimè esse contagiosos, ut morbos laterales, & pulmonias: horum omniũ quicunq; occidunt sine phlegmone, sunt magis contagiosi, quia per solam qualitatem parentem cõtagij interimunt. Ergo peripneumoniæ non ueræ, in hoc casu pessimę erũt: & febres quædam præfocantes, & aliæ hecticis similes. Cum uerò, ut dictũ est, qualitas hæc praua, necessariò sit exigua: sequitur, ut contagium quod ex cõsuetudine contrahitur, exiguum sit, nec efficere potest quicquam essatu dignũ: quia fermè tota uis est in ambiente. Quòd etsi multi inuisendo ægros & proximos & notos pereant, id contingit potius ex timore quàm ex contagio. & ob hãc causam medici paucissimi ex pestilentia communi moriuntur: ex ea uerò quæ sit per consuetudinem, omnes fermè, si inuiserint. Et ideo antiquo tempore etiam Hippocrates & Galenus inuisebant in pestilentia ægros, sine discrimine. Animaduertendũ est circa duo: Primùm,

Primùm, quia dixi, quòd aer non potest esse ualde prauus unquam, sed exiguã necessariò habet qualitatem, quòd regula hæc uera est de aere libero & quieto. nam aer specuum, qui repentè occidit, & sepulti frumenti, & sepulchrorum, & aer pestilens qui fertur per uentum ualidum etiam in pestilentia communi, id est ab astris, potest occidere in trib. uel quatuor horis: quia motus auget impresionem qualitatis. & ira etiam aer ualde frigidus post aerem ualde calidũ, potest afferre breui mortem. Secundũ, quòd cõtagium ex cõsuetudine, si pendeat ex pestilentia bubonia, id est, quæ non pendet ex aeris dispositione, illud poterit interficere breui: quia est res propagata sicut uenenum, & occidit per se ratione uaporũ, & est cum perfecta putredine. & est aliud genus, ualde diuersum à primo, quod incognitũ fuit Hippocrati & Galeno. Quibus nisis, considerandum est, an ex peste cõmuni quæ fit ab aere, possit fieri pestis contagiosa, ut isti credunt communiter? Et dico quòd non: sed contingit per accidens, ex multitudine corporum insepultorũ, ut eleuentur uapores, qui efficiant pestem buboniam. Et ita post magnas clades præliorum, & non solum hominũ, sed locustarũ, si putrefcant, fieri potest pestilentia bubonia. Quare concludo, quòd generalis pestilentia aeris non potest generaliter facere pestem buboniã, sed potest ex effectibus producere causam pestis buboniæ: id est, quæ ex conuersatione contrahitur. Et hoc fecit Deus Gloriosus: quia si pestis cõmunis posset per se transire in buboniam, cum quæ ab aere fit aliquãdo fit communis toti orbi, (ut de illa quæ fuit tempore Antonini & Galieni, & ea quæ fuit anno M. CCCXXXIX. & perseuerauit quindecim annis) posset & secunda esse cõmunis toti orbi: & ita interiret totũ humanum genus, quia non possent se tueri ab uno & altero simul. Et cum hoc accidit in una prouincia, destituitur fermè tota. Imò, quòd maius est, plerunq; una prohibet aliam, quia absumit corpora parata ad contagiũ: & ita reliqua cũ robusta sint, non facilè peste corripiũtur. Ex hoc patet, quòd qui ægrotãt in principio cuiusuis sæuæ pestilentiæ alterutrius generis, omnes fermè moriuntur, & circa finẽ seruantur multi. Omitto quòd constitutio in cõmuni sit facta imbecillior in fine, in contagiosa ex cõsuetudine hoc non accideret: sed contingit in utraq;, quòd primò afficiuntur corpora imbecillia, & cacochyma: & ideò euadere nõ possunt: in fine ualde remota tũ robore tum puritate à cõtagio, ideo euadunt. Præterea corruptiones illæ aeris in bubonia, cum panem dicũt mucescere, non cõtingunt nisi ex uaporibus, qui sunt proprij illi regioni, utpote ex clade, uel sepulchro recluso, uel exhalatione terræ, uel si mortui non sepeliantur bene. nam nõ possunt pertinere ad constitutionem aeris: ideò apparent ignes, & aer puluerulentus. Et breuiter, contagiũ buboniæ est in uaporib. & proprius uni regioni, & cõmunis in aere ipso, & est generalis. Et si coniungantur, ut dixi, ualde mala res est. Ex quo liquet, quòd datur tertium quoddã genus pestis, quod est quasi medium inter buboniam & cõmunem: quia cõmunis est in aere, bubonia solũ in hominibus ac uestibus: media est, cum adeò sæuierit bubonia uel cõmunis, ut ex cadauerib. aer corruptis uaporibus repleatur. Sed unã transire in aliam, est absurdũ. Et quia dixi, quòd aer in cõmuni pestilentia leuẽ necessariò adipiscitur corruptionẽ: dixi quòd generaliter uerum est. neq; enim me latet, aliquando contingere in multis annorũ periodis, ut qui sunt in medietate citra æquinoctij circulũ uersus Boream, pereant fermè ad unũ ex communi pestilentia, corrupto aere ualde: sed alij in cõtraria parte seruantur; quia non est eadem cõparatio causarũ. Cum ergo quæritur, an morbi sint contagiosi: dico, habet quadruplicem sensum hoc quæsitum. Primùm, an fuerint morbi qui ex aere prouenerint? Et hoc modo dico quòd sic, quia fuerunt morbi communes: ergo cũ non fuerint nisi ex aere, igitur fuerunt contagiosi sub hoc sensu. Secundus sensus est, utrum fuerint contagiosi, id est, consuetudine propagari: & respondeo quòd sic, quia fuerũt morbi cõmunes ex latente, & non manifesta qualitate: ergo cum corruptione aeris, ergo contagiosi: sed, ut dixi, leui modo, adeò ut hoc contagiũ non debuẽrit esse in consideratione. Tertius est, an fuerint cõtagiosi, ut sunt bubonij: & dico quòd non, sed si mortui sunt aliqui hoc modo, contigit ex timore. Dico tamen, quòd uersari cum ægris cuiuscũq; modi parum est utile, præcipuè cum la-

borant partes pectoris,uel cum consuetudine lecti. Quartus est, an præter uim aeris alicubi essent contracti uapores ex putredine:& respódeo quòd non,ut declaratum est in libro de Venenis: neque enim fuit aliqua putredo, prout putredo est perfecta,sed corruptio tantú. Fuerunt tamen uapores ex prauitate aeris: quia cum corrũpitur aer,necessariò corrumpuntur uapores, non tamen contrario modo.

Hæc satis de præteritis: de præsentibus pauci ob causas dictas ægrotant. & qui ægrotant, maximè lateralibus morbis corripiũtur,& lethalibus: quoniã,ut dixi,diu exassata destillatione fiunt.

Vt uerò de futuris dicã, cum ex multis adductis ex Hippocrate ostenderimus, hyemis decursum nõ reddere nos tutos à morbis ueris, neq; æstatis, neq; aliorum temporũ: omitto modò quòd possit succedere ἐν φυταλίᾳ aliqua magna intemperies aeris,quę morbos generaret in uere:dico ubi omnia rectè succedant,adhuc expectãdos esse aliquos morbos cõmunes pro ratione locorũ. Et ratio est, quia segregata materia tenui ex defluxionib. & etiam per uictus tenuis rationem, nihilominus fex illa relicta est in corporibus ex immoderata & longa calidirate & siccitate, quæ primùm augebit morbos Romæ familiares,qui duo erant Galeni tempore, defluxio pituitæ à capite,secũdo de Temperamenris,& hemitritæi. Vnde secundo de Differentijs febrium: „ Quotidie fe „ rè nos huiusmodi febrem uidemus, po„ tissimùm Romæ. sicut enim alijs in lo„ cis alia, sic in illa ciuitate hoc mali abundat. Et primo in primũ de Morbis uul„ garibus: Quæ ex sola bile generatur, ei „ tertianæ nomẽ est: quæ uerò partem as„ sumpsit crudũ humorẽ,exquisita effici„ tut semitertiana:Romæ illa incolis fre„ quentissima,ut quæ sit illius urbis fami„ liarissima. Causa fuit olim,ut colligitur quatto in sextũ de Morbis uulgaribus, quòd non aqua Tyberis, quæ prorsus mala est, ut dixi (neq; enim tot Imperatores latère id potuisser, quòd defacata esset bona) sed fistularũ,ut Tiburtina alijsq; uterentur,quę quãuis limpidæ & claræ,sine odore ullo iucũdæ sint: attamen non ut fontiũ concoctæ, sed ualde crudæ erant, & quib. uix legumina coquerentur. Ex horũ igitur genere morborũ sunt omnes febres compositæ, & laterales morbi,qui cum similibus, uelut læujtatibus intestinorũ, in senibus plus iusto, uere, pro ratione temporis, quod saluberrimũ esse solet,erũt. Ratione cõstitutiõis, attoniti motbi aliquot, & resolutiones,& furores,aut meláncholiæ:nihil tamẽ magnũ aut populare,sed magis febres,propter tationẽ dictã, laterales morbi perniciosi,quòd hyems clemens (ralis enim dicitur hęc) atq; austrina,nõ ab austris flantib. sed suspirantibus:ut tandẽ discant medici,præsentes temporũ status,cũ adsunt: nã pleriq; sola nomina norũt. Si ergo ἐν φυταλίᾳ,quę intra quinq; uel sex dies inchoare solet,ut tardissimè intra duodecim, frigora sæua euenerint, tũc erunt sacri ignes maligni,& febres ardentes,& phreniti des,lethargi,lippitudines,carbũculi, alui turbatæ,ciborum fastidia:atq; in huiusmodi urinæ turbatæ, multæ, malæ, & maculosæ febres: quoniã iãdiu factæ sunt endemiæ his regionib. & laterales morbi endemij tẽpori & regioni. nã & tertio Epidemiorũ pet hyemẽ bene se habuerũt:& fuerat,ut hęc, humida, mollis, & austrina,& post arcturũ aquę multæ:& æstas fuit serena,calida,cum æstibus magnis. Hoc est ergo primũ periculum, si admodũ frigida fiat φυταλία:& similiter si uer,sed non tantũ, quia frigus nõ adeò magnũ esse potest,neq; diuturnũ,ut in φυταλίᾳ. Secundũ,ubi uer esset humidũ ualde, æstate carbunculi & febres pestiferæ exotirentur,ut declaratũ est in libro de Venenis: & hoc circiter decimã Iulij, pet caniculæ dies,atq; eo magis si feruida esser, & uulturni leues flarent. nam turbulenta esset,neq; sicca, neq; pluuiosa,sed nubilosa. Tertiũ est, ubi uer esset aquiloniũ,ualde frigidũ & siccũ, tunc essent morbi attoniti plures & frequẽtes, mortes repẽtinæ, maximè Florẽtię & Romæ,etiã nõ paucę: Florentię quidẽ,propter aerem siccũ, & temperaturas melancholicas: Romę, ob humidũ ex aquis aerẽ, qui est impurus. Nec hæc sibi contradicũt. aer enim humidus secundũ substantiã esse deber,& siccus: id est, pur⁹ ratione uaporũ. unde Romæ & Florentiæ malus aer: Romæ ad morbos magis paratus, Florẽtię ad uitę breuitatẽ. Generalirer dico, cũ desit etiã signũ Georgij, hoc anno nõ est rimendũ à peste quę ex aere ortũ ducit, usq; ad uer.

Et ut exquisitius res hęc possit haberi, sciendum quòd Hippoctates plerũq; in mu-

Cap.6. ante med. cap.8. com.25.

Com.10.

in mutationibus temporum non aſſu-
mit niſi unum tempus anni medium,
3. Aph. 11. ut dijudicet de ſequēti. uelut in Apho-
riſmo illo: De tēporibus, ſiquidē hyems
ſicca & aquilonia fuerit, uer uerò plu-
uioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate,
&c. non aſſumit uer. Galenus uerò non
animaduertit, quòd non aſſumit niſi ue
ris, non hyemis conſtitutionem: ſed ſuf
ficit humidum præter naturam, cum ca
lore æſtatis naturali, ad pronuncian-
dum de ſtatu æſtatis. Vt ergo hoc maxi
mè & apertiſsimè declararet, aſſumpſit
hyemē non ſolùm naruralē, ſed etiā cō-
trariam: adeò ut liceat inferre, ſi hyems
fuerit ſecundum naturam, uer autē Au-
ſtrinum & humidū, erunt etiam hęc ma
iora, & efficaciora. Quòd ſi hyems fuiſ-
ſet etiam auſtralis & pluuioſa, tunc non
ſolùm fierēt morbi acutiſsimi, & febres
malæ, ſed etiam peſtilentes. Hoc autem
14. declarat in illo Aphoriſmo: Si uerò aqui
lonius & ſiccus. ubi ex immoderata fri-
giditate & ſiccitare, quamuis hyems nō
ſoleat párere morbos graues acutos, ta-
men dicit febres acutas fieri, & atras bi-
les. coniunxit autem immoderatā qua-
litatem congruentē duorum temporū,
ſed ſaluberrimam, utpote ſiccam & fri-
gidam, & tempus ſaluberrimum, ſaltē
quod ad acutos pertinet morbos, ſcili-
cet hyemem, & tamen pronunciat de
morbis grauibus. Propterea in libro de
Aere & aquis, iungit duo, ſcilicet con-
ſtitutionem temporum duorum ſimi-
lium, & morboſam, ſed non in tem-
Pag. 8. pore morboſo, & tamē hæc habet: Si au-
tem æſtas pluuioſa ſit, & auſtro multum
perfletur, ſimilisq́; ſequatur autumnus,
neceſſe eſt hyemem morbidā eſſe: & his
qui pituita abundant, & qui quadrage-
ſimum annum exceſſerunt, febres ardē-
tes fieri uerſimile eſt: qui uerò bile abun
dant, coſtarum inflammationes, & pul-
monis. Vnde conſtat, quòd ſi hæc inci-
derent in æſtatem, tunc adeſſent omnia
quæ neceſſaria ſunt ad morbos perni-
cioſiſsimos, & plurimos. ſed hoc decla-
sec. 3. constitutionis pestilē- rauit in tertio Epidemiorum. Vbi ergo
tis. temporis couſtitutio fuerit morboſa,
& inciderir in tēpus cuius qualitas alia
non fuerit morboſa, tunc iubet Hipo-
crates expectari tempus ſuccedēs. uelut
uer auſtrinum & pluuioſum habet qua-
litarem humidam morboſam: ſed quia
non habet calorem, ſed temperamen-
tum in actiuis qualitatibus, morbi dif-

ferentur, donec uenerit æſtatis initium,
ut calor humido iungatur, & efficiat
morbos. Sed ſi in tēpus incidat, quod ha
beat qualitatem ad morbos faciendos
idoneam, tūc erunt morbi in eodē tem
pore. Vnde dicebat in ſecundo Epide- Sec. 2.
miorū: Carbunculi in Cranone æſtiui, "
pluebat in ardoribus aqua larga: contin "
gebat hoc per totū, & maximè ab au- "
ſtro. Quia tamen non erat niſi unum tē "
pus uitiatum, non fuerūt morbi peſti-
lentes: & ſimiliter ſi duo tempora ſucce
dentia, unum qualitatē unā, aliud aliā:
ut ſi uer humidum, æſtas calorem ſub-
miniſtrēt, fient morbi: ſed neq; peſtilen
tes. Sed ſi tria tempora coeant ſimplici-
ter, ut hyems, & uer humidum, & æſtas
naturalis, fient morbi maligni. Sed ſi ter
tium tempus alia qualitate propria qua
morbum facit exuperet, fient morbi pe
ſtilentes. Et ſimiliter ſi duo tēpora con
geminentur, fient etiam peſtilentes. ut
ſi uer ſit auſtrinum, pluuioſum, & ualde
calidum, & ſimiliter æſtas, fient morbi
peſtilentes. Scire autem decet, quòd
Hippocratis mens eſt, quòd talia eueni-
ant neceſſariò, & non ſint coniecturalia
& dubia, ut iſti putant. Et ob id paſsim
addit, Neceſſe eſt hæc & illa euenire. Et
ratio id oſtendit: quoniam aeris conſti-
tutio, cum nos die noctuq́; aerem perpe
tuò hauriamus, & ex corde, & ex cere-
bro ut noſtrum corpus immutetur. Et
præſertim ad quatuor genera morborū
febres, ob cor: abſceſſus in pectore &
pulmone, quia eò trahitur aer: & guttu-
ris, ſynanchē uocant: & cerebri, & oph-
thalmias, quia cerebrum haurit aerem,
& oculi facillimè patiuntur ob copiā
ſanguinis, & ſpirituum qui ad illos de-
feruntur. ophthalmiæ enim febrib. pro-
portione reſpondent, ut etiā Ariſtoteles
prima Problematū: ſic abſceſſus pecto- Probl. 8.
ris cerebri abſceſsibus: & in his maximè
conſiſtunt peſtilentiæ. Sequitur ergo,
conſtitutio peſtilens erit: ergo & peſti-
lentia ſequetur. nam humanū conſiliū
generaliter ob rot errores & neceſsitatē
non poteſt reſiſtere conſtirurionibus ae
ris. ideoq́; pronunciat Hippocrates, ad
ijciens hoc uerbū, Neceſſe eſt. At ſi con-
ſtitutio non minetur peſtem, nō poſſu-
mus tamen ſecurè dicere, nō erit peſtis:
ſed dicimus, non erit generalis in tota
prouincia ex aere: ſed, uel ſi ſuccedat, e-
rit nō generalis: ut ſi ex cadaueribus in
prælio, uel aperto aliquo ingenti ſpecu

prauo corrũpatur aer in ea regione: aut
erit citra aeris corruptionem, propter
famem, quæ non solet adeò esse genera
lis, quanquã & ad omnes perueniat, ut
dictũ est in libro de Venenis, seu potius
in primo libro (sunt enim tres) aut pro-
Probl. 7. pter contagium, quod etiam ponitur ab
Aristotele, & fuit illi cognitũ: ut prima
Problematũ. ex quo mirũ est, cur quasi
latuerit Galenum, qui post illum fuit.
Sed ibidem hæc declarata sunt. Ex hoc
patet, cur Hippocrates modò unũ tan-
tum tẽpus assumit, in pronunciando de
morbis, ut secundo Epidemiorũ: modò
duo, ut in libro de Aere & aquis, & ter-
tia Aphorismorũ, cũ præcedens fuerit
cõtrariũ primo assumpto: modò tria, ut
in eisdẽ locis, cũ præcedẽs fuerit simile,
ut hyems ueri: modò quinq;, cũ uult ꝓ-
nunciare de ingenti peste. Et quòd ne-
cesse est assumere plura tẽpora in duob.
casibus, uel cũ uolumus pronũciare de
magna multitudine morborũ, ac praui
tate: uel cum tẽpora parũ recedunt à na
pag. 12. turali statu, & ad qualitates minus mor
bificas, ut frigus & siccitatem. Propte-
„ rea dixit in quinto Epidemiorum: In il-
„ la media constitutione (nõ enim nume
„ raui illam inter constitutiones, quòd im
„ perfecta & mutilata esset) siccitates mul
„ tæ post Fauonium factæ sunt, usq; ad
„ æquinoctium autumnale: sub Canem
„ æstus ualidi, calidi uenti, febres sudorifi
„ cæ, tubercula iuxta aurem multis ob-
„ orta sunt, Fauonius siccus uentus post
„ æstatem. Verisimile est auctorem loqui
de æstate anteriore conuerso modo, ne
interponeret hyemem totam, & uer, &
medietatem primã æstatis. Neque scri-
bit quando fuerint febres sudorificæ,
& tubercula. Verùm credendum est, in
ipso æquinoctio, & post subsecutos im-
bres: ideò ex corruptione aeris immo-
dicè sicci, & prius etiam calidi, exuren-
tis humores, quasi diluto ueneno in
multo humido ex imbribus genito, fa-
ctas fuisse febres sudorificas, & tubercu
la. Sed iam declaremus unũ pro exem-
plo ex difficilioribus, quod est Georgij
scilicet: Cur uer præter naturã loci ue-
hementer frigidum, faciat pestẽ sequen
Const. pesti- ti æstate. quod etiã est Hippocratis ter-
lenti. tio Epidemiorum, cum inquit: Quũ au-
„ tem esset annus austrinus, humidus &
„ mollis, per hyemem quidem sani dege-
„ bant, exceptis tabidis. Ante uer autem,
„ simul cum orientibus frigoribus, sacri
ignes multi quibusdam cum occasione, «
quibusdam non: atq; hi maligni mul- «
tos peremerũt: multis fauces doluerũt, «
uoces uitiatæ, febres ardentes, phreniti «
ci, ora ulcere feruido affecta: in puden- «
dis tubercula, lippitudines, carbunculi, «
alui turbatæ, ciborũ fastidia. Inde non «
multo pòst subijcit: Cœperunt igitur fe Const. 2.
bres ardẽtes ante uer: itemq; phrenitis «
post facta frigora: & plurimi tunc ægro- «
tarunt. Nec refert quod in primo dixe-
rit, Ver autem frigidũ, aquiloniũ, aquo- «
sum, nubilum. Nam non fuit nec siccũ,
nec cum magnis frigoribus. Nec quod «
pòst: Circa ęquinoctiũ hyemes maximę Const. 3.
uer aquilonium, siccitates, pluuiæ pau- «
cæ frigidæ: circa solstitium æstiuum a- «
quæ paucæ, magna frigora usq; ad Ca- «
nem. Nam hyemes, id est tẽpora humi- «
da fuerunt, & quod subsecutũ est maxi
mè frigidum, ut neq; antè propter humi
dũ, neq; pòst propter frigus, morbos ge
nerare potuerit. Sed audi illum in quar Pag. 2.
to: Circa solstitium hybernum aquilo- «
nares uenti erant, morbo regio corripie «
bantur, abundè colorati, & partim hor- «
ridi, partim non, linguę combustę tertia «
die. Vt clarum sit, frigus ipsum uehe- «
menter cũ uentis aquilonaribus etiam «
hyeme obesse, quanto magis uere? Nã
coacto humore intus copioso, & ultra
metam, aduruntur: quoniam calor non
potest exhalare, ideò putrescunt uehe-
mẽter, & morbos generant pestilentes.
Si enim uer secundum naturam, & cum 3. Apho. 20
hoc quod exhalare facit humores, gene
rat furores & atras biles, & morbos co-
mitiales, & attonitos: quales generabit
morbos, cum ipsos humores exhalare
prorsus ꝓhibuerit, & pręter natura fue-
rit? Certè longè plures, & lethalissimis
lethaliores. Ex aeris autẽ præsenti qua-
litate, Aristoteles docet turbulentum, Pri. probl. 21.
qualis est iuxta lacunas & stagna, in hye
me, si perseueret æstatis tempore, uel e-
tiam autumni initio, dum adhuc calet
aer, pestem breui futuram prædicere. At
ex ortibus & occasibus siderum (ut iu-
bet Hippocrates in libro de Aere & Pag. 2.
aquis ac locis) ut dixi, obseruatum est,
quoties Pleiadũ matutino sub occasu,
qui fit autumno, Sol, Venus & Mer-
curius simul fuerint in Scorpione, cum
Saturno aut Marte, uel Saturnus aut
Mars inter Pleiades tunc fuerint: aut
regio illa talis fuerit, ut alter eorum
sit in Leone, & meridie, dum Sol
oritur,

oritur, ex Marte quidem per pestilentes & acutissimos morbos plurimos ipso eodem tempore interire: ex Saturno autem, acutos non simpliciter, sed & diuturnos, eodem modo. Oportet autem saltem per octo dies permanere. Ex huiusmodi igitur rationibus facile est, ut liquet, præscire cuncta quæ in annis euentura sunt, præsente medico, uel philosopho, circa morbos, præcipuè quatuor illos iã dictos, cũ pestilentes futuri sunt, aut nõ, cõsiderare atq; přescire, předicereq;. Sed iã ad institutũ redeamus.

Quartum periculum est ex annonæ caritate, in qua tot pauperes moriũtur. Nec est quod quis putet, ut quidam simplices aut improbi credunt, aut credere simulant, quòd debeant perire fame, id est defectu ciborum prorsus: hoc enim uix unquã accidit. sed moriuntur fame, quod coguntur edere cibos malos natura, & etiam corruptos. Vnde Galenus in libro de Cibis boni & mali succi, longa serie docet, quòd cum primo omnia cerealia defecissent, post etiã legumina, rustici coacti sunt edere radices & germina agrestiũ plantarũ, & herbas etiam incognitas, unde uere & æstate facta est pestilentia illa generalis, sed non contagiosa, nec primi nec secundi modi: quæ tamen tandem transijt in pestem contagiosam, non buboniam, ex qua passim moriebantur, tã qui bono quàm qui malo essent usi regimine. Quod licet Galenus ibi non apertè dicat, cognoscitur tamen ex historia Eusebij Cæsariensis, & ex dictis ipsius Galeni, qui plures nobiles, & seipsum fatetur correptum esse, ut dixit in libro de Libris proprijs: ut solum id in dubium reuocare liceat, cur post famem pestis succedere soleat, & afficere etiam non tantum illos qui malè uixere, sed qui bene. Et dicam quid sentiam. nam & Eusebius refert, Christianos, qui tunc in uillis habitabant tempore pestis Maxentij, quæ fuit posterior pestilentia, cuius meminit Galenus (nam ob religionem, ab urbibus prohibebantur) multo minus uexatos, quanquam fame premerentur ob paupertatem, quàm qui in urbibus. Causa erat, quoniã (omitto modò, ut ille rectè dicit, quòd Deus suis fauet) qui in uillis degũt, magis subijciũtur pestilentiæ communi non cõtagiosæ: qui in urbibus, buboniæ. nam qui in uillis sunt, primũ uberiorẽ habẽt copiã germinum, & herbarum ac radicum, & recentium & incorruptatum, & liberiorem aerem: ideo morbos plures contrahunt. & quia robusti sunt, si materia protrudatur ad cutim, fiunt carbunculi, & pustulæ, & euadunt, ut Galenus ibi dem dicebat: neq; est aliquid ex terra natum quod possit gignere buboniam pestem, præter fungos, & hoc etiam rarò. & ideo rarò ad illam deueniunt. at qui in urbibus, primùm herbas & germina semiputrida comedunt, & præter id carnes corruptas, salitas, recentes, & animaliũ non esui aptorũ: præterea sanguinem, pisces, caseũ, corrupta: at ex his bubonia & deterrima pestis generatur. Et hoc latuit Galenum, quia non nouit pestem buboniam. ideo propagatur tempore famis, in urbibus maximè, ubi aer non est corruptus, contagium consuetudinis, & corruptionis aeris ex uaporibus: in ruribus autẽ, pestis ex cibis. Ex quo patet, quòd sunt quatuor genera pestis: Cõmune, quod fit ex corruptione aeris, uel aquarũ, quod (ut dixi) est cõtagiosum, id est ab aere: & etiã à cõsuetudine, sed leuiter, & est impressio ab astris, & non potest gigni (ut putant stulti) neq; ob inopiam rei frumẽtariæ, neq; alia causa, sed est à Deo, & cœlo. Secundum est ex cadauerum multitudine, exhalatione terræ, & locustis: & hoc fit ex uaporibus, & est contagiosum ab aere, non à cõsuetudine, sed persæpe generat pestẽ buboniam. differt à primo, quia est in uaporibus, non in aere, uel aqua. Tertiũ est ex consuetudine, & contactu, & est bubonia pestis: & est cum ultima putredine, & potest generare secundum genus, & inficere aerem uaporib. lethalibus, & est pessima celeritate mortis, & multitudine morientium: & quia pauciores seruantur. Quartum est, quod fit ex fame: & si comedant cibaria agrestia, non permutatur, nisi quãdoq; in secundum genus. si autem comedant res corruptas, & maximè ex animalibus, permutatur in buboniam. Et recitat Auenzoar, quòd aliquando fuit tanta fames in Africa, ut homines eruerent ossa è sepulchris (horribile auditu) & comederent medullas, & statim mortui concidebant. Et de his non est dubium, quin facta fuerit pestis bubonia, ex tanta putredine. Et sicut primum genus non potest fieri ab alijs unquam, sed potest esse causa omnium aliorũ, ut

Cap. pri. in prin.

Pag. 2.

3. Theisir. Tract. 2. cap. de feb. Pestilenti.

dictum est: ita bubonia pestis necessariò fit ab una aliarũ semper,&per accidens. Et hoc declaratur, quia cum non fiat à cœlo,nec aere,nec sit perpetua:igitur oportet ut oriatur casu ex alijs, uel etiam per putredinẽ linteorum sepultorum, uel exhalationis alicuius corruptæ. Et nullum genus etiam, præter primum, potest esse generale toti orbi, sed uni prouinciæ tantum. Dico ergo,quòd ob diuturnam famem quæ perseuerat, periculum est ne succedat unum ex tribus generibus pestis:& forsan possent coniungi duo,uel tria. Et randem ut dicam quod sentio,ubi perseuerauerit fames, necesse erit ut hoc contingat.

Propterea sciendum, quòd humores gignũtur praui in corpore,ex cibis prauis: qui si sint ex plantis, non eò corruptionis deueniunt,ut faciant pestem bu boniam, quia non perfectè putrescunt. quod apparet experimento; si caulis & caro putrescant,odor caulis parum sentitur, nec est horribilis: at carnis est fœdissimus. Corrupio ergo humorum ex plantis genitorum, diu seruari potest, & ad extremam putredinem non perue nit:ouorum, piscium,carnis,& eorum quæ lacte constant,ad summum peruenit putredinis,&statim ut etiam concoctio optima est. Deus enim rectè cuncta dispensauit,optima pessimis opponẽs. Aqua non bona,non mala. Vinum optimum, pessimum:olera non bona,mala parum:caro optima,pessima. Ergo conceptiiam humores cum adurũtur,morbos lethales efficiunt: attamen pestem buboniã non gignunt. Nõ enim, quod medici falsò putant,exustio ad uerã pestem,quę est putreoo & contagium primi modi, deducit,sed ad contagium secundi. Voco primum&secundũ modũ, ut in libro de Venenis,quoniam quæ ardent,sic cantur,sicca minus perfectè putrescere possunt. Seruantur autẽ humores diu in uenis, & si in constitutione praua possunt. fermè per duos annos, aut saltem plus quàm per annũ seruari: quanto diutius, si tempora non declinent multũ à suo naturali statu? Et ideò ad propositũ ueniẽdo, fieri potest ut humores ex mala cõstitutione geniti seruẽtur ad multos annos, & tandem perimant. Et dedi exemplum de alimento ex cucumeribus,in libro de Venenis. Si ergo non fuerit fames causa pestilentię, non uideo aliam causam, loquendo de pestilentia alia à primo genere. Et hæc de generali dispositione, & quo ad Romam. nam fieri potest ex his quę adducta sunt,ut in aliquibus urbibus atq; oppidis contingant euentus quidã admirabiles: quod non solùm uerisimile est, sed necessariũ, propter tot causas: famẽ, constitutionem præteritam, rationem uictus in pluribus locis malam, & tot fortuita quæ contingere possunt. Solet enim dici: Qui sępe iacit,aliquando col limat. Velle autem hæc specialiter quærere, nec est in petitione: & laboriosum esset mihi inter tot occupationes. Et etiam Hippocrates secundo Prædictio- num, iubebat nos abstinere, quantum possemus, à prædictione futurorum. Super sunt autem solum duo dubia. Pag. 2.

Primùm,quia forsan dicet aliquis, Cur nõ censendi sunt morbi pestilentes qui præfuere,cum tã multos interemerint? & si pestilenres,etiã contagiosi. Respondeo, quòd morbi epidemij nõ dicuntur pestilenres, cũ multi moriuntur: sed cũ maior pars ęgrorũ:gratia exẽpli sit,ut in una urbe ęgrotẽt decẽ millẽ uiri, & moriantur tria millia ex his:in alia aũt ęgrotent mille tãtũ,& moriantur septingẽti: prima urbs dicitur laborasse epidemio morbo solũ,licet plures perierint. & secũda pestilẽti: est enim pestilẽtis morbi, quòd in multis uiguerit,& plures perierint q̃ seruari potuerint. Ideo si triginta solum in una urbe ex eodem morbo pereant,etiamsi nulli alij ægrotauerint, nõ dicitur pestilens morbus: quia ut sit pestilens, necessariũ est ut sit epidemius & ut sit epidemius,ut sit in magna parte habitantium: & non sit consuetus. aliter dicetur Endemius,non Epidemius. Ideò dico, quòd fuit morbus epidemius,non pestilens.

Secundũ dubiũ est, Quę nam febres fuerint,quæ hos morbos coocomitatæ sunt? Quidã dixere,cõtinentes,& synochas. at cõstar tales esse ardentes, nõ lentas,ut pleręq; fuere. Deinde q̃ aperiere multi ex suffocatiõe,nõ ex ui febris. Materia etiã erat maiori ex parte pituitosa. Et peripneumoniæ in hoc differunt ab erysipelate pulmonis,quòd maxima ex parte fiũt ex pituita: ut in undecimo Cõtradicentiũ docuimus. Proprerea ad pauca respicientes, de facili pronunciant. Non negauerim, aliquas fuisse febres, cõtinentes, sporades: nam etiam in singulis cõstitutionib. cõmunibus eueniũt morbi Contrad. 7.

morbi Endemij, id est, loco uel tempori proprij, & sporades: sed morbi Epidemij habuerunt febres infra mediocritatem. Et pulsus non eleuabantur ad symmetriam, quod est proprium continentium. At & hic medici refugiũt ad suas febres occultas, & sepultas: uerè utrũq;, occultas illis, & quæ ad sepulturam deducebant. Dico ergo breuiter, quòd huiusmodi febres erant ex his quæ consequuntur collectionẽ, ut declaratum est à nobis in Arte medendi parua, quã nos confecimus. Et non sunt hecticæ, nec putridæ, nec ephemeræ. Etsi dicant (quod scio statim dicturos) exprimo de *Cap.pri.sec.3.* Febrium differentijs, non possunt esse plura subiecta, ut ex Hippocrate sexto Epidemiorum, quàm continentia, con tenta, & impetũ facientia, seu membra, humores & spiritus. Dico, quòd ibi Galenus diuidit febres per se. Si tamen uelis esse febrẽ unius ex his generibus, ut *Cap.4.* Galenus tertio de Præsagio ex pulsib. reducit pestilentem ad hæc genera eadem, ut etiam uelit quandoq; esse hecticam, admitto: sed eadẽ lege, ut accidentia non habeat eadem, eritq; in humoribus. Sed sicut in pestilenti, & pulsus & urinæ conrra naturam putridarum sunt fermè sanis similes, & citò perimũt, contra naturam hecticarum: ita etiam febres hæ consequẽtes, collectiones sunt proculdubiò in humoribus collectis: ut etiam in morbo laterali, non autẽ uniuersis: & habent peculiaria signa, & curam. At cum obstinatè quidam imperiti medici prosequi uelint tanqnam Synocharũ, ægros fermè perdunt, nec animaduertentes aliam fuisse mentẽ Hip- *Prima 4 trac. pri.cap.pri.* pocratis, Galeni, & Principis, in hoc uno consentientium. Ex hoc patet; quàm facile esset, si rectè intelligerentur hæc, occurrere generaliter pestilẽtibus morbis, ut referũt Hippocratẽ & Acronem medicos fecisse: qnorũ alter totam Græciam, alter Athenas duntaxat, à sęuiente in alijs locis lue liberarunt: tum nerò etiam specialiter singulis, non solùm ob causæ inuentionem, quam docuimus, sed multo magis quòd omnium unus sit modus proprius unicuiq; morbo cõtagioso, quemadmodũ & ille unus est: alius autem à generali ratione medendi consimilium (ut in libro de Venenis docuimus) quẽ quisquis inuenerit, & intellexerit, omnes fermè seruabit. Ex cõtagio autem primi modi etiam multos, imò plurimos, qui nõ nouerit, plus medendo quãdoq; nocebit quàm iuuabit: seruabitq; ægrè non multos, nisi ex eo genere morbi sint quod non sit lethale, quanquã grauis: uel ut Hippocrates recitat de illis ægris primo Epidemiorũ, *Sec.pri. Pag.pri.* qui uehementer conflictati euadebant. Neq; hoc ignorat uulgus, qui plus his empiricis tribuit, quàm medicis. Nos autem de his, quòd nondũ ingruant, nec interrogati simus, dicere supersedemus. satis enim est eam curam me explicasse in tertio de Venenis. Itaq; & horũ, *Cap.10.ca.18. & 19.* & illorũ scilicet qui ex aeris uitio morborũ fiunt, per singula genera curã enarrauimus. Nam nisi pręcipiti nimiũ morte perimat, ut ea fuit pestis quę ab anno M.CCCXXXIX, quindecim ꝑpetuis annis totũ peruagauit orbẽ: prudentis medici munus erit, obuiã ire tum in singulis, tũ in uniuersis. At in huiusmodi securior est custodia, quàm cura. Quanquã, ut dixi, & cura, per ea quæ propriè opponuntur, admirabilis sit. Nos itaq; per genera, ut diximus, singillatim eam tractauimus. Liquet enim ex coniugationibus temporũ, simplices pestilentes cũ his quæ fiunt ex duorũ cõparatione, & annuas, ad numerũ mille septuaginraocto peruenire. Quod facilè sic colligimus: In aere octo possunt esse simplices intemperies harũ singulę & per se, & cũ borealibus uentis, uel austris iungi possunt, ut sint sexdecim. E` quib. sex sunt humidæ, quæ possunt esse imbriferę atque serenæ: itaq; sex illis duplicatis, fiẽt duodecim: additis aũt decem reliquis, fient uigintiduę, quę ueri cõgruere possunt. Vnaqnæq; harum singulis æstatis iungi potest. Ductis igitur uigintiduobus in se, fient constitutiones ueris, cõparati ad æstatem, CCCCLXXXIIII. toti demq; autumni ad hyemem collati, erũtq; in uniuersum DCCCCLXVIII. Quibus si singulorũ temporum simplices, octuagintaocto. sunt enim quaruor tẽpora: & totius anni uigintiduæ addantur, fient omnes coniugationes temporumq; cõstitutiones mille septuaginta octo, præter eas quæ imperfectæ appellãtur: uelut in sexto Epidemiorũ: Tusses *Sec.3.in prin.* (inqt) cœperũt ex frequẽti australiũ & aquilonariũ, & nimbo sorũ trãsmutatiõe. Est & una incõstãtis tẽporis, de qua Hippocrates tertia Aphorismorum: In tem- *4.* porib. quãdo eadẽ die modò calor modò frigus fit, autumnales morbos expectare opor-

re oportet. Omnes igitur MLXXIX. Quę ad tria genera reducuntur. Leues unius temporis, uelut in Aphorismo illo: De temporibus, siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit. Duorum temporũ, uelut in sequenti. Trium temporum, ut cum ex duobus in tertio secundum naturam prædictio fit. ut in illo: Si uerò aquilonius & siccus. huiusmodi numerum non augent. dicuntur enim duorũ temporum cõstitutiones, quia tertium tempus secundum naturam est. Etenim quæ duorum temporum sunt, aliæ habent tempus secundum, iuxta naturam suam: & dicuntur mediæ inter eas quæ sunt unius temporis, & duorum. adnumerati tamen debent constitutionibus unius temporis: ut quæ in Cranone, Epidemiorum secundo. Similiter & quæ in duobus, aliæ quidem in secundo tempore morbos decernunt, quæ non tam ualidæ ut quæ in tertio secundum naturam: uocantur tamẽ duorum temporum, quia solùm duo tempora à naturali statu euariant. Ita erunt quinque genera constitutionum apud Hippocratem: Mitissimum, cum in uno tempore fit permutatio & morbi: Mite, cum in uno tempore fit mutatio, in sequente autem secundum naturam, morbi: Mediocre, cum in duobus temporibus mutatio fit à naturali statu, sed in secundo eorum fiunt morbi: Vehemẽs, cum mutatio fit in duobus temporibus, morbi in tertio, quod secundũ naturam sequitur: & Violentissimum, cum mutatio à naturali statu fit in toto anno, & est tota similis & uniusmodi. aut etiam si plus duret, morbi autem in sequenti anno apparent, postquam constitutio præter naturam cessauit. Vnde etiam illud animaduertendum; quòd tempora præter naturã quandoq; præsentes faciũt morbos, cum calida & humida fuerit cõstitutio, aut uenti mutantur in contrarium frequenter: aut si ualida est multum: secus autem fiunt morbi in temporibus secundum naturam, qui illis succedunt. Inconstantem ex uentis australibus & borealib. consecutæ sunt anginæ, sexto Epidemiorum: è quibus mortui sunt qui febricitabant, cæteri

3. Aphor. 11. *Apho. 12.* *Apho. 13.* *Sec. pri.* *Sec. 7.*

seruati sunt. Oportet autem solùm tamen eas obseruare, quæ euidentes habent qualitates, & conspicuas constitutiones ualidas & firmas, ac diuturnas: ne pulcherrimum inuentum Astrologorum more fœdetur. Quas cum quis diligenter obseruauerit, & ad causas suas retulerit, non solum securè & tutò, sed magna cum admiratione de singulis tẽporibus prædicere poterit. Etenim si quis diligenter animaduertat, cuiusque harum prædictionem exemplo cõmonstrauimus: modò ne desit ingenium, solersq; cura. Sed & utiliore inuento etiã singulis edoctus, per ea quę diximus in libris de Venenis, occurret. In uniuersum enim septem sunt natura pestilentium morborum, ex aeris constitutione. nam cum tria sint membra uitę principalia, cor, cerebrum, iecur: hocq; solũ non respiret: duo reliqua ab aeris constitutione inficiuntur. aut igitur materia in cerebro collecta facit abscessum, fitq; phrenitis: aut spargitur, oriturq; atra bilis: aut emittitur ad oculos, guttur, uenas soporarias, fitq; lippitudo, angina, attonitus: aut circa cor colligitur, fitq; lateralis morb. ac peripneumonia: aut spargitur, oriturq; acuta febris: aut expellitur dum prope iecur est, fitq; difficultas intestinorum ex caua, & urinę ex gibba: aut in ambitu, gignunturq; carbunculi, & sacri ignes. Manifestum est autem, quòd ex his quæ dicta sunt, finis hyemis, & ueris initium, laterales morbos & pulmonias habere debet: æstatis autem initium, si uer humidum & australe perseuerauerit, febres acutas, intestinorum difficultates, lippitudines pestilentes secundi modi, iuxta naturam aeris constantẽ: omnis enim immoderata qualitas partiũ anni pestilẽtes morbos parere nata est, præsertim calida, & humida, & aquosa, & frigida, & sicca.

Hæc sunt, uir Illustrissime, quæ mandãte amplissimo uiro Gubernatore huius almæ Vrbis, inter multas occupationes sex dierũ spacio absoluimus: ut Sũmo ac Beatissimo Pont. tibi satisfaceremus, & communi utilitati pro uiribus consuleremus. Nonis Martij,

M. D. LXIII.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN OMNES SEQVENTES DD. Hier. Cardani libros Index, non sine iudicio & industria copiose collectus. In quo prior numerus paginam, alter uersum indicat.

B

capilli

succedens

ex

D

diapes

lauatio

di dies

I

liene

M

mare

genus

qui

N

ὀρθό-

P

purgantium

Q

R

saniet

ſibilus

somnia

stellarum

T

tinnitus

V

FINIS.

BASILEÆ, EX OFFICINA HENRI-
CHI PETRI, ANNO SALVTIS HV-
MANAE M. D. LXIIII. MEN-
SE MARTIO.